

9
2 H E
21

BELLI SACRI HIstoria, Libris XXIII comprehen

SA, DE HIEROSOLYMA, AC TERRA PROMISsionis, adeoq; uniuersa penè Syria per Occidentales principes Christianos recuperata: narrationis serie usq; ad regnum Balduini quarti, per annos LXXXIIII continuata. Opus mirabili rerum scitu dignissimarum uarietate refertum, ac historiæ studiosis ut iucundissimum, ita & utilissimum futurum: ante annos quidem circiter quadringentos conscriptum, nunc que primùm Doctissimi uiri PHILIBERTI POYSSENOTI opera in lucem editum.

GVLIELMO TYRIO METROPOLITANO quondam Archiepiscopo, ac regni eiusdem Cancellario, autore.

Rerum toto Opere memorabilium Capita post Præfationem reperies.







Cum Cæs. Maiestatis gratia & priuilegio ad quinquennium.



MICAELVS TOXITES RHOETICVS
ad Lectorem candidum.

Miramur toties nostros inuadere fines
Gaudentes hominum sanguine, cæde, Getas:
Et torpemus adhuc, causasq; auertere tanti,
Qui uelit, hoc fermè est tempore nemo, mali.
Scilicet & nostris discordia mentibus hæret,
Quæ semper magnis inuida rebus obest.
Dum iungunt studijs uires concordibus olim
Præstantes animis, diuitijsq; duces:
Cum Regno sacram deuictis hostibus urbem
Inuicta fortes obtinuere manu.
Sæpe quidem tristes perpessi tempore clades
Crimina tum propter fœda fuere, breui:
At non destituit pater illos optimus unquam,
Cum scelerum uerè pœnituisset eos.
Confisi bonitate Dei, non uiribus, hostes
Finibus arcebant iusta per arma suis.
Ast ubi paulatim creuit scelerata nepotum
Ambitio, atq; auri pectora cepit amor:
Dum neq; relligio, nec quid suaderet honestum,
Aduertunt studijs ebria turba suis:
Turpiter amittunt regnum, famamq;, decusq;,
Quæ fuerant multo parta labore prius.
Nimirum uitijs Deus indignatur, & aufert
Quæ dedit, iratus munera iure malis.
Hæc Opus exponit Gulielmi nobile Tyrij,
Quo uix utilius historia omnis habet.

IN PRIMIS REVERENDO PATRI, ET DOMINO, D. CHRISTOPHORO COQVILLE, sacræ Theologiæ doctori, Priori maiori Cluniacensi ac Marciniacensi, Philibertus Poissenotus S. P. D.



VM omnia iura diuina humanaq; illos laudent, Præsul dignissime, qui omnes suos conatus, omnia studia & labores in Dei laudem, & proximi utilitatem conuertunt: quis mortalium, præsertim Burgundorum & Cluniacensium (quorum semen ut stellas coeli, & maris arenam multiplicauit pater ille coelestis) non iudicabit omni laude dignissimum, Anthonium illum Rupensem, fundatorem collegij Hieronymiani, à paucis annis in alma Vniuersitate Dolana quàm elegantissimè extructi? Quis inquam mortalium tanti boni authorem non miris extollet preconijs? Maximè quum iam cursum suum consummauerit, ut nulla mortaliũ laude possit pollui. Quod si omnes ita dijudicent, multo magis ego ipse dignũ censeo, ac iustum, huius uiri enarrare laudes omni sanctorum Ecclesiæ, omnibusq; populis Dei & Domini nostri, qui sibi ascribit quicquid uni ex eius membris fit. Ego scilicet, qui quotidie eius bonis sustētor, unà cum amplissima iuris studiosorũ caterua meæ commissa fidei, qui in hoc ipsius collegio assiduè regi regum militantes, uiuunt, quiq; sibi necessaria ibidem obtinent. Hoc autem ut faciam, nunc iusta sese offert occasio: uidelicet inuentio thesauri & margaritæ preciosæ, in ipsius fundo, id est, locupletissima huius collegij bibliotheca. Quem thesaurum incomparabilem, quum ego ipsius colonus inuenerim, nolui illum abscondere, aut mihi soli uendicare, sed fundi domino offerre. Dominiũ aũt fundi ad ipsum Anthoniũ Rupensem iusto emptionis titulo spectare, te minimè latere scio, uir æquissime, qui hominem plenè nosti. Ab eo nimirũ ascriptus es in album, sanctam colentium religionē, apud sacrosanctum Cluniacense coenobiũ, eiq; his diebus feliciter & è re Cluniacēsium succedis. Modũ uerò & formam, quibus offerendus esset ipse thesaurus, satis collegi ex mēte ac uoluntate ipsius Anthonij, morte confirmata. Siquidē ipse multis rerum argumentis testatus est uerbo & opere, se omnia, quæcunque habuit, in Dei reliquisse laudem, et Reipub. commodum. Quum igitur ego hanc ipsius cognouerim uoluntatē, quũq; nihil magis debeatur mortalibus, quàm quòd ultimæ eorum adimpleantur uoluntates: uolui hanc Belli sacri historiam, uelut thesaurum absconditum, & margaritam preciosam in lucē edere. Cuius editione nequaquam absurdũ fuerit, si ipsius Anthonij, tanti boni præcipui authoris, paucis declarauero uitam, præclaraq; opera, nonnunq; cum fideli eorum cõmendatione, & laudabili memoria, qui de nobis, deq; suo collegio bene meriti sunt. Quod dum faciã, idq; paucis, & absq; ullo orationis fuco, uelim lectorem æqui boniq; consulere. Anthonius autem hic Rupensis, natione Burgundus, ciuitate Poligniacensi, probis fidelibusq; ortus parentib. statim ab adolescentia coelestibus literis seipsum destinauit, ac suaue Domini iugum subijt, uiamq; ad æterna beatitudinis præmia elegit promptiorem: ac sub omnium Christianorũ Abbate Iesu Christo, in celeberrimo ordine

Cluniacensi militans, in lege diuina meditabatur die ac nocte. Qui quũ à Domino gratiarum, & luminum patre multa talenta uirtutum accepisset, ea ut seruus fidelis et prudens multo cum fœnore dispersit: iugiter in Vniuersitate Dolana canonicas interpretans sanctiones. cui tanta erat dicendi promptitudo, tantaq́ iuris diuini & humani prudentia, ut nunquam ab illo suo tempore tale, tamq́ frequens fuerit auditorium. Quandoquidem quamplurimi studiosi stare cogebantur pro foribus ædis diuo dicatę Georgio, quum iam intus omneis replerentur sedes, quantumuis amplissimę. Cuius uirtutes cœlitus illi concessæ effecerunt, ut eum Dominus constituerit super familiam suam, eumq́ maiorem, quem uocãt, Priorem omnium Cluniacensium esse uoluerit: cuius quidem ordinis, domusq́ patris cœlestis, quum multæ sint mansiones, specialius ei committi uoluit celeberrimos prioratus charitatis ad Ligerim, & Mortuaquensis ad Dubium flumina. Quę omnia tẽpla Dei, domosq́ Deo dicatas, ac gregem sibi commissum tam piè, tam sanctè, sub uero pastore Iesu Christo, diuoq́ Benedicto administrauit, ut uel ipsam animam pro grege paratus fuerit ponere. Vt apertissimè attestantur omni exceptione maiores eius coætanei, oculati & fideles testes. Cæterum suæ professionis haud immemor, nihil sibi unquam aliquid proprij attribuit: uerùm quicquid suis proprijs acquisiuit laboribus, quicquid ex rebus Monasteriorum ibi commissorum obtinuit, in pios conuertit usus. Et ut ex multis præclarè gestis unum saltem enarremus omni admiratione dignum, omni refertum pietate in Deum & patriam: in hac celebri ciuitate Dolana, amplissimũ emit fundum, in quo templum atq́ religiosum collegium tam eleganter exstruxit, ut omneis qui illud uident, trahantur in admirationẽ, tam splendidũ, magnificumq́ opus potuisse intra tam modicum temporis spacium ab illo religioso uiro sic perfici ac consummari, quod uix potuisset aliquis potentissimus princeps. Ita ut statim quum adhuc ædes illæ ad umbilicum perducerentur, hoc tam regale religiosumq́ ædificiũ sua illustri maiestate decorare, multisq́ dierũ curriculis hîc degere dignatus fuerit Philippus Castiliæ rex, Austriæ Archidux, inuictissimi Cæsaris Caroli quinti pater. Quæ quidem historia dum hîc fideliter narratur, non possum non esse memor patris mei, quem sępe lubenti animo lętabundũ uidi profundere lachrymas, dum istius sui Principis, imò omnium Burgundionum narraret clementiã, quam tunc Dolæ omnibus exhibere dignatus est. Huius tandem integrę fidei patris anima, postquã ferè nonaginta annos corpus suum organumq́ sancti spiritus in hac ualle lachrymarũ uiuificauit immarcessibilẽ (uti opto, et ex trãsacta uita, Christo id largiẽte, colligere est) adeptus est glorię coronã 21. Iulij. 1547. Eo scilicet anno, quo Cæsare triumphante, ipsius Philippi filio, mortui sunt Henricus Anglię, & Franciscus Galliæ reges. Sed ut quod cœptũ est prosequamur, decorarunt sua præsentia hoc collegium multi alij Principes, ueluti Comites à Nanssau, Principes à Chalon, suumq́ alij multi hîc elegerunt hospitiũ, etiã dum hîc primarij fungor munere: multi deniq́ Prȩlati huc quotidie confluunt, utpote optimę nobilitatis & spei D. Claudius à Balma Archiepiscopus Bisuntinus, cum doctissimo suo comitatu, in quo prę cęteris nitet D. Anthon. Lullus, in hac uniuersitate sacræ Theologiæ professor, huiusq́

reueren

reuerendissimi Archiepiscopi, generosissimiq; fratris Francisci Balmensis, quos quotidie gignit in Christo alter parens, & rector. Sæpe etiam hoc adit collegium eorum uitricus, uicinusq; noster, D. Ioannes Dandelot, sacræ Cæsareæ maiestatis (à qua huc missus est, & tanquam fidelis uigilansq; dux constitutus) dapifer: unà cum generoso & inclyto fratre D. Petro Dandelot, Apostolicæ protonotario sedis, Dolanoq; decano, & Ionhacensi (unde oriundus sum) Priore ac domino. Imò quoties huius comitatus Burgundiæ comitia celebrantur (quibus intersunt illi treis, quos uocamus, status) an nõ hic eligitur locus, à Deo Opt. Max. gloria & honore præmunitus? Nec tamen minus gloriosum ac laudabile apparebit, quòd hæc religiosa domus etiam pauperum sit refugium. Quos sicuti ad se uocat Christus, eosq; respicit, qui pro nobis pauper factus est, ut diuites essemus in illo, quiq; in pauperibus excipitur: ita etiam hæc domus iugiter pauperes collectos amplectitur, præsertim quum id exigit necessitas: adeò ut frequenter plus quàm trecentos annumerare licuerit, qui secundum collegij facultates eleemosynis donarentur. Et hoc quidem meritò, quum non minus uerè quàm eleganter attestatum reliquerit diuus Hieronymus, patronus noster, diuusq; Ambrosius, necnon & alij sanctissimi patres, bona Ecclesiæ, bona esse pauperum. Veruntamen quod hic à nobis fideliter narratur, non iactantiæ causa fit: quũ sinistra illius qui eleemosynam facit, nescire debeat quid faciat dextra: nostrumq; sit dicere, Serui inutiles sumus, fecimus quod debuimus. Sed quò intelligentes uno ore glorificent patrem nostrum cœlestem, in his quæ tam syncerè fecit ipse fundator noster, horum omnium primus & præcipuus author: qui si in his omnib. magni faciendus est, nunquid multo magis in hoc, quòd Bibliothecam tam amplam extruendam curauit? quod eam tot tamq; uarijs libris ditauit ac repleuit? eo potissimum tempore, quo rari admodum erant typographi, adeò, quòd maior librorum pars è Venetijs euecta sit: quòd multos manuscriptos ferè centuplo carius, atque nunc uenduntur, emerit. Illic enim uidere est antiquas Decretales in membrana exaratas, plus quàm centum emptas coronatis. Vt interim alios taceam innumeros libros, etiam Bibliorũ, manu scriptos, pulcherrimisq; illustratos figuris, nec dum excusis, quos suaue est spectare. Maximè uerò abundat utriusque iuris uoluminibus: quam locupletãdam curaui, ex uarijs antecessorum meorum libris: multosq; iam comparo, præsertim in sacra scriptura, qui illis omnibus adiungantur: pluresq; iam alios collegissem, nisi me fures & sacrilegi plærique retardassent, qui libros complureis, quantumuis ferreis colligatos catenis, furantur, auferuntq;: quorum damnatio iusta est, & finis interitus. Cuiusmodi homines crebrò, charitate suadente (quæ erga omneis extendit, quæq; bona omnia sperat, nec cogitat malũ) in ipsam intromittimus Bibliothecam, existimantes eos studendi gratia hoc requirere, ut faciunt plerique alij uiri studiosi, quibus per facultates non statim licet similes habere libros, ueluti utriusq; iuris uarios interpretes, uariaq; doctorum cõsilia, ac alias iurium decisiones: his inquam meritò non denegatur ingressus. Ex quibus multos uidere licet, potissimum fideles Germanos, & Flandros, diligenter illos reuoluentes libros, qui tandem plurimum Reipub. consulũt, studiorum

suorum referētes fructum. Inter illos uerò omnes qui hoc collegium, ipsiusq; bibliothecam perlustrarunt, non quidem furti, sed studij caussa, mihi omnibusq; Hieronymianis semper cordi fuit, eruditissimus uir ille, D. Christophorus Mellingnerus Oenipontanus, qui proximo anno, quo Rectoris dignitate fungebatur, Iuris utriusque doctor magno omnium applausu Dolæ creatus est, nostramq; generalem congregationem Cluniaci, sua præsentia decorare haudquaquàm est dedignatus: ac quantæ esset eruditionis, tum in Iure diuino, tum Pontificio & ciuili, ac quàm perfectè encyclopædiam absoluisset, crebrò in publicis disputationibus satis superq; attestatum reliquit. Qui ob suas uirtutes, donaq; gratiarum, ab omnibus nostri ordinis patribus, plurimùm uenerabatur, quiq; non sine gaudio ac uinculo pacis excipiebatur, potissimum à te R. P. qui omnes ad te uenientes benigno prosequeris affectu, nec minus solicitè excipis quàm ipsi patres Abraham ac Loth, qui hospitio etiam angelos Dei receperunt. Cuius quidem Christophori Mellingneri, tui nomine & pietate non absimilis, omnibus uerò dilectissimi, lubens feci mentionem, cum tanta inter nos sit amicitia, ut semper mihi ille sit præsens, quē semper gero in oculis, cuiusq; literas longè gratissimas frequenter accipio: etiam postquam à fortissimo Christianismi protectore Ferdinando, Rege Romanorum, Bohemiæ, & Hungariæ, optimis cōditionibus missus est Spiram, ubi sacri Imperij sedes multo splendidius, quàm unquam antea, choruscans, Iurisconsultorum congregatione locupletata est. Nunc per totam Germaniam, imò ferè per omnia mundi climata, non absq; Dei nutu triumphante Cæsare, ipsius regis fratre germano. Sed ut ad institutum reuertamur, bonum opus operatus est Fundator noster, qui non minus solennem, celebremq;, quàm Ptolæmeus Aegypti Rex, Bibliothecam omnibus studiosis extruendam curauit. Cuius rei si quis studiosus omneis discutere peristases atq; circunstantias uellet, longius multò posset reddi ornatior. Maximè quum illis temporibus hoc effecerit, quibus destructa, igniq; consumpta, & belli calamitatib. desolata erat Dolana ciuitas, imò uniuersa penè Burgundia: adeò ut hic noster fundator, alter Neæmia ciuitatis Hierusalem reparator, nobis dici possit. Qui cum ædificatione spirituali, disseminando uerbum pacis, ac iustitiæ, quam publicè profitebatur, tum materiali, corporaliq; structura, primus author fuit restaurādæ urbis, ac uniuersitatis Dolanę. Quæ quidē omnia, licet magna sint, parua tamen iudicari debent, si spirituali ædificio comparentur. Hoc autem intelligo, de quo sapiens fidei Architectus Paulus loquitur: Dei ædificatio estis, templum Dei sanctum est, quod estis uos, &c. Vt enim D. O. M. posteaquā pulcherrimū locum creauit, scilicet Paradisum uoluptatis, illic degere iussit primos nostros parentes, scilicet Adamū et Heuam: ita hic fidelis seruus, prudensq;, gratia et imitatione filius Dei, hunc locum excoli uoluit, per. XII. uiros religiosos, pauperes spiritu, ac humileis, nullúmq; obtinentes beneficiū, ac pensionē, qui sub lege diuina, ordinem diui Benedicti & Cluniacensiū professi essent. Qua in re, ut in reliquis omnibus, ueri omniū pastoris sequutus est uestigia. Nonne ipse Deus et dñs noster elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit diligētibus se? Elegit sanè duodecim Apostolos, in collectionem

uniuer-

uniuerſalis Eccleſiæ, quam proprio ſanguine acquiſiuit: quorum ſonus & uerba uti in fines peruenerunt orbis, quorumq́ prædicationibus & doctrinis fulget eccleſia, ita certè tam feliciter ſpeculator aſtans deſuper, qui nos diebus omnibus, actusq́ noſtros proſpicit, à luce prima in ueſperum, gratum habuit inſtitutum huius uiri, ut iam innumeri ab hoc ſacro collegio exierint, ſintq́ diſperſi ferè per orbem terrarum, quorum doctrina fulget Eccleſia, & Cluniacenſium ordo illuſtratur, couſq; ut de hoc pio ac timēte Deum uiro, prædixiſſe uideatur Regius Pſaltes: Potens in terra erit ſemen eius. Quod quidem ſemen, ut commodius fructificaret Deo in odorem ſuauitatis, utq́ ipſum plantatum in domo Domini palmæ inſtar floreret floribus, honoris honeſtatisq́, illud in terram bonam excultamq́ diligentiſſimè iecit ac ſeminauit. quemadmodum enim rerum omniū parens, omnes ſuas creaturas in uſum hominis, quem ſexto die ad ſuam formauit imaginem, creaſſe dignoſcitur: ita hic fundator noſter. deitatis imaginē, ſimilitudinemq́ perbellè referens, quæ erant ad uictùm & ueſtitū neceſſaria, temporaliaq́, ſine quibus ſpiritualia diu conſiſtere nequeunt, minime neglexit: ſed terram fructiferam in monte pingui, in quo beneplacitum eſt Deo inhabitare, iuſto acquiſiuit titulo, ſuumq́, imò patris Benedicti ſemen, fide Abraham purificatum de rore cœli, & pinguedine terræ irrigatum iri à lympidiſſimo inexhauſtoq́ omnium fonte gratiarū obtinuit. Quid enim quæſo aliud, quàm hæc tam admiranda, ac ueluti per allegoriā dicta, feciſſe ille uidebit, qui ſtatim reuocauit in mentē, quo nam pacto illā domū religioſam, quę uulgariter nuncupať Sancta Maria de Caſtro, nō procul à celeberrima Salinenſi ciuitate ſitā, uniendā curauit. Cuius quidē religioſę domus hūc noſtrū Anthoniū dixerim fundatorē alterū, quū iam alienata eſſet ab ordine Cluniacenſi, & à prima ſua inſtitutione, quū iam de lapidibus clauſtri aliò transferendis tractaret, de ruina abolitioneq́ domus: imò quum iam tympana ſeu æramenta aliò tranſlata eſſent. Quam ita miſerè deperditā, magnis laboribus ac expenſis reparauit, necnō priſtinæ reſtituit integritati, pias defunctorum (ut ratio poſtulat, ſuadetq́ æquitas) adimplens uolūtates. Ex cuius Monaſterij annuis cenſibus, quos ſibi particulares faciebant nōnulli, proprijsq́ applicabant uſibus, hoc ſanctum ſemen Dei, creſcens de uirtute in uirtutem fouetur, alitur, necnon cibatur pane uitæ & intellectus, ſed & aquis ſalutaris ſapientię potatur. ut ſatis hoc palàm faciunt aquæ illæ Salinarū, quæ ſunt ipſius domus religioſæ ampliores redditus annui, cenſusq́. Siquidē in omni uictima et ſacrificio ſal offerri pręceptum eſt. Sal autē diuo Hieronymo dulcedo eſt ſapientiæ, &c. In qua quidē domo pretermittiť nihil quod ad Dei gloriā, diuinarumq́ rerum exolutionē ſpectat. illicq́, ueluti in monte ſanctæ cōtemplationis complures uiri religioſi, ac timentes Deū, uitā uiuunt ſolitariā: inter quos eſt uenerādus ſenex, D. Ioānes Bonualotus, qui oīa illius eccl. ſię iura ſcripta habet in ſcrinio pectoris ſui, necnō ſtrenuè cōtra aduerſarios pugnat gladio ſpiritus pro illorū inuiolatione iuriū, piè edoctus à bonę memorię D. Michaële Bonualloto eius anteceſſore: qui optimè, ſi quiſquā alius, meritus eſt de ipſo religioſo loco: ad quē permulti cōfluūt Chriſtiani, fideleſq́ religionis ergò, Salinēſes potiſſimū ac uicini, ſuasq́ preces altiſſimo offerunt, & intemeratę uirgini Mariæ, piè credentes ſe huiuſmodi precibus poſſe adiuuari. Satis etiam intel-

 ligentes,

ligentes, quàm sit Deus mirabilis, gloriosus, laudandusq; in sanctis suis. Ex his autem innumeris, eadē caussa illuc cōfluentibus, nō possum silentio prę terire D.Io. Sachetum Canonicū Salinensem, qui olim ut alter diuus Hieronymus multas paragrauit mundi parteis, sacrorum studiorū gratia: curāq; habens, necnon pædagogiam, tunc optimæ indolis filiorum illius uiri, toto orbe (cum propter innumeras suas uirtutes, tum ob gratiam quàm inuenit in cōspectu illustrissimi Cæsaris Caroli quinti) celebratissimi, domini à Granuella nostri, dum in terris degeret, fundatoris amantissimi. Quem, uel in hoc fœlicissimū quilibet iudicare potest, quòd suos cōplures uideat filios, tā piè, tam sanctè institutos, ut non abs re filij benedictionis dici possint. Inter quos fulget, uti sol in firmamento cœli, D. Anthonius Parrenotus, digniss. Atrabatēsis episcopus: uir sanè in sacris Canonicis ciuilibusq; sanctionibus, in omnibus denìq; disciplinis cōsummatissimus: qui etiā pri̅ssimū fundatorē nostrū, ut nomine, ita uel in hoc sequutus est, quòd Scholas erexit Bisuntij, in quibus sacras interpretat̄ scripturas D.Franciscus Richardotus, Metropolitanæ Canonicus ecclesię, uir profectò omni doctrinarum genere absolutissimus, cuius incōparabilis eruditio, dicēdi facundia, ac pietas tanta est, ut spiritus Dei, eius organo abundè loqui colligat̄, suaq; dona gratiarū ita diffundere, ut mirū in modū suos alliciat auditores: adeò quòd etiam præ cæteris, uir ille doctrina & uirtutibus præcellēs, D.Frācīscus Bonualotus Luxouiensis, diuiq; Vicentij Abbas cōmendatarius, nec non administrator Archiepiscopatus Bisuntini, licet alioqui circa Rempub. ualde detētus, ipsius Richardoti illustret Lectiones: quę comitant̄ alij innumeri doctores, ac magnę authoritatis uiri. Nec immeritò, quū nihil aliud doceat, nec in medium producat, q̄ uerbum Dn̄i corda lætificās, illuminansq; oculos. Quod qui audiunt, custodiuntq;, beatos fore, ipsa asseuerat ueritas. Nunc itaq;, ut institutū prosequamur, cum præceptores sint loco parentū, filiusq; sapiens sit gloria patris, nō parū gloriæ meret̄ noster Sachetus, illorum nobilium à Granuella olim moderator, ac fidelis custos: qui iam nunc, postcaq; se suis uirtutib. multis regionibus manifestauit, ut cœlo fieret propinquior, per uitæ suæ celsitudinē ima deserens, excelsum ascendit montē, quē alij luratū, nos uerò montē Sion & cōtemplationis appellamus. In quo, tu omniū Cluniacensiū Antistes, elegantissimū cōtemplatus es Sacellū, bibliothecā quorumuis librorū, in sacra præsertim scriptura refertissimū, multaq; alia sanctæ solitudinis mysteria. A quo nullus unquā, nisi sanctior, religiosiorq; exire potest. quem persępe multi undequaq; doctissimi adeunt, utpote D.Gilbertus Cognatus, Canonicus Nozerenus, fide & charitate exuberans: cuius pręclaræ lucubrationes, in lucem editæ, satis declarāt quantæ sit doctrinæ. Cui adiungendus est D.Laurētius Priuæus, optimus solertissimusq; Ludimagister Dolanus: eidē D.Sacheto sanguinis affinitatisq; uinculis cōiunctissimi, mihi uerò amantissimi. nec hic pretereūdus est eiusdē Sacheti collega, & Canonicus ecclesiæ diuo Manatio dicatæ, D.Petrus Cōtesse, uir sanè in omnibus disciplinis apprimè eruditus, et pauperū pater. Quorū nō ingratus mentionē feci, utpote huius nostri Collegij fautorū, ubi diuus colit̄ Hieronymus: quem D.Patronū, apud sanctam & indiuiduā Trinitatē elegit noster Fundator, sancto afflatus spiritu. qui cū se mortalem agnosceret, iamiamq; uenerandus senex, ueluti D.Isaac, quum priua-

priuaretur uisu, optimũ sibi elegit successorẽ, D. Ioannem à Magdalena, utriusq; Iuris Doctorẽ, collegamq; ipsius famatissimi D. Nicolai Perrenoti à Granuella, in senatu Dolano. Hic uir sapientissimus, diuino flagrans charitatis amore, ordinẽ Cluniacensium illico professus est, ac Prioratũ Charitatensem ad Ligerim obtinuit. Tandẽq; Prior maior omniũ Cluniacensium, nõ sine magno nostri ordinis cõmodo creatus est. Cuius uirtutes, præclaraq; facinora, si enarrare pergerem, tota non sufficeret dies, propriaq; & singulari opus foret oratione. Rebus ita, multoq; splẽdidius quàm quis enarrare possit, peractis, pius noster fundator Domino spiritum reddidit, in celeberrimo Cluniacensi cœnobio, die 11. Aprilis, anno Dñi 1505. Cuius uita gloriosa, pietasq; in Deũ & patriã, fides, spes, & charitas, reliquæ deniq; uirtutes, nos inducunt, ut illũ, gratia Dei id efficiente, credamus in pacis ac lucis regione constitutũ, delectariq; cum iustis in cõspectu Dei. Cuius si unquã obliuisceremur, ingrati profectò essemus. Et nũc ipse testẽ inuoco Deum, cui seruio in spiritu, q; sint ipse, successor eius, religiosissimusq; eius frater Henricus Rupensis hic sepultus, tu uenerãde pater, omnesq; benefactores nostri, frequentes in orationibus nostris. Insuper hic uir, dignus qui perpetuò uiuat, per magnifica sua opera, ut erat prudẽtissimus, antequã suũ corporali pręsentia deseret Collegiũ, illud suffultũ iri uoluit sacrosanctis cõstitutionibus, statutisq; omnino legi diuinæ cõsonis. Quæ ut obseruarenẽ unum instituit Primariũ, ac Rectorẽ, sub cuius obedientia & ductu cæteri Scholastici religiosè uiuerent, Christo ecclesiæ capiti militãtes. Hunc aũt Primariũ eligendum censuit à Priore maiore Cluniacẽsi, nõ absq; seniorum cõsilio & assensu. Inter quos primus fuit institutus, D. Petrus Gauuãdus Doctor, qui post aliquot annos diui Morãdi, cui nũc pręsumus, Prioratũ obtinuit: quẽ pulcherrimè post rusticũ bellũ reparauit. Sub quo in albo Hieronymianorũ ascriptus fui, quiq; meo frequẽter usus est officio, præsertim quũ è uiuis decederet. Cui successit Adrianus Charrinus: uir mehercule religiosus, ac timens Deum. Sub cuius obediẽtia eousq; militaui, Subprioris fungẽs officio: donec in partẽ tuæ solicitudinis ad claustrũ Cluniacẽse fui uocatus. Vbi cũ per aliquot annos socius in ordine (ut dicũt) sub tua Paternitate degissem, tecũq; uaria perlustrassem monasteria, post ipsius pij Adriani mortẽ, me Primariũ huius collegij, ac Rectorẽ instituere dignatus es. Cui quidẽ officio iã per decẽ annos pro uiribus superfui. Faxit is, sine quo nihil possumus, ut opera manuũ nostrarũ ab ipso dirigant, in sui ipsius laudẽ, ac ecclesiæ cõmodum. Sub ipsis aũt Rectoribus, Primarijsq; quot, & quanti prodierint uiri celebres, qui nostro ordini, etiã nunc plurimũ ornamenti adferunt, quis enarrando sufficere potest? Ex ijs non pauci sub te agunt, tum Cluniaci, tũ alijs in locis, quos tu haud uulgariter adiuuisti, in graduũ adeptionẽ: nec nõ me illis non rarã pecunię summã tradere iussisti, ex his quę nõnunq̃ superfuerũt Collegij pecunijs: quas utinã tã utiliter exponere deberẽ, ac non potius, quòd dolẽs refero, magna studiorũ nostrorũ iactura diffundere cogerer, propter uarios litiũ processuũq; anfractus, cõtra eos qui ipsius Collegij iura subuertũt, decimas hactenus, tã syncero iure nobis solui cõsuetas denegãt, multaq; alia inferunt dãna, nouas excogitantes nocẽdi formas. Nã tametsi pia, honesta, ac utilis sit huius Collegij

ẽ v institu-

institutio, suos tamen nunquã cessauit habere osores, ut hic nõ minus quàm ubiq; in suis sermonibus iustificetur ipsa ueritas: Si me persequuti sunt, uos quoq; persequentur, ac sine caussa habebunt odio. Vnum tamen nos plurimum iuuat, quod etsi huiusmodi tribulationes nos uelit perferre iustus iudex, illos asserens beatos, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam: nos nõ tamen deserit sine adiutorio, hoc in tempore tribulationis, sed corda multorum animosq; excitat, ad causarũ nostrarũ tuitionem: fortissimósq; simul, et æquissimos nobis seruauit Patronos, supremos huius patriæ iudices, ac Senatores Dolanos, qui nos ab hominũ redimũt calumnijs, quo facilius custodientes mandata Dei, defuncti uoluntatẽ exequamur, honestæ, religiosæq; uitæ officijs instituamur, et Deo seruiamus in iustitia & sanctitate, omnibus diebus nostris. Qui cũ sint unanimes in domo Dei, quæ est ipsa iustorũ cõgregatio, amplissimusq; Senatus (cui fœliciter & è repub. præsidet Iurisconsultorũ optimus D. Hugo Marmier) nullus ex eis molestè feret, si me specialiter ad aliquẽ eorũ conuertã, ut saltem aliquo modo tester, quàm sim eius erga me Collegiũq; nostrũ beneuolẽtiæ memor, utq; generatio altera cognoscat, offeratq; sacrificiũ laudis, ac iustitiæ eius caussa, cæterorũq; benefactorũ. is ipse est D. Robertus Bergerus, uir certè, ut paucis, & citra adulationem quod uerum est fatear, quũ morũ fideiq; integritate, tum iuris prudentia ac æquitate absolutissimus: qui antequã in dignissimo senatorũ albo conscriberet, totius nostri ordinis Cluniacẽsis, nec nõ huius Collegij extitit patronus, aduocatusq;: nunc uerò (ubi æquitas suadet) singularis protector, unà cũ reliquis suis collegis, D. Henrico Colinæo, Petro Phœnice, Stephanoq; Faunchero: cuius fratris, D. Nicolai Faucheri iurisconsultissimi, ac doctoris uniuersitatis Dolanæ longa infirmitas, nos magnis afficit incõmodis. Siquidẽ hic nullũ unquã denegauit auxiliũ, dum apud nos esset: imò omnẽ exhibuit operã, ut iura nostra integra permanerẽt. ac crebrò nobis ingenuè fassus est, quanta amicitiæ necessitudo olim intercessit inter pijssimum fundatorem nostrum, illorũq; patrem D. Guillermũ Faucherũ, uirum proculdubio dignũ æterna memoria, cuius generatio iusta est, omni prosequens amore hoc nostrum Collegiũ: præsertim horum tertius frater D. Ioannes Faucherus, uir itidem integerrimæ uitæ, quem ob prędaras uirtutes unicè amo, suspicioq;. Horũ inquam omniũ consilio, beneuolentiaq; in studiosos, nõ mediocriter subleuamur, in aduersantium comprimendis affectibus. Nec unquam nos deseruit prudẽtissimus ille uir, Ludouicus Rossotus, qui ut tu ipse nosti, Rectoribus D. Gauuando & Charrino, in multis sæpe profuit: nunc quàm maximè nostris superest negotijs: nec unquam ab illius reuertor colloquio, quin prudentior fiam, ea est hominis solertia. Sunt deniq; alij multi, qui rem nostram tueantur, iustoq; salario nobis seruiant. Sed ut eò reuertamur unde digressi sumus, multi scholastici tuis ad me iuuantur mandatis. Quæ omnia in fundatoris laudem narranda curaui. Cui tu tandem succedis, post religiosissimos illos uiros, D. Philippum Bourgonñ, & Ioannem à Magdalena, in ipsa Prioris maioris dignitate. Nec ullum unquã cognoui quem illi potius comparare debeã, quàm te, qui etiã omneis tuos actus, laboresq; cõuertis in utilitatem humanæ societatis, ac studiosorum. Vt satis uel in hoc ostendisti, quod

quòd magnam librorum copiam excudendam curaueris, quò perfectius diuinæ exoluerentur preces, me͏̨ hac de caussa iampridem Lugdunum, Parisiorum͏̨ Lutetiam misisti. Qua in re etiam pium fundatorem nostrum sequutus es, qui alios sacri officij libros, ab honorabili uiro Michaële Vuenßler ciue Basiliensi antea imprimendos curauit. Cuius iussu ac uoluntate factum est, ut tu, tanquã Prior maior Cluniacensis, Gymnasiarcha sis huiusce Collegij. Ad quod cum à te fuerim missus, administrandi gratia, iustum est ut alteram Thesauri partem, quæ mihi per inuentionem acquisita uidetur, tuæ offeram Celsitudini, quũ ego sub te militãs, monasticam professus paupertatem, quicquid acquisierim, id tibi acquisitũ censeatur. Facit etiam, quòd si quisquã tibi obnoxius sit, ego profecto quàm maximè, uel ob id quòd me semper ut filium, paterno prosequutus sis amore: quod͏̨ mihi doctoris insignia, hîc, magno omniũ applausu & triumpho, authoritatẽ habẽs à digniss. Archiepiscopo Bisuntino cõtuleris. Cæterũ hîc ualdè anceps fui, an inter beneficia quæ mihi cõtulisti, annumerare deberẽ factã mihi collationẽ Prioratus diui Morandi, ordinis Cluniac. Basiliens. diœcesis. Nam si spectes illorũ opinionem, qui describunt beneficium hac ratione dici quòd benè faciat, nõ satis sum expertus quomodo id dicere possim. Adeò domũ illam inueni multis in partibus desolatam, in multis ædificiorum locis proximã ruinæ, multo insuper alieno æri obnoxiam: id͏̨ facto proximorum administratorũ, quorum non parua debita soluere cogor, omni ferè temporis momento, ex quo à te missus, possessionem illius loci adeptus sum: id͏̨ authoritate & consensu Ro. Regiæ Maiestatis, celeberrimi͏̨ senatus Emsemiani. Cuius prouidentissima, æquissima͏̨ authoritas mihi plurimum subuenit in illorũ recuperationem, quæ perdita erant, à domo͏̨ alienata. In quo quidẽ Senatu fœlicissimo, multi sunt uiri percelebres, inter quos ille Iurisconsultissimus, Claudius Cantiuncula, superioris Alsatiæ Cancellarius: cuius elegãtissimæ lucubrationes, pręclara͏̨ opera, hominis ingenij patefaciunt acrimoniam. In illo deni͏̨ Senatu resplendet D. Sebastianus Zottus à Pernegk, uir haud dubiè integerrimorum doctissimus, doctissimorũ͏̨ integerrimus. Cuius tanta est in omneis, & potissimũ ecclesiæ ministros beneuolentia ac fauor, ut nõ tantum nomine, sed & moribus diuum mihi uideatur referre Sebastianum. Siquidem est in sermone uerax, in iudicio iustus, prouidus in consilio, in commisso fidelis, in bonitate cõspicuus, in uniuersa deni͏̨ morum probitate præclarus. Qui quũ sit uerus Dei cultor, diuina perfusus gratia, consequẽs est, ab omnibus ut ametur. quod si à quoquã, ita me Deus amet, à me quàm maximè: quem nõ solum sanis iuuat consilijs, & laboribus, uerùm crebrò in suis amplissimis excipit ædibus. Huius ita͏̨ Senatus authoritate, plurimum iuuor, in iuribus ecclesiæ restaurandis. Quæ res effecit, ne Prioratum illum tantis obnoxium miserijs, iamdudũ deseruerim. Quem tamen te mihi contulisse scio ueluti satis pingue beneficiũ, cõmunem sequutus opinionẽ, qua plerun͏̨ fallimur, nõ perpendẽtes rerũ uicissitudinẽ, diminutionẽ͏̨ charitatis. Quæ omnia uerius, quàm uelim, illi acciderũt cœnobio, ab anno M.D.XXV. quo ille periculosissimus tumultus belli rusticorũ incidit. Cuius historiã pulchrè ac heroicè descriptã uidere licet in illis Palladij libris, quos mihi ad te dedit

dedit uenerãdus ille uir & religiosus, D.Ioannes Cheurãdi, sancti Petri Colmariensis Prior mihi amicissimus, tuusq; olim Parisijs in sacræ Theologiæ studio fidelis Achates: tum etiam in libris Narrationum nostri Gilberti Cognati. Hoc enim execrabili bello magnam ædificiorũ partem destruxerunt rustici, omniaq; inuenta documenta iurium ac censuum abstulerunt, laceraruntq;: pro quorum omnium restauratione, ac renouatione, plurimum iam laborare cœpi. Vnum tamen ante omnia necessarium nõ negligo, scilicet diuini nominis inuocationem, ac Christianæ integritatem religionis: plenè instructus, me ob id potissimum, beneficium illud abs te obtinuisse. cuius animum, piamq; intentionem magis specto, quàm quiduis aliud. Illisq; pro uiribus respondere conabor, psallens Regi seculorum quàm diù fuero: non ego solus, sed & reliqui meæ commissi uigilantiæ, ut id faciant, diligẽtissimè curabo. Et quia crebrius mihi iniunxisti ne hoc tuũ deseram Collegiũ, in illo diui sancti Morandi cœnobio, abundantius utor opera domini Petri Gore, eiusdem loci sacrista, præsertim cum me cõtingat abesse. Illuc etiam, ne ullo modo diuinus negligeretur cultus, dominũ Anatolium Poyssenotũ, ex fratre nepotem, quem tu ipse religioso ornasti habitu, mihi unà cum nonnullis sacerdotibus. Sæpe tamen accidit, resq; nostri ordinis requirunt, ut frequenter eò diuertam. Interim multa mihi promittẽs, de præsentia curaq; diligẽti, D.Iacobi Maugerij, candidati Iuris, qui nostras hîc fideliter gerit uices. Et sic accidit, ut quum à sancti Morandi monasterio nõ procul distet Basilea, eò tulerim Sacri belli historiam, commiserimq; omnium typographorum optimo D.Ioanni Oporino, uirorũ sanè integerrimo, ac de re literaria optimè meritò: qui omnem mouit lapidem, quò emendatior prodiret in publicum. Quæ cum tam diligenter sit excusa, ac sub tuo nomine prodeat nunc in publicum, haudquaquã dubitandum est, quin eam multi eò libentius perlegant, nostrę maximè professionis homines. Quum eius insuper author fuerit non infimus ecclesiæ Antistes, Guillermus Tyrorum Archiepiscopus: quum eam, ueluti thesaurum incomparabilem, preciosamq; margaritã emerit ipse Anthonius Rupensis, nostri ordinis decus: quum deniq; eam repererim in hac Hieronymiana bibliotheca, nec mihi eam seruauerim, sed miserim in publicum. Hæc autẽ quàm sit digna lectu, facilè apparebit, eruditissimi doctoris D.Ioannis Faletani, prępositi Lexouiensis legenti Epigrammata. Vnum tamen paucis asseruero, cõstanter eam post sacras historias dignã esse, quæ legatur ab omnibus Christi fidelibus, cuiuscunq; fuerint status, ac conditionis. Nam principes Christiani statim suorum antecessorum intelligent pietatem, ac religionem: ac uesperandum, & omnibus expetendum uotis, illorum uestigijs inhærentes allicientur, ad illius terræ sanctæ recuperationem, in qua Dominus noster, & Rex regum operatus est nostram salutem. Cuius gratia et benignitate, multo sunt fortiores Christianissimi nostri Principes, illis qui hoc ipsum tam præclarè gessisse narrãtur. Præterea qui rei militari, rebusq; bellicis student, multa reperient scitu digna, quorum lectione non parum iuuabuntur. Idem facient deniq; & alij orthodoxi, potissimum uerò ecclesiastici: qui apertissimè hac historia cognoscent terræ sanctę situm, reliquasq; circunstantias: ut ita demum, multo facilius intelligere possint

multos

multos sacræ scripturæ locos. Et hæc omnia non minus piè quàm reliquas sacras historias, ad bonos transferre mores, quum sciant uitam hominis militiam esse super terram, ac nos spiritualibus indigere armis: ut cum tandē aduersarios superauerimus, thronū Dei adeamus cum fiducia. Te igitur religiosissime Pastor obsecro, ut hanc tuo nomini dicatam benignè suscipias: et fac precor, ut oues tuæ commissæ fidei, diligenti huius Sacri Belli illustratione, magis ac magis ad illam anhelent Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, ubi ille lapis angularis nitet, quem reprobauerunt ædificantes. Nos uerò qui eius præuenti gratia, filij Dei nominamur & sumus, eum fatemur Deū & Dominū nostrum, expectantes beatam spem, & aduentum ipsius: ab eo consequuturi, quòd nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quod ut assequamur, illiq; lapidi, nos Dei ædificatio cōiungi possimus, in ecclesia, quàm perbellè refert Hierusalem, de qua in hoc libro, sic militare præstet, ut tandem triumphātes illam ingrediamur, ubi sempiterna est illius uisio pacis, quæ omnem exuperat sensum: & uictoriæ pace securi, illius satiemur gloria, qui est nostræ ciuitatis ædificator & custos. Qui te R. P. in ipsius domo & Christiana religione strenuè militantem, diù nobis incolumem seruet ac tueatur. Dolæ, ex Collegio Hieronymiano.

AD VE-

AD VENERANDVM PATREM,
& totius Cluniacensis ordinis Antistitem, ac dominum, D. Monasterij Cluniacensis Priorem maiorem, & sacratissimæ Theologiæ doctorem, Patronum suum, Ioannis Faletani Decretorum Doctoris, & eius alumni Epigramma.

ECce tuo ductu, manibus uoluetur amicis,
Istud opus doctum, relligiose Pater.
Quod dudum fœlix peperit Hieronymiana,
Sidere iucundo, Bibliotheca tibi.
Prælia quo cunctis nimium diuersa patebunt,
Contra Christigenas concita sæpe uiros.
Altera pars siquidem, diuos quæ semper adorat
Incertos, uictrix sæpius illa fuit.
Altera pars, Christum pura quæ mente colebat,
Victa frequens patrios uisitat ipsa lares.
Occupat hinc loca, iam nato sacrata Tonanti,
Turcus, et insanus polluit: ecce malum.
Has hominum meruere graueis expendere pœnas
Corda, suis quæ sunt conglomerata malis.
Ista ferant meritò, donec fortissima, lapsis
Oppones rebus, robora summe Pater.
Interea annales ualeant, quas Græcia seclo
Docta tulit, florens quas quoq; Roma suo.
Nam speciem ueri retinent, retinent quoq; falsi:
Noster hic ast author nil nisi uera refert.
Illic multa licet pariter fugienda uidere,
Hic uerò castis multa petenda uiris.
Assiduis ergò uerum, cœlestia dona,
Hunc manibus tractet docta caterua librum.
Quo melior fiet, grates persoluet amicas,
Protinus acceptum deferet atq; tibi.
Vale Mecœnas optime.

AD LECTOREM EIVSDEM AVthoris Epigramma.

Si cupis & uarios regum cognoscere mores
Turcarum & uitam, sæuaq; fata uirûm:
Si simul Europæ populos uirtute potentes,
Et bello pariter quos habuere duces:

Quamq;

Quamq; pijs Orientales micuere probati
Moribus, atq; fide cum pietate, duces:
Nobile qui regnum tenuere ferocibus armis,
Christus ubi fidei plurima signa dedit.
Sed plur eis profugi regno, subiere ferocis
Martyrium Turcæ: præmia digna Deo.
Protinus hæc nosces fœlix, si mente pacata
Perlegeris præsens, candide lector, opus.
Tersus hic est author, qui nec sublimia carpit,
Infima nec, medio tutus, ad astra uolat.
Tersus hic est inquam, siquidem prædocta Oporini
Purgatum mendis, præla dedere suis.
Eia age, rumpe moras lector: pecunia prodest
Quid tibi? uenalem bibliopola feret.
Si semel atq; iterum transcurreris, & nouus ardor
Visendi ueniet sæpius inde tibi.

ALIVD AD LECTOREM.

Si uarios regum mores, & bella uidere
Tristia Turcarum, sæuaq; fata cupis:
Si simul Eoas bello, et uirtute potentes
Cernere uis cuneos, & pia gesta ducum:
Perlege præsentem librum: repetitus ab ipso
Principio, decies iam tibi gratus erit.

FINIS.

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

14 Baldui

LIBER QVARTVS.

LIBER QVINTVS.

LIBER SEXTVS.

LIBER SEPTIMVS.

LIBER OCTAVVS.

LIBER NONVS.

 ab ho-

LIBER DECIMUS.

LIBER VNDECIMVS.

LIBER DVODECIMVS.

LIBER TREDECIMVS.

25 Guarel

LIBER DECIMVS QVARTVS.

LIBER DECIMVS QVINTVS.

LIBER DECIMVSSEXTVS.

PRAEFATIO.

Franci

8 Hadria,

LIBER DECIMVSNONVS.

lypha

Liber

LIBER VICESIMVS PRIMVS.

LIBER VICESIMVS SECVNDVS.

castrum


LIBER VICESIMVS TERTIVS.

PRAEFATIO.

FINIS.

GVILLELMVS DEI PATIENTIA SANCTAE TYRENSIS ECCLESIAE MINISTER

indignus, uenerabilibus in Christo fratribus, ad quos præsens Opus peruenerit, æternam in Domino salutem.



Ericulosum esse, & grandi plenum alea, regum gesta describere, uirorum prudentium nemo est qui dubitet. Nam ut laborem, iuge studium, perennes uigilias (quibus huiusmodi solent indigere negotia) omittamus, duplex historiographis certum est imminere præcipitium: quorum uix est, ut alterutrum declinare ualeant. Effugientes enim Charybdim, Scyllam incurrunt, quæ succincta canibus, nō minus nouit procurare naufragia. Aut enim rerum gestarum ueritatem prosequentes, multorum in se conflabunt inuidiā: aut indignationis gratia leniendæ, rerum occultabūt seriem, in quo certum est nō deesse delictum. Nam rerum ueritatē studiose præterire, & occultare de industria, contra eorum officiū esse dinoscitur. Ab officio autem cadere, procul omni dubio culpa est. Si tamen dicitur officiū, congruus actus uniuscuiusque personæ, secundum mores & instituta patriæ. Rerum autē incontaminatam prosequi gestarum seriem, & ueritatis regulam nō deserere, res est quæ indignationem solet sæpius excitare. iuxta illud quod ueteri prouerbio dicitur: Obsequium amicos, ueritas odiū parit. Aut igitur à suæ professionis cadent officio, obsequium præstantes indebitum: aut rei uer tatē prosequentes, odiū (cuius ipsa mater est) eos oportebit sustinere. Hęc nimirum frequentius ita sibi solent aduersari, & se mutua importunitate reddere molesta. Nam iuxta Ciceronis nostri sententiā, Molesta est, inquit, ueritas, siquidem ex ea nascitur odium, quod est amicitiæ uenenum. Molestius autē obsequium, quod uitijs indulgens, amicum sinit ire præcipitē: quod in se uidetur implere, qui obsequij gratia, contra officij debitum supprimit ueritatem. Nam eorum qui adulationis studio rerum gestarum articulis inuoluunt impudenter mendacia, tam detestabile factum creditur, ut nec scriptorum numero debeant sociari. Si enim rerum ueritas gestarum secus est, & deficiens à scriptoris officio, multo fortius peccatum reputabitur, mendacij næuum ueris immiscere: & quod à uero deficit, credulæ pro uero posteritati contradere. Ad hoc nihilominus æquè uel amplius formidabile historiarū scriptoribus solet discrimen occurrere, (totis uirib. fugiendum) uidelicet ne rerum gestarum dignitas, sermonis ariditate & oratione ieiuna, sui dispendium patiatur. Verba enim rebus, de quibus agit, decet esse cognata: nec à materiæ nobilioris elegantia, scriptoris linguā uel pectus oportet degenerare. Vnde magnopere cauendum, ne amplitudo materiæ tractatus debilitate succumbat: & uitio narrationis exeat macilentum uel debile, quod in sui natura pingue solidumque subsistit. Nam ut ait Orator eximius in Tusculanarū primo: Mandare quenquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua lectorē allicere, hominis est intemperanter abutentis & literis & ocio. Hoc igitur dilemma, & multiplicitatem periculi in præsenti nobis uidemur incidisse. Nam in Opere quod gestamus præ manibus, multa de regum moribus, & uita, & corporum habitudine,

siue commendabilia, siue notae subiacentia, prout rerum gestarum series uidebatur deposcere, interseruimus: quae eorũ posteri relegentes, impatienter fortasse portabunt, & aduersus chirograpum praeter meritũ incandescent, aut inuidum aut mendacẽ reputabunt, quorum utrunque (uiuit Dominus) tanquã rem fugimus agere pestilẽtem. Nam de reliquo iam non licet ambigere, quàm ad impar opus imprudenter enitimur, & quod ad rerum dignitatẽ nostra non satis accedit oratio. nonnihil est tamen quod egimus. Nam & in picturis uides, ut ad artis arcana nondum admissi, luteos primũ solent colores substernere, & prima lineamẽta designare: quibus manus prudentior, fucis nobilioribus decorem consueuit addere consummatũ. Prima cũ summo labore iecimus fundamẽta, quibus sapiẽtior architectus obseruata ueritatis regula (quam in nullo deseruimus) egregio tractatu artificiosa magis poterit superaedificare triclinia. Inter tot igitur periculorum insidias & anceps discrimen, tutius fuerat quieuisse, silendumque erat, & ocium calamis indicendum: sed urgentissimus instat patriae * pro qua uir bene dispositus (etiamsi id necessitatis articulus exigat) uitã tenetur impendere. Instat inque, & autoritate qua praeminet, imperiose praecipit, ut quae apud se centũ penè annorum gesta sunt curriculis, silentio sepulta, nõ patiamur sentire posse obliuionis incõmodum: sed styli exarata diligenter officio, posteritatis memoriae conseruentur. Paruimus igitur, & manus dedimus ei, cui nostram non satis honestè negare poteramus operã: nõ multũ attendentes quid de nobis censura sit posteritas, & quid in tam excellente materia exanguis nostra mereatur oratio. Paruimus sanè (utinam tam efficaciter quàm libenter, utinam tam cõmẽdabiliter quàm deuotè) natalis soli magis tracti dulcedine, quàm uires cum assumpto labore compensantes: non ingenij ope freti, sed pij feruore affectus, & caritatis sinceritate. Accessit praeterea domini Amalrici regis (cuius anima sancta requie perfruatur) & illustris memoriae & inclitę in Domino recordationis iussio, nõ facilè negligenda, & instantia multiplex, quae ad hoc ipsum nos maximè impulit: cuius etiã rogatu, ipso Arabica exemplaria ministrante, aliam historiã à tempore seductoris Mahumeth, usque in hunc annum, qui est nobis ab incarnatione Domini MCLXXXIIII. per annos quingentos septuaginta decurrentem conscripsimus. autorem maximè secuti uirum uenerabilẽ Seich, filium Patricij, Alexandrinũ patriarcham. In hac uerò nullam aut Graecam, aut Arabicã habẽtes praeducem scripturam, solis traditionibus instructi, exceptis paucis quae ipsi oculata fide conspeximus, narrationis seriem ordinauimus, exordium sumẽtes ab exitu uirorum fortium, & Deo amabilium principũ, qui à regnis occidentalibus uocante Domino egressi, terram promissionis, & penè uniuersam Syriam in manu forti sibi uendicauerunt. & inde usque ad regnũ domini Balduini quarti (qui in ordine regum, computato domino duce Godefrido, qui primus regnũ obtinuit, locum habuit septimũ) per annos LXXXIIII. cum multa diligentia protraximus historiam. Et ut ad pleniorẽ status Orientaliũ regionis lectori nihil deesse possit intelligentiam, studioso paucis & succinctè praemisimus, quo tempore, & quanto seruitutis iugũ passa fuerit: quę fuit hoc medio tempore fidelibus in ea degẽtibus inter infideles conditio. & quę fuerit occasio, ut post tam longa continuae seruitutis tempora, Occidentaliũ principes regnorum

gnorum ad liberationem eorum exciti, tantū sibi peregrinationis onus assumpserint. Quod si quis ad nostras occupationes respiciat, quorum multiplicitate fatigamur plurimum, tum circa egregiam & à Deo custoditam Tyrorum metropolim, cui non de meriti electione, sed sola Domini patientia præsidemus: tum circa domini Regis negotia, in cuius sacro palatio Cancellarij fungimur dignitate: & circa alias necessitates, quæ solito maiores emergunt: ad indulgendum erit prodiuior, si fortè in Opere præsenti occurrerit, unde iustius offendatur. Occupatus enim circa plurima animi motus, ad discutienda diligentius singula solet debilior consurgere: & partitus tantam singulis non potest impendere diligentiam, quantam totus apud se residēs uniformis, consueuit unicis & singularibus aptare studijs. Vnde & facilius ueniam meretur. Distinximus autē uolumen uniuersum in libros XXIII. eorumq́ singulos certis designauimus Capitulis, quo lectori facilius, quicquid de articulis historię sibi uiderit necessarium, occurrat: propositum habentes (uita comite) quæ deinceps nostris temporibus rerum futurarum depromet uarietas, ijs quæ promisimus addere, & numerum augere librorum pro quantitate occurrentis materiæ. Certum porrò tenemus, nec nos hæc fallit opinio, quòd nostræ imperitiæ testē producimus Opus præsens. Et qui latêre potuimus silentes, nostrum scribendo prodimus defectū, dum officium charitatis amplectimur: magis tamen uolumus absque ea quæ inflat inueniri, quàm ea quę ædificat carere. Nam sine illa plures ingressi ad nuptias, in mensa regis inuenti sunt digni: qui autē sine hac inuentus est, inter conuiuas audire meruit, Quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem? Scientes tamen, quoniam in multiloquio non solet deesse peccatum, & miseri hominis lingua in lubrico posita pœnā facilè meretur: inuitamus fraternè, & exhortamur in Domino nostrum lectorem, ut cùm iustum reprehensionis locū inuenerit, charitate media, utatur ea licēter, & de nostra correctione sibi acquirat æternæ uitæ præmium: memorq́ nostri in suis orationibus, impetret nobis apud Dominum, ut quicquid in Opere præsenti deliquimus, nobis non imputet ad mortem, sed de gratuita bonitate & inolita clementer indulgeat Saluator mundi: cuius tribunal nos miseri, inutiles in domo eius serui, accusantem supra modum uerentes conscientiam, non immeritò formidamus.

LIBER PRIMVS.

Quo tempore Heraclij Augusti, Homar filius Carab, tertius post Mahumeth, dux Arabum, uniuersam occupauerit Syriam. Caput I.



Radunt ueteres historiæ, & idipsum etiam habent Orientalium traditiones, quod tẽpore quo Heraclius Augustus Romanum administrabat imperiũ, Mahumeth primogeniti Sathanæ (qui se prophetã à Domino missum mentiẽdo, Orientalium regiones, & maximè Arabiam seduxerat) ita inualuerat doctrina pestilẽs, & disseminatus languor ita uniuersas occupauerat prouincias, ut eius successores iam nõ exhortationibus uel prędicatione, sed gladijs & uiolentia in suum errorem populos descendere compellerẽt inuitos. Cum enim prędictus Augustus uictor reuersus de Perside (unde crucẽ Domini tanta cum gloria reportauerat) adhuc in Syria moram faceret, & per Modestum, uirũ uenerabilem, quem Hierosolymis ordinauerat episcopũ, ecclesiarum ruinas, quas Cosdroẽ Persarum satrapa nequissimus hostiliter deiecerat, in priorem statũ, datis sumptibus necessarijs, reformari præcepisset: Homar filius Carab à prædicto seductore tertius erroris & regni successor, cum infinitis Arabum copijs, egregiam Palæstinorum urbem Gazam iam occupauerat uiolenter. Vnde postmodum Damascenorum fines cum suis legionibus & infinita multitudine, quam secum trahebat, ingressus, Damascum expugnauerat, prædicto Imperatore adhuc in Cilicia rei exitũ expectante. Quod cum ei nunciaretur, quod Arabes in tantam elati superbiã, & de sua multitudine præsumentes, Romanorum fines inuadere, & eorum urbes sibi uendicare nõ uererentur: uidens quod ei uires nõ suppeterent ad occurrendum tantæ multitudini, & ut eorum comprimeret insolentiã, maluit ad propria sospes redire, quàm uiribus imparibus bellorum se dubijs committere casibus. Sic ergo eo discedente, qui afflictis ciuibus tenebatur patrocinium ministrare, Arabum inualuit uiolentia ita, ut subitò, & infra tempus modicum à Laodicea Syriæ usq; in Aegyptum uniuersas occupauerint regiones. Quis autem fuerit prædictus Mahumeth, & unde, & quomodo ad hanc proruperit insaniam, ut se propheram mentiri, & à Deo missum dicere præsumeret: cuius porrò uitæ & conuersationis, quãdiu regnauerit, & ubi, & quos demum habuerit successores: & quomodo penè uniuersum pestiferis eius repleuerit dogmatibus orbẽ, quiq; eum in eodem errore secuti sint, alibi disseruimus diligẽter, sicut ex subsequentib. datur intelligi manifestè.

Quæ fuerit occasio, quæ opportunitatem præstitit, quod ita subitò Orientem occupauit: & quod idem Hierosolymam ueniens, templum Domini reædificari præcepit. Caput II.

COoperabatur sanè ad eorum propositum, quod paucis antè annis prædictus Cosdroẽ, eandẽ Syriam uiolenter ingressus, urbes deiecerat, uel incenderat: suburbanasq; ecclesias subuertens, populum captiuauerat: & urbe sancta effracta, hostiliter in ea triginta sex ciuiũ millia gladio perimens, crucẽ Dominicam, & loci eiusdẽ episcopũ Zachariam, cum residuo populi tam urbis quàm regionis uniuersæ secum transtulit in Persidem. Hic enim rex Persarum potentissimus, domini Maurici Augusti (cuius adeò familiaris fuit beatus papa Gregorius, ut unum de liberis eius de sancto fonte susciperet)

peret) filiam nomine Mariam in uxorem duxit: cuius gratia coniugij, lauacrum regenerationis adeptus est, fuitque Romanorum antiquissimus, quamdiu prædictus uixit Imperator. Quo demum à Phoca Cæsare, qui eidem postmodum in imperio successit, proditiose interfecto, abominatus eorum perfidiam, qui tam nefarium hominem, & adhuc domini sui cæde cruentatum super se regere passi fuerāt, quasi occultę societatis reos, & illius sceleris habentes conscientiam: imperij fines uiolenter ingressus est, in res eorum uiolenter desæuiens, soceri necem, uxore stimulante, ultum iri desiderans: subactisque cæteris regionibus, quæ Romanorum suberant ditioni, nouissimè Syriam (ut præmisimus) obtinuit: populis autem eius aut peremptis gladio, aut secum in Persidē deductis. Ingressi igitur Arabes, terram habitatoribus reperientes uacuam, maiorem subijciendi eam sibi repererunt opportunitatem. Sic ergo urbem Deo amabilem, Hierosolymam uidelicet, paribus calamitatibus inuolutam comprehendentes, populo, qui in ea erat modico, ut eis factus tributarius externis conditionibus deseruiret, pepercerunt, permittentes eis suum habere pontificem, & ecclesiā, quæ (ut prædictum est) deiecta fuerat, reparare: & religionem liberè conseruare Christianam. Dum autem in eadem ciuitate princeps suprà nominatus moram faceret, cœpit diligenter à ciuibus percunctari, & maximè à uiro uenerabili Sophonio, eiusdē loci episcopo (qui Modesto piæ memoriæ iam defuncto successerat) ubi nā esset locus in quo templum Domini fuerat (quod à Tito Romano principe, cum ipsa urbe dirutum fuisse legitur) qui ostendentes ei locum, designauerunt, aliqua uetusti operis extantia uestigia demonstrantes: ubi sumptibus qui sufficere possent ad impēsam designatis, & conuocatis artificibus, subiecta pro uotis materia tam ex marmorū diuersitate, quàm ex lignorum differentia multiplici templum ædificari præcepit. Quo postea infra modicum tempus, iuxta conceptū mentis feliciter consummato, quale hodie Hierosolymis esse dinoscitur, multis & infinitis ditauit possessionibus, unde supperterent facultates, ad conseruanda perpetuò eiusdem sarta tecta, & uetera renouanda, & continuanda luminaria per manum eorum qui in eodem templo deseruirent. Quæ autem sit illius forma, & quæ operis elegantia, quoniā penè omnibus notum est, non est præsentis tractare negocij. Erant porrò in eodem templi ædificio, intus & extrà ex opere Musaico, Arabici idiomatis literarum uetustissima monimenta, quæ illius temporis esse creduntur: quibus & auctor, & impensarum quantitas, & quo tempore Opus inceptum, quoque consummatum fuerit, euidenter declaratur.

Quanto tempore sub alternis dominijs Syria iugum passa est seruitutis: & quomodo fidelibus, & qui sub infidelium ditione degebant, utilis fuit amicitia magnifici imperatoris Caroli cum Aarum rege Persarum contracta. Caput III.

SIc igitur ciuitate Deo amabili & sacrosancta, peccatis nostris exigētibus, infideliū subiecta hostium ditioni, iugum inde seruitutis continuis passa est laboribus per annos quadringentos nonaginta, conditionibus tamen alternis. Nam frequenti rerum immutatione, dominos mutauit frequētius: secundum quorum dispositionem plerunque lucida, plerunque nubila recepit interualla: & ægrotantis more, temporum præsentium grauabatur, aut respirabat qualitate. Plenius tamen conualescere non poterat, quæ infideliū

principum & populi sine Deo, dominatione premebatur uiolenta. Diebus tamen illius admirabilis & prædicādi uiri, Aarum uidelicet, qui cognominatus est Ressith (qui uniuerso præfuit Orienti, cuius liberalitatē & urbanitatem præcipuam, & mores singulariter commendabiles, uniuersus etiam usque hodie Oriens admiratur, & præconijs attollit immortalibus) interuentu pijssimi & immortalis memoriæ uiri, domini uidelicet Imperatoris Caroli (qui mutuam, intercurrentibus nuncijs frequentibus, inter se gratiam, subnixam fœdere, conciliauerant) plebi tranquillitas præstita est, & fauor principis clementer indultus ad multam consolationem, ita ut magis sub imperatore Carolo, quàm sub dicto principe degere uiderentur. De quo ita legitur in uita prædicti uiri gloriosi. Cum Aarum regem Persarum, qui (excepta India) totum penè Orientem tenebat, talem habuerit in amicitia concordiam, ut is gratiam eius omnium qui in toto orbe terrarum erant, regum ac principum amicitiæ præponeret, solumq́ue illum honore ac magnificentia colendum iudicaret. Ac proinde cum legati eius, quos cum donarijs ad sacratissimum Domini ac Saluatoris nostri sepulchrum, locumq́ue resurrectionis miserat, ad eum uenissent, & ei domini sui uoluntatem indicassent, non solum quæ petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum & salutarem locum, ut illius potestati ascriberetur concessit. & reuertentibus legatis suos adiungens, inter uestes & aromata, & cæteras Orientalium terrarum opes, ingentia illi dona direxit: cum ei ante annos paucos, eum quem tunc solum habebat, roganti mitteret elephantem. Nec solum ijs qui Hierosolymis habitabant sub infidelium potestate fidelibus, uerùm & ijs qui in Aegypto & in Africa sub impietate degebant Sarracenorum, suarum largitionum frequenter dirigebat solatia, & pietatis opera porrigebat, sicut in eius uita legit, quæ habet: Ita circa pauperes sustentandos, & gratuitā liberalitatem (quam Græci eleemosynam uocant) deuotissimus, ut non in patria solum & in regno suo id facere curauerit, uerùm trans maria, in Syria & Aegypto atque Africa, Hierosolymis, Alexandriæ, atque Carthagini, ubi Christianos in paupertate uiuere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat. Ob hoc maximè transmarinorum regum amicitias expetens, ut Christianis sub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod ac releuatio proueniret. Quot autem & quantis rerum temporum & dominiorum, quamq́ue uarijs permutationibus hoc medio tempore flagellata fuerit, tam prædicta Dei cultrix ciuitas, quàm uniuersa ei adiacens regio, si quis scire desiderat, eam relegat historiā, quam nos de Gestis Orientalium principum, à tempore prædicti seductoris Mahumeth usque in hunc præsentem diem, qui est nobis ab incarnatione Domini, millesimus centesimus octogesimus secundus, per annos quingentos septuaginta seriem rerum complexam, cum multo labore confecimus.

Quomodo in potestatem deuenerit Aegyptij Caliphæ: & quomodo Hequen nequissimo regnante, seruitutis iugum super fideles factum sit intolerabilius: & de ruina ecclesiæ Hierosolymitanæ. Caput IIII.

POrrò per idem tempus inter Aegyptios & Persas æmula nimis & pertinax erat de monarchia contentio. Ministrabat aūt odiorum fomitem & incentiuum maius, contradictoriarum obseruantia traditionum, qua usque hodie uterq; populus contentionibus reciprocis sacrilegos se appellant, sibi non cōmunicantes inuicem, ita ut in nominibus uelint etiā habere differentiam. Qui eīn Orientaliū superstitionē sequunť, lingua eorū Somni dicunť. qui uerò Aegyptiorū traditiones præferunt, appellanť Syha: qui nostrę fidei magis consentire uidentur. Quæ autē inter eos sit erroris differentia, non est prǽsentis temporis edocere. Tandē uerò Aegyptiorum regno inualescēte, & usq; Antiochiam prouincias & regiones occupante cum cæteris, in eius urbs sancta legibus communibus descendit potestatē. Sub quo principatu (sicuti captiuis solēt aliquando tempora indulgentiora concedi) à suis anxietatibus cœpit aliquantulum esse remissius, quousque continuata hominum nequitia exigente, eidem regno Hequen Calipha præfectus est. Hic & prædecessorum suorum & successorum pariter longè uincens malitiam, factus est posteris, & eius insaniam legentibus solennis fabula. Adeò enim in omni impietate & nequitia singularis extitit, ut eius uita Deo & hominibus odibilis, speciales exigat tractatus. Hic inter cætera, quæ perniciosa plurima præceperat, ecclesiam Dominicæ resurrectionis (quæ per uenerabilem uirū Maximum, eiusdē loci episcopum, præcipiente domino Constantino Augusto ædificata fuerat, ac postea per reuerendissimū Modestum tempore domini Heraclij Augusti reparata) funditus deijci mandauit. Cuius præcepti rescriptum quidā eius procurator, præses uidelicet Ramulensis, Hyarot nomine, ad se directum suscipiens, prędicta ecclesia usque ad solum diruta, iussionem regiam effectui mancipauit. Præerat uerò ea tempestate eidem ecclesiæ uir uenerabilis Orestus nomine, eiusdem nequissimi regis auunculus, matris eiusdem frater. Hoc autem ideo fecisse dicitur, ut suæ perfidiæ populis infidelibus daret argumentum. Obijciebatur enim ei Christianitatis titulus, & quod ex matre Christiana natus esset. quod quasi crimen à se uolens depellere, prędictum facinus ausus est perpetrare: nihil arbitratus superesse calumniæ, quod in eius personam impingi posset, quodq; eius æmulis pateret ad morsum, ex quo religionis fontem Christianæ & fidei catholicæ cunabula deiecisset.

Quæ erat conditio fidelium per illud tempus inter infideles. Caput V.

AB ea die cœpit fidelium in eadem ciuitate multo deterior esse conditio, tum ex dolore iustissimo, quem ex casu sanctæ resurrectionis ecclesiæ conceperat: tum ex multiplicatis angarijs geminata molestia. Nam præter enormitatem tributorum & uectigalium, quæ ab eis præter morem, & contra priuilegia à suis prædecessoribus indulta exigebantur, solennitates etiam interdixerat, quas usq; ad illum diem sub alijs principibus, & in occulto & palàm satis liberè celebrauerant. Quoq; dies erat celebrior, eo arctius domiciliorū suorū septis cohibebantur, nec in publicū audebāt comparere. domicitiā nō tutū dabať eis habere refugiū, sed iactu lapidū & sordiū immissione,

 & uio

& uiolentis irruptionibus, quanto dies erat solennior, tanto amplius molestabantur. Ad hoc & pro quolibet uerbo leui, ad quamlibet accusatoris alicuius suggestionem, sine causæ cognitione rapiebantur ad cruces & supplicia, bona confiscabantur, auferebantur possessiones, filijque eorum & filiæ rapti de domibus parentum, flagellis aliquando, nonnunquam blandimentis & promissionib. apostatare cogebant, aut patibulis affigi. Qui autē pro tēpore erat illis Patriarcha, is primum iniurias excipiebat & opprobria: tum eos & publicè & secretius ad longanimitatē inuitans, pro temporalibus quę patiebantur malis, coronas promittebat sempiternas. Cuius uerbis & exemplo commoniti, transitorias pro Christo contemnentes iniurias, se inuicē mutua charitate consolabantur. Referre per singula longū esset, quanta in proprijs corporibus prædicti serui Dei pertulerint tormenta, ut hęredes fierent in domo Domini, & ut leges ęmularentur paternas. Vnum tamen de tot milibus exempli gratia producamus in medium, ut per hoc deprehendat uestra dilectio, quàm ex friuolis causis ad ultima supplicia raperētur. Quidam ciuis ex infidelibus nostros odio persequens insatiabili, uir perfidus & nequā, ut eis aliquid ad mortem molirēt, morticinum canis clàm proiecit in atriū templi, in cuius mundicia conseruanda, eius custodes & uniuersa ciuitas omnē impendebant sollicitudinē. Mane facto, qui orationis gratia accesserūt ad templum, reperientes immundū cadauer & fœtens, penè ad insaniam uersi, uniuersam penè urbem repleuerunt clamoribus. Concurrit subitò populus uniuersus, & omnes asserūt pro constanti, Christianos hoc fecisse. Quid plura? Decernitur interitus uniuersis, & tam peculiare flagitium morte piandū iudicatur. Fideles porrò de sua confidentes innocentia, mortem pro Christo pati, parati erant. Dumque adessent spiculatores eductis gladijs ut populū interimerēt, obtulit se adolescens plenus spiritu, dicēs: Periculosum est fratres, si ita perit omnis hæc ecclesia. Expedit magis ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Concedite mihi, ut mei habeatis annuam in benedictione memoriam, & generi meo honor in perpetuum debitus cōseruetur: ego uerò, autore Domino, hanc à uobis stragem depello. Susceperūt igitur gratanter uerbum, & quod ille petierat, ultrò concedunt. Et ut in ramis Palmarum ad perennem eius memoriam, eius oliuam, quæ Domini nostri Iesu Christi significatiua est, introducant in ciuitatem, in processione solenni, confirmant. Quo facto, prædictus adolescēs primatibus se offert ciuitatis, reum se confitetur, & omnes alios astruit innocētes. Quod audientes iudices, alijs absolutis, illum gladio exposuerunt. Et ita pro fratribus animā ponens, cum pietate dormitionem accepit, optimam habens repositam gratiam.

Quomodo patri nequam, filius Daher egregius moderator regni successit: & precibus domini Romani, Constantinopolitani imperatoris, reædificatur ecclesia, cooperante Ioanne Carianite, Constantino monacho necessaria ministrante. Caput VI.

AFfuit tandem diuina clementia, & afflictorum miserta, consolationem intulit non modicam rebus desperatis. Prædicto enim nequam rebus humanis exempto, cessauit ex parte quassatio, filio eius Daber regnum obtinente. Hic siquidem ad petitionem domini Romani imperatoris Constantinopolitani (qui cognominatus est Heliopolitanus, cum quo & fœdus

quod pater eius uiolauerat resarciens, contraxerat amicitiam) prædictam ecclesiam reædificandi fidelibus concessit potestatem. Qua concessa, cognoscens plebs fidelium, quæ Hierosolymis habitabat, quod ad tanti operis restaurationem eorum uires non sufficerent, missis nuncijs ad prædicti Romani successorem, dominum Constantinum monachum (qui tunc agebat in sceptris) precibus porrectis humiliter, significãt in quãto mœrore, & in quanta desolatione post ecclesiam dirutam populus consedisset: orãt affectuosissimè, ut ad reædificationẽ ecclesiæ Imperialis munificentiæ liberalem porrigeret manum. Procurabat autem eorum legationem quidam Ioannes cognomento Cariamentis, Constantinopolitanus natione, nobilis quidem nõ secundum carnem, sed moribus. Hic postposita seculi dignitate, Christũ secutus, religionis assumpto habitu, Hierosolymis pauper pro Christo habitabat. Missus igitur debita instantia, & sollicitudine non pigra, apud eundem dominum Imperatorem fideliter elaborans obtinuit, ut ad opus prædicti ædificij de proprio fisco, idẽ Deo amabilis Augustus, sumptus necessarios & sufficientes ministrari prçciperet. Impetrata ergo pro uoto fidelis populi postulatione, lætus Hierosolymam reuersus est. Vbi nunciato itineris successu, & precum porrectarum exauditione, uniuersum clerum & populum, quasi de graui ægritudine conualescentes recreauit. Præerat autem eidem ecclesiæ tunc uir uenerabilis, Nicephorus patriarcha. Sic ergo obtenta licentia, & sumptibus de Imperiali ærario ministratis, eam quæ nunc Hierosolymis est, sanctæ Resurrectionis ædificauerunt ecclesiam, anno ab incarnatione Domini millesimo XLVIII. ante urbis liberationem annis LI. tricesimo uerò septimo postquã diruta fuerat. Qua constructa, contra imminẽtia pericula, & mille mortis discrimina consolationem receperũt. Non tamen cessabant aduersus eundem populũ fidelem frequentes iniuriæ, & angariarum noua genera, sputa, colaphi, uincula, carceres: ad ultimũ, suppliciorũ omne genus, quibus populus Dei incessanter affligebatur. Nec solum ijs qui in eadem urbe erant, sed etiam ijs qui in Bethleem & Thecua, ubi soli habitabãt fideles, idem cauterium imprimebatur. Quoties enim nouus accedebat prçses, & missus à Calipha recens dirigebatur procurator, toties cõtra Dei populum nouæ struebantur calumniæ, & uaria extorquendi inueniebãtur argumenta. Et quoties à domino Patriarcha & populo cõmuniter aliquid uolebant uiolẽter exigere, si aliquo casu eorum differebatur postulatio, statim minabantur eam deijcere. Idq; penè annis singulis patiebantur, confingentibus præsidibus se huiusmodi rescriptum à Regia directum celsitudine habere præ manibus, ut si aliquam difficultatem aut moram in præstandis tributis uel uectigalibus præsumerent annectere, eorum statim usq; ad solum dirutæ deponerentur ecclesiæ. Quamdiu tamen Aegyptiorũ aut Persarum præualuit regnum, sub eorũ imperio fideles melioribus usi sunt cõditionib. At uerò postquam Turcorum inualescere iterum cœpit regnum, & eorum uirtus super Aegyptiorum & Persarum fines ampliari, & in eorum urbs sancta decidit potestatem, per triginta octo annos, quibus eam detinuerunt occupatam, maioribus molestijs cœpit populus Dei fatigari, ita ut leue ducerent, quod sub Aegyptiorum uel Persarum iugo pertulerant.

De ortu & prima origine gentis Turcorum. Caput VII.

ET quoniam de gente Turcorum frequenter nobis in Opere præsenti erant dicenda quamplurima, quæ ipsi contra nostros, nostriq; aduersus eos uiriliter magnificeq; sæpius gesserunt: & adhuc proterue nimis in nostrorum impugnatione perseuerant: non uidetur alienũ à nostro proposito, de ortu & origine gentis huius, & processu ad hunc excellentiæ gradum, in quo iam multis annis stetisse leguntur, aliquid præsenti inserere narrationi.

Gens igitur Turcorum, seu Turcomannorum (nam ab eodem habuerũt originem) ab initio septentrionalis fuit, incerta penitus, & certam non habens sedem. Vagabantur enim, & passim circumferebantur, pascuorum sectantes commoditatem, nõ habentes urbes uel oppida, uel alicubi manentem ciuitatem. Volentes autem proficisci, incedebant simul qui ex eadem erant tribu, aliquem de maioribus contribulium suorum habentes quasi principem, ad quem uniuersæ quæ in eadem simul tribu emergebant, referebantur quæstiones, cuiusq; dicto ab utraque dissonantiũ parte parebatur, cuiusq; non impune licebat examen declinare. Migrantes autem, uniuersam secum suam transferebant substantiam, equitia, greges, & armenta, seruos & ancillas. nam in his eorum omne consistebat peculium: nunquam agriculturæ dantes operam, emptionum & uenditionum ignorantes contractus, sed solis permutationibus, uitæ sibi comparantes necessaria. Volentes autem alicubi locorum herbidorum amœnitate tracti tabernacula figere, & ad tempus aliquod morã sine molestia facere, per quosdam ex suis, qui uidebantur prudentiores, regionum principes solebant conuenire, & pactis initis sub placitis conditionibus, & certa tributorum præstatione, sub principe qui regioni præerat, moram iuxta condictum habebant in pascuis & nemore. Accidit autem, quod illius populi multitudo maxima ab alijs seorsim incedens, Persarum ingressi fines, regionem inuenerunt sibi acceptissimam. Datoq; regi qui erat pro tempore, secundum quod inter eos ab initio conuenerat, tributo, per annos aliquot moram ibi habuerunt diuturniorẽ. Augebatur autẽ, quod eorũ nõ erat numerus, neq; finis: ita ut regi & indigenis mentẽ quodãmodo habentibus præsagam, suspecta nimis esset eorũ incremẽti embola. Vnde factũ est, quod habito concilio uiolenter à regni finib. eos per se propellere decreuerũt. Sed mutato consilio uisum est eis expedientius, ut multiplicatis angarijs & pensionib. consuetis, nouis irregulariter superadditis eos fatigarẽt, usq; dum sua sponte sine coactione discederent. Cumq; iam annis pluribus iniuriarũ pondus & tributorũ enormitatẽ exactorum sustinentes, diutius tolerare nolle, cõmunicato decernerent consilio, & hoc regi esset compertum, missa uoce præconia, iussi sunt à regno intra certum tempus discedere uniuerso. Transeuntesq; Cobar fluuium, qui regnum ex ea parte limitabat, ibi uident solito libentius & diligentius suorum infinitam multitudinem. Nam prius seorsum habitantes, sui nec numerum nouerant, nec potentiam. Itaque mirati sunt, quomodo tantus, tamq; innumerabilis populus alicuius principum aliquando tolerare potuerit superbiam, & angariarum & tributorum acerbitatem portare. Visumq; est eis absque dubio, quod & Persarũ populo, & qualibet natione nec numero nec uiribus essent impares, nihilq; eis ad obtinendas uiolenter finitimas

regiones

regiones deesset aliud, quàm id quod more aliorum populorum sibi regem non haberent. Volentes igitur uotis consonis sibi regem creare, describentes suorum uniuersam multitudinem, repererũt in eis centum familias splendidiores cæteris: quarum quamlibet sagittam unam præceperunt afferre, & iuxta numerum familiarum centum sagittarum colligauerunt manipulum. Quem operientes, uocauerunt quendam puerulum innocentem, præcipientes ei, ut immissa manu sub uelamento, quo prædictarum latebat manipulus sagittarum, eo unam educeret solam, ea conditione, ut de ea familia rex assumeretur, cuius sorte sagitta exiret. Factumq; casu, quod puer eduxit sagittam Seducorũ. Vnde constitit apud omnes, sicuti & prius ordinatum fuerat, quod ex ea tribu princeps futurus crearet. Præceptum est iterum, ut ex eadẽ tribu centum eligerent, qui & ætate, & moribus, & uirtute cæteros anteirent suos contribules, utq; singuli singulas afferrent sagittas, offerentiũ habentes inscripta nomina. Factoq; ex eis iterum manipulo, & diligẽter co operto uocatus est iterũ puer, uel idem qui & prius, uel alius fortasse eiusdẽ innocentię. Cui similiter persuasum est, ut unã ex eis educeret. Eduxitq; unã, cui inscriptũ erat nomen Selduch. Erat aũt is uir speciosus admodũ, nobilis, & in sua tribu præclarus, prouectæ ætatis, sed integer uiribus, & in re militari multã habens experientiã, quiq; tota corporis habitudine magni principis prætenderet elegantiã. Hunc ergo de cõmuni decreto sibi pręficientes, in throno sublimauerunt regio, eam quæ debẽt regibus, ei exhibentes reuerentiam: & ad eius implenda imperia, fœdere complacito & iuramentis corporaliter pręstitis se obligantes. Ille autẽ statim collata sibi satis pro imperio potestate, missa uoce præconia, educi publicè mandat, ut retransito flumine, & transmissis legionibus, uniuersi Persarũ fines, unde prius exierant, occupẽt uiolenter, & adiacentia sibi uendicent regna, ne de cętero compellanẽ regiones exteras errabundi circuire, & aliarum nationũ fastus importabiles. Factumq; est, quod infra paucos annos nõ solũ Persarum, uerumetiã uniuersa Orientalium regna sibi subiugauerũt, subacta Arabum, & aliarũ nationũ, quæ principatus obtinebãt, uiolentia. Sicq; populus uilis & abiectus ad tantum subitò culmen euolauit, quod uniuersum occupauit Orientẽ. Idq; factũ est uix triginta aut quadraginta annis, anteq; nostri occidentales principes peregrinationis iter (de quo hic agendum est) arriperent. Vtq; aliqua esset differentia saltem nominis inter eos qui sibi regem creauerant, & per hoc ingentem erant gloriã consecuti: & eos, qui in sua ruditate adhuc permanent, priorem uiuendi modum nõ deserentes, dicunẽ isti hodie Turci, illi uerò prisca appellatione Turcomanni. Subactis itaq; regnis Orientalibus, adiecerunt etiam, ut potentissimũ Aegyptiorum regnum inuaderent: descendentesq; in Syriam, Hierosolymam cum quibusdam alijs finitimis urbibus, uiolenter subiugauerunt sibi, fideles quos in ea repererant habitatores, durioribus solito aggrauantes molestijs, & angariarum multiplicitate fatigantes, ut præmisimus.

Quot & quantis uitijs per illud tempus subiectus esset mundus. Caput VIII.

NEc solum in Oriente ita fideles ab impiis opprimebantur, uerùm in Occidente, in omni penè orbe terrarum, maximè inter eos qui fideles dicebantur, fides defecerat, & Domini timor erat de medio sublatus.

Perierat

Perierat de rebus iustitia:& æquitate subacta, uiolentia dominabatur in populis. Fraus, dolus, & circũuentio latè inuoluerant uniuersa. Virtus omnis locum dederat, & cesserat quasi inutilis, malitia subintrãte. Videbatur sanè mundus declinasse ad uesperam, & filij hominis aduentus secundus fore uicinior. Nam multorum refrixerat charitas, & fides non inueniebatur super terram. Confusis ordinibus cuncta ferebantur, & in chaos pristinum mundus uidebaẽ redire uelle. Maiores enim principes, qui subiectos ad pacem tenebantur dirigere, neglecto pacis fœdere, pro causis leuibus contendẽtes adinuicem, regiones tradebant incendijs, prædas passim exercebant, pauperum bona impijs satellitibus suis exponebant ad rapinam. Non erant tutæ alicuius facultates inter tot insidias. Causa sufficiens putabatur, ut ad carceres quis traheretur, aut uincula, et in proprio corpore indignos sustineret cruciatus, quod aliquid habere crederetur. Ecclesiarum & monasteriorum non parcebatur prædijs, nec sanctorum possessionibus conferebãt aliquid à prijs principibus indulta priuilegia, sed nec immunitatẽ solitã & pristinam sibi uendicabãt dignitates. Effringebatur sanè sanctuarium, usibus dedicata cœlestibus rapiebantur utensilia. Non distinguebat sacrũ à profano manus sacrilega, sed sublata differẽtia prædæ patebant altariũ uestes, amictus sacerdotum, & uasa Dñi. De gremio diuinæ domus, de adytis penitioribus, de basilicarũ atrijs, qui ad eas confugerant, ad mortem trahebanẽ & supplicia. Vias quoq; publicas accincti ferro grassatores impij obsidebant, iter agentibus prætendentes insidias, ubi nec peregrinis, nec uiris parcebatur religiosis. Sed nec urbes nec oppida ab ijs importunitatibus uacabant, in quibus sicarij uicos omnes & plateas suspectas reddebant. Innocentibus quo quis erat insontior, eo plurib. subiacebat insidijs. Fornicationũ etiã genus quodlibet, quasi res licita, passim & sine rubore exercebaẽ impunè. Sed nec inter affines aut propinquos tuta erant matrimoniorum fœdera. Amica cœlestibus & Deo placens, quasi res uilis, iussa migrare erat continentia: nec parsimoniæ aut sobrietati locus erat, ubi luxus, & ebrietas, & pernox alea præoccupauerant adytus, atq; atria possidebant. Nec clerus à populo uita nobiliore differebat, sed sicut in propheta legitur: Sicut populus, ita & sacerdos. Nam episcopi negligentes, facti erant canes muti, nõ ualentes latrare, personarum acceptores, oleo peccatoris impinguantes capita sua, cõmissa ouilia lupis uenientibus mercenariorum more deserebãt. Et illius uerbi immemores Dominici gregis, quo dicit, Accepistis gratis, gratis date: symoniacam non declinabant hæresim: Giezi sordibus & macula fœdati. Quid plura? ut in summa dicatur, Omne in præcipiti uitium stetit, & omnis caro corruperat uiam suam. Nec pronos ad malum reuocare poterant Domini comminantis in cœlo sursum ostenta, nec signa in terra deorsum. Erant enim pestilentiæ & fames, terroresq; de cœlo, & terræmotus magni per loca: & cętera quæ Dominus in Euangelio diligẽter enumerat. Sed obstinati in operibus mortuis, quasi sus in uolutabro, & quasi iumenta putrescebant in stercore suo, pia Domini longanimitate abutentes: quasi quibus à Domino diceret, Percussi eos, & non doluerunt: curaui eos, & non sunt sanati.

Quomodo peccatis exigentibus, Persæ usque ad Hellespontum uniuersas occupauerunt regiones. Caput IX.

HIs igitur & huiusmodi ad iracundiã prouocatus Dominus, non solum eos qui in terra promissionis erant fideles, prædictæ iugum seruitutis patiebatur portare, & supra uires molestijs fatigari multiplicibus: uerum & alijs qui adhuc sua uidebantur libertate gaudere, & quibus certũ erat omnia pro uotis succedere, suscitauit flagellum * aduersarium malleum uniuersæ terræ. Regnante enim apud Græcos Romano, qui cognominatus est Diogenes, & cum omni prosperitate Constantinopolitanum administrante imperium, egressus est de uicinis finibus Orientis, Persarum & Assyriorum satrapa potentissimus, Belpher nomine, infinitã incredularum nationũ secum trahens multitudinem, quæ & nostram diceretur excedere, & uniuersam terræ superficiem operiret. Ascendens ergo in curribus & equis, tigridibus & armentis, & magnifico nimis apparatu, fines ingressus est imperij, cũcta sibi subijciens à suburbanis campestribus, usque ad urbes muratas & oppida munitissima. Nõ erat qui resisteret, nõ erat qui pro salute, pro liberis & coniugibus, & (quod grauius est) pro libertate contẽdens, se opponeret. Interea nunciatẽ Imperatori, gladijs incumbens uis maior, & hostilis exercitus Christianum deuastans imperiũ. Qui pro republica sollicitus, expeditiones equitum, & peditum colligit copias, quantas imminens compellebat necessitas, & quantas uniuersum imperium poterat ministrare. Quid plura? Congregatis legionibus & equitatu copioso, hostibus procedit obuiam, & imperij penetralia iam tenẽti, & ad interiora iam progresso in manu forti, sed fauore diuino destitutus occurrit. Certatẽ utrinque acerrimè, & copijs penè paribus, sed odijs maiorib. qualia sacrilegij dolor & zelus fidei solet suggerere. Quid multa? Perit Christianus exercitus, fideliũ prosternitur acies: sanguis, Christi redemptus sanguine, ab impijs effundit: quodque miserabilius est, capitur Imperator. redit qui euaserat particularum exercitus, confusionem quæ acciderat nũcians. consternati sunt qui hoc audiũt, inque grauia se dantes lamẽta, de uita & salute desperat. Interea uir infidelis, sed magnificus, de tanto elatus successu, & de collata uictoria factus sublimior, Imperatorem sibi præcepit præsentari, & in contumeliam nominis & fidei Christianę sedens in throno regio, eum mandat pedibus subijci, & scabelli uice corã positis principibus ascendens & descendens, corpore utitur Imperiali. tandemque pro tanto obsequio eum libertati restituẽs, cum paucis ex suis magistratibus, qui cum eo capti fuerant, abire permisit. Hoc uerò audientes principes Imperij, aliũ sibi præficiunt: indignum arbitrantes, ut qui tam indigna in proprio pertulerat corpore, in sceptris ageret, & dignitate fungeretẽ Augustali: insuper priuatũ oculis, & ignominiosè tractatũ, uitam uix indulserunt agere priuatam. Princeps autem suprà nominatus, proposito liberè satisfaciens suo, uniuersas à Laodicea Syriæ usque ad Hellespontũ (qui Constantinopoli præterlabitur, itinere) ut dicitur, triginta in longitudine, decem uerò uel quindecim in latitudine, occupant regiones cum suis ciuitatibus & municipijs, uniuerso populo captiuato. Tradidit eos Dominus in manus inimici, & dominati sunt eorum qui oderũt eos. Inter quos nobilis & eximia prouinciarum multarũ moderatrix princeps, ciuitas principis Apostolorum sedes prima, capta est,

ſed nouiſſima, & facta eſt infidelibus ſeruitus ſub tributo. Sic igitur celer Syriam & utramq; Ciliciam, Iſauriam, Pamphiliam, Lyciam, Piſidiam, Lycaoniam, Cappadociā, Galatiam, & utrunq; Pontū, Bythiniam, & Aſię minoris partē, nobiles prouincias, & omni cōmoditate inſignes, plebibus refertas fidelibus, infra modicū tempus in ſuam iuriſdictionē recepit, captiuās populos, eccleſias deijciens, & cultū Chriſtianū furore perſequēs exterminato. Quid ſi copiam habuiſſet nauiū? Ipſam urbem regiā ſibi procul omni dubio ſubieciſſet. Tantam enim Græcis incuſſerat formidinem, ut uix ciuitatis ſecederent mœnibus, & maris interpoſitum nō ſatis tutum arbitrarentur præſidium. Hæc & ſimilia populo fideli, qui Hieroſolymis & in finibus eius habitabat, miſeriarum addebant cumulū, & in deſperationis abyſſum demergebant. Nam imperio prius in proſperis conſtituto (ſicut pręmiſſum eſt) nō deerat eis ab Imperiali domo frequens in neceſſitatibus ſolatium. Imperij ſtatus integer & incolumis, & uicinarum urbium felix ſucceſſus, & Antiochię potiſſimum, ſpem aliquā libertatis aliquando futuræ in eis confouebāt. At nunc tam ſuam quàm aliorum gerentes ſollicitudinē, & ſiniſtris rumoribus uſq; ad ſupremū defectum defatigati, mortem magis quàm uitam optantes, in ſeipſis liqueſcentes tabeſcebant, de perpetua ſeruitute ſecuri.

Quomodo per idem tempus fidelium turbæ ad ſanctam ciuitatem accedebant, & qua conditione habebantur tam intus quàm extrà: & de uarijs generibus ſuppliciorū, quæ fideles ciues patiebantur: & quomodo in manus Turcorū iterum reſtituta eſt ciuitas. Cap. X.

INter has tam periculoſi temporis inſidias, accedebat tam Græcorū quàm Latinorū gratia deuotionis ad loca uenerabilia multitudo nōnulla, quib. per mille mortis genera, perq; hoſtium regiones ad urbem accedentibus, negabatur introitus, niſi in porta aureus (qui pro tributo conſtitutus erat) ianitoribus daretur. Sed qui in itinere cuncta perdiderant, & uix cum incolumitate membrorum ad loca peruenerāt optata, unde tributū ſoluerent, non habebant. Sic ergo fiebat, ut ante urbem ex talibus mille uel plures collecti, & expectantes introëundi licentiam, fame & nuditate conſumpti deficerēt. Hi tam uiuentes quàm mortui, miſeris ciuibus intolerabili erāt oneri. Nam & uiuentes alere, & cibo quocunq; modo ſuſtentare ſatagebāt, & mortuos ſepulturæ tradere nitebantur, cum tamen eis ſupra uires ſua eſſent negocia. Quibus autem ſoluto precio urbem dabatur ingredi facultas, hi maiorē ciuibus ingerebant ſolicitudinem, timentibus ne fortè deambulantes incautè, tanquam loca ſancta uiſere uolentes, ſputis & alapis afficerentur: ad poſtremum autem, ne clàm ſuffocati interimerent. Vnde hæc mala præuenire cupientes, peregrinos ad loca ſancta uolētes properare, ciues de eorum uita & incolumitate, charitate fraterna ſolliciti, eorū ſequebantur ueſtigia, timentes ne quid eis ſiniſtri caſus accideret. Erat tamen in firmitate monaſteriū Amalſitanorum, quod uſq; hodie cognominat Sanctę Mariæ de Latina: & iuxta illud xenodochium, ubi erat oratorium modicum in honore beati Ioannis Eleymon Alexandrini patriarchæ, ad curiā Abbatis prędicti monaſterij reſpiciens, in quo huiuſmodi miſeris ſic aduenientibus, tam de monaſterio, q̄ de fidelium largitionibus, eis utcūq; alimonia miniſtrabatur. Nam de mille uix unus accedebat, qui ſibi ſufficere poſſet. Amiſſis enim uiaticulis, laborū immenſitate conſumpti, uix incolumes euadere poterant. Igitur nec foris nec

domi

domi quies erat ciuibus, quibus mors diebus imminebat singulis, & quolibet mortis genere deterior, seruitus dura & intolerabilis incumbebat. Accedebat etiam ad miseriarum cumulum, quòd ecclesias eorum (quas cum tot & tantis laboribus reparauerant & conseruauerant) reparatas uiolenter ingressi, dum diuina celebrarentur, cum furore & strepitu terrorem fidelibus incutientes, super altaria sedebant, nullā facientes locorū differentiā, subuertebant calices, & uasa diuinis obsequijs mancipata pedibus conculcātes, confringebant marmora, clerum contumelijs & uerberibus afficientes. Ipsum quoq; dominū Patriarcham, qui erat pro tempore, quasi uilem & abiectam personam, de sede propria per barbā in solum dabāt præcipitem. Plerunq; etiam raptū, & quasi uile mancipiū tractum, sine causa detrudebant in carcerem, ut sic populū affligerent patri compatientē. Hoc igitur tam diræ seruitutis genus, plebs deo deuota, per annos quadringentos (ut præmisimus) & nonaginta annos pia longanimitate perferēs, gemitibus & lachrymis, suspirijs, & iugi precum instantia clamabat ad Dominū, ut correctis parcens, ab eis iracundiæ suę flagella clementer auerteret. In profundū enim malorū descenderant: unde & abyssus abyssum inuocās, abyssus miseriarum abyssum misericordiarū, ab eo qui Deus est totius cōsolationis, meruit exaudiri. Hos enim tandem de sede gloriæ suæ Dominus misericorditer respiciēs, finē tantis laboribus uolens imponere, consolationē eis iuxta eorum desideria paterna prouisione procurare disposuit. Cuius modum & diuinę dispositionis ordinationem, qua diutinam plebi suæ releuare uoluit afflictionē, hoc pręsenti Opere ad Christi fidelium perpetuā memoriam scribere proposuimus.

De aduentu uiri Dei, Petri heremitæ: & collatione eius, & uiri uenerabilis Symeonis patriarchæ Hierosolymorum. Caput XI.

PEr idem igitur tempus, cum Deo placens prædicta ciuitas tantis (ut præmisimus) subiecta esset molestijs, inter eos qui orationis gratia, & causa deuotionis ad loca accedebant uenerabilia, sacerdos quidā Petrus nomine, de regno Francorū, de episcopatu Ambianensi, qui & re & nomine cognominabatur Heremita, eodem feruore tractus, Hierosolymam peruenit. Erat autem hic idem statura pusillus, & quātum ad exteriorē hominem, persona contemptibilis: Sed maior in exiguo regnabat corpore uirtus. Viuacis ēm ingenij erat, & oculum habens perspicacē, gratumq; & sponte fluens ei non deerat eloquium. Hic lege cōmuni semelq; proposita Christianis introire uolentibus tanto tributo, urbem ingressus, hospitio susceptus est apud quendā fidelem, qui & ipse de numero erat Christi confessorum. A quo de eorum conditione diligēter percunctās (sicuti uir industrius erat) ab eo non solū de præsenti periculo temporis, uerùm etiam & de persecutione, quam eorum passi fuerāt progenitores, à multis retro temporibus, plenius edoctus est. Et si quid defuit ad plenā uerbo factam eruditionē, id postea fide oculata compleuit. Nam moram faciēs in ciuitate, & ecclesias circumiens, didicit ipse plenius, quod prius uerbo referentibus alijs comprehenderat. Audiens uerò quod eiusdem ciuitatis patriarcha uir esset religiosus & timens Deum, uolēs cum eo conferre de præsenti rerum statu, & de quibusdam alijs ab eodē perfectius edoceri, accessit ad eum, præsensq; constitutus per fidelem interpretē

mutuis sunt confabulationibus recreati. Erat autem nomen patriarchæ, Symeon: qui ex uerbo Petri colligens, quod uir esset circumspectus, & rerum multarum habens experientiam, potens quoque in opere & sermone: familiarius cœpit exponere uniuersa, quæ populum Dei in ciuitate commorantem acrius affligebant. Dumque Petrus fraterno compatiens dolore, lachrymas continere non posset, quæreretque diligentius, utrum aliqua salutis uia contra hæc mala ingruẽtia reperiri posset, respondit uir iustus: Petre, lachrymas nostras, gemitus & suspiria peccatis nostris exigentibus, exaudire dedignat iustus & misericors Dominus: nondum enim ad plenum purgata est nostra iniquitas, unde necdum flagella quiescunt. Sed si uideretur uerus Dei cultor populus (cuius per superabundantem Domini misericordiã uires sunt adhuc integræ, & nostris hostibus formidabiles, longè latéque floret imperium) præsentibus fraterna pietate compati uellet, & remedium procurare ijs quæ nos premunt calamitatibus: aut saltem pro nobis apud Christũ uellet intercedere: spes esset nobis, afflictionem nostrã in proximo finiri. Nam de Græcorum imperio, licet & consanguinitate & loco nobis propinquiores, & diuitijs abundent amplius, nulla nobis spes est de cætero, ut inde nobis aliquã habeamus consolationem. Vix enim sibi sufficiunt: omnisque eorum, ut audiuisse potest uestra fraternitas, uirtus emarcuit prima, infra paucos annos plus quàm dimidium amiserunt imperij. Cui Petrus: Noueris pater sancte, quod si ecclesia Romana, & Occidentis principes, huius calamitatis quam patimini, diligentem & fide dignum haberent instructorẽ, procul omni dubio, & uerbo quantocyus & opere ijs malis uestris tentarent remedia procurare. Scribe ergo diligentius tam domino Papæ & ecclesiæ Romanæ, quàm regibus & principibus Occidentis, & scriptum sigilli tui autoritate corrobora. Ego uerò pro remedio animæ meæ, hunc laborem mihi assumere nõ refugio: sed autore Domino paratus sum omnes conuenire, omnes sollicitare, instantius ærumnarum uestrarum immensitatem perorare, & ad properandum remedium diligenter inuitare. Placuit sermo, & uisus est bonus in oculis tam domini Patriarchæ, quàm eorum qui assistebant fidelium. & depensis ingentibus gratiarum actionibus uiro, de sua compassione, scriptũ tradidit postulatum.

Reuelatio quæ facta est eidem Petro, in ecclesia sanctæ Resurrectionis. Caput XII.

VEre magnus es Domine Deus noster, & misericordiarum tuarum non est finis. Verè Iesu bone non erit in te sperantibus confusio. Nam unde egeno & inopi & rerum necessariarum destituto suffragijs, peregrinanti, & à patrijs finibus longè posito, tanta fiducia, ut supra uires negotium sibi audeat assumere, & de uoti consummatione habeat fiduciam? nisi quod in te protectorem suum iactauerat cogitatum, nisi quod charitatis ardore succensus, fratribus compatiens, proximum tanquam seipsum diligens, legem implere satagebat. uires non suppetunt, suadet tamen charitas. Et licet durum & impossibile uideretur, quod fratres nimis urgebat: amor Dei & proximi leue facit, quòd fortis est ut mors dilectio. Fides igitur per dilectionem operans est, quæ apud te meretur: & merita apud te non sunt ociosa. Vnde nec diu fluctuare permittis seruum tuum, sed teipsum manifestas ei, & tua cum

reuelatione solidas, ne uacillet, Apocalypsim insinuans, per quã exurgat fortior ad opus charitatis implendum. Accidit enim quadam die, dum prædictus Dei famulus pro reditu ad propria, & pro implenda legatione assumpta, amplius solito esset sollicitus, ad fontem misericordiarũ tota deuotione recurrens, ecclesiam Dominicæ resurrectionis ingressus est. Vbi cum pernoctans, orationibus uigilijsq́ fatigatus esset impendio, labore uictus in pauimento decubuit, ut somno satisfaceret irruenti. Cumq́ sopor (ut solet) se infudisset altius, uisus est ei Dominus noster Iesus Christus, quasi coràm positus astitisse, & eandem iniunxisse legationem dicens, Surge Petre, propera: & quæ tibi sunt iniuncta, intrepidus perage. Ego enim tecum ero. Tempus est enim ut purgentur sancta, & seruis meis subueniatur. Expergefactus Petrus, & uisione quam uiderat confortatus in Domino, factus ad obediendũ prodiuior, & diuinam admonitionem sequutus, moras rumpit impiger, ad redeundum accinctus. Peractis igitur de more orationibus, sumptaq́ à domino Patriarcha licētia, & impetrata benedictione comitiua ad mare descendit, nauim ibi reperiens mercatorum, qui in Apuliam transfretare proposuerant. Quam ingressus, & prospera usus nauigatione, Barum peruenit. Inde Romam profectus, dominum papam Vrbanum circa illas partes reperit. Cui domini Patriarchæ & fidelium qui Hierosolymis habitabāt, literas porrigit, eorumq́ exponit miserias, & abominationes quæ in locis sanctis fiebant à gentibus immundis: & iniunctam sibi tam fideliter, quàm prudenter, exequitur legationem.

De controuersia inter imperatorem Henricum, & Gregorium papam septimum: & quomodo Vrbanus eius successor, Petrum ab Hierosolymis reuersum, benignè susceperit. Caput XIII.

PORrò per annos antè aliquot Henricus Teutonicus rex, & idem Romanorũ Imperator, à domino Gregorio papa septimo, Vrbani huius prædecessore, passus fuerat quæstionem & controuersiam nõ modicam, super anulo episcoporum defunctorum, & baculo. Inoleuerat enim consuetudo (præsertim in Imperio) quòd defungentibus ecclesiarum prælatis, anulus & uirga pastoralis ad dominũ Imperatorem dirigebatur. Vnde postmodum unumquemlibet de familiaribus & capellanis suis inuestiens, ad ecclesiã uacantem dirigebat, ut ibi pastoris fungeretur officio, nõ expectata cleri electione. Quod dominus Papa contra omnem fieri honestatem considerans, & iura in eo facto conculcari ecclesiastica perpendens, semel, secundo, ac tertio eundem Imperatorem commonuit, ut à tam detestabili desisteret præsumptione. Quem præceptis salutaribus cõmonitum, cum reuocare non posset, uinculo anathematis innodauit. Quod factũ nimis indignè ferens Imperator, cœpit ecclesiam Romanã persequi, & domino Papæ Guibertũ Rauennatem archiepiscopum, uirum literatum & locupletem nimis, suscitauit aduersarium. Qui de uiribus Imperatoris præsumens, & de multitudine diuitiarum confisus, excluso uiolēter prædicto uenerabili uiro, sedē inuasit Apostolicam: ita delyrus, & ab intellectus synceritate deficiens, ut id se esse crederet, quod falsò dicebatur. Cumq́ prius infelix mundus in maligno positus, uias sequeretur periculosas (ut prædiximus) & inutiles, huius schismatis occasione ad deteriora decliuus, omnem Dei & hominũ post tergum dederat

reuerentiā,noxia sequens,& * declinans. Capiebant pontifices, & quilibet ecclesiarū prælati tanquā homicidiorū rei mancipabantur carceribus,bonis eorū confiscatis,quicunq; Imperatori in hac sua peruersitate nō erant consentientes. Nec solū ad tempus eis irrogabant iniuriæ, uerùm exclusis in perpetuum intrudebant successores. Fugiens igitur dñs papa Gregorius Imperatoris indignationē,in Apuliā cōcesserat:ubi à dño Roberto Guistardi Apuliæ duce honestè susceptus est,& benignè tractatus:cuius etiā beneficio prædicti Imperatoris manus euaserat. Tandē Salernum ueniēs,ibi diem clausit extremū:ubi & sepultus est. Cui post dñm Victorē, qui solis duobus mensibus post eum sedē obtinuerat, successit dominus prędictus Vrbanus,qui Henrici nihilominus, prædicti Henrici successoris, in eadē malitia obstinati furorem declinans,locis munitioribus apud suos fideles delitescebat, nusq; plenè securus. Hic in illa sua aduersitate constitutus,Petrum uirum uenerabilem ab Hierosolymis reuersum,iam dictæ legationis fungentem officio benignè suscepit,& ei in uerbo(cuius baiulus erat) se fidelem cooperatorem tempore accepto repromisit. Petrus autem omnem transcurrens Italiam,zelo diuino succensus, Alpes transiens, occidentales principes omnes sigillatim circuit,instat sollicitus,increpat,arguit, atq; cooperāte gratia monēdo quibusdam persuadet,ut fratribus in tanta afflictione positis subuenire nō differāt: & loca sancta,quę Dominus propria dignatus est illustrare pręsentia, infidelium spurcitijs diutius prophanari nō permittant. Nec uisum est ei sufficere, quod hoc apud principes disseminaret,nisi etiam & plebes & inferioris manus homines,idipsum pijs exhortationibus animaret. Percurrēs ergo nationes piè sollicitus,et regna,pauperibus & abiectissimis personis legationi suę fideliter satisfaciens,idipsum euangelizabat. Cui tantā gratiā(eius fidei meritum respiciens) cōtulerat Dominus,ut rarò unq; sine fructu populos conueniret. Fuitq; domino Papæ,qui eum ultra montes sine dilatione sequi decreuerat,in eodē uerbo plurimū necessarius. Nam pręcursoris functus officio, auditorū mentes ad obediendū præparauerat, ut facilius idē persuadere uolens,obtineret propositū,& uniuersorū animos ad se cōpēdiosius inclinaret.

De ingressu domini Vrbani Papæ ad partes ultramontanas,& synodo apud Clarum montem habita. Caput XIIII.

ANnis igitur ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo quinto, indictione quarta,regnāte domino Henrico quarto Teutonicorū rege, & eodē Romano imperatore anno regni eius quadragesimo tertio, Imperij uerò duodecimo:illustri quoq; Francorum rege domino Philippo Henrici filio regnante in Francia,prædictus dominus Vrbanus uidens hominū malitiā modū excessisse,& cūcta ferri deorsum, quasi ad malū prona, post Concilium quod ex uniuersa Italia ad corrigendos excessus hominū necessariū ualde apud Placentiā celebrauerat,Imperatoris prædicti indignationē fugiēs, discedens ab Italia alpes transcendit, regnū Francorū ingressus. Vbi uidēs, sicut & prius audierat,diuina passim conculcari monita, doctrinam Euangelij sordere,fidem perijsse,charitatem & omnem periclitari uirtutem: è contrario autem aduersę potestatis & principis tenebrarū longè lateq; nimis patēre imperium, anxius plurimū (sicut ex officij debito tenebatur)quomodo

tot uitiorum monstris, tot peccatorum prodigijs posset occurrere, quæ ita miserabiliter pullulabant,& orbem inuoluerant uniuersum: Concilium generale (prius apud Vigiliacum, deinde apud Podium) cõuocare disposuit. sed nouissimè apud Clarum montem * Aluerniæ ciuitatẽ, diuina comite gratia, ex uniuersis transalpinarum partibus prouinciarum, mense Nouembri episcoporũ & abbatum conuenit sacer conuentus in nomine Domini, præsentibus etiã prędictarũ partium nonnullis principibus. Vbi ordinatis de prælatorũ ecclesię & uirorũ Deum timentiũ consilio institutionibus, quæ ad exigendũ labentis ecclesiæ statum uidebantur respicere: & promulgatis canonibus, qui ad morum ædificationẽ, & corrigendã delictorum enormitatẽ poterant proficere, suggerente Petro heremita: & qui pacem, quæ de reb. perierat, reformarent: qui uerbo sibi iniuncto debitã gerebat solicitudinẽ, nouissimè ad hanc exhortationem se conuertit, dicens:

Exhortatio domini Papæ ad populum, pro uiis Hierosolymitana. Caput XV.

NOstis fratres dilectissimi, & uestram nosse id expedit charitatem, quomodo humani generis reparator, pro nostra omniũ salute carnem assumens, & homo inter homines conuersatus, terrã promissionis, quam pridẽ patribus promiserat, propria illustrauit præsentia, & assumptæ dispensationis operibus, & crebra simul miraculorũ exhibitione reddidit specialiter insignem. Id enim & ueteris & noui penè in omnib. syllabis docet series Testamenti. Quadã sanè dilectionis prærogatiua certũ est eam dilexisse, ita, quod eam orbis partem, imò particulam, hæreditatẽ suam dignatus est appellare, cum eius sit omnis terra & plenitudo eius. Vnde per Esaiam ait: Hæreditas mea Israël. & item: Vinea Domini Sebaoth, domus Israël est. Et licet totã in partem præcipuam sibi dedicauerit ab initio, peculiarius tamen urbẽ sanctã sibi adoptauit in propriã, testãte propheta qui ait: Diligit Dñs portas Syon super omnia tabernacula Iacob. De qua gloriosa Dñi, * uidelicet quod in ea docens, passus, & resurgens Saluator, salutẽ operatus est in medio terrę. Ad hoc à seculo est præelecta, ut tantorũ esset conscia, & cella familiaris ministrorum. Electa nimirũ, quod ipse qui elegit, testatũ dicens: Et de Hierusalem ciuitate quã elegi, ueniet uobis saluator. Quam etsi peccatis inhabitantiũ id exigentibus, iusto iudicio suo in manus impiorum sæpius tradi permiserit Dominus, & duræ iugum seruitutis ad tempus eam sustinere passus sit: non tamen arbitrandũ est, quod eam quasi à se repudiatã abiecerit. Cum scriptũ sit, Flagellat Dominus omnẽ filium quem recipit. Illi uero thesaurizat iram, cui dicit: Recessit zelus meus à te, iam amplius nõ irascar tibi. Diligit ergo eam, nec intepuit erga eam dilectionis feruor. Cui dicit: Eris corona gloriæ in manu Dñi, & diadema regni in manu Dei tui: & nõ uocaberis amplius desolata, sed uocaberis uoluntas mea, quia cõplacuit Dño in te. Hæc igitẽ salutis nostrę cunabula, Dñi patriã, religionis matrẽ, populus absq; Deo, ancillæ filius Aegyptię possidet uiolenter: & captiuatis liberę filijs, extremas imponit conditiones, quib. uersa uice meritò seruire tenebatũ. Sed quid scriptum est? Eijce ancillã, & filiũ eius. Sarracenorũ enim gens impia, & immundarũ sectatrix traditionũ, loca sancta, in quib. steterũt pedes Dñi, iã à multis retro tẽporib. uiolenta premit tyrannide, subactis fidelib. & in seruitutẽ damnatis. Ingressi

sunt canes in sancta, prophanatum est sanctuariũ, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas. genus electum seruit in luto & latere, regale sacerdotium, princeps prouinciarũ, factum est sub tributo, ciuitas Dei. Cuius non liquefiat anima? cuius non tabescant præcordia, ijs ad animũ recurrentibus? Quis hæc siccis oculis audire potest, fratres charissimi? Templum Domini, de quo zelans Dominus uendentes eiecit & ementes, ne domus patris eius fieret spelunca latronum, factum est sedes dæmoniorum. Id ipsum enim & Nathanaam sacerdotem, magnum sanctorum progenitorem Machabęorum, ad zelum accendit commendabilem, sicut ipse testatur dicens: Templum Domini quasi uir ignobilis, uasa glorię eius abducta sunt captiua. Ciuitas regis regum omnium, quæ alijs regulas intemeratę tradidit fidei, gentium superstitionibus cogitur inuita deseruire. Sanctæ resurrectionis ecclesia, requies dormientis Domini, eorum sustinet imperia, fœdatur spurcitijs eorum, qui resurrectionis non habebunt participium, sed stipula ignis æterni perennibus deputabuntur incendijs. Loca uenerabilia diuinis deputata mysterijs, quæ Dominum in carne susceperunt hospitem, signa uiderunt, senserunt beneficia, quorum omnium in se plena fide prætendunt argumenta, facta sunt gregum præsepia, stabula iumentorum. Laudabilis populus, cui benedixit Dominus exercituum, sub angariarum & sordidarũ pactrationum pondere gemit fatigatus, rapiuntur eorum filij. Matricis ecclesiæ chara pignora ut gentium immunditijs deseruiant, & nomen Dei uiui abnegent, uel ore blasphement, sacrilegio compellũtur: aut imperia detrectantes, cæduntur gladijs more bidentium, sanctis martyribus sociandi. Nõ est sacrilegis locorum differentia, non est personarum respectus. In sanctuarijs occiduntur sacerdotes & leuitæ: coguntᷣ uirgines fornicari, aut per tormenta perire, nec matronis ætas maturior suffragatur. Væ nobis qui in hanc tam periculosi temporis descendimus miseriam, quam in spiritu præuidens electus à Domino Dauid rex fidelis deplorat dicens: Deus uenerunt gentes in hęreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. & item: Populum tuum humiliauerunt, & hæreditatem tuam uexauerũt. Vt quid Domine irasceris in finem, accendetur uelut ignis ira tua? Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Dñe? Verum'ne est quod dicitur? Non obliuiscetur misereri Deus, nõ continebit in ira sua misericordias suas? Recordare Domine quid acciderit nobis, intuere & uide obprobriũ nostrum. Ve nobis, ut quid nati sumus? Videre corruptionẽ populi nostri, & contritionẽ ciuitatis sanctæ, & sedere illic cum dantur in manibus inimicorũ sancta? Vos igiᷣ dilectissimi, armamini zelo Dei. Accingimini unusquisq; gladio suo super femur suũ potẽtissimè. Accingimini, & estote filij potentis. Melius est enim mori in bello, q̃ uidere mala gentis nostræ & sanctorũ. Si quis zelum legis Dei habet, adiunget se nobis. Subueniamus fratribus nostris, dirumpamus uincula eorum, & projciamus à nobis iugum ipsorũ. Egredimini, & Dñs erit uobiscũ. Armaq; cæde mutua (illicitè cruentatis) in hostes fidei & nominis Christiani conuertite. Furta, incendia, rapinas, homicidia, & cętera (qualia qui agũt, regnũ Dei nõ possidebũt) hoc Deo bene placito redimite obsequio, ut delictorum quibus Dñm ad iracundiã prouocastis, celerem indulgentiam uobis obtineant hæc pietatis opera, & deprecatio collata sanctorũ. Monemus igiᷣ & exhortamur

in Dño.

in Dño, & in remissionem peccatorum iniungimus, ut fratribus nostris, & coelestis regni cohæredibus (omnes eñ inuicẽ sumus mẽbra, hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi) qui Hierosolymis & in finibus eius habitãt, afflictioni & laboribus compatientes, infidelium insolẽtiam (qui sibi regna, principatus & potestates subijcere contendunt) debita compescatis animaduersione: & illis totis uiribus occurratis, quibus est propositum, nomen delere Christianum. alioquin futurũ est, ut in proximo ecclesia Dei iugũ indebitæ proferens seruitutis, fidei sentiat dispendium, præualente gentiliũ superstitione. In quanta enim positi sint afflictione, nouerũt ex uobis nõnulli, qui hæc quæ loquimur, oculata conspexerunt fide, & pręsens illorum per manũ Petri, uiri uenerabilis (qui præsens est) ad nos delata docet ecclesia. Nos aũt de misericordia Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorũ autoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi huius peregrinationis assumpserint, iniunctas sibi pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem in uera pœnitentia decesserint, & peccatorũ indulgentiam, & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros. Interim uerò eos qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint, sub ecclesiæ defensione, & beatorum Petri & Pauli protectione, tanquam ueræ obediẽtiæ filios recipimus, & ab uniuersis inquietationibus, tam in rebus alienis quàm in proprijs statuimus manere securos. Si uero quisquã molestare eos interim ausu temerario pręsumpserit, per episcopum loci excommunicatione feriatur: & tamdiu sentẽtia ab omnibus obseruetẽ, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis cõgruẽ satisfiat. Episcopi uerò & presbyteri, qui talibus fortiter nõ restiterint, officij suspensione mulctentẽ, donec misericordiam sedis Apostolicæ obtineant. His dictis, finem dicẽdi fecit: præcipiens ijs qui aderant, ecclesiarum prælatis, ut ad propria reuersi, cum omni instantia & debita sollicitudine plebes suas ad idem hortentur & inuitent diligentius. Iis dictis, finem dicendi fecit: & soluta Synodo ualedicentes adinuicem, ad propria sunt reuersi: ante omnia, iuxta statuta Synodi fideliter laborãtes. ut pax (quę uerbo uulgari Treuga dicitur) ab omnibus obseruaretẽ illibata, ne ire uolentibus, & ad necessaria discurrere, ullũ obijceretẽ impedimentũ.

Qui de præsentibus principibus ad iter se obtulerunt: & de signo crucis, quod itari uestibus suis in signum uoti & futuræ peregrinationis imprimebant. Caput XVI.

DEdit ergo Dominus fideli seruo euangelizandi uirtute multa, & excelso in uerbo gloriæ, pro fidei meritis uerbum efficax, & sermonẽ omni acceptione dignum in oculis uniuersorum. Et uisa est à Domino res egressa, ita ut mandatum eius, licet arduum nimis & difficile uideretur, cum omni auiditate tam maiores quàm minores amplecterentur. Nec solum præsentes ex illius uerbo succensos huius desiderij ardenter armauerat, uerùm longe lateq; sermo idem egrediens, absentes etiam pari uoto feruentes accendebat ad idem. Episcopi uerò prout in mandatis acceperant, fideles se cooperantes exhibebant, plebes suas ad idipsum inuitantes, & circumeuntes parochias suas, uerbum uitæ disseminabant in populis: nec cadebat uel unus apex sine fructu super terram. ita ut uerè dici posset, quod uerẽ illud uerbum Domini impleretur: Non pacem ueni mittere, sed gladium.

Diui

Diuidebatur enim maritus ab uxore, uxor à marito: patres à filijs, filij à parentibus: nec erat charitatis uinculum, quod huic feruori posset præiudiciũ facere: ita ut de claustris multi egrederẽtur monachi: & inclusi de carceribus, in quibus se incluserant spontanei propter Deum. Nec tamen apud omnes erat in causa Dominus, & uirtutum mater Discretio uotum excitabat: sed quidam ne amicos desererẽt, quidam ne desides haberentur, quidam sola leuitatis causa, aut ut suos creditores (quibus multorum debitorum pondere tenebantur obligati) declinantes eluderent, alijs se adiungebant. Omnes igitur ex causis uarijs properabant. Non erat in regnis Occidentalibus, qui aut ætatis aut sexus, aut conditionis, aut status uellet esse memor, aut aliquibus persuasionibus deterritus ab incepto desisteret: sed omnes indifferenter manus dabant, omnes unanimiter corde & ore uotum profitebantur. Videbaẽ ad literam impleri, quod in Thobia scriptum est: Ierusalem ciuitas Dei, nationes ex longinquo ad te uenient, & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificatione habebunt, nomen magnum inuocantes in te. De præsentibus igitur qui in Concilio fuerãt, multi cum gaudio susceperunt insitum uerbum: quorum primus fuit dominus Ademarus, bonæ memoriæ Podiens. episcopus, uir uitæ uenerabilis, qui postea Apostolicæ sedis legatione functus, in eadem legatione populo Dei tam fideliter quàm prudenter præfuit. Dominus quoque Guillelmus Auraficensis episcopus, uir uerè religiosus, ac timens Deum. De absentibus uerò utriusque regni principibus, eodem feruore succensi, ad iter se accingebant, mutuò & frequenter se exhortantes, & certum præfigẽtes diem, ut collectis necessarijs, & uiæ consortibus conuocatis, iter arriperent. Videtur uerè diuinitus procuratũ præsens, unde loquimur, negotium, & uerbum uerè egressum à Domino. Nam cateruatim concurrebãt populi, ubicunque unum de principibus iturum nouissimè audierant, ut se illius comitatui sociarẽt, eiusque super se in toto itinere inuocarent nomen, obsequia promittentes & fidem. Et quia uerbũ illud publicè diceretur, Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui: laborabant certatim, se necessarijs communicare, mutuò se præuenire cupientes: uerè diuinitus procuratum. Necessarius enim erat ignis hic purgatorius, quo præsentia (quæ nimia erant) diluerentur commissa: & occupatio ista utilis, qua declinarentur futura. Non enim erat iam inter mortales respectus Dei, nec ad homines reuerentia. Conuenerat autem apud omnes, & idipsum de mandato Domini propè iniunctum fuerat, ut quotquot prædictę uiæ uoto se obligarent, uiuificę crucis salutare signum uestibus imprimerent: & in humeris illius sibi portarent memoriã, cuius passionis locũ instare proposuerãt, illum imitantes, cui ad nostram redemptionem properanti factus est principatus eius super humerum eius. De quo etiam non immeritò uidetur posse intelligi illud Isaiæ: Leuabit Dominus signum in nationibus, & congregabit dispersos Israël. Sed & illud mandatum Domini iuxta literam uidebatur impleri: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Nomina

Nomina principum qui de regno Francorum & Teutonicorum iter assumpserunt. Caput XVII.

DE utroq; itaque regno Marrani futuræ peregrinationis signo crucis se cõmuniuerãt. Vir illustris dominus Hugo magnus, domini Philippi Francorũ regis frater. Dominus Flandrensium comes. Dominus item Robertus, comes Normannorũ: domini Vuillelmi Anglorũ regis filius. Dominus Stephanus Tarnotensiũ comes, & Blesensium, senioris Theobaldi comitis pater. Dominus Ademarus Podiensis episcopus. Dominus Guilielmus Ausaricensis episcopus. Dominus Raimõdus comes Tolosanus, & sancti Aegidij: cum alijs multis inclytis & nobilioribus uiris. Vir quoque strenuus & insignis dominus Godefridus Lothoringiæ dux, & cum eo fratres eius: dominus uidelicet Balduinus, & dominus Eustachius. Balduinus itidem, qui cognominatus est de Burgo, prædictorum consanguineus: domini Hugonis comitis de Recheſt filius. Item comes Gernerus de Grez. Balduinus comes Hamaucorum. Isuardus comes Diensis. Ramboldus comes Auracisensis. Vuillelmus comes de Forcis. Comes Stephanus de Alba malla. Rotrodus comes Partichensis. Comes Hugo de Sancto Paulo. Sed & de uiris maioribus, qui tamen comites nõ erant, ad idipsum Deo placitũ obsequium sponte se obtulerunt inclyti uiri & nobiles: Henricus de Astha, Radulphus de Balgenciaco. Eberhardus de Pusato, Gentonius de Bear, Vuillelmus à Maner, Guastus de Bederz, Vuillelmus de monte Pessulano, Gerardus de Russellon, Gerardus de Ceresiaco, Rogerus de Balnauilla. Guido de Possessa: & Guido de Garlanda, Francorum regis dapifer. Thomas de Feria, Galo de Caluo monte. Prædictus quoq; Petrus heremita cũ ingenti multitudine, quam cùm ex regno, tum ex imperio multo labore contraxerat. Circa alpes uerò dominus Boamundus Tarentinorum princeps, domini Guiscardi ducis Apuliæ filius. Dominus quoq; Tancredus, eius ex sorore nepos. Et alij multi, quorum numerum uel nomina non tenemus. Hi omnes tempus expectantes opportunum, cum ingentibus militarium uirorum copijs, ad militiam Christianam parauerant accedere, & se tantæ peregrinationis laboribus pro Christi nomine deuotè mancipare. Transcursa igitur hyeme, cum prima ueris subsequentis se obtulerunt initia: & frigore depulso, grata terris reddita est temperies: equos præparant, arma exerunt, componunt sarcinas, & mutuis se (qui simul erant profecturi) inuitant legationibus: diligẽter præordinantes, quãdo oporteat eos iter arripere, ubi conuenire, & qua uia tutius cõmodiusq; possint incedere. Nec enĩ poterant tot, tamq; infinita populorũ milia in unaqualibet regiõe sibi reperire necessaria. Vnde studiosè procuratum est, ut singuli maiorum principum, seorsim legiones suas traherent, & non eodem tramite proficiscerentur. Sed neq; antequ ad urbem Nicenam peruenirent, eorum exercitus conuenerunt. Nam (sicut dicetur inferius) dux cum suis legionibus per Vngariã: comes Tolosanus, & episcopus Podiensis, per Dalmatiam: reliqui uerò principes per Apuliã, sed uarijs temporibus, Constantinopolim peruenerunt. Parabatur interim quod ad tantum iter sufficere posse credebãt: & uiaticula sua, cum uiæ quantitate metiri nitebantur, ignorantes quod uiæ illius non sunt in manu hominis. Ignorat enim mortalis infirmitas, quid sibi crastina pariat dies. Nõ erat uspiã in tot prouincijs, quot habet Occidẽs, domus ociosa uel una. Cumq;

iuxta suam conditionē familiaria suberant (circa quæ sollicitabantur) negocia, dum hîc paterfamilias, hîc filius, illic uerò tota domus ad migrandum se congregaret: dirigebantur frequentes epistolæ, quibus qui simul profecturi erant, se mutuo excitabant, attentius moram increpantes, & monentes properare celerius. Vocantibusq; cæteris, hi, qui turmarum erant duces designati, cum suspirijs & gemitibus diuidebantur ab inuicem: charorum complexus, & supremum sibi dicentes uale, separabantur in osculis. Mater filiū, parentem filia, soror fratrem, uxor maritum, in ulnis deportantes paruulos, & sugentes ubera, cum lachrymis & eiulatu comitabantur abeuntes. Et dicto uale, quos gressu non poterant, defixis prosequebantur obtutibus.

Galterus Sensaueir primus uiam ingressus, Constantinopolim peruenit. Caput XVIII.

ANno igit̄ ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto, mense Martio, octaua die mēsis, quidam Galterus, cognomento Sensaueir, uir nobilis, & in armis strenuus, cum ingenti multitudine pedestrium turmarum (nam paucissimos secum habebat equites) primus iter arripuit, & pertransiens Teutonicorum regnum, in Vngariam descendit. Est autem regnum Vngariæ paludibus interiectis, & magnis fluminibus præcinctum, & inaccessibile, ita ut nisi certis locis, & ijs uehementer angustis, uolentibus introire uel egredi, non pateat introitus uel exitus. Eidem autem regno tunc præerat uir Christianissimus, rex Calemannus, qui cognito prędicti Galteri aduentu, & de eius edoctus proposito, piam illius cōmendans intētionem, eum benignè admisit, & transitu expeditionibus suis per Vngariam concesso, publicorum commerciorum gratiam nō negauit. Ille uerò regno eius cum omni tranquillitate transmisso, usq; ad fluuiū Marte (qui eiusdē regni limes ab Oriente dinoscitur esse) peruenit incolumis. Quo transito, Bulgarorum fines cum suis legionibus attigit, & ad locū peruenit qui dicitur Belgrauia. Eo tamen ignorante, quod trans eundem fluuiū in loco qui Malauilla appellatur, de comitatu eius quidam remanserant, ut cibos emerent, & ad iter quędam colligerent necessaria: quos Vngari comprehendentes, nudatos, & affectos uerberibus, ablatis omnibus remiserunt ad suos. Et licet eorum aduersitati uniuersus plena charitate compateretur exercitus, & sinistro, qui acciderat, casui plurimum socij condolerēt, tamen uidētes quia durum erat nimis, & penè impossibile transire fluuium, & occasione emergentium negotiorum iter differre propositum, satius arbitrati sunt dissimulare ad tempus iniuriam, quàm ad id quod assequi non possent, temerè aspirare. Spem habētes in eo, cui militare proposuerāt, quod Christi seruis illata gratis iniuria nō pręteriret impunita, sed cōdignam ab eo reciperet mercedem, qui suis fidelibus repromisit dicens, Et capillus de capite uestro non peribit: in patiētia uestra possidebitis animas uestras. Continuantes igitur iter, Belgrauā peruenerūt, ut præmisimus: ubi Galterus à duce Bulgarorū (qui eidē loco præerat) emendi licētiam postulans, & impetrare nō ualens, ante urbē castrametatus est, ubi exercitum suum uictus inopia laborantē, cohibere nō ualens, graue nimis populi sui passus est dispendium. Nam cum à Bulgaris omnino uenaliū nihil (aliquo precio interueniente) obtinere possent, egressus est eius exercitus, ut sibi modo quocunq; alimenta compararent, ne præ necessarij uictus deficere cogerentur inopia. Qui greges Bulgarorum inuenientes,

nientes, & armenta, uiolenter ex eis cœperūt abducere, & castris inferre suis. Quod audientes Bulgari, correptis armis, ad eos qui eorum abducebāt ani malia, hostiliter egressi, prædam reuocare uolentes, bellum raptoribus inferunt. Et facti superiores, centum quadraginta ex eis à præcedentium comitatu separatos incautius, in atrio quodam (quò se gratia consequendæ salutis contulerant) igne supposito, combusserunt: reliquis in fugā adactis. At uerò Galterus sciens, quod populum secum traheret duræ ceruicis, & indiscretū, relictis his qui suo proprio spiritu ducebant (incorrigibiles facti) cum reliquis agminibus Bulgarorum syluas (longè lateq; diffusas) prudēter, circunspecteq; pertransiens, Strutiam Daciæ mediterraneę metropolim egregiam peruenit: ubi eiusdem ciuitatis præsidi de damno & iniuria plebi Dei iniustè à Bulgaris illata conquestus, plenam super omnibus cōmissis iustitiam consecutus est. Insuper ab eodē duce uiro egregio, & timente Deum, humanissimè tractatus, cōmerciorum legem obtinuit communem: ut sibi, & populo suo æqua mensura, & iusto precio, necessaria uenderentur. Et ut legibus humanis in eius obsequio nihil uideret deesse, duces etiam itineris (qui eis usq; ad urbem præessent regiam) concessit. Quò perueniens, & in præsentiam domini Imperatoris introductus, ab eius obtinuit magnificentia, ut usq; ad aduentum Petri (de cuius præcepto iter arripuerat) exercitum suum in locis urbi finitimis (indulta emendi uendendiq; licentia) habere permitteretur: quod & benignè concessit Imperator.

Petrus Heremita subsecutus, per Vngariam transiens, Vngarorum sentit perfidiam. Caput XIX.

AT uerò Petrus post hęc non multo interiecto temporis interuallo, cum innumerabili exercitu transcursa Lothoringia, Franconia, Bauaria, & ea regione quæ Austria dicitur, cum uniuersa multitudine (quam ex omni populo, & tribubus, & linguis, & nationibus collegerat, quasi ad quadraginta millia) fines Vngarorū attigerat. Vnde missa legatione ad dominum regem, impetrauit, ut si pacificum uellet habere introitum, & sine tumultu & scandalis regni eius pertransire, ei sine difficultate aditus pararetur. Qua suscepta licentia, & conditionem approbans interpositam, cum uniuersis legionibus (quæ eum sequebantur) regnum ingressus est. Quod cum omni tranquillitate transcurrens, alimentorum multa copia, iusto precio, & bonis conditionibus ab indigenis ministrata, usq; ad superius memoratam Malleuillam peruenit. Vbi intellecto, quod consortibus eorum (qui Galterum secuti, eos præcesserant) multam illius loci habitatores intulerant iniuriam, & impietatem non modicam in eos exercuerant: uidentes etiam eorum spolia & arma, nihilominus in muro ciuitatis, quasi pro trophęo pendentia, iusta ira succensi, protinus arma corripiunt, & se inuicem exhortantes, urbem uiolenter effringunt, incolis penè omnibus aut interemptis gladijs, aut in uicino flumine submersis. In quo tumultu, eorum meritis id exigentibus, illa die cecidisse dicūtur de Vngaris quasi ad quatuor millia: de expeditione uerò Petri centum dicuntur occubuisse. Sic igitur urbe correcta uiolenter, quinque diebus continuis manserunt in ea, propter alimentorum, quam in ea repererunt, opulētiam. At uero Bulgarorum dux, Nyrchita nomine (qui Galtero

& eius legationibus rerũ uenaliũ forum prius interdixerat) intelligẽs quod Malleuillanis accidisset (pro eo quod in praecedentes ipse quoq; deliquerat) subsequentes in eum uellent refundere, relicta Belgrauia, cui praeerat, de loci diffidens munitione, aufugit. Loci uerò incolae cum sua quisq; familia oppidum nihilominus deserẽtes, cum gregibus & armentis in opaca syluarum, & nemorũ abdita longè interius se contulerunt. Petrus autẽ dum adhuc in exiguo praesidio mórã faceret, relatione quorundã edoctus, quod rex Vngariae suorũ stragem (quam audierat) nimis aegrè ferens, militares ex uniuerso regno conuocauerat copias, & in suorũ ultionẽ accingeret animosius, congregatis nauib. quotquot ex utraq; fluminis ripa inuenire potuit, legiones suas sub omni celeritate transferri praecepit, secũ trahens greges & armẽta, spoliaq; uberrima, quae de loco uiolenter effracto usq; ad redundantẽ copiã eduxerat. Quibus in ulteriore ripa collatis, ante Belgrauã (quam tamen uacuam repererunt) castrametati sunt. Vnde cum plaustris & uehiculis, cum gregibus & armentis, & uniuerso comitatu, itinere dierũ octo, nemorũ latè patentiũ condensa pertransiens, ante urbẽ Niz, turribus & muro munitissimam, & uiris fortibus refertã, cum suis astitit legionibus, & flumine quod eandẽ urbem praeterfluit, per quendã pontẽ lapideũ transmisso, castra ibidẽ metatus est. Dumq; eius exercitus iam deficiente uiatico, uictus inopia laboraret, missa legatione ad praesidẽ ciuitatis, amicè postulat, ut rerum uenalium (& eorum maximè quae uitae sunt necessaria) bonis conditionibus, & iusto precio, populo peregrinanti, & obsequijs diuinis mancipato fiat cõmerciũ. Ille uerò id nullatenus posse fieri respondit, nisi prius datis obsidibus, se obligaret exercitus, ut indigenis forũ ministrantib. nec iniuria nec uis maior ulla inferatur. Qua conditione utrinq; placita, datis obsidibus, egressi sunt ciues secum deferentes uenalia.

Apud Niz urbem Vngariae, inter peregrinos & Bulgaros tumultus oritur periculosus. Caput XX.

FActa est igitur expeditionibus uniuersis alimentorũ plenior abundãtia, emendi uendendiq; contractibus mutua charitate inter utrunq; populũ celebratis: nocteq; illa in omni tranquillitate mutua charitate transcursa, summo mane receptis obsidibus, ad iter accingunt. Dumq; essent in proficiscendo, & maior pars praecessisset (imò penè omnis exercitus) quidã turbati capitis homines, & diuina animaduersione digni, memores satis friuolę cõtentionis, quã hesterna nocte cum quodã Bulgaro habuerãt occasione uendẽdi emendiq;, separati aliquantulũ à pręcedentib. agminibus, septem molẽdinis, quae iuxta prędictum pontẽ in flumine uoluebant, ignẽ supponentes, subitò conuerterunt in fauillã. Erant praedicti filij natione Teutonici, numero quasi centum: qui etiã, cum eorum nõ sufficeret furor, quem cõmiserant, adiecerũt etiam, ut quorundã domicilia, quae extra muri erant ambitũ, non dispari nequitia succenderẽt. Consummatoq; scelere turbis innocentib. (tanq; cõmissi maleficij conscientiã nõ habentes) curso maturato adiungere se satagerũt. At uerò dux, qui eos benignè satis nocte tractauerat hesterna, uidens quod non satis ei responderẽt dignè pro meritis: scilicet pro collato beneficio, suppliciũ reportare * cogebat: paucorũ cõmissum, nõ ęquo satis iudicio refundens in omnes, uniuersos prędones reputãs, & incendiarios: ciues euocat, arma mo-

net corripere,& ipse primus cum ingenti multitudine, uerbo suos exhortat, extemplò prædictas insequi expeditiones, tanquam de sacrilegis uindictā reposcere persuadet. Egressi uerò unanimiter, precedētes insectant, & partes precedētis exercitus posteriores inuadunt hostiliter gladijs, instantes atrocius. Prædictos itaque malefactores, qui necdum castris se adiunxerant, scorsum à turbarum frequentia rapientes, iustissima indignatione, morti tradiderunt. Sed siue casu, siue ex industria inuoluentes iustum cum impio, multos de immeritis pari pœna confoderunt. Currus autē & uehicula (quibus tam alimenta, quàm omnimodam eorum suppellectilē deferebant) senes quoque & ualetudinarios, matronas quoque cū pueris & puellis, quæ passibus equis cæteros subsequi non poterant, comprehendentes, uinculis alligatos secum deduxerunt: consummata strage, interemptorum sanguine satiati, & spolijs onerati, redeuntes ad propria.

Petrus fugientem suum reuocat exercitum, iterumque cum Bulgaris quærit pacificè conuenire: sed factus est error nouißimus peior priore, & dißipatæ sunt eius legiones. Caput XXI.

INterea uir uenerabilis Petrus, & uniuersa quæ præibant agmina, maioresque cuncti expeditionis uiri, huius infortunij, quod suis acciderat, ignari penitus, iter continuabant inceptum. Cum ecce quidā equo raptus uelocissimo, cursu præcipiti festinans, casum nunciat, stragem suorū & captiuitatē ex ordine pandens. Quo cognito, de cōmuni prudentium cōsilio, uiam, qua tertio die uenerant, relegentes, reuocatis legionibus, factæ cedis argumenta, & fratrū interemptorū fortunā nō sine lachrymis & gemitu contuētes, ante urbē, qua hesterna nocte castra locauerāt, constiterūt. Erat autē Petro & his qui secum erāt, sensus habētes magis exercitatos, in eo facto simplex oculus, & pura intentio. Ideoque redierāt, ut causa mali cognita, & scandalorū amputata materia, inter utrunque populum pax plenior reformaret, & ad propositū tutius purgata rediret conscientia. Missis igitur uiris prudētibus & honestis ad presidem, & maiores ciuitatis, diligenter discutiunt, quænam causa intercesserit, ut ad tantum tumultū & tantam sanguinis innocentis effusionē ita subitò ueniret. Causa itaque cognita, intelligentes qui missi fuerant, quod satis iustè indignatione cōcepta, ad arma conuolauerāt, & quod nō erat tempus satis idoneum ad hoc, ut super illatis reposceret uindicta, modis competentibus, & tota instant sollicitudine, ut pace reformata, predam, sarcinas, socios, & uniuersa quæ amiserant, cum integritate reciperent. Dumque in eo perseuerarent, pactis penè ad placitā utrinque redactis consonantiā, excitatus est casu incōsulto quorundā calore & ausu temerario, in castris tumultus: uolentib. indiscretis quibusdā iniuriam, quam sustinuerāt, uiolenter uindicare. Porrò Petrus eorum insaniā uolens compescere, & causam cedis declinare quęrēs, missis quibusdam prudentibus & magnæ autoritatis hominib. ab impetu & furore, quo ciuibus instabant hostiliter, eos reuocare nitebat. Cumque non proficeret, neque eius (licet salutaribus) acquiescere uellent monitis: exercitui missa uoce præconia sub promissæ obedientiæ debito præcepit districtius, ut nemo illis qui sua temeritate pacem reformatā ausi fuerant uiolare, operā ferat, aut ministraret auxiliū. Cui uerbo acquiescens exercitus, sedebat quasi arbiter, finem inchoāti tumultus, & rei exitū prestolantes. Qui aūt pro bono pacis missi fuerant ad præsidē, uidentes quod exercitus in populo tumultus

sedari nō ualeret,sed magis & magis augebat̄,& quod iuxta propositū proficere nō poterant,reuersi sunt ad castra infecto negotio,elaborantes cū uiro Dei Petro,ut turba opprimeret̄. Sed neq; id effectui mancipare dabat̄. Erāt autem quasi mille,qui ad hanc properarent temeritatē. Quibus totidē de urbanis egressis obuiam, bellū ingens ante urbem utrinq; cōmittitur. Videntes autem qui in urbe erant,quod quasi schisma ortum erat in populo exteriore, sperantes, quòd quia inuito & contradicēte Petro rixam cōmouerant, reliqua pars exercitus nullatenus eis uellet ministrare subsidia, reseratis aditibus,omnes unanimiter egressi, ex nostris penè quingentos super pontē occiderunt:reliquis penè omnibus, dum uada nesciunt,tanq; locorum ignari, submersis in flumine. Quod uidens exercitus,& tantam suorum non ferens iniuriam,ad arma conuolant uniuersi: & confligentibus inter se agminibus fit strages infinita, ita ut esset error nouissimus peior priore. Populares ergo,& uulgus indocile Bulgarorū,nō ferentes instantiam, fugam ineunt: alijsq; qui in certamine uiriliter desudabāt,exemplo suo,& impetu,terga dare compellunt. Fugit itaq; uniuersus exercitus,& turbatis ordinibus, non erat qui resisteret. In quo tumultu sæpè dictus Petrus uniuersam pecuniā, quam de fidelium largitione principum,ut inde pauperibus & egenis in itinere necessaria ministraret,collegerat: retento curru in quo uniuersa eius deferebat̄ substantia,penitus amisit. Bulgari autem animosius instātes, ex ijs ad decem milia gladio peremerūt,retētis uehiculis & sarcinis uniuersis,mulierū quoq; & puerorum ingenti multitudine captiuata. Qui autem euaserant,syluarū latebras & deuia secuti, uix tertia die,monentibus lituis & strepentibus tubis reuocati,circa Petrum & alios, qui cum eodē euaserant, & in collem se receperant sublimem,aliquantulum conuenerunt.

Petrus recollecto profligatorum legionum suarum residuo,Constantinopolim peruenit: transitoq; Bosphoro,castrametatur in Bithynia. Caput XXII.

Die tandem quarta, recollectis adinuicem eis qui dispersi fuerāt,& ex occultis in quibus triduò latuerant prodeuntibus,conglobati: iterū quasi ad triginta milia rursus ad iter se accingūt. Et licet plaustra,currusq;,quasi ad duo milia imprudēter amisissent, ignominiosum reputātes à proposito deficere,uiam,licet cum multa difficultate,continuant. Dumq; essent in proficiscendo, alimentorū multam sustinentes inopiam: ecce domini Imperatoris nuncius castris eorum se intulit,qui Petrum,& alios eiusdem exercitus capitaneos,regiam proferens iussionem,publicè conuenit,dicēs: Sermo grauis, & uerbum satis absonum,uiri nobiles & inclyti,fama referente de uobis, ad Imperialem peruenit audientiam,quòd in imperio suo uiolentiā regionis habitatoribus & eius subditis inferatis enormem, rixas & tumultus excitātes. Quapropter eius autoritate,si in conspectu maiestatis eius gratiā aliquando inuenire quæritis,uobis iniungimus, quatenus in aliqua urbium eius uidelicet triduū moram facere ne præsumatis, sed continuato itinere congruo,tamen moderamine temperato,uersus Constātinopolim expeditiones uestras quantocyus dirigatis. Nos autem exercitum uestrum præeuntes,necessaria uictui iusto precio uobis ministrari faciemus. Quo audito reuixit spiritus eorum,qui præ uictus inopia iam contabuerāt: & intellecta erga se domini Imperatoris clemētia, in spem maiorem erecti, priusq; apud eum qui regios detule-

ulerant apices de sua innocentia & supportatione patienter, quam eis imme
itis Bulgari gratis intulerant, pro tempore sufficienter allegauerunt: ducem prædictum sequẽtes, ab omni abstinentes enormitate, maturato itinere Constantinopolim peruenerũt. Vbi reperto prædicto Galtero, qui cum suis legionibus eorundem præstolabatur aduentum, iunctis exercitibus, castra in loco sibi deputato metati sunt. Petrus uerò à domino Imperatore uocatus, urbem ingressus est: & in eius præsentia constitutus, sicuti uir magnanimus erat & eloquens, de sua intentione, & tanti laboris causa interrogatus, plenè disseruit: & quod eũ maximi Occidentaliũ partium & Deo digni principes in proximo subsequerent, edocuit. Tanta mentis constantia, & uerborum usus ornatu, ut & Palatij principes uiri admirarent animositatẽ & prudentiam, & ipse dominus Imperator eum propensius commendaret. Benignè igitur habitũ, & donis cumulatum uberioribus, ad suos redire praecepit Imperator. Vbi cũ dies aliquot eius & uictualibus, & requie refocillatus esset exercitus, paratis nauibus ex Imperiali mandato, transito Hellesponto, in Bithyniam, quæ prima de Asiana diœcesi prouincia eodem mari terminatur, descenderunt: demumq; ad locum supra idem mare situm, cui nomen Ciuitot, peruenientes, castrametati sunt.

Exercitus Petri, eo abeunte à finibus Nicenis, prędas agit: & iuxta urbem Nicenam oppidum expugnat. Caput XXIII.

Erat autem idem locus in hostium confinio positus, ubi cum in multa rerum opulentia quasi duobus mensibus continuis consedisset exercitus, non defuit eis penè quotidie rerum uenalium copia, & refectio pro tempore necessaria. Qua rerum ubertate simul & ocio dissolutus miser & duræ ceruicis populus (prodeuntibus ex adipe stimulis insolentiæ) cœpit seorsum inuitis magistratibus turmas agere, & ad decem uel amplius miliaria perlustrare regionem, greges & armenta secum trahentes. Receperunt tamen sæpius ex parte domini Imperatoris literas commonitorias, quatenus ante aduentum maiorum principum (qui subsequi dicebantur) longius euagari, aut in se hostes prouocare non præsumerent, sed in loco designato moram facerent, circumspectè se habẽtes. Petrus autem pro plebe sibi commissa ualdè solicitus, ad urbem regiam profectus erat, ut rerum uenalium, si posset, alleuiaret precium, & humaniorem commercijs obtineret conditionem. Vnde populus contumax & capitosus, sumpta occasione ex eius absentia, cœpit insanire uehemẽtius, & conglobato seorsum ab exercitu eiusdem factionis complices, quasi ad peditum septem milia, adiunctis sibi equitibus trecentis, aliorum interdictum surdis auribus prætereuntes, uersus Nicenam ordinatis agminibus profecti sunt. Vnde de loco prædictæ urbis contermino, greges & armenta ad maximum numerũ contrahentes, in castra reuersi sunt incolumes. Porrò uidentes Teutonici & illius linguæ homines, quod Latinis in eo negotio ad quod exierant, prosperè successerat, rapinarum amore concepto, adijciunt & ipsi simile aliquid attentare, unde & nomen obtineant, & uires inferãt rebus domesticis. Tandem uerò colligati ex eadem natione quasi ad tria millia cum ducentis equitibus, uersus Niceam contendunt. Erat autem in eadem regione oppidum ad radices montis situm, à Nicena quatuor miliarium

liarium uix distans spacio. Ad quod accedentes impetu uehementissimo, & totis uiribus oppugnant undique. Et licet plurimum resistentibus oppidanis, tamen expugnatum occupant uiolenter. Tandē interemptis habitatoribus, & occupatis uniuersis quæ eorū fuerant, loci amœnitate tracti simul & opulentia, castrum communiunt, proponentes usque ad aduentum principum in eodem loco commanere.

Solimannus Turcorum princeps prædictum recuperat oppidum: & quotquot in eo reperit, gladio perimit. *Caput* XXIIII.

SOlimannus uerò illius regionis dux & moderator, audito lōgè antè Christianorum principum aduentu, ex uniuerso interim Orientis tractu (tam prece quàm precio, & modis omnib. quibus poterat) infinitas uirorū fortiū colligēs copias, ad easdem partes redierat, ut circa hostiles impetus ciuibus & regioni optata præberet subsidia. Qui audiens quod Teutonicorum prædicta manus oppidum eius expugnasset, & expugnatum detinere præsumeret, illuc sub omni celeritate festinat, & castrū obsidens, uiolenter expugnat: omnibus, quotquot intus reperit, gladio peremptis. Interea rumor in castris personuit, & celeri fama peruulgatum est, Teutonicorum cohortes (quæ recenter de castris exierāt) in manu Solimanni penitus occidisse. Vnde mente plurimum consternati, gemitu & lachrymis, quas præ spiritus angustia cohibere nequeunt, dolorem protestantur. Tandem comperta plenius ueritate, exortus tumultus popularium in castris, uociferante plebe, & id summa exigente precum instantia, ut illatam fratribus tam enormem nō dissimularent iniuriam, sed correptis armis omnes unanimiter tam equites quàm pedites, interemptorū fratrum sanguinē uindicaturi procederēt. Quod uerbum maiores exercitus, & qui in talibus pleniorem habebant experientiam, dñi Imperatoris consilio parēre uolentes, cum uellēt comprimere, & furētis populi indiscretū mitigare furorē: insurrexit plebs aduersus eos indomita, & cuiusdam Godefridi (qui nominabatur Vares, quique princeps erat factionis) usa patrocinio, maioribus cœpit contumelias irrogare, timiditati ascribēs, & nō prudentiæ, quod fratrum interfectores, ultore gladio nō persequerent.

Concitatus aduersus eundem Solimannum ob cædem fratrum numerosus exercitus, & pugnans aduersus eum consumitur. *Caput* XXV.

PRæualuit tandem deterius affectorū sententia, & arma corripientes uniuersi, relictis debilibus cum mulieribus & paruulis, & his quibus arma nō erant, congregati sunt ad uiginti quinque milia peditum armatorū: quingentos equites optimè loricatos habentes. Ordinatis ergò agminibus, & in acies dispositis, uersus montana per syluam prędictam, ad partes Niceas contendunt. Vixque ad tria miliaria processerant, cum ecce Solimannus cum maxima suorum multitudine eandem syluam ingressus, ut in castra nostrorum (quæ in loco erant suprà nominato) subitus irrumperet, accelerabat. Audiensque per candē syluam clamores insolitos (ut primùm comperit quod à castris egressæ nostrorum sibi occurrerēt legiones) relictis montibus & sylua, ad patentes campos se cōtulit. Quò etiā nostri peruenietes (aduentus hostiū ignari penitus postque eorum in uicino constitutū cognouerāt exercitū, mutuis se uocibus exhortantes, in hostes irruunt, gladijs instantes cominus, in-

teremptorũ fratrũ sanguinẽ de manu hostium requirẽtes. Hostes uerò uotis omnibus & ardente proposito nostros in se irruẽtes gladijs excipiũt, & com pertum habentes, quod pro capitibus ageret, resistunt uiriliter iusta indigna tione succensi, & de sua multitudine præsumentes. Tandẽ confligẽtibus hinc inde cohortibus strenuè satisq; uiriliter, oppressi nostrates ab eorum multitudine, & pondus belli nõ ualentes ferre diutius, dissolutis agminibus, in fugam uersi sunt. Quibus nihilominus Turci gladijs incumbẽtes, usq; in eorũ castra (stragem operantes infinitam) eos insectati sunt. Ceciderunt in ea congressione de uiris nobilibus, qui Petri castra sequebant, Galterus Sensaueir, Ramaldus de Breis, Fulterus Aurelianensis, & alij innumerabiles. Nam de uiginti quinq; milib. peditũ, qui de castris egressi fuerãt, & de quingentorũ numero equitũ, uix uel unus superfuit, qui aut morte effugeret, aut uincula.

Solimannus uictor, nostrorum castra diripit: residuum populi aut captiuum trahit, aut perimit. Castrum Ciuitot obsidet: sed audita Imperatoris legatione, recedit. Caput XXVI.

TAndem uerò hac potitus uictoria, & præsenti successu Solimannus factus elatior, in castra uiolentus irruit, ac residuũ quod supererat, nemine iam qui resistere posset inuento, gladijs abolet. Senes, ualetudinarios, monachos, & clerum uniuersum, matronas quoq; grandæuas ferro perimens: solis pueris & puellis, adhuc impuberibus (quorũ pro eis ætas intercedebat, & facies) ad hoc parcens, ut seruituti manciparet. Erat autẽ iuxta nostrorum castra in littore maris situm præsidiũ, uetus, semirutũ, habitatoribus uacuũ: ita ut nec seras haberet, nec ostia, in quod (necessitate compulsi salutem in eo posse consequi arbitrantes) peregrinorũ quidam se contulerũt, quasi ad tria milia. Qui obiectis clypeis, & magnarum aduolutione molarum aditus obstruũt, & ad sui tuitionẽ (prout necessitatis articulus imperabat) accingunt. Dumq; Turcos instantes uehemẽtius, spe obtinẽdæ salutis, qui obsessi erãt, à se repellerẽt longius, pro uita & libertate totis uiribus decertantes, nuncius quidã sub omni celeritate ad Petrum accedens, stragem suorum indicat, & residuos de populo iam consumpto, in oppido quodã semiruto arctissime obsidione uallatos edocet, armorũ & uictus inopia laborantes. Qui ad dñm Imperatorẽ accedẽs, fusis humiliter precibus obtinet, ut missa illuc sub omni uelocitate militia, reliquias populi ab imminentibus periculis præcipiat liberari. Quod & factum est. Turci eñ audita dñi Imperatoris iussione, ab oppidi protinus destiterunt impugnatione. Et trahentes secum quos in uincula cõiecerãt, cũ tentorijs & papilionibus, equis, mulis, & omnimoda nostrorũ supellectile, opima spolia deferentes, Niceam reuersi sunt. Sic ergo ceruicosus populus, & intractabilis, dum monitis nescit acquiescere, iure (libet) suo lapsus impetu totus descendit in interitum. Et dum disciplinæ salutaris nescit iugum portare, uuarum suarum fructus inutiles colligit, hostium gladijs deputatus.

Godescalcus sacerdos quidam Teutonicus, iterum exercitum ducens, in Vngariam peruenit: qui turpia & indigna relatu in Vngaros operari non ueretur. Caput XXVII.

POst Petri uerò transitũ in Bithyniam, consequitur non multo temporis intericcto interuallo, quidam sacerdos G descalcus nomine, natione Teutonicus, Petri sequens uestigia, eiusdem peregrinationis accensus desiderio,

ſiderio, exhortationis habens gratiam, multos ex uniuerſo Teutonicorum regno ad idem tempus animauerat. Collectisq́ uiæ conſortibus, quaſi ad quindecim milia, Vngariæ fines, ſine difficultate admiſſus, ingreſſus eſt. Vbi cum eius exercitui uenalia de mandato regio bonis conditionibus ab Vngaris exhiberentur, alimentorum abutentes opulentia, & ebrietati uacantes, ad inferendas enormes indigenis ſe contulerunt iniurias: ita ut prędas agerent, uenalia foris allata publicis uiolenter diriperent, & ſtragem in populo committerēt, neglectis legibus hoſpitalitatis. Quod domino regi poſtquam innotuit, ira ſuccenſus, regnum uniuerſum præcepit conuocari, & in ultionem tantarum iniuriarum armari populum imperat, & maiores etiam regni. Commiſerant enim grauia in locis quamplurimis, turpiaq́ nimis, & relatione indigna: quæ nō niſi cum ſubiectorum odio, & timiditatis nota, rex poterat diſſimulare. Conuocata igitur totius regni militia, tanq́ in hoſtes, & ſuprema dignos animaduerſione, unanimiter ruunt præcipites, pro tantis exceſſibus mortēm irrogaturi. Tandemq́ apud locum cui nomen Belgraua eſt (qui locus in umbilico regni eorū poſitus eſt) prædictorū inſenſatorum confuſam repererunt multitudinem. Qui pręcognito regis aduentu, & de eius indignatione non ignari, uerentes quam læſam portabant conſcientiam, arma corripuerant, quaſi uim ui repellere, & à ſe propulſare iniurias parati. Quos poſtquam Vngari armis incumbentes uiderunt, & ad reſiſtendum armatos (perpendentes quod non ſine multa ſuorum ſtrage poterant eis uim inferre: erant quippe fortes uiri, armorum uſum habentes, quiq́ non facilè uellent gratis animas ponere) more ſuo dolis tentant peragere, quod uiribus nequeunt. Miſſa enim legatione ad prædictum Godeſcalcum, & exercitus primates, uerbis pacificis eis in dolo loquuti ſunt dicentes:

Epiſtola regis Vngarorum ad prædictum Godeſcalcum, & eius exercitum: & interitus eorundem miſerabilis. Caput XXVIII.

PEruenit ad Dominum de ueſtro exercitu grauis querimonia, quod populo ſibi ſubdito graues nimis et enormes intuleritis moleſtias, iniqua lege noſtros hoſpites (qui uos benignè tractauerunt) remunerantes. Tamen domini regis plenius nouit prudentia, quod non eſtis omnes commiſſorum rei: ſed etiam habentur inter uos uiri prudentes & timentes Deum, quibus aliorum diſplicet enormitas, & quibus inuitis & renitētibus commiſſa ſunt, quæ dominum regem meritò ad iracundiam prouocauerunt. Vnde aliquorum crimen timens in omnes refundere, ne iuſtum inuadat cum impio, decreuit irę ſuæ modū imponere, & Chriſtianę conſortib. profeſſionis parcere in pręſenti. Vnde cōſuluimus, quod eius omnino quieſcat indignatio, quòd & perſonas ueſtras, & omnē, quā habetis ſubſtantiā, arma quoq́ in manus domini regis ſine aliqua conditione tradatis. Alioqui nec unus ſolus ex uobis mortē poterit euadere, cum in medio regni eius cōſtituti, nec uirib. pares ſitis, nec fugiēdi habeatis poteſtatē. Godeſcalcus igitur, & legionū primarij, quibus ab initio contumacis populi diſplicebat inſania, de regia benignitate pręſumentes, in ſimplicitate ſpiritus, populū totis uiribus renitentem, & pro uita certare paratū, in eam quaſi uiolenter traxerūt ſententiā, ut cum armis & omni

omni eorum ſubſtantia in poteſtatē domini regis ſe traderent, pro his omni
bus quibus eum offenderant, ſatisfacientes. Acquieuit tandem populus uni
uerſus, & armis traditis, uniuerſaq́ eorum ſubſtantia, regis primicerijs &
ſuis procuratoribus reſignata, dum ueniam expetūt, mortem inueniunt. Ir-
ruentes enim in populum nil tale uerentem, armorumq́ ſolatio deſtitutum,
& de regis clementia non immeritò præſumentem, nō diſtinguentes iuſtum
ab impio, ſtragem immaniſſimam exercuerunt: ita ut interemptorum fune-
ribus, & cruore occiſorum locus pollueret uniuerſus, & tantæ multitudinis
uix ſupereſſent ueſtigia. Euaſerunt tamen aliqui cōmune periculū, & per de-
uia, Domini miſericordia, Vngarorū gladios declinantes, & ad propria re-
uerſi, de ſuorū ſtrage, & ſiniſtro caſu, qui acciderat, eos qui profecturi erant,
& eiuſdem uiæ uotis tenebantur obligati, reddiderunt inſtructiores, ut præ-
dicti nequam populi ſuſpectam ſemper habentes maliciam, prudentius ince
derent, & cautius diſcerent negotiari.

Quomodo praecedentes exercitus ſubſecuta eſt inſenſatorum hominum multitudo infinita, Iudaeorum interimens populum, & abſq; diſciplina incedens. Caput XXIX.

PEr idem tempus modico interuallo interiecto, conuenerunt codē ſtudio
ex Occidentalibus finibus turbæ innumerabiles, & peditum manus in-
finita abſque duce & rectore, paſſim & imprudenter incedentes. Erant ta-
mē inter eos uiri nobiles, Thomas de Fecia, Clarembaldus de Vendoloſio,
Vuillelmus Carpentarius, Comes Hermānus, & alijnōnulli, quibus in nul
lo diſciplinę impatiens ſubijciebatur populus: ſed neglecta prudentiū & me
lius affectorū doctrina, paſſim, & ſine delectu per omnia liberè diſcurrebāt
illicita. Vnde factum eſt, ut cum in timore Domini iter debuiſſent inceptum
peragere, & diuinorum memores mandatorum, obſeruata euangelica diſci
plina, pro Chriſto peregrinari: conuerterūt ſe ad inſanias, & Iudæorum po-
pulum in ciuitatibus & oppidis, per quæ erat eis tranſitus, nil tale ſibi ueren-
tem, & ſe habentem incautius, crudeliter obtruncabant. Hoc autem maximè
factum eſt in urbibus Colonia & Moguntia: ubi etiam uir potēs & nobilis
comes Emico (in eadem regione præclarus) eorū cœtibus cum multo ſe ad-
iunxit comitatu, nō ſolum pro ut eius dedecebat generoſitatem, nec morum
cenſor, nec correptor enormitatis, ſed maleficiorū particeps & inceſſor. Qui
omnes (tranſcurſa Franconia, & Bauaria) poſtquā fines attigerūt Vngarię,
peruenientes ad locū cui nomen Meſsburg, arbitrati quod liberè & ſine diſ-
ficultate eius liceret introire: clauſum reperientes aditum, citra pontem ſub-
ſtiterunt. Erat autē is locus præſidium, munitū ualde fluminibus maximis,
Danubio & Lintace, & profundis circumſeptū paludibus, ita etiam ut ma-
iori multitudini, inuitis his qui obſeruabant, nō eſſet facilè irrogare uiolen-
tiam. Dicebatur tamen eſſe eorum, qui aduenerant, numerus ad ducenta
milia peditum, equitum uerò quaſi ad tria milia. Porrò rex Vngariæ tran-
ſire uolentibus, aditum prohibere mandauerat, timens, ne iniuriarum, quas
Godeſcalci legionibus intulerat, memores, in ultionem armari cuperent in-
tromiſſi. Recens eñi factum, & cruentę cædis enormitas, longe lateq́ diuul-
gata regē ſibi timere compellebāt. Obtinuerunt tamen ab his qui ad prædi-
cti municipij deputati erāt cuſtodiā, & à principibus legionū (qui in ea parte

regionē obseruabant) ut legatos ad regem dirigerent, qui pro impetranda pace, & obtinenda transeundi libertate regem suppliciter conuenirent. Ipsi uerò interim circa paludes in locū * pascuis castrametati sunt, rei præstolantes euentum.

Quomodo castrum Mesebnrg obsederunt, & septingentos ex Vngaris interfecerunt, & tandem diuinitus in fugam conuersi, penè omnes ab Vngaris interfecti sunt. Caput XXX.

INterea qui missi fuerant ad regē, infecto prorsus negotio, paucis euolutis diebus, reuersi sunt. Quorū relatione maiores edocti, qui erāt in exercitu, quod nullam apud regem gratiā poterant inuenire, proponunt terras, quas circa fluuios & paludē rex possidebat, depopulari, & suburbana succēdere, in rebusq; eius hostiliter uersari. In quo dum desudarent attētius, accidit die quodam, quod septingenti ex regis supradicti militia nauigio transeuntes oc culto, peregrinis ex insperato, ut ab illatis regionē tuerentur iniurijs, casu se dederunt obuiam. Quos cum declinare non possent, nec redire ad propria, aquis impedientibus, penè omnes interfecti sunt: paucis exceptis, qui in carecto & paludibus equis amissis, uitæ consuluerant & saluti. Qua erecti uictoria, adijciunt etiā, ut pontibus fabricatis, præsidium expugnent: & iter ferro aperiētes, in regnum uiolenter ingrediant. Iuxta ergo propositum cohortes excitantur, & per pontes, quos de nouo erexerant, mœnibus applicātes, pro tecti clypeis, ad muri suffossionē, & ad uiolentū introitū animosius se accingunt. Eoq; iam per diligentē eorum instantiā uentum erat, ut muro in locis pluribus perforato, iamiam peregrinis pateret introitus. Et qui intus erāt in municipio, omnino in desperationē descenderant, de uita penitus desperantes: cum ecce repentè diuinitus immisso timore, relicto assultu, & maxima impedimentorū parte neglecta, uersi sunt in fugam. Qui uictores uidebanť, fugæ causam penitus ignorantes. Nec aliud in causa dicit exitisse, nisi quod peccatis multiplicibus Dn̄m ad iracundiā prouocauerant: impietatē secuti, quæ suis cultoribus terrorē solet incutere. Fugit enim impius, iuxta uerbum Sapientiæ, nemine persequente. Vngari uerò meliore facta cōditione, uidentes hostiū cuneos terga dedisse, insecuti sunt eos tanq; uictores. Quos prius habuerant formidini, & quos infra mœnia uallari paludibus uix poterant sustinere, ultrò insequunť uice uersa, nō solum formidinē, uerum & mortē irrogantes. Ex quibus comes Enico cum maxima parte dissolutarū turmarū fugiens, in patriam suam reuersus est. Alij uerò nobiles (quos suprà nominaui mus) per Corinthiā declinantes in Italiā peruenerunt: qua de causa Apuliæ se intulerunt finibus. Vnde & eos d. principibus, idē iter agētibus, qui Durachiū nauigare proposuerunt, secuti, in Græciā se contulerunt. His ergo & huiusmodi motibus penè concutiebatur totus Occidēs, & seorsum turmas agebant penè nationes uniuersę: & aliæ sub principibus, alię quasi acephalæ iter adgrediebanť. Vię tamen compendiū (quod qui per Vngariā descenderant, certū erat reperisse, propter insolentiā eorum, & enormitates nimias, quas frequenter, & præter meritum regionis inferebant habitatorib. transeuntes qui præcesserant) eis penitus negabať. Vnde & eos qui subsequebantur, reddiderunt magis sollicitos, ut regis Vngarorum sibi gratiam conciliarent.

LIBER SECVNDVS.

Quo tempore dux Godefridus iter arripuerit, & qui nobiles cum eo: & quomodo in Vngariam usq; peruenerit. Caput I.



EOdemq; anno, qui erat ab incarnatione Domini millesimus nonagesimus sextus, mense Augusto, quintadecima die mensis, uir magnificus & illustris Godefridus Lotharingię dux, post discessum Petri heremitæ, & eius exercitus casum (ut prædiximus) lamentabilem: post legionem Godescalci, stragem præmissam, post illud etiã infortunij genus, quod ut suprà præmisimus, subsequentis exercitus multitudini circa Vngariam accidisse dicitur) conuocatis uiæ consortibus, & compositis de more sarcinis, iter aggressus est. Fuerunt autem qui eius castris se adiunxerunt, uiri nobiles & inclyti, & perpete digni memoria, dominus Balduinus, eius frater uterinus: dñs Balduinus de Montibus, Hamancorum comes: dominus Hugo, comes de sancto Paulo: & Engelramus filius eius, egregiæ indolis adolescens: dominus Garnerus comes, cognomento de Grez: dominus Balduinus de Burgo, eiusdẽ ducis consanguineus: dñs Henricus de Ascha, & Godefridus frater eius: Dodo de Conz, Cono de Monte acuto, & alij plures, quorum nomina nõ tenemus, uel numerum. Hi omnes uno & indiuiduo comitatu pariter incedentes, uicesima Septembris die in prouinciam Austriam, ad locum qui dicitur Collenbruc, cum omni tranquillitate sani & incolumes peruenerũt. Est autem is locus, ubi Lurtax fluuius imperij fines à regno disterminat Vngariæ. Quò peruenientes, solliciti ualde super his quæ Godescalco & suis legionibus acciderant, deliberant quomodo cum salute in opere incepto possint incedere. Tandem de cõmuni placuit consilio, ut missa legatione ad regem Vngariæ, instruantur plenius, quæ nam causa fuerit, quare fratrum præcedentium apud eos ita deperierit exercitus: & ut opportunitate inuenta, dominum regem de pace conueniant, & omissis querelis ueteribus, elaborent quomodo eis liber per Vngariã indulgeatur transitus. Nam alias inire uias, itineris cœpti uidebatur dispendiũ. Missus est ergo uir nobilis Godefridus de Ascha, Henrici frater (quod eiusdem à multis retro temporibus familiaritatem habuerat) cum quibusdam alijs honestis uiris & nobilibus, ut eiusdẽ legationis fungeretur officio. Qui ad regem perueniens, depenso debitę salutationis affatu, quod ei fuerat iniunctum fideliter exequens, regi locutus est in hæc uerba:

Legatio eiusdem ducis ad Calemannum regem Vngariæ per Godefridum de Ascha: & responsum eiusdem regis ad eundem ducem. Caput II.

VIr illustris & magnificus, dominus Godefridus, Lotharingiæ dux, & alij Dei cultores, qui cum eo sunt principes, diuinis obsequijs mãcipati, ad uestram nos direxerunt eminentiam, scire per uos cupientes, quare fidelium populus, quorũ reliquias in uia reperimus, nobis occurrentes, tantã apud uos (qui de numero fideliũ dicimini) repererũt inhumanitatẽ, ut tutius ad hostes quoslibet declinare possent. Quod si prędicti populi tanta fuit culpa, ut extremis supplicijs digna fuerit flagellari: qui me miserunt, parati sunt

eorum

eorum interitum æquanimiter tolerare. Nam quęcunque ex merito pœna infligitur, minus ad iram prouocat, & maiore sustinenda est patientia. Quod si secus est, & absque ulla causa calumniati estis innocentes, ut eos morti traderetis, nõ possunt illatam seruis Dei dissimulare iniuriam: sed parati sunt fratrũ sanguinem uindicare. Super his ergo uestra per nostrum ministerium expectant responsa, pro eorum forma animos habituri. His dictis orandi finem fecit. Cui rex suorum satellitum stipatus comitatu, in hæc uerba respondit. Placet uir amicitiarum Godefride (cui meritis exigentibus iam pridem exiguam nostram contulimus gratiã) quod ad nos ingressus es, tum ut ueterẽ renouemus amicitiam, tum ut apud tam discretum iudicẽ nostrã astruamus innocentiã. Sumus equidẽ & de numero, ut dicis, fidelium (& utinã opere possimus implere huius nominis uirtutem) sed qui uos præcesserunt, tam Petrum heremitam sequentes, quàm adhærentes Godescalco, quàm qui in regni nostri limitibus castrum nostrum expugnare, & ad nos uiolenter ingredi nitebantur: nec re, nec nomine Christi fuerũt sectatores. Nam cum primò Petrum & suos exercitus suscepissemus hospitio, bona quæ apud nos erant tam gratis, quàm precio illis cõmunicantes iusto, more serpentis in gremio, & muris in spera, male remunerauerũt hospites suos. Nam in extremis regni finibus nostri (cum iam pro collatis beneficijs grates tenerentur rependere) unam de urbibus nostris confringentes, populum qui in ea erat, delentes penitus, cum eorum spolijs, gregibus, & armentis, tanquam uiolenti prędones abierunt. Godescalci uerò expeditiones, tanquam à prioribus nihil omnino pertulissemus iniuriæ, sine molestia & difficultate admissæ, in medio regni huius rapinas exercere, inferre uiolentiam, incendia procurare, & causis leuibus stragem operari non uerentes, delictorum suorum enormitate Dominum ad iracundiam prouocauerunt. Nos quoque subditorum ferre nõ ualentes molestias, manum adhibuimus, rei periclitanti remedium prouidentes. Vnde & exemplo priorũ deterriti, ne tertiò tam detestabilium turmarũ experiremur iniurias, consultius fore uisum est, regni nostri limitibus (Deo planè odibiles) arcere huiusmodi impiorũ manipulos hominum, quàm ab eis & damna pati enormia, aut cum eis hostiliter decertare. Hoc igitur apud te uirum prudentem & industriũ, pro nostra excusatione sufficiat allegasse. Nam (uiuit Dominus) purã, sicut est, edisseruimus ueritatẽ. His dictis, eosdem legatos præcepit hospitaliter, & cum multa honestate haberi, quousque habito cum suis colloquio, ad prędictos principes nuncios dirigat, responsa conuenientia delaturos. Tandem missis de familiaribus suis aliquot, cum legatis (qui ad se uenerant) duci & principibus in hęc uerba rescripsit: Audiuimus sanè, & fama referẽte iamdudũ cognouimus, quod princeps magnus, illustris, & egregius meritò apud tuos habearis: & quod fidei tuæ synceritatẽ, & cõmendabilem animi cõstantiã, etiã longè positi uiri prudẽtes admirentur. Nos quoque nominis tui odore bono, & operum tracti fragrantia, te (licet absentẽ) colere proposuimus, & propẽsius honorare. Sed & uiros nobiles, qui tecũ sunt, zelo fidei christianæ accẽsos, credimus piũ habere propositũ. Vnde & ea merita, quibus amici solẽt comparari, nolumus in uobis ociosa torpescere: sed omnibus debitã impendere charitatẽ, & fraternæ dilectionis

onis erga eos operibus abundare parati sumus. Vnde quoniam se ita offert occasio, rogamus ut ad castrum nostrum, Ciperon nomine, præsens adesse uelis, ut tecum possimus optata diu miscere colloquia, & tuis desiderijs congruum adhibere consensum.

Colloquuntur adinuicem rex & nostri principes, & datur Balduinus ducis frater regi obses: transcursaque Vngaria, & fratre recepto, dux à rege multis muneribus honoratur. Caput III.

DVx igitur audita regis legatione, habitoque suorum consilio, cum trecentis equitibus ex omni comitatu electis, die præfixa ad locũ peruenit destinatum. Vbi ponte transito, regem inueniens, ab eo benignissimè, & cum multa susceptus est honorificentia. Tandem post multam hinc inde sibi mutuò familiaritatem exhibitam, placuit ut datis obsidibus, de numero nobiliũ electis, omni rancore deposito, & pace plenius reformata, regni aditus duci & suis legionibus panderetur. Rex ergo ut tantorum uirorum legionibus intromissis fidẽ haberet pleniorẽ (ne fortè de occasione qualibet, de uirtute sua & numero confisi regnum turbare præsumerent) dominum Balduinum ducis fratrem cum uxore & familia obsidem petit. Cui dux grato concurrẽs assensu, fratrem legibus complacitis obsidem tradit: & immissis legionibus, regnum ingressus est. Porrò rex fideliter adimplens quod promiserat, per uniuersas regiones ad quas peruẽturus erat exercitus, lege præcepit edictali, quatenus iusto precio, æquo pondere, uictui necessaria legionib. exhibeant, & rerum uenalium turbas proficiscentes forum perpetuò comitetur. Dux uerò per castra uniuersa, & seorsum & publica uoce præcepit edicti præconia, sub pœna mortis & omniũ publicationis bonorum, ne quis rapinam, uim, aut iniuriam accedentibus ad exercitum audeat irrogare: sed fraterna charitate emptionum uenditionumque contractus celebrent in uinculo pacis. Factumque est ita præuia Domini misericordia, quod Vngariã transcurrẽtes uniuersam nec in leui uerbo mutuò se offenderent. Rex uerò proficiscentem exercitum æquis penè passibus cum ingentibus copijs obsides suos secũ ducẽs ex latere sinistro, comitabatur paratus, ut si quid fortè seditionis emergeret, per eius præsentiam continuò sedaretur. Tandem uerò ad Maleuillam, de qua superius fecimus mentionem, peruenientes, in ripa fluminis Sauoa, quousque exercitui transitus pararetur, consederunt. Compositis igitur ratibus (quia naues paucas, & ad tantum transferendum populum minus sufficientes inuenerant) traiectis mille loricatis equitibus, qui circa quaslibet hostium insidias ripam ulteriorem cõmunirent, ut translatus populus sedẽ inueniret quietã, certatim in partem oppositam se transferunt. Vixque plebs enauigauerat, & de principibus nõnulli, & ecce rex cum ingenti suorũ comitatu subitus adfuit, dominum Balduinum, & uxorem eius, & alios simul obsides in manu domini ducis (sicut ab initio condictum fuerat) resignauit, & donis uberibus tam dominum ducem, quàm reliquos honorans principes, reuersus est. Dux uerò traiectas secutus expeditiones, in ulteriorẽ ripã, cum residuo principũ & populi se contulit consequẽter, ueniensque ad Belgrauam Bulgariæ oppidũ (de quo superius fecimus mentionẽ) ibi castrametatus est. Inde compositis sarcinis, & legionib. ad iter expeditis, Bulgariæ syluas, et latè patentia nemora transcurrens, primùm Niz, deinde Stralitiam peruenit.

In terram Imperatoris nostræ legiones ingrediuntur: describitur introitus, & Græcorum miseria significatur. Caput IIII.

Conijcere est ex his locis, quæ aliquando uberiores & omnimodis commoditatibus refertæ fuerunt prouinciæ, quanta sit Græcorũ miseria, & eorũ debilitas imperij. Nam postq̃ deficientibus apud Constantinopolim Latinis principibus, in eorum potestatẽ sub primo Necphoro, peccatis exigentibus, descendit imperium, statim barbaræ nationes de Græcorum imbecillitate confisi, in eorum prouincias irruentes pro arbitrio suæ regionis cœperunt tractare habitatores. Inter quas Bulgarorũ gens inculta, à tractu Septentrionali egressa, à Danubio usq; ad urbem regiam, & iterum ab eodem flumine ad mare Adriaticũ, uniuersas occupauerat regiones. Ita ut confusis prouinciarum nominibus & terminis, totus iste tractus qui in longitudine habere dicitur iter dierum triginta, in latitudine uerò decẽ, uel amplius, Bulgaria dicatur. Miseris Græcis ignorantibus, quod hoc ipsum nomen eorum protestatur ignominiam. Super Adriaticum enim mare erat utraq; Epirus: cuius alterius metropolis est Durachium, regnum olim uiri strenui & admirabilis, Pyrrhi Epirotarum regis. Vnde autem dux cum suo comitatu transiturus erat, duæ fuerãt Daciæ: Ripensis uidelicet, quam à leua super ripas Danubij transeuntes reliquerunt: & Mediterranea, per quam iter agẽtes, & per urbeis olim eximias, Neiz & Stralitiam, transeuntes percurrerunt. Erant & aliæ in eodem tractu prouinciæ, Arcadia, Thessalia, Macedonia, & Thraciæ tres, quæ pari cum alijs inuolutæ sunt calamitate. Nec solum has prædictas prouincias sua Græci amiserant mollicie, sed etiam postmodum eodem Bulgarorum subiugato populo, per Basilium, eorum imperatorem, in ulterioribus prouincijs (& maximè quæ regnis exteris collimitant) & per quas ad eos acceditur in utraq; uidelicet Dacia, etiam hodie non permittuntur habitatores introire, uel excoli in regionem, ut syluis & frutetis loca latè occupantibus nullam præstent intorire uolentibus habilitatem: maiorem habẽtes in uiarum difficultate, & ueprium, armaturam, quàm in proprijs uiribus resistendo fiduciam. Eodem modo & Epirum primã (quæ à Durachio habet initium, & usq; ad montem, qui cognominatur Bagularius) itinere dierum quatuor protenditur. Per quam omnes alij transitum habuerunt principes, desertam & habitatoribus uacuam relinquunt, ut accedere uolentibus nemora deserta & inuia, & alimentis carentia, repagulorum uicem præbeat impedimentum. Prædictam ergo Daciam mediterraneam (quæ alio nomine Mesia dicitur) dominus dux percurrens cum suis legionibus: & exuperatis claustris (quę uulgò dicũtur sancti Basilij) ad loca planiora & alimentorum copiam ministrantia, descendẽs, Philippopolim usq; nobilẽ & copiosissimã urbem peruenit. Vbi cognito, quod dominus Hugo magnus, domini Philippi Francorũ regis frater, cum quibusdam alijs nobilibus, ab Imperatore detinerent in uinculis, missis sub omni celeritate nuncijs, literis & uiua uoce monet, & rogat diligentius, quatenus prædictos uiros, eiusdem peregrinationis uota habẽtes, & sine culpa uinculis mancipatos, solutos abire permittat. Prædictus enim uir illustris, quasi primus omnium iter aggressus, transcursis alpibus, in Italiam descenderat, & inde in Apuliã perueniens, cum exi-

guo

guo comitatu mare transiens, apud Durachium substiterat, eos qui subsequebantur expectans. Non ueritus quod & in regno Græcorum (qui Christiana professione censeri dicebantur) sibi suisq́ aliquid sinistri occurreret, ubi à præside regionis uinctus & cathenatus Imperatori traderetur: pro arbitrio tractandus, translatus est. Sic ergo eum apud se tanquam prędonem, aut homicidij reum Imperator detinebat in carcere, principum qui subsequi dicebantur, expectans aduentum, quatenus si prosperè accederent, eorum gratia soluisse uideretur: sin autem secus, perpetuis eum compedibus manciparet.

Dux legatos ad Imperatorem dirigit, ut Hugonem magnum, & alios nobiles soluat, quos detinebat in uinculis: uniuersa regio prædæ exponitur, & tandem nostri Constantinopolim perueniunt. Caput V.

PRæerat autem per idem tempus Græcorum imperio uir nequã & subdolus, Alexius nomine, agnomine Comutio dictus. Qui cũ esset in imperiali palatio à domino Nicephoro, cognomento Bothomath (qui tunc in sceptris agens principabatur) plurimum honoratus, & Megadomestici dignitate (quem nos maiorem Seneschallum appellare consueuimus) fungerẽ officio (ab Imperatore secundus) contra dominum & benefactorem suũ malitiosè recalcitrans, quinto uel sexto anno, antequã populus noster accederet, depulso dño, imperiũ inuaserat, & detinere pręsumebat, quod uiolenter occupauerat. Missi ergo dñi Ducis legati ad Imperatorẽ accedentes, prædictũ nobilem uirum cum socijs suis (sicut eis fuerat iniunctum) instantissimè postulant absolui. Quod cum eis ab eodem imperatore præcisè negaretur, ad nostras expeditiones (quæ iam Adrianopolim pertransierant, ibi residentes in pascuis) reuersi sunt. Postquam uerò eisdem referentibus nuncijs, dux, & alij principes, quod nequaquam prædictos nobiles uellet Imperator absoluere, cognouerunt, de communi consilio uniuersam illam regionẽ legionibus suis exponunt ad prædam. Cumq́ per octo dies ibi morã fecissent continuam, uniuersam depopulati sunt. Quod audiens Imperator, nuncios ad eundem ducem dirigit, & rogans ut à præda desistat eius exercitus, & nobiles quos repetierat, recipiat expeditos. Cui uerbo dux libenter acquiescens, præda suis inhibita, pacatis legionib. Constantinopolim peruenit. Vbi ante urbem in manu robusta, et copioso exercitu fixis tentorijs castrametatus est. Occurrẽtes prędicti nobiles uiri, dominus uidelicet Hugo magnus, Drogo de Neella, Guillelmus Carpentarius, Carembaldus de Vendoliolo, circa urbem in castra ducis se contulerunt, gratias pro sua liberatione soluturi. Quos cum multa charitate & debita honorificentia susceptos, benignè habuit, secum aliquandiu eorum molestijs (quas pertulerant præter merita) compatiens.

Imperator ducem ad se inuitat, ille renuit introire: graues oriuntur inter eos inimicitiæ: fraude Imperatoris, ducis exercitus transfertur ad locum angustiorem. Caput VI.

INterea uix mutuos dissoluerant amplexus, & alternis erant confabulationibus recreati, cum ecce Imperatoris adsunt nuncij, monẽtes ut ad D. Imperatorẽ cum paucis dux introire festinet. Dux uerò habito consilio, illuc ire

d ij distulit

distulit:unde indignationem plurimam cōcipiens Imperator, forum rerum uenalium legionibus, quæ cum duce aduenerunt, interdixit. Porrò principes populi uidentes indigentiam alimentorum, & defectum, rursum de communi consilio per suburbana longè lateꝗ cum ingentibus armatorum copijs discurrentes, greges & armenta undique contrahunt, & alimentorum omnimodam in castra referunt opulentiam: ita ut usque ad satietatem minores etiam abundarent. Videns ergò Imperator regionem uniuersam prędæ & incendijs expositam, timens ne deterius etiam aliquid contingeret, iterato commercium restitui præcepit. Cumꝗ natiuitatis Dominicæ dies imminerет solennis, decreuerunt apud se regionis intuitu per illos dies quatuor nostri principes ab omni præda, & qualibet iniuria manus cohibere. Quibus in omni quiete & tranquillitate peractis, adfuit Imperatoris nuncius, monēs uerbis pacificis, & tamen in dolo, ut ponte transito, qui est iuxta palatium, quod appellatur Aloquerna, legiones suas transferant, in palatijs (quæ super littora Bosphori erant plurima) hospitaturi. Potuit autem facilè persuadere. Nam instantis maxima erat opportunitas hyemis, & pluuiarum intemperies inaudita, ita ut eorum papiliones uix possent cohibere stillicidia: unde & uictus & suppellex omnimodo de madore iugis aquæ corrumperentur, & putrescerent. Sed nec homines, nec iumēta, nec cæterorum quodlibet animantium uim algoris penetrabilem & niuium crebram (imò penè continuam) poterant tolerare diutius asperginem importunam, quibus omnibus supra uires angebant incessanter. His etsi uerbo compati uideretur Imperator, longè tamen alia mens eius erat, & eò tota eius properabat intētio, ut legionibus in loco angustiore collocatis, minorem euagandi haberent licentiā, & ipse eas pro arbitrio cohibēdi maiorē reciperet potestatem. Quod ut plenius intelligeret, de situ prædictæ urbis est aliquid interferendū.

Descriptio situs urbis Constantinopolitanæ. Dux legatos ad Imperatorem dirigit. exercitus noster à Græcis ex improuiso sustinet insidias. Caput VII.

MAre Ponticum (quod ab adiacente regione nomen accepit) prædictæ ciuitati à parte Septentrionali positum est, ab eadem distans triginta miliaribus. A quo in modum fluminis per quasdam angustias in Austrum descendit quædam eius portio: quæ spacio ducentorum triginta miliarium decurrēs in directum inter Seston & Abidon urbes antiquissimas (quarum altera in Europa est, altera in Asia) in nostrum mare labitur mediterraneum. Quæ influxio à prædicto mari transfusa, postquam triginta miliaribus à primis faucibus unum introitum (continuo tractu descendit) suum facit in partem occidentalem, cuius longitudo est ad miliaria quinque, uel sex, latitudo uerò quasi unius. Hoc autem ita angustum mare (quod à Pontico in mediterraneum per ducenta & triginta miliaria protenditur) Bosphorus Propontidis siue Hellespontus appellatur. Quod autem ita sit, Solinus in decimoseptimo de memorabilibus testatur, dicens: Quartus Europæ sinus ab Hellesponto incipit: Mæotis ostio terminatur. Atque omnis hæc latitudo, quæ Europam Asiamꝗ diuidit, in septem stadiorum angustias stringitur. Hic est Hellespontus, quem Xerxes ponte nauibus facto permeauit.

Deinde

Deinde Europa porrigitur ad Asiæ urbē Priamum, quā Magnus Alexander potiundi orbis amore transcendit, & pontus est inde diffusus, æquore patentissimo rursus stringitur in Propontidem, mox in quingentos passus coarctatur, fitq; Bosphorus Thracius, quā Darius copias transportauit. Horum autem causæ nominum à ueteribus poëtarum fabulis uidentur deductæ. Nam Bosphorus ideo dicitur, quod Iupiter Europam Agenoris filiam in bouis effigie assumpta, trans illud mare legitur deportasse. Hellespontus autem ab Helle Phryxi sorore, quę super arietē cum eodem fratre suo nihilominus dicitur transfretasse. Verbo autem uulgari dicitur Brachium sancti Georgij, Europæ Asiæq; limes: cuius illa est longitudo, quam diximus. Verùm longitudinis non est usquequaq; modus idem. Nam pro adiacentium situ & dispositione regionum, nunc contrahitur ad unius miliarij spacium, nunc per triginta uel amplius miliaria diffunditur. Sinus autem prædictus tendens (ut præmisimus) in Occidentem partē, est inter eos quos orbis habet, commoda statione famosissimus. Infra quam & Bosphorum in angulo quodam sita est prædicta ciuitas, olim dicta Byzantium, locus ignobilis, & inter urbes Thraciarum quasi nouissima. Nunc ampliatoris Augusti feliciore insignita uocabulo, princeps prouinciarū facta est, & imperij familiare domicilium: Romæ senioris & nomen inuidens, & dignitatis prærogatiuā: à Pausania Spartiatarum rege prius condita, iuxta id quod in tertio libro Pauli Orosij continetur, formam habens trianguli, trium inæqualium laterum. Cuius primum latus ab eo angulo, qui inter portum & Hellespontum continetur, ubi est ecclesia sancti Gregorij (quę dicitur Mangaua) usq; ad palatium nouum, cui nomen Blasquemas, secus portam directè protenditur. Alterum uerò ab eodem sancti Gregorij monasterio usq; ad Auream portam secus Hellespontū ducitur. Tertium uerò ab eadem porta usq; ad palatium prædictum Blasquemam per campestria, muris, turribus, & antemuralibus insigne protenditur. Portum autem fluuius quidā ingreditur, æstatē quidem modicus, sed hyeme aquis pluuialibus solet fieri torrentior, pontem habens supra se positum, quem pertransiens nostrorū exercitus, inter Ponticum mare & Bosphorum, & portum in ædificijs, quæ in ipso Bosphori littore erant plurima, hospitandi gratia se contulerant. Dumq; ibi moram facerent, reliquorum principum expectantes aduentum, dux frequenter sollicitabatur imperatorijs legationibus, ut ad eum introiret. Qui suspectam habēs eius familiaritatē, & colloquiū reformidans, ad eius uocationē accedere uerebat. Videns tamen quod omnino esset indecens, et contra disciplinā honestatis, si nō aut in persona propria ueniret, aut saltem per se idoneos mitteret responsales: nobiles uiros dominum Cononem de Monte acuto, dominum quoq; Balduinū de Burgo, & Henricum de Ascha, ut se excusatū haberent, ad eundem dirigit Imperatorem. Qui uidens animi Ducis constantiam, & quod eum ad se nullatenus posset euocare, iterū uenalia interdicit. Sed neq; sic constantis uiri animum potuit mollire. unde manum aggrauans, misit occultè sagittarios, qui nauib. iunctis ad eam partē, in qua dux castra locauerat peruenientes, summo mane in ipso diei crepusculo, multos ex nostris, qui ad

mare exierant, & qui de fenestris speculabantur, sagittis confoderunt, plurimos interficientes.

Iterum ante urbem reuertitur exercitus, & ingens pugna committitur. Graecorum fit strages maxima. Caput VIII.

QVod postquam duci nunciatum est, conuocatis populi principibus, de communi consilio fieri praecepit, ut Balduinus ducis frater, assumpta parte militiae, properet pontem occupare, per quem transierant, ne in illis angustijs intercepti, gentis suae dispendia patiantur. Ille uerò impiger, quingentos sibi assumens loricatos, ad praedictum pontē properè festinat, & occupat uiolenter. Iam enim non solum illi qui in nauibus descenderāt, hostes se exhibebant, uerùm uniuersa ciuitas contra eos hostiliter armabatur. Nostri uerò cognoscentes studiosè & industria paratos sibi aduersarios, etiā ciues uniuersos in eorum perniciem ad arma conuolare, igne supposito uniuersa palatia, in quibus hospitati erāt, tractu continuo per sex aut septem miliaria tam priuatorum, quàm imperialia succenderunt. Deinde strepentibus lituis, cornuū admonitione ex diuersis partibus, ad quas gratia hospitādi se contulerant, conglobati, ducem (qui iam dispositis aciebus, ad pontem maturabat) armis correptis praecipites sequebantur. Verebantur enim plurimi qui rei militaris maiorem habebāt experientiam, ne ponte ab hostibus occupato, in locis angustioribus reperti, facilius grauarētur. Vnde cum tanta instantia uix expectantes peditum manipulos, omnis illuc equitū manus conuenerat. Sed praecurrens dominus Balduinus ducis frater (ut praediximus) pontem inuitis hostibus uiolenter occupauerat: & eis abactis, & in fugam conuersis, ulteriorē ripam fluminis nostris uendicauerat. Dux ergo & uniuersus exercitus, cum sarcinis & omnimoda supellectile sua sine difficultate transeuntes, rursus ante urbem in locis liberis & latè patentibus constiterūt. Vbi habito conflictu inter ecclesiam sanctorum martyrum Cosmae & Damiani (qui locus hodie uulgari appellatione dicitur Castellū Boamundi) & palatiū nouū (quod dicit̄ Blasquernas, quod in angulo ciuitatis iuxta portū situm est) circa horam uespertinā, interfectis innumeris, nostri Graecos pondus belli amplius sustinere non ualentes, intra urbem se recipere compulerunt. Nostri uerò campo uiriliter obtento, tanquam uictores, in loco ad id congruo castrametati sunt. Et fortasse rursum irruentibus ciuibus, congressio periculosior, & strages amplior subsecuta foret (odio ministrante feruorem) nisi nox mutuis finem imposuisset certaminibus. Hic primùm patuit, & sine haesitatione factum est manifestum, qua intentione praedictus nequam Imperator castra transferri praeceperat: uidelicet ut suspectum populum in illa locorum angustia, quasi intra quaedam repagula coërceret.

Populus

Populus ad arma conuolat: regionem depopulatur: ingens fit in castris uictualium opulentia. Caput IX.

POstea demum luce reuersa terris, edictum est publicè, ut ad arma populus consurgeret: & pars sub certis ducibus deputata, uniuersam perlustraret regionem: & alimentorum (quorum Imperator commercium interdixerat) copias uel uiolenter, uel cũ precio comportaret: gregibus & armentis, frugibus, & uniuersis alimentorum generibus non parcentes. Pars uerò cum duce, & quibusdam alijs magnatibus, ad tutelam castrorum in exercitu remaneret: fraudẽ enim Imperatoris compertam habentes, contra eius muscipulas, quanta poterant, se armabant cautela. Factum est igitur, ut qui pabulatum egressi sunt, sex diebus cõtinuis cum ingenti tam equitatu quàm peditum multitudine suburbana, per circuitum usque ad sexaginta miliaria confringentes, tantam alimentorum in castra, die octaua contulerãt copiam, ut amplius esset opinione hominum, & uix gregum & armentorum, uehiculorum quoque & iumentorum turbas ante se trahere possent.

Nuncius Boamundi ad ducem accedit, ne cum Imperatore conueniat deposcit: responsio ducis ad Boamundum. Caput X.

DVm hæc uerò in castris aguntur, ecce domini Boamundi nuncius præsens ante ducem astitit, prædicti principis literas deferens in hæc uerba: Noueris, uirorum optime, quod tibi contra feram pessimam, & cum homine nequam incumbit negociũ: cuius propositum est semper fallere, & omnẽ Latinorum nationem usque ad mortem modis omnibus persequi. & quod de eo rectè sentiam tuo aliquãdo approbabit iudicio. Noui enim Græcorum maliciam, & odium aduersus Latinorum nomen, pertinax & obstinatum. Cede ergo, si placet, urbe relicta, ad partes Adrianopolitanas, uel circa Philopolim: & legiones tibi à Domino cõmissas, in locis uberioribus, alimentis & ocio recreari. Ego aũt, autore Domino, circa Veris initiũ festinus adero; consilium & auxilium fraterna charitate tanquã Domino meo contra Græcorum principẽ ministraturus. Perlectis igitur literis, & earum tenore plenius intellecto, de communi principum cõsilio literis uiua uoce respondit in hæc uerba: Noui dilectissime frater, & fama referente pridem edoctus sum, quod odio inenarrabili Græcorum astuciæ populum semper nostrum persequi ardentissimè studuerunt: & si quid mihi defuit prius ad scientiam, cotidie per experimentum addisco plenius: nec dubito, quin iusto zelo aduersus eos mouearis, & de illorum nequitia rectè sentias. Sed Dei timorem habens præ oculis, & propositum meum considerans, arma infidelibus debita, in populum cõuertere Christianum reformido. Aduentum tamen tuum nobis desiderabilem, & aliorum principum Deo deuotorum præsentiam, auidissimè Deo amabilis (qui nobiscum est) expectat exercitus.

Imperator misso filio Ioanne Porfirogenito, & dato obside, ducem ad se inuitat. Dux ad eum ingreditur: cum Imperator adoptat: pax inter eos reformatur. Caput XI.

IMperator ergo cum suis familiaribus domesticis anxius plurimum, tum quia totam regionem prædæ uidet expositam, suorum gemitus & lamenta non perferens: tum quia domini Boamundi adfuisse legationem, cumq; in proximo uenturum cognouerat, iterum nuncijs suis dominum ducem, ut ad se ingrediatur, sollicitat: timens, ne si conueniant, qui uenturi erant principes, antequam ducem sibi reddat placabilem, in eius ruinam unanimiter consentiant. Instat ergò propensius, ut sibi ducis prius reconciliet animum: monens & exhortans ardentius, ut recepto filio suo Ioanne Porfirogenito (quem ei pro obside dirigebat) ad se sine aliquo mentis scrupulo ingrediat. Placuit ergo uerbum principibus, & recepto per Cononem de Monte acuto, & Balduinum de Burgo, uiros nobilissimos (qui ad hoc missi erant) Imperatoris filio, & diligenti custodiæ in manu fratris deputato, ipse assumptis reliquis principibus, fratre cum exercitu (ut eius curam haberet) relicto, in urbem ingressus, Imperatori diu desideratam suam obtulit præsentiam. Quem cum multa honorificentia (astantibus illustribus, & uirũ unde multa audierãt, & ex parte cognouerãt, intueri uolẽtibus) receptũ, & principibus qui cum eo aduenerant, prout eorum dignitas exposcebat, & honoratis salutatione, & ad pacis osculum similiter admissis, de eorum incolumitate quærit diligentius, & nomina singulorum percurrens, ut eorum sibi gratiam comparet, singulis amabilem se præbuit & benignum. Tandem uerò ducem cõueniens, his eum uerbis alloquitur: Audiuit imperium nostrum dux dilectissime, quod apud tuos principes sis potentissimus, & pietatis propositum (quod studiosè persequeris) deuotionis feruore armatus commendabili, non habet incognitum. Quodq; potius est, constantis animi & syncerae fidei uirum te fama celebris longè lateq; prædicat. Vnde multorũ qui te præsentem non uideant, morum elegantia id exigente, gratiam meruisti. Quapropter nos etiam te totis charitatis uisceribus amplecti uolentes, & honorare propensius, in filium hodie præsentibus sacri palatij nostri magnatibus, te adoptare decreuimus, imperium nostrum in tua potestate ponentes, ut per te à facie præsentis & futuræ multitudinis illæsum manere possit & incolume. His dictis, cum uestibus indutum imperialibus, adhibita iuxta morem curiæ solennitate quadam, quę in huiusmodi arrogationibus fieri solet, secundum regionis morem adoptauit in filium, pace & gratia utrinque plenius reformata.

Dux mutu

Dux muneribus cumulatus, sumpta ad tempus licentia egreditur: rerum uenalium forum exhibetur: ducis legiones Bosphorum transeunt, & in pago Calcedonensi castrametantur. Caput XII.

QVo facto, apertis thesauris suis tam domino duci, quàm eius consortibus, dona ingentia in auro, gemmis, & holosericis, & uasis preciosis hominum æstimationem tam operis elegantia, quàm dignitate materiæ penitus excedentia, pro liberalitate contulit, ita ut usque ad supremum muneribus cumulati, & diuitiarum incomparabiles copias, & principis mirarētur munificentiam. Nec semel tantum erga ducem tanta functus est liberalitate, sed ab Epiphania die usque ad ascensionem Domini, singulis hebdomadibus, quantum duo uiri fortes aureæ monetæ poterant humeris sustinere. De æries uerò denarijs nouem modia de imperiali palatio ei ministrabātur. Qui tamen omnia (nihil sibi faciens residui) nobilib. & populo (prout cuiq; uidebatur necessarium) liberaliter erogabat. Egressi ergò à domino Imperatore, sumpta ad tempus licentia, in castra reuersi sunt. Vnde Iohannem Imperatoris filium (quem usque ad domini ducis reditum obsidem in castris detinuerat) cum honesto comitatu ad patrem remiserunt. Imperator uerò, dicto publicè mandato, manifestato, pœnam mortis eius uiolatoribus infligendam præcepit: ut iusto precio & æquo pondere ducis exercitui quęlibet necessaria uenderentur. Dux etiam nihilominus in castris uoce pręconia sub pœna mortis inhibuit, ne hominib. Imperatoris aut uis inferret, aut iniuria. Sicq; satis conuenienter se supportantes adinuicem, cum omni tranquillitate usi sunt commercijs. Tandem uerò mense Martio mediante, audiens dux, quod alij principes in uicino constituti, cum suis exercitibus aduenirent (suggerente Imperatore, & idipsum uolentibus tam plebe sua, quàm principibus) peracto nauigio transiens Hellespontū, exercitum suū in Bithyniam (quæ prima de Asianis prouincijs occurrit) collocauit, inq; pago Calcedonensi castrametatus est. Est aūt Calcedon ciuitas in Bithynia: ubi sexcentorū patrum & triginta sex, tempore domini Leonis, Papæ senioris, & domini Marciani Augusti contra Eutychetis monachi & Dioscori patriarchę Alexādrini impietates, quarta synodus generalis cōuenit. Locus uidelicet Constantinopoli proximus, & sola Bosphori interpositione distans. Vnde & urbem in uicino constitutam, erat omnibus intueri: & qui negotijs ingentibus trahebantur, ter uel quater in die ad urbem ire regiam, & ad castra redire sine difficultate poterant. Quod autem maturius ducis exercitum transfretare persuasionibus suis compulerat, non de fidei synceritate processit, sed fraude solita ducem circumuenit, ne alijs aduenientibus, eius copiæ possent admisceri. Nam & reliquos, qui postea subsecuti sunt, eodem artificio singillatim transire compulit: ita ut nunquam duo simul ante urbem fuerint exercitus.

Boamundus accelerat: describuntur nobiles qui eum sequuntur: imperator occultè ei parat insidias. Caput XIII.

INterea dum hæc circa Constantinopolim per Imperatorem, & dominum Ducem sic geruntur, dominus Boamundus, Roberti Guiscardi filius, princeps Tarentinus (qui ante ingruentem hyemem cum suo exercitu Adriaticum mare transiens, Durachium usque peruenerat) per deserta Bulgariæ suos (qui eum sequebantur) operiens, pedetentim accedebat. Adhæserant porrò ei, & eius castris se adiunxerant, tam de Italia, quàm de alijs prouincijs uiri nobiles, & potentes plurimi, quorum ad perpetuam memoriam numerum & nomina ex parte comprehendimus. Tancredus, Guillelmi marchionis filius: Richardus de Principatu, filius Guillelmi Ferrebrachia, fratris Roberti Guischart: Ramusus frater eius, Robertus de Anza, Hermannus de Carru, Robertus de Surda ualle, Robertus filius Crustani, Hunfredus filius Rodolphi, Richardus filius comitis Ranulfi, & comes de Rasinolo cum fratribus suis, & Bohelus Carnotensis, Alberedus de Cagnano, Hunfredus de Monte scabioso. Hi omnes domini Boamundi uexilla secuti, usque ad urbem Castoream (ubi Dominicæ natiuitatis dies celebres egerunt) peruenerunt. Vbi quoniam à ciuibus uenalia populo prætereunti non exhibebantur, compulsi sunt greges & armenta, & cætera uictui necessaria, rapere uiolenter: & damna locorum habitatoribus (qui eos tanquam hostes abominabantur) inferre. Inde progressi, in regione uberrima, cui nomen est Pelagonia, castrametati sunt. Vbi audientes quod in uicino erat municipiũ solis hæreticis habitatoribus refertũ, illuc sub omni celeritate contendunt, & castrum uiolenter occupantes, succensis ædificijs, oppidanis quoque partim consumptis incendio, prædam uniuersam, & opima inde retulerũt spolia. Imperator uerò prædicti domini Boamundi audiens aduentare legiones, primicerijs exercituum suorum (quos in ijsdem regionibus gratia hyemandi collocauerat) clàm præcipit, quod usque ad Bardarium fluuium cum uniuersis illarum regionum copijs ex latere sine intermissione prosequãtur: ut si fortè eis daretur occasio, & ita opportunitas se offerret nocte uel interdiu, clàm siue aliter exercitum procedentem tentarent fatigare. Suspectissimum enim domini Balduini habebat introitum. Nam tam ab eo, quàm ab eius patre multas & sæpius passus fuerat iniurias. Veruntamen sicut uir erat subdolus, potens simulare & dissimulare propositum, missis quibusdam nobilibus ex suis domesticis ad eundem uirum egregium, uerbis pacificis ei locutus est in dolo, tentans si quoquo modo eum posset decipere. Erat autem uerborum quæ tam uiua uoce quàm literis per nuncios porrexerat prædictos, tenor huiusmodi;

Epistola Imperatoris Alexij ad Boamundum. Irruit clàm exercitus Imperatoris in castra Boamundi. Capiuntur quidam, qui malitiam Imperatoris detegunt. Caput XIIII.

Compertum habet & nullatenus dubitat nostrum imperiũ, à deo protectũ, quod magnus et potẽs princeps sis, & egregius: magnifici quoq;, & potentis, & industrij principis filius. teq; hactenus meritis tuis id exigentibus, semper habuimus & acceptũ, licet te præsentẽ inspexerimus: & nunc, quoniã ad seruitutẽ Dei & pietatis obsequia accinctum te & eiusdẽ peregrinationis cum cæteris Deo deuotis principibus consortiũ iniisse audiuimus, fortius amare, et honorare propensius, cordi nobis est, & in prompta fixum gerimus uoluntate. Quapropter dilectissime uir, populis (præcipuè qui te sequuntur) subiectis nostris parcere, uiolentiam, rapinas, & incendia faccessare: ad nostrã quantocyus accedas præsentiam, securus de multiplici honore & gratia nostra, qua multipliciter te proposuimus præuenire. Præsentium quoque latoribus dedimus in mandatis, ut exercitibus tuis iusto precio necessaria procurent, ut sine intermissione rerum uenalium eos copia prosequatur. Hæc Imperatoris uerba, etsi in superficie multam uidebantur habere humanitatem, intrinsecus tamen uirus occultabant admixtum. Verum Boamundus, tanquam uir solers & argutus, Imperatoris compertam habens maliciam, propositum dissimulans, cautius se habebat: gratias referens Imperatori, pro eo quod de statu suo dignaretur esse sollicitus. His igitur ducibus usque ad Bardarium fluuium perueniens, cum iam enauigato ex parte amne in ulteriore ripa consisteret exercitus, pars uerò adhuc transeundi urgeret propositum, ecce Imperatoris satellites (qui cum infinita manu nostri exercitus uestigia sequebantur) rati opportunitatẽ se inuenisse, in eam partem exercitus, quæ adhuc in transeundi erat procinctu, hostiliter irruũt, quanta poterant importunitate instantes. Quod Tancredus intelligens (sicut uir erat expeditissimus) fulmineus aduolat, & fluuium, qui medius erat, enatans, partem fluminis attigit ulteriorem. Quem secuti equites, quasi ad duo milia, primo eorum statim aduentu, prædictorum cohortes dissoluunt gladijs, & conuersos in fugam, cædendo aliquantulum sunt prosecuti: interfectisq; ex eis quamplurimis, nonnullos etiam comprehendentes, ante dominum Boamundum esse statuerunt. Qui cum diligentius interrogaretur, quare Christianum prosequerentur exercitum: responderunt, quod homines Imperatoris essent, & merendo stipendia, ad eius præceptum militare eos oporteret. Hic demùm plenius innotuit, quod quicquid eis Imperator loquebatur, fraus erat & circumuentio: tamen quia per eum transituri erant, inuitis alijs, Boamundus dissimulare potius uolebat iniurias, quàm eum inutiliter ad iracundiam prouocare.

Occurrit dux domino Boamundo, & inuitum quasi ad Imperatorem introducit: ubi plurimũ honoratur. Tancredus interim legiones transfert in Bithyniam, ubi à ducis cohortibus honoratæ, sociantur. Caput XV.

TRanscursa igitur Macedonia & uniuersa Illyrico, competenti moderamine, itinere maturato ad urbẽ cœpit appropinquare. Cumq́ in uicinò esset constitutus, quinta feria ante paschalem, solennitatẽ suscepta iterum Imperatoris legatione, persuadentis ut dimisso exercitu cũ paucis familiaribus suis ad se ingrederetur, substitit aliquantulũ, & effectui mancipare quod præcipiebatur, distulit, suspectam illius habẽs maliciam. Dumq́ sic fluctuaret in incerto, ecce uir illustris dux Godefridus (ab Imperatore multa precum uictus instantia, ut dño Boamundo exiret obuiã, & eum ad se nihil dubitantẽ introduceret) cum honesto principum comitatu prædicto uiro occurrit magnificè. Vt mutuis cõplexibus & syncerę charitatis osculo se suscipientes adinuicẽ, post grata colloquia & mutuas de statu singulorũ interrogationes, Boamundus à domino duce cõmonitus, ut ad Imperatorem, sicut uocatus fuerat, ingrederetur. Licet primùm se difficilem exhiberet, & ducis non satis exaudiret monita (Imperatoris, ut diximus, suspecta habens colloquia) post modum cum honesta uictus persuasione, duce præuio, ad Imperatorẽ confidenter ingressus est. Vbi ab eodem in osculo pacis & multimoda gratia, & honore prӕuentus multiplici, post multa familiariter cum utroq́ habita consilia, factus est (ut dicit) dominus Boamundus Imperatoris homo, fidelitate manualiter exhibita, & iuramento præstito corporaliter, quale solent fideles dominis suis exhibere. Quo facto, ex imperialibus uestiarijs oblata sunt prædicto uiro munera in auro, uestibus, uasis, & preciosis lapidibus, tam precio quàm in dignitate incomparabilia. His igiť ita pacificatis, dum adhuc in palatio morã faceret dñs Boamundus, Tancredus uir per oĩa cõmendabilis, eiusdem ex sorore nepos, Imperatoris præsentiam studiosè declinans, & colloquia, uniuersum iterum exercitum in Bithyniam transtulerat ultra Bosphorum in pago Calcedonensi (ubi & domini ducis translatus dudũ residebat exercitus, subsequentiũ expectans aduentũ) castrametatus est. Quod postq́ Imperatori plenius innotuit, quod dominus Tancredus eius ita declinauerat præsentiam, ægrè tulit plurimum. Sed more prudentis, iniuriam dissimulans, præsentes principes iterum atq́ iterum muneribus cumulans immensis, cum multo honore ad castra trans Bosphorum remisit propria. Vbi iunctis agminibus, & plena charitate sociatis, in conspectu urbis uterq́ residebat exercitus, expectantes aduentũ subsequentium principum, ut sociatis legionibus, iter quod assumpserant, unanimiter prosequerentur. Ministrabať autem tam ex urbe regia, quàm ex adiacentibus suburbanis populo illic posito ad sufficientiã uictus necessarius, ita ut pro uoto copiosius abundarẽt.

Comes Flandrensium Robertus cum suis iterum adest: ab Imperatore uocatus introducitur, & muneribus ingentibus susceptis mare transit, & prædictis sociatur principibus. Caput XVI.

INterea uir illustris Flandrensium comes Robertus (qui à principio ineuntis hyemis cum suo comitatu mare transiens, à Baro Apuliæ ciuitate maritima Durachium descẽderat, in locis fertilibus, syluis, pascuis, & omnimoda commoditate refertis) instantis brumæ declinauerat importunitatem. Tandemq́

demq; circa ueris initiũ iter arripiẽs, reliquos principes, qui iam mare transierant, ut eis adiungeretur, multa prosecutus est instantia. Qui antequã Constantinopolim perueniret (sicuti & aliis acciderat) legatos suscepit imperiales: per quos ei mandabat, quatenus relicto exercitu, cum paucis comitatus, ad eius præsentiam accederet. Ipse autem, quomodo qui eum præcesse: ant cum domino Imperatore se habuissent, plenius edoctus, Constantinopolim perueniens, palatium cum paucis consortibus ingressus est. Vbi ab Imperatore cum multa receptus honorificentia, & benignè tractatus, exactam fidelitatem (aliorum sequens uestigia) corporaliter impendit. Vnde & maiorem consecutus gratiam, dona suscepit ingentia: sociis etiam eius iuxta modum suum pari liberalitate honoratis. Postquam uerò diebus aliquot eius exercitus ibi iuxta urbem & alimentis & ocio recreatus esset, ipseq; ad Imperatorem sæpius ingressus, de his quæ necessaria uidebantur, cum eo sufficienter contulit: sumpta licentia, cohortes transferens, ad uiꝫ consortes nauigauit. A quibus benignè & plena charitate susceptus, eorum exercitibus cum suo comitatu sociatus est. Vbi cum diebus singulis mutuis confabulationibus de uariis rerum euentibus (qui singulis eorum in itinere acciderant) se recrearent adinuicem, & labores suos grata quadam reuoluerent memoria, ad id quod instabat nouissimè recurrebat tractatus, ut diligentius inter se quærerent, quando & quomodo ad operis cœpti consummationem intenderent. Dumq; circa hoc essent soliciti, & moram subsequentium arguerent sociorum (eis imputantes, quod sine fructu tempora præterirent) ecce nuncius comitis Tolosani, & episcopi Podiensis, utrunq; adesse, & in proximo urbem ingressuros, edocet.

Comes Tolosanus, & episcopus Podiensis cum suis agminibus per Dalmatiam properãt, multam difficultatem itineris in ea regione perpessi. Caput XVII.

PORrò hi duo magni & illustres uiri ab initio suscepti itineris cũ suis expeditionibus, comites sibi perpetuò adhęserunt indiuisi. Erant cum eis uiri apud suos tam nobilitate, quàm morum elegantia clarissimi: dominus uidelicet Guillelmus Aurasiensis episcopus, & Ramboldus eiusdem ciuitatis comes, Gaustus de Bedertz, Girardus de Rossellon, Guillelmus de monte Pessulano, Guillelmus comes Forensis, Raimundus Pelez, Cenconius de Bear, Guillelmus Amanem, & alii multi, quorum nomina non tenemus: certum est tamen ea in libro uitæ conscripta esse. Quippe qui propriam cognationem & amicos, & latè diffusa patrimonia relinquentes, Christum secuti sunt, uoluntariam amplexi paupertatem. Hi omnes prędictos uenerabiles uiros cum omni reuerentia secuti, in Italiam descenderunt, transcursaq; Lombardia, per eam regionem quæ Forum Iulii appellat, iuxta Aquileiam transeuntes Misniam, in Dalmatiam descenderunt. Est autem Dalmatia longè patens regio inter Vngariam & Adriaticum mare sita, quatuor habens metropoles, Iozaram, Solanam (quæ alio nomine dicitur Spaletum) Antibarum & Ragusam: populo ferocissimo, rapinis & cædib. assueto inhabitata. Montibus & syluis, magnis quoque fluminibus, pascuis, longè lateq; diffusis occupata penitus, ita ut raram habeant agrorum culturam, locorum incolis in gregibus & armentis omnem uiuẽdi habentibus fiduciam: exceptis paucis,

qui in oris maritimis habitāt: qui ab alijs & moribus & lingua dissimiles, Latinum habent idioma, reliquis Sclauonico sermone utentibus, & habitu barbarorum. Hanc igitur ingressi prouinciam, multam inuenerunt itineris difficultatem, maximè propter hyemis instantiam, & locorum nimiam inæqualitatem. Sed & uictus, & alimentorum sustinentes grauem defectum, periculose satis per dies aliquot laborauerunt inedia. Locorum sanè habitatores relictis urbibus & præsidijs, ad montes & syluarum condēsa cum uxoribus & liberis, & cum omni substantia (quasi agrestes ferè fugientes) nostrorum formidabant aspectum. Occultè tamen, et de remoto proficiscens exercitus, uestigia sequentes, senes, ualetudinarios, annisq; grandæuas (quę lento gradiebantur itinere) seorsum reperientes occidebant. Comes uerò totius multitudinis debitam gerens solicitudinē, præmissis de principibus aliquot (qui agmina præirent) ipse cum maxima loricatorum manu postremus semper incedebat, nouissimus hospitabat. Erat præterea aër caliginosus, & tenebrę continuè penè palpabiles, ita ut qui sequebantur, præcedentiū uix tenerent uestigia: & qui præibant, uix per iactum lapidis ante se loca possent discernere. Terra (ut prædiximus) riuis, fluminibusq; abundās, & penè tota palustris tantā diebus singulis ex se dabat caliginē, & spissitudinem nebularū, ut aërem penè redderent suffocatorium. Ad hæc Sclaui Dalmatæ, tanquam indigenæ, locorum habentes peritiam, per abrupta montium, & nemorum condensa, exercitum ex latere sequētes, frequentibus irruptionibus omnem populum è syluis prodeuntem opprimebant. Comes uerò, & alij magnates in hos tales sæpissimè facientes impetus, multos ex eis lanceis confossos & obtrūcatos gladijs perimebāt: pluresq; sępius occidissent, nisi quia syluas habentes uicinas, et ad eas fugiētes, presens captassent remediū. Accidit tamen die quadam, quod ex pręd ictis malefactoribus captis quibusdam, manus et pedes præcepit amputari, ut eorū consortes saltem hac pœna deterriti, exercitum persequi formidarēt. Cumq; tribus hebdomadibus continuis tam laborioso itinere regionis partem transcurrissent, peruenientes ad locum, cui Scodra nomen, Sclauorum regem repererunt ibi. Cumq; dominus comes, sicut uir benignus erat, affabilis, & misericors, multa munerum liberalitate amicitiam contrahēs, sperabat populo suo indigenarum gratiam obtinere, ut saltem commercij & rerum uenalium copiam consequeretur: tandem hac uia prædictæ gentis ferocitatem emollire potuit, quos deinceps multo sæuiores inuenit. Cumq; per dies quadraginta omnem Dalmatiam multo pertransissent labore, tandem peruenerunt Durachium.

Apud Durachium eidem comiti imperialis occurrit legatus. Episcopus Podiensis à Bulgaris capitur: sed Domino miserante liberatur. Iterum apud Rodestrum tam Imperatoris quàm principum nostrorum eidem occurrit legatio. Caput XVIII.

IMperator uerò Comitis suspectum habens aduentum, eo quòd uir prudens & magnificus esset, & maiores secum traheret copias, missa multo antè legatione honestorum uirorum (qui ei occurrerent) præcepit, ut aduenientem ex parte eius officiosissimè salutatum, honestè tractarent. Qui dicto parentes, in eius præsentia constituti, uiua uoce & literis eum blandè allocuti

ſunt, Imperatoris porrigentes epiſtolam, cuius hic tenor erat: Iamdudum, Comes dilectiſſime tuæ prudentiæ opinio celebris & probitatis latè diffuſa, fragrans ad noſtri peruenit aures imperij, & meritis exigentibus, nos ad tui dilectionem inuitauit, propoſitum habentes perſonam tuam amare & honorare propenſius. Vnde & tuum aduentum cum multo deſiderio expectauimus, multa de negotijs publicis cum tua nobilitate imperio noſtro chariſſima, tractare cupientes. Vnde monemus attentius, ut ſine tumultu & ſcandalis terras noſtras pertranſiens, ad nos feſtinus accedas, ſecurus de gratia noſtra & honore multiplici, quo te propoſuimus præuenire. Præſentium autem latori dedimus in mandatis, ut rerum uenalium copiam & iuge commercium populo tuo bonis conditionibus faciat exhiberi. His literis tam Comes, quàm eius exercitus exhilaratus admodum, rurſus iter arripiens, tranſcurſis ſyluis & montibus, & uniuerſa Epirotarum regione, multorum labore dierum, demum in pagum, cui nomen Peſagonia eſt, omnibus redundantem copijs, deſcendentes caſtrametati ſunt. Vbi cum uir uitæ uenerabilis dñs Podienſis epiſcopus longius à caſtris aliquantulum, hoſpitandi cõmoditatẽ ſecutus, ſeorſum locaſſet tentoria, à Bulgaris irruentibus captus eſt. Sed quia tantus Pontifex adhuc populo Dei erat neceſſarius, caſu per eius miſericordiam uitæ eſt reſeruatus. Nam dum unus de prædonibus aurum ab eo quæreret, eum circa cæteros tuebatur. Inter quos excito tumultu ad uocem concertantium, exercitus commotus eſt uniuerſus, & armis correptis in prædictos irruentes maleficos, dominum epiſcopum cum ſuis expedierunt. Tandem reſumpto itinere Theſſalonicam tranſeuntes, & omnem Macedoniam, continuatis per multos dies laboribus, apud Rodeſtrum urbem maritimam, ſuper Helleſpontũ ſitam, à Conſtantinopoli itinere dierũ quatuor diſtantẽ peruenerũt. Vbi iterũ Imperatoris comiti occurrit legatio, & principum etiam, qui præceſſerant nuncij nonnulli, monentes & exhortantes obnixius, quatenus exercitu relicto, & paulatim ſubſequẽte, ipſe cum paucis ueniat expeditus, ut peractis apud Imperatorem negotijs, accedente eius exercitu, poſſit reliquos ſubſequi maturius, & populis properare uolentibus, nullum miniſtret impedimentum. Præmiſerat autem & ipſe nuncios, qui & ipſi reuerſi, eum ad idem animabant.

Comes relicto exercitu, ad Imperatorem properat: cum eo non conuenit: Imperator fraudulenter præcipit, ut in eius irruatur exercitum. Caput XIX.

EVictus ergo Comes tam imperialium legatorum inſtantia, quàm uerbo principum, qui eum maturare hortabantur, relicto exercitu, ſub cura & ſollicitudine epiſcoporũ, & aliorũ nobiliũ, qui in caſtris erant: ipſe cum paucis Conſtantinopolim ingreſſus, ſæpius citatus præcedentibus: cum imperialibus hypocriſarijs ſuam Imperatori exhibet præſentiam. Ibi tam ab eo, quàm à ſuis illuſtribus & inclytis, qui ei aſſiſtebant, honorificè ſuſceptus eſt, & benignè plurimum, plena humanitate. Vbi poſtmodum blandis perſuaſionibus, & multa inſtantia pulſatus, Imperatori fidelitatem & iuramentum ſecundum formam aliorum principum, qui eum præceſſerant, exhibere ne-

gauit constantissimè. Interea uerò, dum hæc apud Constantinopolim aguntur, indignatus Imperator, quod ei comes more aliorum hominũ facere detrectaret, clàm præcipit legionum suarum primicerijs (quæ in partibus illis erant constitutæ) ut repentè in exercitum comitis irruentes, modis quibus possent, molestare attentarent, ita etiam, ut eis cædem operari non uererentur. Hoc autẽ attentare ausus est, ea fretus fiducia, quod principes omnes sibi fidelitate ligauerat, quodq́ eorum exercitus omnes mare illud transierunt, unde non facilè erat retransire. Nam quotquot illuc naues aut gratia commercij, aut transferendæ plebis accedebant, omnes statim in ulteriorem ripam deferre tenebantur, ut semper illis nauium deesset copia. Ad hoc enim singillatim eos (ut prædiximus) transire blanditijs & callidis persuasionibus compulerat, ne simul iunctis agminibus ante urbem, possent conuenire. Suspectum enim (ut prædiximus) nostrorum habebat aduentum, & conuentum multò amplius formidabilem. Quodq́ principibus liberaliter contulerat, nec liberalitatis erat, nec gratiæ, sed timoris desperati, & fraudulentæ uersutiæ. Nostris autem in simplicitate spiritus, & syncera fide incedentibus, uix persuaderi poterat Græcorum malitia, & nequam illorum principis fraus, & circumuentio pertinax, maximè cum erga eos tanta liberalitate, & simulata gratia redundaret.

Comitis absentis clàm à Græcis impugnatur exercitus. Comes contra Imperatorem indignatur. Imperator facti pœnitens, & sibi timens, principum interuentionem postulat, suam allegans innocentiam. Caput XX.

IGitur qui Imperatoris mandatum susceperant, centuriones, & quinquagenarij ministerijs militaribus præpositi, regiam exequentes iussionem, præmonitis agminibus, & de nocte in domini Comitis irruunt expeditiones. & dum incautos reperiunt, nihil tale uerentes, plurimos ex eis interficiunt, ita ut antequam expergefacti arma corriperent, fuga fœda & strages miserabilis intercederet. Tandem uerò honestioribus uiris admonentibus, ad cor redeuntes, resumptis animis ac uiribus, perditæ Imperatoris latrocinanti familiæ multa suæ gentis intulerunt dispendia. Et licet pro tempore & loco satis uiriliter nostri restitissent, uiæ tamen considerantes difficultatem, & crebra quæ ex imparato diebus penè singulis occurrebant discrimina, liquefiebant in seipsis, quasi assumpti pœnitentes itineris: & minus minusq́ feruebant in eo, quod erant aggressi, tædio laborum fatigati uehementius, ita ut multos non solum de plebis, uerum & de maioribus laboris incepti pœniteret: & diffidentes de consummatione propositi, uotorum immemores, redire disponerẽt. Quod nisi monitis & exhortationib. ab episcopis & clero fuissent reuocati, & ad uoti prosecutionem reaccensi, parati erant agmina deserere, & ad propria quocunq́ tentare reditum periculo. Quod postquam domino Comiti renunciatum est, dolore cordis tactus intrinsecus proditum se clamat: & missis de fidelibus suis uiris aliquot nobilibus, Imperatori proditionis infamẽ obijcit titulum: asserens, quod dum per eius uocationem et multiplicatas legationes in eius esset obsequio, contra bonos mores in eius exercitum suos præcepisset armari. Sed & principibus, quorum

rum prece & instantia dimisso exercitu properauerat, casum lamentabilem (qui suis acciderat) & Imperatoris fraudem apertissimam notam fecit, ab his ultionem tanquam fratribus reposcens. Quod si comiti par affectibus & uoluntati esset suorum iniuriam ulciscendi facultas, procul omni dubio à motu animi (quem conceperat) nec minis, nec terroribus, nec reliquorum interuentu principum potuisset conuelli. Dicebatur enim uir esse animosus, & iniuriarum perpetuò memor, quiꝗ in sensu suo plurimum abundaret. Imperator igitur uidens rem nimium processisse, & facti pœnitens, principes, uidelicet dominum Ducem, dominum Boamundum, dominum Flandriæ comitem (qui adhuc in ulteriore maris littore cum suis legionib. residebat) ad se facit euocari, ut per eorum interuentum domini Comitis sibi possit animum reconciliare. Qui ad eius uocationem conuenientes (etsi multum displiceret quod acciderat, tamen uidentes quod non esset reposcendæ ultionis locus) dominum Comitem seorsum admonent, & honestis persuasionibus hortantur, ut iniuriam, quam communem reputant, dissimulare uelit, ne inuidiam prosequens, multorum dierum operam adgrediatur: & uolentibus in uia Domini procedere, ministret impedimentum. Factumꝗ est tandem, ut ad piam principum intercessionem Comes tanquam uir discretus, exacerbatum mitigans animum, principū cesserit consilio, eorum dispositioni se committens. Illi autem Imperatorem familiariter conuenientes, quàm molestè ferant id quod acciderat, unanimiter protestantur. Quorum Imperator intelligens indignationem, & unanimitatis constantiā, coram Comite & uniuersa tam exterorum, quàm suorum domesticorum curia, in excusationem descendit, iurans & obtestans, quod neꝗ de constantia eius, neꝗ de mandato (quod accidisse dicebatur) euenerat. Tamen iuxta hanc innocentiam suam Comiti satisfacere paratū se dicebat. Sicꝗ quotidie magis & magis Græcorum dolus, & fraus Imperatoris detegebatur, ita ut iam nemo esset de principibus cui non esset manifestū, & luce meridiana clarius, quanto odio prosequebatur populum nostrum, & omne genus Latinorum haberet inuisum. Veruntamen quoniam ad alia properabat eorum intentio, & à Deo ad maius placitum propositum anhelabant, tutius iudicabant dissimulare iniurias, quàm se à tam pio reuocare concepto, aut assumpto labori impedimentum ministrare.

Comes interuenientibus principibus Imperatori reconciliatur. Inuitat Imperatorem, ut cum reliquis principibus proficiscatur. Qui mare transierunt, uersus Nyceam contendunt. Comes eos protinus insequitur. Caput XXI.

COmes igitur iuxta principum exhortationem Imperatori reconciliatur, & secundum tenorem iuramentorum, quem alij præbuerant, & ipse iuramentum fidelitatis exhibens, in plenam gratiam reuersus, donis ingentibus & cumulatæ liberalitatis (quæ & numerum & pondus excederet) honoratus est. Accipientes porrò & alij principes iterata dona, & sumentes licentiam, ipsumꝗ Comitem specialiter rogantes, ne moram post eos faceret, ad suos in Bithynia, transito Hellesponto, se cōferūt legiones. Interim quoꝗ & domini Comitis exercitus Cōstantinopolim peruenit, qui statim de man

dato ipsius, ad eos qui se præcesserant, transiens, reliquis exercitibus est adiunctus. Comes uero gratia rei familiaris in urbe moram faciens, per dies aliquot, simul & domestica tractabat negotia, & pro publicis (more prudentis uiri) non desinebat esse sollicitus. Nam sicut ab alijs rogatus erat principibus, Imperatorem frequenter honestis persuasionibus inuitabat (sicut & alij ante eum sigillatim fecerãt, ut proficiscentes comitaretur, & exercitus Domini esse uellet dux & moderator. Cõmonitus autem sæpe & sæpius prædictus Imperator à singulis nostrorum principum, & maximè à domino comite Tolosano, ut Dominici exercitus dux & comes esse dignaretur, & populorum qui se diuinis obsequijs mancipauerant, uellet obtinere primatum: excusabat se dicens, quod hostes circa se haberet fortissimos Bulgaros, Commannos, & Picenantes, qui fines imperij sine intermissione circuirent, quærentes opportunitatẽ, ut subitò possent irruere, & eius turbare tranquillitatem. Ideoq; (licet uotis plurimum conueniret tantæ peregrinationis habere consortium, & futuræ retributionis expectare participium) non posse regni curam deserere, & hostibus circumpositis malignandi præstare occasionem. Quicquid autẽ loquebatur, dolus erat & circumuentio: nec ob aliud hoc pro se allegabat, nisi quod nostrorum profectibus inuidens, sub aliquo quæsito colore, nostris suam subtraheret operam, & processum (quantum ei liceret) modis omnibus impediret. Qui uerò mare iam transierant, dominus uidelicet Godefridus, dominus Boamundus, dominus quoq; Robertus Flandrensium comes, & dominus Podiensis episcopus, compositis sarcinis, ad iter rursus accinguntur, propositũ habẽtes uersus Niceam pedetentim incedere, & ita suos, qui subsequebãtur, operiri. Cumq; per diem uersus Nicomediam (quæ illius prouinciæ, Bithyniæ uidelicet, metropolis est maxima) processissent, uenerabilis sacerdos Petrus heremita de locis illis finitimis (in quibus hyemis asperitatem declinauerat) cum paucis (qui de suo comitatu erant residui) proficiscentibus occurrens legionibus, & principibus salutatis, eorũ cœtibus adiunctus est. Vbi ab omnibus benignè susceptus, & de suorum casu diligẽter interrogatus, rem eis seriatim aperuit, quomodo duræ ceruicis, & incredulus, & omnino indomabilis esset populus, qui cum eo processerat: quodq; magis culpa propria, quàm facto alterius, illis occurrens infortunium accidisset. Vnde compatientes eius, & suorum afflictioni principes, multa illi, & his qui eum sequebantur, liberaliter contulerũt. Multiplicato igitur exercitu, & ex diuersis copijs in unum conuenientibus facto per Dei gratiam numerosiore, competenti moderamine iter conficientes, Niceam peruenerunt. Vbi castris per gyrũ dispositis (loca tamen uenturis principibus deputantes) urbem mense Maio quintadecima die Mensis, obsederunt. Comes autem Tolosanus, pertractatis apud urbem regiam negotijs, sumpta ab Imperatore licentia, & ingenti rursus munerum liberalitate honoratus, cum suis, quos secum detinuerat, castra cum omni celeritate secutus, ad urbem prædictam uelox peruenit.

Robertus Normannorum comes, & dominus Euſtachius ducis frater, cum ſuis legionibus Conſtantinopolim perueniunt, ab Imperatore ingentibus donis, & multa præuenti ſunt honorificentia. Deinde tranſeuntes Helleſpontum, reliquis principibus ſe aſſociant. Caput XXII.

INterea uir illuſtris dominus Robertus Normannorum comes, & alij in eodem comitatu uiri clariſſimi, dominus uidelicet Stephanus Carnotenſium comes & Bleſenſium, dominus quoque Euſtachius, domini Godefridi ducis frater, miſſa iterum legatione, tam domino Imperatori, quàm fratribus, aduentum ſuum in proximo futurum denunciant. Erat autem cum Stephano comes de Alba Marla, Alanus Fergãdus, et Conanus, ambo de Britannia magni uiri. Sed & comes Pechenſis, Rothodus Rogerus de Barneuilla. Hi omnes cum alijs multis uiris præclaris, & nobilibus, cum Flandrenſium comite, & domino Hugone magno, anno præterito, circa hyemis ingruentis initia in Apuliam deſcenderant: alijsq́; Durachium tranſeuntibus, ipſi temporis abhorrẽtes aſperitatem, tam in Apulia quàm in Calabrorum finibus in locis commodis hyemem tranſegerunt. Tandem uerò circa ueris initium conuocatis uiæ conſortibus, & compoſitis ad iter ſarcinis ad mare deſcendentes, aliorum ſecuti ueſtigia, Durachium peruenerunt. Vnde continuato itinere, moram quam fecerant in Apulia, redimere cupientes, cum omni inſtantia iter peragunt. Tandẽq́; (Domino opitulante) optata uſi tranquillitate, decurſis medijs prouincijs, Illyrico uidelicet, Macedonia, & utraq; Thracia, Conſtantinopolim perueneru͂t. Vbi uocati à domino Imperatore, & more aliorũ palatium ingreſſi, ab eodem & ſuis qui aſſiſtebãt illuſtribus, cum multa honeſtate ſuſcepti ſunt. Tandem poſt multa conſilia, & cum illis tribus communiter, & cum eorum quolibet ſeorſum habita, idipſum quod ab alijs obtinuerat, blandis perſuaſionibus, & multa pollicitatione ab eis inſtanter poſtulat. Hi uerò aliorum præ oculis habentes exemplum (nam ſufficienter de omnibus, antequam ad Imperatorem accederent, inſtructi fuerãt, dicentes apud ſe, nec enim maiores ſumus quàm patres noſtri) exactam fidelitatem, & ſecundum formam iuramentorum à præcedẽtibus exhibitorum ſacramenta præſtantes, Imperatori ſe obligauerunt. Vnde in ampliorem recepti gratiam digni habiti ſunt, ut maiora munera reportarent. Apertis ergò ærarijs in auro, ueſtibus precioſis, uaſis quoque tam materia quàm artificio admiratione dignis, holoſericis quoq; miræ & inauditæ exiſtimationis dona ſuſceperunt, qualia prius nòn uiderant, ut quæ ipſis, & in quos transferebatur liberalitas, ſtuporem mentis inferrent, noſtrarum rerum modum & dignitatem excedentia. Tantis igitur muneribus cumulati, ne uiæ conſortibus moræ cauſas uiderentur innectere, ſumpta ab Imperatore licentia, tranſmiſſo Helleſponto, cum ſuis legionibus iter accelerantes, ubi uniuerſus Chriſtianorum reſidebat exercitus, peruenerunt. A' principibus qui præceſſerant, multo charitatis amplexu, & omnium concurrente ſuſcepti deſiderio, locũ ſibi deputatum obtinentes caſtrametati ſunt.

LIBER TERTIVS.

Descriptio urbis Nicea, & eius prærogatiua, quod Solimannus qui in ea dominabatur, ex uniuerso Oriente Turcorum ingentes contra nostros collegerat copias, latens in insidijs, ut in nostros irrueret. Caput I.



Est autem Nicea una de urbibus Bithyniæ, quæ ad Nicomediam eiusdem regionis metropolim, more suffraganearũ urbium prius habuit respectũ: postea uerò à domino Constantino Augusto seniore à iurisdictione illius emancipata est, ob reuerentiam sanctæ synodi primæ quæ in ea conuenit. In hac enim temporibus domini Syluestri papę, & uiri uenerabilis Alexandri Constantinopolitani patriarchę, et prędicti Constantini Augusti sancta synodus CCCXVIII patrum aduersus impietates Arrij, & sequentium suorum congregata est, quæ eorum pernicioso languore damnato, & sanctorũ testimonijs ueritate declarata, uniuersæ ecclesiæ Dei, fidei formã intemeratã prębuit. In hac eadem postmodũ tempore dñi Constantini Augusti pijssimi Hyrenę filij, iterum cõuenit septima synodus generalis aduersus Iconomachos, id est impugnatores imaginum, sub domino Adriano Romano pontifice, & uiro uenerabili Tharasio Constantinopolitano patriarcha: in qua prædicti hæretici dignam pro meritis ab Orthodoxa ecclesia, cõtra suam perfidiã, damnationis tulerunt sententiam. Est autem ciuitas situm habens cõmodissimũ, in planicie constituta, nõ longè tamen à montibus, quos bene ex omni parte habet in circuitu. agrum optimum, glebam uberem, syluarumq; & nemorũ nihilominus multas habens commoditates. Sed & lacus multæ latitudinis & longitudinis, maximè iuxta prædictam urbem positus, in occidentalẽ porrigitur plagam, per quem nauigio ex diuersis partibus, ciuitati maximũ pręstans munimen, ipsis mœnibus, uentis intumescens, illiditur. Ex reliquis autẽ partibus circa murum, uallum erat in circuitu, ex influxione fontium & riuulorum restagnans: ita quod plurimum, accedere uolentibus ad urbem impugnandi causa, ministrare poterat impedimentũ. Erat autẽ præterea bellicoso referta populo, muris & turribus sublimib. & ualde dẽsis, opere solido compactis, insignis admodum & munita: ita ut accedentes nostri, & urbis mirarentur munimen, & operis soliditatem. Huius urbis, sicut & regionis totius, & adiacentium simul prouinciarum, dominus erat quidam Turcorũ potentissimus satrapa, Solimannus nomine, cognomento Sar, quod Persarũ lingua rex interpretatur, homo uafer & strennuus. Qui audito nostrorum aduentu, & super hoc ualde sollicitus, multo ante nostrorum aduentum descenderat, ab illarum regionum principibus, contra fidelium aduenientes copias imploraturus auxilium. Effeceratq; persuasionibus, & multa instãtia precũ, necnõ & stipendiorũ interuentu, quod infinitas tum ex Perside, tum ex adiacentibus prouincijs secum deduxerat Turcorum copias, sperans quod eorũ fretus auxilio, ab imminentibus periculis urbẽ prędictam & regionẽ uniuersam posset eripere. Has tamen uniuersas prouincias (quæ à prædicto Hellesponto usque in Syriam itinere dierum XXX. & à nostro mari mediterraneo usq; in Septentrionem totidem dierum itinere protenduntur) modico

antè tempore prædicti Solimanni patruus, Belphetoch nomine, maximus Persarũ Soldanus tempore Romani (qui cognominatus est Diogenes) Imperatoris Constantinopolitani, qui ante hunc Alexium fuerat tertius, occupauerat uiolẽter, & easdẽ prędicto ex *plurima tradiderat Solimanno. Possidebat ergo, & iure proprietatis uendicabat sibi uniuersas prouincias à Tarso Ciliciæ usqꝫ ad Hellespontum, ita ut è conspectu Constantinopolitanæ ciuitatis procuratores suos haberet, qui consuetudines à transeuntibus exigerent, tributa & uectigalia regionis uniuersæ ad utilitatẽ domini sui colligentes. Ipse autem cum ea (quam tanto labore collegerat) multitudine, in montibus uicinis, uix à nostro exercitu decem distans miliaribus, opportunitatẽ quærebat, quomodo super nostros cum suorum salute posset irruere, & urbem ab eorum inquietudine liberare.

Nostri urbem acrius impugnant: ciues tamen per lacum liberum habent discursum. Solimannus consolatoriam ciuibus mittit epistolam. Caput II.

PEruenientes igitur ante prædictam urbem nostri exercitus, acrius eam impugnare (confusis tamen agminibus, nec dum castris certo ordine dispositis) ceperunt. Tamen qui præsentes erant, loca sibi certa deputantes, & his qui uenturi erant, congrua designantes, ad id specialiter omnimodam dabant operam, ut ciuibus introitum negarent & exitum. Lacus tamen, qui ciuitati (ut prædiximus) erat coniunctus, huic eorum nimis obstabat proposito. Nam & inuecti, & regrediẽtes peractis nauigijs pro libero arbitrio ad partes uarias indemnes ferebantur. Nostri aũt cum nauium prorsus nullam haberẽt copiam, eorum discursus minimè poterãt impedire. Tamen omnimodis procurabant, ne terrestri ad eos accederetur itinere, uias & introitus cum omni sollicitudine obseruantes. Factum est autem quod prædictus Solimannus intelligens urbem suam obsidione molestari, ut ciues consolaretur, & ad resistendũ plenius animaret, mittens duos de familiaribus (qui ad urbẽ per lacum nauigio descenderent) uerba consolatoria per eosdem ciuibus dirigit in hunc modum: Aduentũ huius infelicis & barbari populi, qui circa urbem nostram obsidionem locare præsumpsit, non est opus ut multum formidetis. Nos enim cum ingenti fortium & nobilium uirorum comitatu in uicino sumus constituti, maiores quæ nos adhuc subsequuntur, expectantes copias: eritqꝫ in proximo, ut collectis interim uiribus, in eorũ castra repentè irruamus. Vnde uos quoqꝫ estote parati, ut nobis exterius irruentibus, uos etiam reseratis aditibus egredientes instetis unanimiter, nobis opẽ collaturi. Sed neqꝫ eorum suspectum oportet habere multitudinẽ: de remotis ẽm partibus, & à Solis occasu descendentes, longi diuturnitate itineris, & laborum impendio fatigati: neqꝫ equos habent, qui belli pondus sustinere ualeant, nec ipsi nobis (qui recentes uenimus uiribus & conatu) pares poterunt reperiri. Et uos ipsi tenetis memoriter, quod facilè de ingenti eorũ triumphauerimus multitudine, una die plus qꝫ quinquaginta ex eis milia exterminio mandantes. Confortamini igitur, & nolite timere: cras enim ante horam diei septimam plenã, recipietis consolationem, ab hostibus expediti.

Capitur epistolę baiulus, & uniuersa principibus hostium referat secreta. Comes Tolosanus (qui solus aberat) uelox accedit, à principibus reliquis citatus. Caput III.

IGitur qui missi fuerant, quęrentes unde commodius enauigare possent, secus ripam applicuerunt. Dumq́ꝫ lustrantes quærunt aptiorem introitum, alter à nostris in eos irruẽtibus subitò captus est: alter in tumultu gladio confossus interijt. Qui uerò captus est, incolumis ante principes deductus, minis & terroribus ad confessionem perductus est, ut planè edisserat, cuius gratia, & à quo missus aduenisset. Constitit autẽ eius relatione, quod Solimannus eos ad denunciandum ciuibus eius aduentum direxerat, quodq́ꝫ in uicino constitutus, ingentes conuocauerat copias, die altera in castra nostra clàm irruiturus. Compertum igitur habẽtes nostrarum legionum capitanei, quod prædictus Solimannus maturaret accedere, prædictum hominem præcipiunt custodiæ mancipari: & missis cursoribus, dominum comitem Tolosanum, & episcopum Podiensem (qui nondum ad eos peruenerant) quanto cyus monent properare. Illi uerò suscepta fratrum legatione, sollicitudine nõ pigri, omnem arguentes moram, & tota nocte insistentes, itineri ualdè manè ante solis ortum, cum ingenti multitudine erectis uexillis, in armorũ fulgore & maximo strepitu castris se intulerunt. Vixq́ꝫ sarcinas deposuerant, ut cum alijs in loco sibi deputato se collocarent: cum ecce circa horam tertiam (sicut ille qui in uinculis detinebat, prædixerat) Solimannus cum ingẽtibus equitũ copijs (qui ad quinquaginta milia æstimabant) de montibus descendens, ad planiciem se contulerat, ad urbẽ accessurus. Quod nostri uidentes, protinus ad arma conuolant, monentibus lituis, & clangore cornicinũ cohortes excitant, instruunt agmina, instaurant acies: & obseruata rei militaris plenius disciplina (cuius experientiam habebãt omnimodam, & usum familiarem) nihil de contingentibus omittentes, ad occurrendum hostib. se accingunt.

Solimannus de montibus descendens, in castra uiolentus irruit: sternitur eius exercitus: signa uictoriæ ad Imperatorem diriguntur: ille principes remunerat. Caput IIII.

SOlimannus igitur præmissa quadam acie, in qua erant decem milia, ad portam properabat meridianã, quæ domino comiti Tolosano ad custodiam erat deputata. Ignarus enim de aduentu eiusdem comitis, sicut heri & nudiustertius eam arbitrabatur posse reperire uacantẽ: sed opinione frustratus, ibi penè maiores quàm alibi reperit copias. Horũ tamen ignarus omniũ ad locum prædictum festinans, cum multo impetu in domini comitis irruit legiones, quæ adhuc uix sarcinas deposuerant. A quibus exceptus mirabiliter, confractis conatibus, & priore penitus acie dissoluta, iam in fugam uersi erant: cum ecce Solimannus cum maioribus subsequẽs copijs, eorum refundens animos, qui iam erant dissoluti, secum iterum in nostros redire compulit. At uerò Dux, dominusq́ꝫ Boamundus, & comes Flandrẽsis, cum suis expeditionibus ad unguem armati, uidẽtes hostium maiores aduenisse cuneos, & turmas densiores, præq́ꝫ graui multitudine & animosa instantia comitis exercitum supra uires fatigari, irruunt unanimiter, & hostium se inferunt legionibus, gladijs & lanceis cominus instantes. Cumq́ꝫ hostes quasi per unius horæ spacium resistendi uires & animum uiderentur habuisse, interfectis ex eis quasi ad quatuor millia & captiuatis nonnullis, in fugam

uersi

uersi sunt. Nostri uerò hac prima uictoria (opitulante Domino) potiti, obsidionem continuant, per gyrum sine interuallo dispositi. Ab ea ergo die neque prædictus Solimannus, neque infidelium principum aliquis, simile aliquid ausus fuit tentare, quamdiu in obsidione perstiterunt. Optimè porrò in eo cõflictu se habuerũt prędicti principes: sed dñs Tancredus, Galterus quoque de Garlanda, Francorum regis dapifer, Guido etiam de Possessa, & Rogerius de Harnauilla, celebrem sibi in eo negotio compararuerunt famam. Nostri igitur ad incutiendum terrorem hostibus, de capitibus occisorum intra urbem plurima inĳci machinis iaculatorĳs pręceperunt: & ex eis mille, & de captiuis aliquot ad Imperatorem dirigentes, plurimam per hoc eius sibi gratiam compararunt. Vnde & pecuniam non modicam, & holosericorum diuersa genera ad remunerãdos exercituum principes, multa cum liberalitate direxit, præcipiens, ut uictui necessaria cum omni plenitudine, & sine dilatione ad eos deferretur commercium.

Locantur principes deputatis sibi stationibus, & urbs undique obsessa impugnatur: quidam nobiles procumbunt inane. Caput V.

QVadam iterum die dum omnes in circuitu principes suas certatim ad murum applicarent machinas, & modis quibuscunque poterant muros debilitare, & sibi parare introitum niterenť, ocium & desides ferias (strenuorum more) declinantes, comes Hermannus, & Henricus de Ascha, de regno Teutonicorum uiri nobiles & inclyti, instrumentum quoddam artificiosè satis compositum, familiarium & suorum domesticorum conatu & uirtute multa mœnibus applicant. Erat autem machina quercinis trabibus cõtexta, in cuius ambitu robustos intexuerãt parietes, ita ut introducti equites uiginti, uiribus robustissimi, ab omni telorũ immissione et iactu, & maximorum molarium, qui intromissi erant ad fodiendũ murum, uiderẽtur consistere posse securi. Quæ tandem machina (ut prædiximus) muris applicata, instantibus desuper ad muri defensionem ciuibus, magno impulsu lapidum ita contrita est, ut solutis compagibus, eos qui infra se erãt comprimeret uniuersos. Condoluit itaque prędictis nobilibus (eo quòd inutiliter, nõ sine sumptu, consumpta esset multorum dierum opera) populus uniuersus: cõdoluit & uiris fortibus, qui casu tam miserabili occubuerant. Spe tamen potiundæ uictoriæ se inuicem consolabantur, eoque maximè, quòd uitam meliorem nõ diffiderẽt esse consecuturos eos, qui in huiusmodi negotio animas pro Christo ponerent. Instar enim martyrĳ nõ immeritò reputabant, in agone huiusmodi uitam amisisse. Vnde morte contempta, uitã pro nihilo ducentes, quibuslibet periculis se obĳciebant cõfidẽtius, ea spe facti animosiores. Instabãt igitur principes ad urbis expugnationẽ per circuitũ unanimiter, & ut quisque in parte sibi deputata sollicitũ se exhiberet, & obsessos molestaret amplius, gloriosum reputabat: feruebat opus impendiò, & assiduis congressionib. & pugna penè continua, requies ciuib. negabať. Lacus tamen ciuitati adiacẽs, nostrorũ maximè præpediebat operã & studiũ, & contrà optatã detinebat efficaciam, ciuibus omnimodam præbens consolationẽ. Nam per eum nauigantes, uictus & alimentorũ inferebant copias: nonnunquã uidentibus nostris, & contradicere non ualentibus, multitudinem introducebant.

Nostri

Nostri naues à mari deferunt, in plaustris lacum occupant: ciues nostrorum admirantur augmentum, & desperant. Caput VI.

COnuenientes igitur Deo amabiles principes, super eo specialiter deliberant articulo, qua ratione huic malo cõmodius possint occurrere: & tandem placuit in cõmuni, ut missa populi parte maxima, & equitum cum eis aliquot legionibus ad mare, naues inde siue integras, siue per partes dissolutas, super currus & uehicula, uel alio quoquo artificij genere usq; ad lacũ pertrahant: alioquin futurum, ut euacuatis eorũ conatibus, consumptis studijs inutiliter & impensis, res in irritum deducatur. Porrò peruenientes ad mare, quibus id muneris erat iniunctum, uias eorum & propositũ Domino misericorditer dirigente, naues reperiunt modicæ quantitatis cuiusdã. Quas à domino Imperatore facilius impetratas educentes de mari, sicco locauerũt in littore. Copulatisq; adinuicem tribus aut quatuor plaustris, prout nauiũ longitudo deposcebat, eisq; desuper impositis, unius noctis spacio per miliaria septem uel amplius, funibus, humeris & ceruicibus hominum impositis, usque ad prædictum pertraxerunt locum. Erant autem inter eas quædam non ita modicæ, sed quæ centum aut quinquaginta pugnatorum numerum possent recipere. Receptis igitur nauibus, & in lacum depositis, lætatus est supra modum Christianus exercitus: & concurrentibus uiris ad lacũ primoribus, remiges inducunt, nauigandi habentes peritiam, & simul cum eis uiros in armis strenuos, & animositate cõmendabiles, spẽ habentes omnino certam, quod autore Domino urbem essent in proximo habituri. At uerò ciues solito plura in lacu uidentes nauigia, admirati sunt, hęrentes an suorum esset apparatus, qui eis subsidia ministrare curaret, an hostium. Tandemq; cognito, quod nostris multis laboribus à mari deductas, & terrestri itinere, eas in lacum immisissent, nostrorum admirati sunt & uires & augmentũ, quod rem desperatam, & penè impossibilẽ effectui mancipassent.

Iterum ex omni parte ciuitas oppugnatur. Comes Tolosanus contra se positam turrim machinis & omni arte debilitare nititur: sed resistentibus ciuibus opera consumitur. Caput VII.

PRæoccupato itaq;, classe immissa, ciuium per lacum discursu, decretum est publicè, & uoce indictum præconia, quatenus legiones singulę, sicut sub certis principibus erant constitutæ, ad impugnandam urbem denuò uiriliter armarentur, & maiore solito instantia, quantas possent ciuibus inferrent molestias. Sicq; singuli principes suos animantes exercitus, & armatos ad congressum dirigentes, factus est assultus longè solito asperior. Machinis quoq; instantes animosius, alij murum suffodere, alij magnos contorquere molares ad debilitanda mœnia satagebant. Erat autẽ in parte Australi (quæ domino comiti Tolosano ad impugnandum erat deputata) turris quædã, sublimitate simul & grossitie cæteris nobilior (iuxta quam prædicti Solimanni uxor dicebatur habere domicilium) ad hãc deijciendã Comes omne studium iam per dies aliquot impenderat, sed inutiliter. Nam cum duabus machinis iaculatorijs eam continuis iactibus flagrasset instantius, prę operis soliditate lapidem etiam unum ex ea dissoluere non poterat. Vnde ne ab incepto quasi uictus desisteret, instantiam geminans, tormenta etiam multiplicat, & contortis saxorum maiorum molibus, & miræ soliditatis cautibus im

missis, rimas cœpit agere, & in puluerem ictibus fatigata resolui. Quod uidens exercitus, adunata manu se inuicem cohortantes uallum exuperant, & ad murum accedentes, prędictam turrim deijcere, aut saltem perforare nituntur. Ciues autem compertum habentes, quod prædicta turris ruinam minaretur, eam interius lapidibus & cemento repleuerunt, ut si fortè murus aut suffossus, aut tormentis debilitatus corrueret, opus nouum pro uetusto succederet, & penetrare uolentibus præstaret impedimentũ. Nostri tamen sub testudine latentes solidissima (quam uiolenter secus murum appulerant) murum suffodere nitebantur. Tandemq́ effectum est, ut foramen quo duo armati uiri possent facilius introire, ferreis instrumentis & multo labore conficerent. Ciues autem è conuerso importunè insistentes, omnino resistere (argumenta argumentis, & uires uiribus non inferiore spiritu obiectare) unanimiter parari, arcubus & balistis, & omni armorũ genere, lapidum quoq́ contorsione pugillarium, hostes à se repellere, & illatas propulsare nitebantur iniurias.

Factum ducis Godefridi memorabile. Ciues machinis nostris ignem immittunt, & adipem: casus cuiusdam uiri nobilis lamentabilis. Caput VIII.

ERat autem inter eos qui murũ ab impugnantibus tuebantur, quidã cæteris improbior, corpore quoque & uiribus notabilior, qui arcu in nostros multam operabatur stragẽ. Insuper etiam & de secessu (quo diu nimis usus fuerat) intumescens, nostros probris afficiebat & contumelijs, desides eos uocans, & timiditatis obijciens titulum. Erat autem hic in ea parte ita importunè desęuiens, quę domino Duci & suis cohortibus ad impugnandum erat deputata: quod uir illustris nõ perferens dominus Godefridus, sumpta balista locum quærens opportunum, manus contra prædictũ grassatorem dirigit, & telo per uitalia directo, confossum & exanimẽ ad terram deijcit: iustam pro his omnibus quæ nostris intulerat opprobrijs rependens uicissitudinẽm. quo facto, cæteros eiusdẽ operis consortes (qui in ea parte illius exemplo animati resistebant animosius) maximè deterruit, ita ut minus minusq́ & missilia contorquerent, & iacularentur conuicia. Alij tamen qui in cæteris partibus pro urbis defensione desudabant attentius, facti huius ignari, nihilominus de turribus & muris tota se tuentes diligentia, in nostros & cædem & uulnera totis uiribus procurabant exercere: picẽ quoq́, & oleum, & aruinam, & cætera quæ incendijs solent fomitem ministrare, & accensas faces in nostras machinas dirigentes, eas ex parte plurima (ubi non obseruabantur diligentius) consumebãt. Quibus aut in parte Australi ad expugnandam prædictam turrim erat labor sedulus, curam ad idipsum continuabant & studium: sed uidentes quicquid hesterna die in muro suffoderant, tota nocte secuta repararent, cœperunt fieri remissiores, uidentes quod non proficerent. dumq́ penè desisterẽt ab incepto, ecce quidã ualdè strenuus & nobilis eques de exercitu comitis Normannorũ, sui exemplo uolens alios animare, lorica indutus & galea, & opertus clypeo, uallum transiliens, ad murũ accessit imperterritus, nouam lapidum structuram (quam eadem nocte ciues opposuerant) uolens conuellere, & foramen quod hesterna die factũ fuerat rursus aperire: sed instantibus desuper cum omni importunitate ciuibus, nec ali

orum

orum quisquã ut opem ferret ausus fuit accedere) nec ille potuit cõsummare propositum. magnis enim lapidum molibus ibi secus murum contritus, cernentibus nostris, nec subuenire uolentibus, interijt. Cuius corpus exanime, uncis ad se ferreis subleuantes, infra mœnia suis expositũ ludibrijs. deiecerũt tandemq́ꝫ lorica nudatum & galea, ad nostros reiecerunt extra mœnia: quo debitis exequijs sepulturæ tradito, fleuit super eum populus, eius plurimum commendans animositatem, & mortem eius in conspectu Domini reputans preciosam, per quam eius animam electis spiritibus nõ dubitabãt sociandã: omnibus enim (ut prædiximus) una mens erat, & eadẽ sententia, eos qui sic in acie procumbebant, uitam mereri perpetuam, & in parte sortis sanctorũ, & prædestinato collocari in lumine.

Quidam principib. desperantibus, se offert artifex machinam construit, turrim suffodit, suffossam diruit. Caput IX.

INterea de more, quem sibi fecerant adinuicem, conuenientes nostrarũ legionum Deo deuoti principes, compertum habentes quod nõ proficerẽt, sed magis inutiliter operam consumerent & studiũ, apud se quærunt diligentius, deliberatione proposita, quo in tanta necessitate opus sit cõsilio: dumq́ꝫ circa id insisterent plurimum, & anxietates sustinentes, ecce quidam Longobardus natione, accedens ad principes, uidens quod omnium artificum eluderentur argumenta, & labor sine fructu deperiret, huius artis professus est se habere peritiã: asserens, quod si ei sumptus de publico ad operis consummationem sufficientes, & necessaria ministrarentur, ipse autore Domino infra paucos dies turrim prædictam, sine damno nostrorum ad terram deijceret, & latè patentem introitum omnibus ingredi uolentibus, ministraret: sumptibus igitur de publico ministratis ad omnem sufficientiam, & salario insuper condigno pro eius laboris recompensatione assignato, subiecta pro uotis materia, machinã miro construit artificio: ita ut qui intus erant, nolentibus hostibus sine suo periculo secus murum eam possent applicare, & interius latentes, murum suffodere non timerent. quod ipso rerum experimento plenius edocuit ad euidentiã. Nam composito & armato undiq́ꝫ pro sua uoluntate instrumento, ad suffodiendum murum necessarijs instructus, sub eadem secũ colligit machina, quam etiam cum suis opificibus probè nimis, & argumentosè plurimum, trans uallum mœnibus applicat: ciues autẽ instantes solita proteruia, immissis magnis molaribus, & igne desuper iniecto, quę omnia (propter culminis arduitatẽ, & latera deuexa, quę inhęrere nõ poterãt) ut damnum subiectis irrogarent, de consueto auxilio cœperunt diffidere: & instrumenti, quod nullatenus lædere poterant, robur admirãtur, & artificis argumentum. Qui autem sub ea latebãt testudine, securi penitus ab hostium insidijs ad infringendum murum, & turrim subuertendam totis instant uiribus, & conuulsorũ loco lapidum stipites supponũt, & ligneam materiã. ne parte muri inferiore suffossa, subitò corruat: pars superior & machinã comprimat, quæ tantæ pondus magnitudinis, & immensitatẽ ruinæ nullatenus ferre poterat. Facta igitur tanta suffossione, quę ad turris deiectionẽ sufficere posse uidebatur, & sustentaculis qui murum casurum sustentabant igne supposito, et nutriendis ignib. apta subiecta materia, machinã relinquũt, ad suos

cum omni celeritate se cõferẽtes. Factumq́ꝫ est, ut circa noctis mediũ omniũ fulcimentorum consumpta materia, & ignibus edacibus in cineres redacta, turris cum tanto fragore ceciderit, ut etiam remotos quodã horrore concuteret, & terræmotus instar corda conturbans ingereret formidinẽ: ad quem sonitum excitæ legiones, ad arma conuolant, animos induunt, tanq́ꝫ urbem uiolenter ingressuræ.

Vxor Solimanni cum duobus filijs fugiens capitur. Desperant ciues: cum Tanino græco de sua deditione tractant: mittuntur ad Imperatorem nuncij. Caput X.

SOlimanni uerò uxor, quę hactenus urbis obsessę molestias multo labore pertulerat, turris casu, more feminę perterrita, paratis nauibus urbẽ clàm egressa, ad loca tutiora se cum ancillis & familiarib. transferre proposuerat: sed nostri qui per lacum in nauigijs erant, ad cohibendos introitus exitusq́ꝫ ciuium deputati, dum studiosius more prudentum cuncta perlustrant, abeuntem reperiunt, repertam capiunt, & captam cum duobus filijs tenellis admodum, principibus repręsentant, qui sub arcta custodia cum alijs concaptiuis eam præcipiunt diligentius conseruari. Ciues autẽ de aditu hostibus patefacto, & de captiuitate tantæ feminę, mente plurimum consternati, prorsus de uiribus diffidentes, missa legatione, à principibus inducias postulant, de sua deditione cum eis tractaturi. Taninus aũt, de quo superius fecimus mentionem, sicui uir erat uersutissimus, pręsentiens populi à sui tuitione deficientis uoluntatem, maiores conuenerat, monens ut in sui deditione dominũ Imperatorẽ honorarẽt: proponẽs, quod hic peregrinorũ exercitus (qui pręsens erat) ad alia properabat negotia, nec ex principali proposito, sed incidenter, & quasi prætereundo in eam descendissent obsidionem. Dñm autem Imperatorem circa se positum haberent perpetuò: de cuius commendabili plurimum possent clementia præsumere, & semper expectare meliora. Optimum ergo erat, ut in eo facto Imperatorem, hominibus ignotis & genti barbaræ præponerent, ita in eius manu fieret deditio, quam declinare non poterant, & per eos urbem reciperet Imperator, cuius non multis retro temporibus per Turcorum uiolentiam imperium iniustè amiserat. His et huiusmodi persuasus ciuium conuentus, in manu Imperatoris eligunt urbem, personas quoq́ꝫ suas & omnem substãtiam salua incolumitate resignare: nec tamen id molestum nostris fuit principibus, quippe cum ad alia tota eorum properabat intentio, nec his inhęrere eorum esset propositum: sperãtes tamen, quod iuxta pactorum tenorem salua essent exercitui in solatiũ laboris & damnorũ quæ pertulerant, spolia ciuitatis: captiuos tamen de fratrib. quos tum sæpe dictus Solimannus cũm de exercitu Petri heremitæ, & apud castrum Ciuitot, tũ etiã quos ciues in obsidione ceperãt, libertati restitutos, noster recepit exercitus uniuersos, antequam de eorum deditione uellent tractare sermone, & eorum in hac parte uotis satisfacere. Factum est igiť, quod de principũ conuenientia & populi consensu missi sunt ad Imperatorem nuncij dicẽtes: Principes & Christianus exercitus qui apud urbẽ Niceam, in eius obsidione pro Christi nominis amore fideliter laborauerunt, eam autore Domino, multa solicitudine & urgente instantia compulerunt ad deditionem. Vnde nos ad tuam dirigentes serenitatẽ, monemus & exhortamur attentius, quatenus ad

partes

partes illas de tuis principibus cũ sufficientibus expeditionibus aliquos mittere non moreris, qui & urbem traditam ad honorem tui nominis conseruare ualeant, & captiuorum multitudinem hinc transferre sint idonei. Nos enim urbe uestræ celsitudini resignata, iter quod semel assumpsimus, autore Domino, prosequi non differemus.

Imperator missis nuncijs urbem recipit: principibus gratias agens, munera mittit. Indignatur populus: pacta confracta queritur: captiuos Constantinopolim ductos, Imperator remittit ad propria, muneribus honoratos. Caput XI.

HIs auditis letabundus imperator & gaudens, quosdam de familiaribus suis, de quorum fide præsumebat & industria, cum ingentibus copijs, ad partes illas dirigit, qui & urbem suscipiant, & cõmuniant susceptã, omnẽ captiuorum substantiam, tam in auro & argento, quàm in quolibet supellectilis genere sibi uendicantes: singulisq; principibus dona mittens ingentia, eorumq; literis & uiua uoce captans beneuolẽtiam, grates pro tam honesto seruitio, tantoq; imperij (quod per eos accesserat) incremento, refert ingẽtes. Verùm populus & secundæ manus homines, qui ad hoc in prædictę urbis obsidione studiosius desudauerant, ut de spolijs captiuorum ciuium, & de substantia multiplici infra urbem reperta, rerum suarum dispendia quę pertulerant, resarcire possent, uidentes, quod nõ satis æqua mercede eorum remuneraret labores, quodq; publicandum erat ex pacto, rebus familiaribus & fisco inferre suo proponeret, ægrè nimis tulerunt, ita ut pœniteret eos impensi laboris & sumptuum, quos (ut eis uidebatur) inutiliter attriuerãt. Sed & principes eundem Imperatorem, circa pactorum tenorem malitiosè uersatum constanter asserebant: nam in pactorum serie quæ inter eos inita fuerant, hæc formula dicebatur interserta: Quod si aliquam de urbibus, quæ eius imperij fuerant, tota illa eorum profectione, usq; in Syriam (præuia Domini misericordia) capi contingeret, urbe cum adiacentibus pertinentijs Imperatori restituta, præda, manubiæ, & uniuersa substantia, exercitibus, in laboris remunerationem & refusionem impensarum omnino cederet sine contradictione. Et licet nostris facilè & in expedito esset, Imperatoris familiã longè ab urbe repellere, & ad dominum suum remittere uacuos, idq; iurè fecisse uiderenẽ (nam iniquũ est, ei fidem seruare, qui contra pacta nititur uersari) tamen timorẽ Dei habentes prę oculis, & ad maiora festinãtes, uerbũ de communi prouidentia dissimulant: populumq; id molestè ferentẽ, honestis comprimunt persuasionibus, ut expediti proposito ualeãt satisfacere. Gręci uerò qui ad hoc missi fuerant, urbem ingredientes, susceptis armis ciuiũ, & deditione completa, exeuntes ad castra, & statuti corã principibus, pro uita ciuiũ & incolumitate supplicant, dicentes eos dño Imperatori urbẽ restituisse, & suos iugo illius & potestati ceruices mancipasse. Sic ergo urbe capta, & copijs quę sufficere uidebanẽ ad urbis tuitionẽ deputatis, Solimanni uxor cum duobus filijs (de quibus prędiximus) & captiuorũ ingenti multitudine Constantinopolim translata est: ubi ab Imperatore nõ solum clementer, uerumetiam liberaliter nimis tractati, infra paucos dies libertati pristinæ sunt restituti. Id autẽ ea fecisse dicitur intentione, ut & Turcorũ sibi reconciliaret gratiam, & in nostram propensiores suis beneficijs excitaret iniuriam: & alios si quando casu quolibet urbem contingeret obsideri, à deditione simili nõ de-

terreret. Capta est autē urbs Nicea anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo septimo, mense Iunio, decima die mensis.

Soluta obsidione iter arripuit exercitus. Diuiduntur ab inuicem principes. Solimannus cum innumeris copijs iterum occurrit. Caput XII.

SOluta igitur obsidione de mandato principum, iterum ad proficiscendū inuitaē exercitus, & compositis sarcinis, tertio calend. Iulij iter arripiunt. Cumq; per biduū iunctis legionibus incessissent, casu nocte illa secus quendam pontem, aquarum cōmoditatem secuti, castrametati sunt: unde summo diluculo ante lucis exortū, dum adhuc essent tenebrae, rursus ad iter se accingentes, transito ponte, siue casu, siue ex industria, diuisi sunt principes ab inuicem cum suis expeditionibus. Dominus cū Boamundus, & Normannorū comes, & Stephanus comes Blesensiū, Tancredus etiā, & Hugo comes de sancto Paulo, leuam secuti, seorsum illa die profecti, in ualle peruenerunt cui nomen Gorgoni: ibiq; secus ripā fluuij decurrētis, pascuorū habentes cōmoditatē & graminis, circa horā nonā castra locauerūt. ubi & noctē illā soliciti, tamen locatis in gyrū excubijs quidam transegerunt: reliqui uerò omnes dextram tenētes, illā compleuerunt dietā: & iuxta prędictorū castris duobus distantes miliaribus, in locis itidē pascuis, & aquarū habentib. cōmoditatē, castra posuerant. Solimannus uerò illatae memor iniurię, & ad animū reuocās sine intermissione, quomodo per illos urbem egregiam, uxorē & filios amisisset, ad id totis uiribus anhelabat, ut eis uicē rependeret: et aliquas si posset, eis praestrueret insidias. Conuocatis itaq; ingentib. denuò militū copijs, nostrorū à leua ęquis penè passibus subsequebaē exercitū, in quo etiā exploratores habens, qui de statu proficiscentiū, cum indesinenter redderent certiorē, pręstolabaē assiduè, quomodo sumpta occasione opportuna in eos posset irruere. Cognito aūt per eosdē quod diuisus esset exercitus, itē pars altera quę uirib. & numero minor uidebaē, sibi erat uicinior, horā ratus inuenisse competentem, descendit de montibus cum illo suorum infinito comitatu. uixq; aurora Solis subsequentis nunciabat aduentū, & noctis umbra densior luce propinqua dissolui cœperat, cum ecce qui in speculis erant constituti, ut hostium si qui essent de remoto praesentirent insidias, exercitū admonerēt, uisis hostibus, lituis concinunt, & cursu rapti uelocissimo, hostes adesse denunciant. Igitur cornicinū clamore & uoce praeconia excitae legiones uniuersae, ad arma conuolant, equos praeparant, tanq; pręlium cominus habituri. Erat autem mane, in ipsa die calend. Iuliarū. Disposita igitur uniuersa populi multitudine per acies, & prępositis singulis cohortibus quinquagenarijs & centurionibus, & per alas pedestrium turmarū primicerijs constitutis, sarcinas, impedimenta, omnemq; senum, mulierū ac debilium inualidā multitudinē, quo expeditiores ad pugnam possint procedere, secus arundinetū in uicino positum, curribus & uehiculis eos praetexentes, collocant quasi in tuto. Missisq; nuncijs ad reliquas partes exercitus, à quibus temerè diuisi fuerant, monent & hortanē attētius, ut accelerare uelint, significātes in quantis angustijs positi sint. Postq; uerò iuxta rei militaris disciplinā in castris dñi Boamundi omnia uidebanē secundū ordinem disposita, ecce circa horam diei secundam adest Solimannus, infinita secum Turcorū trahens agmina: quodq; nostris erat mirabilius, in tantorum multitudine, quae ducentorum milium dicebaē excedere

excedere

excedere numerũ, nec unus nisi eques poterat reperiri. Nostri autem, ut prædiximus, promiscuè utriusq; ordinis secum habebant legiones.

Pugna committitur. Cadit Vuilhelmus Tancredi frater. & totus Boamundi in arcto nimis constituitur exercitus, Tancredus penè capitur. Caput XIIII.

ACcedente itaq; Turcorũ exercitu, tantus factus est in castris tumultus, quod uix alicuius sermo poterat exaudiri. Fragor enĩ armorũ & equorum strepitus, tubarũ classica, et tympanorũ sonus horribilis, ipsorũ etiã certantium tum clamantium ululatus usq; ad sidera tolli uidebaẽ, ita ut plurimũ inassuetis & minus circa huiusmodi exercitatis legionibus, terrorẽ incuteret uehementẽ. Irruẽtes igiẽ in nostrum exercitum Turcorũ acies, tantã immiserunt sagittarum multitudinẽ, ut instar grandinis aërem occuparent, & in nostrorum legionib. uix uacuus à uulnere aliquis inueniretẽ: uixq; prior nubes descenderat cum arcubus, sequens emissa nõ rarior, si quid prior intactũ dimiserat, secunda illæsum nõ prẽterijt. Nostri autẽ, quibus id genus pugnę ceu incognitũ, eoq; minus tolerabile, quo et minus usu compertũ, uidẽtes quod equi eorum sine remedio deficerent, ipsiq; subitorũ uulnerum, & quod non multum prẽcauere poterant, confixionibus interirent, gladijs et lancearũ acumine in hostes irruendo, eos à se propellere satagebãt. Illi autẽ irruentiũ pondus ferre nõ ualentes, studiosè diuidebanẽ ab inuicẽ, ut eorum impetus eluderent, & neminẽ sibi obuiam habentes ad suos redirẽt, concepta spe delusi. Quibus ad suos infecto negotio redeuntib. Turci denuò relegabantur ad inuicem, & immissa iterũ in modum imbrium sagittarũ multitudine, neminẽ absq; letali uulnere prẽteribant. resistebãt tamen nostri quantũ poterant loricis, cassidibus protecti & clypeis: sed equi eorum & inermis populus passim prosternebaẽ, & sine delectu. Ceciderunt in eo cõflictu uiri ex utroq; ordine memorabiles, ad duo penè milia: inter quos egregię indolis adolescẽs Vuilelmus Marchionis filius, dñi Tancredi frater, dum prorsus in agõe desudat uiriliter, sagitta confossus interijt. Robertus quoque Parisiensis, uir in armis strenuus, eodẽ mortis genere uitã finiuit. Dñs quoq; Tãcredus, dum in medijs fulminat hostibus, uitę prodigus, & suę conditionis immemor, uix à domino Boamundo mortis casibus nolens & inuitus uiolẽter ereptus est. Inualescebant igiẽ hostium agmina, & nostris penè deficientibus, arcu ab humeris dependente, & eius neglecto officio, gladijs instant cominus, ita ut dissolutis cohortibus, nostri fugam arriperent, ad sarcinas & impedimenta redeuntes: ubi circa currus & uehicula, sub arundineti densitate arbitrantes se aliquod inuenire posse defugium, conglobati sunt.

Assunt reliqui principes, fratribus suppressis subueniunt, & uertitur in fugam Solimannus. perit eius exercitus. nostri uberrima reportant spolia. Iterum muniẽur exercitus. Caput XV.

DVm igiẽ sic afficereẽ fideliũ exercitus, & D. Boamundi uirtus prorsus collapsa deficeret, ecce uiri illustres & magnifici, dux Godefridus, comes Raymundus, Hugo magnus, Balduinus & Eustachius ducis fratres, et alij Deo deuoti principes, deducentes secũ optimè armatos equitũ XL milia, in castris suorũ turbis pedestrib. relictis cum omni genere impedimentorũ, uelociter aduolant suis opem collaturi. Accedentib. uerò eis ad castra D. Boamundi, iterũ qui iam penè succubuerãt, resumptis animis, & restitutis in integrum uirib. rursus ad certamen redeunt, & illatã quęrentes iniuriã ulcisci, & priores redimere defectus, in hostes irruũt animosius, & gladijs instantes ui

 riliter,

riliter,quos prius quasi superiores horruerãt,forti prosternunt dextera, iam nõ resistere ualẽtes.Dñs uerò Podiensis episcopus,cum alijs eiusdẽ officij ministris populos admonent,hortantur principes, ne manus remittãt,sed certi de uictoria diuinitus conferenda, interemptorum sanguinẽ ulciscant, & de fideliũ strage fidei hostes, & nominis Christiani nõ patiant diutius gloriari. His & huiusmodi populum incitabãt ad congressum uiri Dei,& uires quantas poterant,eorum animis infundebãt.Irruentes igit nostri solito uehementius & proteruius,instantes gladijs,dissolutis agminibus,non sine strage innumera eos in fugam uertunt. Fugientibus etiam tanta adhęrẽtes instantia, ut per tria aut quatuor miliaria ultra eorum castra, quæ in ualle opima locauerant,continuam ex eis cædem operãtes,persequerent:unde eis cum multa confusione dispersis,& interfectis quampluribus,reductis etiã captiuis nonnullis,quos ex nostris uiolenter abductos trahebãt secum,ad hostium castra reuersi sunt: ubi reperientes infinitas auri & argenti copias, alimentorum quoq; commoditates amplissimas,greges,armenta,asinorum turbas,& iumentorum,camelorum quoq; phalanges,quales prius nostri non uiderant, & equos nonnullos,papiliones quoq; & tentoria uarij coloris,& formæ inauditæ,transferentes secum omnia,onusti spolijs uberrimis,prædam agentes & manubias, in castra reuersi sunt sua. Cecidisse dicunt illa die de hostiũ numero uiri potentes & inclyti, & apud suos locum maximum obtinentes, ad tria milia; de nostris uerò popularibus & plebe infima promiscui sexus, quatuor milia. nam de maioribus duos tantum ibi corruisse,ueterum tradit memoria. Pugnatum est ui ab hora diei secunda, usq; in horam octauã uario euentu,die calend. Iuliarum,uiribus longè imparibus,& numero multũ dissimili. Nam qui Solimannum secuti fuerãt,centum quinquaginta milium scilicet, cum numeratis equitibus dicebantur excedere numerũ. Nostrorum autem qui præsentes illo in tanto certamine desudarant, uix fuit numerus equitum ad quinquaginta milia. Obtenta igitur diuinitus tanta uictoria(ut saucios reficerent,ad modicũ aliqua concessa requie) conuocatis adinuicem exercitibus, tribus diebus continuis in locis amœnis & pascuis uirentibus corpora curauerunt,& equorum habuerunt solicitudinem in omni alimentorum abundantia & infinitis copijs, quas hostes comportauerãt,& relinquerant fugientes. Optimè se habuerunt in eo discrimine tam periculoso, nostri maiores principes:sed quidam de mediocribus Balduinus de Beluaco,Galo de Caluomonte,Guastus de Bedez, Girardus de Cheresi, perennẽ sibi gloriam in eodem facto sibi pepererũt. Ab ea igitur die de communi decretum est cõsilio,quatenus de cætero iunctis agminibus,indissolubili copula simul incederent,ut & aduersa communicarent, & prosperis couterentur.

Pisidiam ingressæ præ aquarum inopia supra modum laborant legiones. Periclitatur miserabiliter exercitus. Caput XVI.

POstquã ibi per triduũ,ut prædiximus,moram sibi & equis suis fecerunt necessariã,iterũ monentib. lituis,ad iter se accingunt,uiam inceptã continuaturi. Vbi transcursa uniuersa Bithynia,Pisidiã ingressi sunt:inde uię quærentes cõpendia,casu descenderũt in regionẽ arentẽ & inaquosam, in qua & caloris immoderati, qualẽ solet ardẽs Iulius ministrare,et sitis importunę gemina fatigati molestia,cœpit populus penè deficere,ita ut promiscui sexus illa die

la die præ ſitis anxietate & caumatis intemperantia, plus ꝙ quingenti ſpiritũ dicerenť exhalaſſe. Accidiſſe diciť ea die, quod nulla alia tradit hiſtoria, quod prægnantes præ ſitis anguſtia, et caloris intemperie, ante tempus à natura decretũ, fœtus ędere compellerenť, quos pręanxietate ſpũs quoſdã uiuos, extinctos, quoſdã, alios etiã ſemineces in ſtrata proijciebant: aliæ ampliore abundantes humanitate, pedes ſuos circumplexæ, per uiam uolutabantur, & ſexus feminei oblitæ, arcana denudabant, magis pro inſtanti mortis periculo ſollicitæ, quàm ut ſexui debitam conſeruarent reuerentiam. Sed & uiris non multum proderat ſexus robuſtior, qui ſudore deficientes & calore, ore patulo, & naribus aëra captantes, contra ſitis importunitatẽ quærebant, quod inuenire nõ poterãt, humoris remedium. Nec ſolũ homines his tantis erant ſubiecti periculis, uerùm & iumenta deputata ſarcinis & alia quælibet animantium genera, areſactis interioribus, & uitalibus interclufis, ſua negabant obſequia: ſed nec auibus delicatis, quorũ pręda & uolatu ſolet recreari nobilitas, niſis uidelicet, accipitribus & herodijs, proderat cura dominorũ, quibus inter manus flatum uitalem exhalabant. Catuli quoqꝫ naribus ſagaces & apti uenatibus, dominorũ delitiæ, relictis dominis quibus fideliter adhęrere conſueuerãt, anhelantes & ſitibũdi paſſim per uias deficiebãt: quodqꝫ his omnibus erat periculoſius, equi fideles præliorũ conſortes, & in quibus de propria ſalute dominis multa erat fiducia, quiqꝫ & calce et dentibus ſuam prius proteſtabantur ſuperbiã, urgente ſitis & immoderati caloris periculo, quaſi uilia deficiebant ſubiugalia. Tandem omnibus à tanta aquarum laborantibus inopia, miſericorditer affuit pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. nam diu optatus & quęſitus multum, inuentus eſt fluuius, ad quem peruenientes, præ nimio deſiderio certatim ad aquas properant: ubi reperta aquarũ pro uotis copia, bibendi modum excedentes, in grauius deſcenderunt periculum. nam plures qui ſitis diſcrimen euaſerant, ſicut in talibus ſolet accidere, auiditati potus modum non ponẽtes, mortem quam euaſiſſe uidebantur, in aquarum reperiunt opulẽtia. Nec ſolum de hominibus, uerùm & de iumentis eo caſu ceciderũt. Tandem uerò opitulante Domino, his erepti periculis, in regionem copioſam ſatis et uberem, riuis, nemoribus, & paſcuis amœniſſimam deſcenderunt, iuxta Antiochiam minorẽ, quę præ dictæ Piſidię metropolis eſſe dinoſcitur, in locis paſcuis caſtrametati.

Diuiduntur ab inuicem quidam de principibus, & circumiacentes oberrant regiones. Dux cum urſo dimicans penè occiditur. Caput XVII.

HIc primum quidam de principibus ſtudioſè ab exercitu ſeparati ſunt, ſeorſim particulares trahẽtes exercitus. Quorum primus fuit dñs Balduinus Ducis, frater, & cum eo Petrus comes de Scadineis. Raynaldus comes Tullenſis, frater eius. Balduinus de Burgo, Gilbertus de Monte claro, cum ſeptingentis equitibus, & pedeſtribus manipulis aliquot. Secundus fuit dominus Tancredus, & cum eo Richardus de Principatu, Robertus de Anſa, & quidam alij nobiles uiri, cum quingentis equitibus, & peditibus etiam nonnullis. Horum autem omnium unum atqꝫ idem propoſitum, uias prætentare circumpoſitas, explorare regiones, & fortunã experiri, rerumqꝫ euentum, qui pro locorum tempore occurreret, ad principũ, qui eos miſerant, referre

ferre notitiã, quo prudẽtius & magis sine discrimine proficisceretur exercitus. Qui à castris egressi, primum uiam regiam non deserentes, urbes finitimas Iconium & Heracliam prætergressi, tandem in dexteram declinantes, uersus oram maritimam festinare cœperunt. Dux uerò & alij principes, qui in castris manserãt, locorum in quibus castrametati fuerant, tracti amœnitate, & uicinitate nemorum, ut sibi inter tot laborum difficultates, aliquid recreationis indulgerent, & curis edacibus, quibus angebantur continuè, subtraherent, uel modicum uenandi gratia certatim saltus ingrediuntur: ubi uarijs semitis ad diuersa rapti desideria, uarios inuenerũt euentus. Inter quos Dux etiam recreationis gratia & exercitij syluas ingressus, in ursum immanissimi corporis & horrendi, casu incidit: qui dum pauperem peregrinum ligna arida portãtem insequeretur atrocius, illeq́ uix refugium inueniret ante faciem subsequentis, & imminens multo clamore protestatur periculum, fortè Dux affuit: & sicuti plurimus erat in compatiendo fratribus, uelox irruit, opem laturus patiẽti. Videns ergo bellua Ducem instantem gladio, spreto eo quem prius persequebatur, in hostem fortiorem se contulit, dente armatus & unguibus: tandemq́ Dux, equo periculosè uulnerato, factus pedes, instat gladio nihilominus. Vrsus autem patulo rictu, & murmure occurrens horrisono, Ducis instantiam paruipendens, contempto gladio, nititur se cominus ingerere confligenti. Porrò Dux irruentem à se propulsans gladio, totis nitebatur uiribus, ut eum mucrone perforaret: uerùm ille declinans gladiũ, & brachijs complexum illigans, in solum nititur deijcere, ut sub se positum, dente & unguibus facilius posset laniare. uerùm miles egregius gladium nõ deserens, sicuti uir robustissimus erat, læua complexus belluam, dextera impingit aciem, & capulotenus immerso gladio, mortem ingerit colluctanti: saucius tamen, & crure læsus, periculosissimè cruentam nimis obtinuit uictoriam. Vulnere quippe grauatus, & nimia sanguinis debilitatus effusione, solo decubans, se non poterat erigere. Tandem uerò prædicto paupere, qui eiusdem Ducis beneficio mortem euaserat, proclamante, & casum qui acciderat, denunciante legionibus, cucurrit illuc uniuersus populus, ubi fortis athleta, exercituũ patronus, læsus iacere dicebatur: quem lectica impositum cum uniuersorum gemitu & lachrymis, reliqui principes in castra detulerũt, Chirurgorum adhibita solicitudine, quorũ opera & studio conuenientibus remedijs, plenam posset salutem recipere.

Comes Tolosanus ad mortem infirmatur. Exercitus Lycaoniam pertransiens, in Aresiam peruenit. Vxor Balduini Ducis fratris moritur. Caput XVIII.

PEr idem tempus uir quoq́ magnificus & illustris dominus Raymundus Tolosanus comes, graui correptus ægritudine, lectica similiter ferebatur: qui eousq́ grauatus extitit, ut in terram depositus, quasi moriturus, penè spiritum exhalaret. Vnde uir memorabilis dominus Guillelmus Arasicensis episcopus, quasi iam defuncto, fidelium animabus debita impẽdit obsequia. Sic ergo tantorũ legiones (quasi destitutæ consilio) uirorum, penè in desperationẽ conficiendi itineris & consummationis uotorũ descenderãt: unde pro eorũ statu plurimũ soliciti, omnes uno spiritu effusis lachrymis, ut restituerent saluti, Dominũ precabant. Fiebãtq́ orationes in celebratione diuinorũ

pro eis

pro eis ab uniuerſa illa peregrinãte eccleſia. quorũ ſupplicatiões et deſideria,
miſerator Dominus clementer exaudiens, ſoſpitati eos & plenæ conualeſcen
tiæ, ſupplicantis populi uota, benigno fauore proſequens reſtituit. Tranſ-
curſa igitur Piſidia, Lycaoniam ingreſſi, & Iconium eiuſdem regionis me-
tropolim peruenerũt: quam uacuã reperientes, alimentorum maximam pe-
nuriam paſſi ſunt. Turci enim noſtrorum aduentu cognito, in nulla urbium
ſuarum reſiſtendi habebant fiduciam, ſed expoliatis urbibus, & uaſtata re-
gione uniuerſa, cum uxoribus & liberis, gregibus & armentis, & omni-
moda ſubſtantia, ad montes confugiebãt imperuios, in eo ſolo ſpem haben
tes, quod noſtri alimentorũ inopia fatigati, eorum pertranſire regiones ma-
turarent. neq; hac ſua opinione ſunt deluſi, cum noſtri regionis ſterilitatẽ fu-
gientes, & uictus defectum, quantum poterant iter accelerare properabant.
Inde Heracleam pertranſeuntes, ad urbem Maraſiam applicati, caſtrametati
ſunt, moram ibi per triduũ continuo facientes. Vbi domini Balduini, Ger-
mani ducis, longa & graui fatigata ægritudine uxor, quam ipſe abiens fratri
bus cõmendauerat, ex præſenti luce uocata, opimo fine quieuit in Domino.
Erat autem nobilis matrona, ex Anglia trahens originẽ, Gutuera nomine,
uita & moribus cõmendabilis: quam cũ honeſtis exequijs ibidẽ ſepelierũt.

Tancredus in Ciliciam deſcendens, Tarſum obſidet. Balduinum ducis fratrem ad eaſdem partes uenientem honeſtè ſuſcipit. Caput XIX.

INterea uir per omnia cõmendabilis D. Tancredus, primus in Ciliciã, uia-
rum caſu ſecutus compendia, perueniẽs Tarſum, eiuſdẽ prouinciæ metro
polim, cum ijs qui eum ſecuti fuerant, obſederat. Eſt autẽ Cilicia una de pro-
uincijs quæ in Oriente continentur. Orientem autem Antiochiam, iuxta ue
terum autoritatem uocamus Diœceſim: habetq; Cilicia ab Oriente Cœleſy
riam, ab Occidẽte uerò Iſauriam, à Septentrione montis Tauri iuga, ab Au
ſtro uerò mare Cypricũ, ſiue Myrtoum. Continet autẽ intra ſe duas metro-
poles, Tarſum, doctoris gentium patriam & natale domicilium, de qua no
bis in præſenti eſt ſermo: & Anauarzam, utraq; inſitis ſuffraganeis urbibus:
unde duæ potius dicuntur Ciliciæ, prima & ſecũda. Tarſum autem dicitur
fundaſſe Tarſus, ſecundus filiorum Iauan, filij Iapheth, filij Noë tertij, ſicut
ueterum habent traditiones. & argumento eſt urbis à uocabulo conditoris
denominatio. Solinus tamen de urbis conditore aliter ſentit, dicens ita in
quinquageſimo primo capitulo de Memorabilibus: Cilicia matrẽ urbium
habet Tarſum, quam Danaę proles nobiliſſ. Perſeus locauit. Hanc urbem
interſecat Cydnus amnis, hunc alij præcipitari Tauro monte, alij deriuari ex
alueo Hydaſpis tradiderunt. Poteſt tamen utrunque uerum eſſe, & quòd
Tarſus primò eam fundauerit, & quòd poſtmodũ eã reparauerit uel amplia
uerit Perſeus. Vbi cum per dies aliquot dominus Tancredus & ſui in eo-
dem perſeueraſſent negotio, ciues ad hoc compulerat, & minis & blandis
perſuaſionibus, quod introduc[illegible] eius uexillo, & ſuper turrim eminentio-
rem locato, ſignum deditionis futuræ feciſſe uiderent, ea tamen conditione,
ut uſq; ad aduentũ domini Boamundi & maioris exercitus, eos cõſeruaret
indemnes, nec à proprijs domicilijs interim demigrare, aut ſua deſerere præ-
dia inuitos compelleret, ipſi aũt eidem aduenienti urbem ſine difficultate reſi-
gnarent;

gnarent: quod uerbũ domino Tancredo bonum uisum est, & acceptũ. Erat autem prædicta ciuitas, sicut & reliqua uniuersa regio, Christianos habens habitatores, Armenos uidelicet & Græcos, exceptis paucis, qui usum & autoritatem habentes militiæ, munitionibus præerant, populum uiolenta dominatione prementes: fidelibus autem militare non permittebatur, sed negotiationibus & agriculturis dabant operam. Interea dominus Balduinus Ducis frater, cum his qui secum aduenerãt, de uia secutus, maximã uictus pertulerat inopiam: tandemq; post multos errorum circuitus, in montis uerticem casu se contulit: unde subiectam Ciliciæ regionem, cum suis urbibus usq; ad mare prospectu libero posset intueri. qui postq; circa Tarsum castra esse cognouit, hostium ratus tabernacula, iter suum cœpit habere suspectum: experiri tamen uolens, cuiusmodi esset illa regio, & cuius castra, quæ de remoto cõspexerat, animositate solita, cum omni suo comitatu ad campestria descenderat. At uerò dominus Tancredus pręmonitus ab his quos in speculis sublimioribus locauerat, hostium præcauens insidias, socios conuocans, arma arripit: & hostiũ ratus agmina, quę urbi uellent subsidia ministrare, occurrit eis imperterritus, fiduciã habẽs in Dño: & erectis uexillis, suos exhortatione corroborans, procedit aduenientibus obuiam. Postq; uerò utrinq; mutuo sibi occurrentes, & contemplantes se de uicino, arma cognoscunt nõ esse hostilia, confidentius accedentes, in mutuos eunt amplexus. & post gratas adinuicem confabulationes, iunctis agminibus ad urbem redeunt, obsidionem continuaturi. Vbi à domino Tancredo multum hospitaliter & plena charitate suscepti, de gregibus & armentis, quę de adiacente contraxerat regione, honestum ea nocte habuerunt conuiuium.

Balduinus Tancredi uexillum de arce ciuitatis deijci mandat: suum ibidem locat. Tancredus indignatus recedit. Guelfo Adanan occupat. Caput XX.

MAne autem facto, uidentes dominus Balduinus & qui cum eo erãt, domini Tancredi uexillũ in superiore ciuitatis arce locatũ, inuidiæ stimulis agitati, professionis immemores (qua uelut germani fratres, quãto tẽpore incesserant, habẽtes unanimitatẽ spũs in uinculo pacis, usi fuerãt, et perpetuò decreuerãt utendũ) indignati sunt, quod eis pręsentib. multo fortiores et maiores haberent copias, signa sua in urbem mittere pręsumpsissent. Dñs uerò Tancredus, eorũ, sicut modestus erat, indignationẽ mitigare cupiens, allegabat, quod de eius uexillo factum fuerat, minimè in eorũ redundare ignominiam: nam ante eorũ aduentũ, & aduentus spem aliquã, eas cũ ciuibus in uirtute sua obtinuerat conditiones. Dominus autem Balduinus suggerentibus socijs, & ad id pro posse instigantibus, causæ meritũ nõ distinguens, sed pręter debitum suo ductus spiritu, uerbis procacibus dominũ exacerbans Tancredum, rem eò arroganter deduxit, ut penè arma in se conuerterẽt, stragem mutuam operantes. Factumq; est, ut ciuibus ad se uocatis, publicè minaretur, quod nisi Tancredi uexillum deponerent, & suum loco illius erigerẽt, inuito eo qui eis securitatem promiserat, urbem & suburbana in gyrum omnia traderet exterminio. Vidẽtes porrò ciues, quod Balduini multò maiores essent copiæ, & uirtus longè præstantior, sub eisdem conditionibus & pactorum forma, quam prius domino Tancredo pepegerant, deiecto priore, domini

Balduini in eadem arce locauerunt uexillum: quod uidens dominus Tancredus, confusus nimiam meritò concepit indignationem. sed saniore consilio & pia longanimitate, motum animi temperās, timēs ne periculosa nimis inter fidelium acies oriretur dissensio, solutis castris, ad urbem uicinā, cui nomen Adama, se contulit: ad quam perueniens, nō est permissus introire. obtinuerat enim eandem ciuitatē quidam Guelfo, natione Burgundio, qui cum alijs à maiore diuisus exercitu, turbas seorsum traxerat: & ad ciuitatem illam casu perueniens, eiectis inde Turcorum copijs, eam uiolenter occupauerat. Audiens igitur dominus Tancredus, quod in nostrorum potestatem urbs prædicta autore Dño peruenerat, missis nuncijs gratia hospitādi, & emendi uitæ necessaria, implorat à prædicto domino urbis ad iter sibi & socijs reserari. quibus admissis, cuncta uitę necessaria tam sibi quàm equis, partim gratis, partim interueniente precio, ministrata sunt sufficienter. Repererat enim Guelpho prædictus, eandem urbem auro & argēto, gregibus & armentis, uino & oleo, & omni commoditate redundantem.

Tancredus Mamistram in eadem regione uiolenter obtinet. Caput XXI.

AT uero D. Tancredus summo diluculo cum suo comitatu urbē egressus, uiam secutus regiam, iter accelerans Mamistram peruenit. Erat aūt Mamistra una de nobilioribus eiusdē prouincię ciuitatibus, turribus & muro, & multorū incolatu insignis: sed & opimo agro, & gleba ubere, & amœnitate præcipua cōmendabilis. Iuxta quam castrametatus, infra paucos dies continuis assultibus & iugi congressione urbē impugnās, autore Domino, interemptis infidelibus, qui in ea reperti sunt, occupat uiolenter. Vbi & infinitas diuitiarum copias, & alimentorum ubertatē reperiens omnimodam, portiones suis cōgruas pro meritorum quantitate distribuens, locupletauit uniuersos: in qua defectus uictualium quæ pertulerant, grata redimētes opulentia, sibi, equis et subiugalibus uniuersis pastum benignius indulserūt, otio simul & alimentis corpora recreantes.

Balduinus Tarsum occupat. Trecenti de nostris casu miserabili pereunt. Caput XXII.

VErùm dominus Balduinus, post discessum domini Tancredi, iterum Tarsenses frequentius cōmonet, & monitis potenter minas permiscēs, urbem sibi præcipit aperiri, & suum intromitti comitatum. Non enim honestum uidebatur, quod usq; ad aduentum exercitus ita teneret ocium, & sederet inutiliter occupatus. Videntes autem ciues, quod Tancredus ei resistere non poterat, & quod si id facere detrectarent, cominus urbem esset impugnaturus, facientes de necessitate uirtutē, & de proprijs uiribus diffidentes, portas aperiūt domino Balduino, cum uniuerso eius comitatu introducto: designauerūt autem eidem turres geminas quas interim possideret, reliquis eius consortibus per ciuitatem promiscuè in domibus fidelium hospitio susceptis. Turci uerò qui urbi præerant, alias adhuc in sua potestate turres detinebant. Et licet plures essent, & maiora ciuitatis monumenta quę tranquillè adhuc possiderent, tamen suspectam habentes nostrorū quos introduxerāt, societatem, subsidij quoq; spem nullam habētes, opportunitatem quærebāt,

g quomodo

quomodo cum uxoribus & omnimoda substantia sua clàm possent egredi. Accidit aūt, quòd eadē nocte uiri trecenti de expeditione domini Boamundi Tancredum sequentes, ad urbem peruenerūt prædictam, quibus de mandato Balduini urbis interdictus est introitus. Illi autē longo fatigati itinere, rebus uacui necessarijs, multa precum instantia urbis precabantur hospitalitatem, & alimentorum commercium, pro quibus & qui interius erant, inferioris manus homines, compatientes fratribus, cum preces porrigerent, nō sunt admissi, eo quod de familia dicerentur esse Boamundi, & in Tancredi festinarēt auxilium. Populus tamen interior à fraterna nō deficiens compassione, cum egredi non ualeret, in sportis panem, in utribus uinū per murum funibus porrigentes, sufficienter ministrauerunt, unde noctem illam possent transigere. Ibi ergo ante ciuitatis portam secundum quod poterant se locantes, quam intrare non permittebatur, quieuerunt. Nocte uerò eadem cum se tam qui intrinsecus erant, quàm exteriores, sopori dedissent, & circa intempestum silentium grata perfruerentur requie, accidit quod Turci & alij qui in ciuitate erant infideles cum uxoribus & liberis, seruis & ancillis, & omni supellectile, apertis portis, clàm & cum silentio egredientes, urbem deserunt: non enim satis bene cum suis quos receperant hospitibus, poterant conuenire, suspectam habentes eorum cohabitationem. egredi autem eis erat liberum: nam ciuitas unam uel duas portas habebat in sua potestate, sed ut cruentam hostibus possent relinquere uictoriam, præmissis sarcinis & impedimentis omnibus, eos quos extra portam repererunt, somno grauatos, penè omnes interficiunt.

Populus contra Balduinum arma corripit, sed tandem sedatur. Classis quædam apud Tarsum applicat uirorum Occidentalium. Caput XXIII.

Mane facto, cum iam se lux ad alta infunderet, surgentes qui in ciuitate quieuerant, urbem reperiunt uacuam: & clandestinam admirantes hostium fugam, mœnia perlustrant, & aditus quærentes diligenter, qua parte fuerant egressi: dumq; diligēter singula discutiunt, stragem reperiunt, quam in seruos Christi, Turci abeuntes exercuerāt. Vnde graui dolore percussi, et mœrore consternati debito, in lamenta se dederūt: diuisiq; ab inuicē, secūda classis cōtra D. Balduinum & maiores arma corripiunt, fratrum eis necem imputantes, & interitū: eo quòd hospitalitatis gratiā, quæ ad omnes meritò se porrigit indigētes, uiæ consortibus denegassent. unde facto impetu in primates suos, iusta indignatione cōmotus populus irruit: & nisi in turres sublimiores se cōtulissent, satis æquipollente numero stragem exteriorem in suis maioribus recompensassent. Tandem turba cognita & schismate, quod ex iusta causa exortum erat in populo iam ingrauescente, solicitè elaborare cœpit, quomodo sedaretur tumultus, se apud populum excusando. Postquam igitur pace ad tempus impetrata, & indicto silentio, arma sustinens quieuit aliquantulum turba pedestris, pro se allegare cœpit, ut se innocentem assereret, iurans & obtestans, quod non ob aliam causam eos à ciuitate arcuerat, nisi quia neminem se admissurum usq; ad aduentum Ducis fide promiserat interposita. Vnde factū est, quod per quorundam ex nobilibus interuētum, blandis persuasionibus, sed pro tempore & loco necessarijs, sedatus ad modicum

dicum quieuit populus, ipsi plebi reconciliato. Dumq; ibi sopitis scandalis per dies aliquot in omni tranquillitate sedissent, ecce classis uisa est in pelago, uix tribus miliaribus distans ab urbe, ad quam ex utroq; ordine tam equites quàm pedites certatim properantes ad mare descendūt. ubi de littore mutuò sibi colloquentes, cognouerunt per eorundem relationem, quod Christianæ professionis essent homines. Interrogati autem de patria: Responderunt, quod à Flandria, Holandia, Frisonia, in quibus partibus Piraticā annis octo exercuerant, tandem compuncti corde, & delictorum suorum pœnitentes, orationis gratia, ut ad Hierosolymam proficiscerentur, in hoc mare descenderunt. Cognito autem, quòd uiri fideles essent, eos ad portū inuitant, & datis dextris in osculo pacis susceptos, classe in tuto locata, usq; Tarsum perduxerunt. Erat autem eorum quidam primicerius Guinemercus nomine, de pago Boloniensi, de terra comitis Eustachij, patris domini Godefridi. Hic postquam dominum cognouit, sciens quod domini sui filius esset, relicta classe, cum eodem Hierosolymam ire disposuit: erat autem diues admodum, ex illa arte pessima quam diu exercuerat, factus locupletior: & multos habens in suo obsequio, quos ex parte plurima secum trahens, cum sequi decreuit. Vnde ordinata ex utriusq; comitatu quingentorum uirorum ibi sufficiente custodia, iterum procedere & tentare fortunam disposuerunt.

Balduinus Tarso capta, Mamistram uenit. Pugnant adinuicem ipse & Tancredus: sed mox reconciliantur. Caput XXIIII.

PRoficiscentibus ergo illis, & uiam regiam nō deserentibus, contigit peruenire Mamistram, quam paulo antè, ut prædiximus, dominus Tancredus uiolenter occupauerat, & in manu forti detinebat occupatam: quò peruenientes, arbitrati quod in urbem minimè reciperentur, extra in pomœrijs hospitati sunt. Tancredus uerò audiens, quod Balduinus iuxta urbem sua castra locasset, iratus admodum, memor iniuriarum quas ab eodem immeritus pertulerat, infremuit spiritu: & ira succensus, ad arma suos cōuocat, paratus de omnibus quæ ille intulerat, uicem rependere condignam. præmissis itaq; nonnullis sagittarijs, qui eorum equos per pascua dispersos sauciarent, aut secum deducerent comprehensos, ipse subitò cum quingentis loricatis equitibus in corū castra irruens, antequam possent arma corripere, omnes penè contriuerat. Tandem uerò illis arma corripientibus, & ad resistendum paratis, fit conflictus asperior, parte utraq; decertante proteruius. factumq; est ita, ut confligentibus inter se nimis hostiliter aciebus, plures ceciderint, nonnullis ex utraq; parte retentis. Tandem uerò domini Tancredi manus impar uiribus & numero, pondus certaminis ferre non ualens diutius, terga dedit fugiens, in urbem se receptura. Erat autem inter urbem prædictam & castra domini Balduini fluuius, super quē pons erat ualdè angustus. quo dum in urbem redire domini Tancredi properaret familia, pontis angustia impedimentum ministrante, interierunt ex utroq; ordine plures, alijs infra urbem se recipientibus. Et fortasse maiora utrinq; ardentibus odijs passi forent dispendia, nisi nox conflictū dirimens irruisset. Capti sunt ibi de comitatu domini Tancredi Richardus de Principatu, eius consanguineus, & Robertus de Ansa, uiri nobiles & præclari, quorum persuasionibus & stimulis

ad prædictam dominus Tancredus conuolauerat ultionem. De familia uerò domini Balduini captus est uir præclarus & nobilis, Gilbertus de Monte Claro: pro quorum absentia, turbatæ sunt plurimū hinc inde acies, arbitrantes quod in hesternis congressionibus uita decessissent. Luce demum postera sole oriente restituta, detumescentibus odijs & indignatione aliquantulum mitigata, professionis suæ memores, ad cor, respiciente eos diuina clementia, reuersi sunt: & missa legatione, rogantes quæ ad pacem sunt, restitutis hinc inde captiuis, & sibi mutuò satisfacientes, in plenam gratiam, interueniente pacis osculo, redierunt.

Balduinus ad maiorem reuertitur exercitum. Tancredus uniuersam impugnat & obtinet Ciliciam. Finitimi principes oblatis muneribus, ei se conciliare student. Caput XXV.

INde cum omni illo suorum comitatu dominus Balduinus ad maiorem exercitum (qui iam Maresiam, ut prędiximus, peruenerat) socijs id exigentibus, reuersus est: audiuerat enim, quāto, quamq́ periculoso casu dominus Dux ante Antiochiam Pisidiæ laborauerat. unde de eius salute plurimū sollicitus, præsens de eius statu plenius uolebat edoceri. Tancredus uerò assumpto sibi populo residuo, qui in classe aduenerat, et ex eo uiribus adauctis, uniuersam percurrens Ciliciam, hostium præsidia, quotquot ibi reperit, expugnat, incendit, hostibus qui in eis reperti sunt, interemptis gladio: perueniensq́ ad locum cui nomen Alexandria minor, uiolenter expugnatū, nihilo minus occupauit, suæ subijciens potestati. Audientes uerò qui in montibus habitabant, tam Armeniorum quàm Turcorum satrapæ, quod prædictus Tancredus in manu robusta, & exercitu copioso, uniuersam sibi subiugaret prouinciam, timentes ne fortè ad eos ascendens, eorum quoq; captiuaret populos, subuerteret municipia, missis certatim legationibus, eius sibi satagunt conciliare gratiam & amicitiam fœderare: unde ut propositum facilius ualerent effectui mancipare, missis donis ingentibus in auro, argento, equis, mulis & holosericis, fœdus contrahebant, tanti principis iram & indignationē declinantes multa liberalitate. Erat itaque uir in cunctis prospere agens, fuitq́ Dominus cum eo, & omnia eius opera, tanquā serui fidelis dirigebat.

LIBER

LIBER QVARTVS

Balduinus Ducis frater ad maiorem redit exercitum. Instinctu Pancratij iterum assumpta militia, in partem septentrionalem descendit, & usq; ad Euphratem uniuersam occupat regionem. Caput I.



DVm igitur Tancredus in Cilicia uiriliter cuncta sibi subiiceret, & maior exercitus apud Maresiam iam peruenisset, prædictus Balduinus uiso fratre, cuius gratia ad exercitum redierat, eiusq; cognita conualescentia, rursus æstuat, & Tancredi successus stimulis, & uirtutis eius quæ publicè prædicabatur, æmulus, socios colligit, & rursus egredi & casus experiri recentes proponit. Audientes uerò qui ab eo super hoc sollicitabantur, quantā aduersus dominum Tancredum apud Tarsum Ciliciæ, de maiore confisus comitatu, intumuisset malitia, cum eo proficisci uerebantur: abominabilis eē factus erat penè omnibus, illa eius culpa id exigente. Et nisi domini Ducis obstitisset reuerentia, Boamundus & sui impunitam non reliquissent, quam Tancredo intulerat, iniuriam. Vnde factum est, ut paucos inueniret illius uiæ consortes. Super quo à fratre seruo Dei correptus est grauiter, reatum cum omni humilitate recognoscens, & condignam nobili uiro pro commisso satisfactionem promittens. Et quoniam præter morem, & alterius magis suggestione, quàm de proprio motu deliquerat, indulgentiam consecutus est, & omnium sibi reconciliauit gratiā. Erat enim uir aliàs per omnia commendabilis, nec auditus fuerat amplius sermo huiusmodi de illo. Porrò huic eidem familiaris erat quidam nobilis Armenius, Pancratius nomine, quem à carcere domini Imperatoris elapsum, apud Niceam sibi fecerat familiarem, uiæq; consortem semper habuerat: erat autem idem uir in armis strenuus, sed peruersæ fidei, & subdolus nimis. hic dominum Boamundum horis penè singulis solicitabat instantius, ut assumpta militia, secum proficisceretur in regionem, quam cum paucis posset occupare facilius. Tandem uerò associatis sibi ducentis equitibus, & populo nō modico, duce prędicto Pancratio, in partem septentrionalem proficiscens, ingressus est regionē opulentissimam. Erant autem prædictæ regionis habitatores Christianę professionis, & ueri Dei cultores, exceptis paucis, qui in præsidijs morabantur, fidelē populum, & quibus inhibitum erat militare, pro arbitrio tractantes. Ingressus igitur regionem, Christianis locorum cultoribus, infidelium abhorrentibus principatum, & eidem præsidia tradentibus, infra paucos dies usq; ad Euphratem fluuium magnum, uniuersam obtinuit regionem. Factumq; est nomen eius hostibus circumpositis ita formidabile, ut munita etiam spontè deserentes præsidia, fugam inirent nemine persequente. Fidelibus autem qui eum receperant, tanta de eius præsentia accessit uirtus, & ex uirtute fiducia, ut sicut legitur in Propheta, Vnus fugaret decem, & duo decem milia. Nec solum uulgus ita mente ei adhærebat, sed qui in partibus illis erant Christiani principes, cum eodē fœderati, ad propositum cooperantes, se coniunctis uiribus & impensis deuotè obsequijs exhibebāt.

Fama eius longè latéq; diffunditur, & à ciuibus Edissanis uocatur. Transito Euphrate illuc accelerat, insidias in itinere perpessus. Occurrit ei populus Edissanus, & cum multa lætitia in urbem eum introducit. Caput II.

POst hęc, diebus aliquot euolutis, egrediens fama, magnifici uiri nomen & opera longè latéq; per adiacentes diuulgabat prouincias, strenuitatē, fidem, & animū prędicans cōmendabilē. Exijt ergo sermo iste ad ciues Edissanos, & uniuersam eorum (rumore increbrescente) impleuit urbem, quod talis tantusq; princeps de exercitu Christianorum aduenerat, qui iugum seruitutis eorum penitus posset dissoluere, & eos restituere libertati. Vnde tam qui ciuitati pręerant, quàm maiores natu, penes quos uniuersa ciuitatis illius residebat autoritas, missa legatione, literis & uiua uoce, cum ad se satagunt euocari. Est autem Edissa nobilis Mesopotamiæ metropolis, quæ alio nomine Rhages appellatur. Hęc est ciuitas, ad quam Thobias senior, minorem Thobiam filium suum misit, ut à Gabelo consanguineo suo decem talenta argenti reposceret, quæ ei adhuc dum esset infantulus commodauerat. Huius ciues statim post Domini passionem per Thaddæum apostolum, salutarem Christi susceperunt doctrinā: digni inuenti per omnia, & tanti prædicatione Apostoli, & epistola Saluatoris, quam ad Abigarū regem eorū scribens misit, sicut in I. Ecclesiast. historię libro, quam Eusebius Cæsariensis scripsit, reperitur. In qua sicut ab initio & à temporibus apostolorū susceperāt, fidei synceritate perseuerantes, infidelium iugum eatenus patiebantur, quod eis tributa & uectigalia annuatim cogebantur exoluere: uineas quoque & agros, & quælibet prædia exterius posita, penè continuis exactionib. impellebantur redimere. Intra tamen urbē nemo nisi fidelis habitare præsumebat. Hæc enim sola inter omnes illius regionis urbes, in sua manens ingenuitate illibata ab infidelibus, qui circumpositas iampridē occupauerāt prouincias, nec subiugata fuerat, nec alterius professionis quempiā pertulerat habitantē: sed exterius in urbib. finitimis & pręsidijs confinib. habitantes, tantas prędictis ciuib. inferebant molestias, ut egredi urbem non liceret, nec sua exterius procurare negotia. Huic aūt urbi præerat quidā natione Græcus, multo confectus senio, utriusq; sexus liberis carēs, qui ab eo tempore, quo uniuersa prouincia Constantinopolitano subiecta erat imperio, missus ad eandē urbem, pręses fuerat: & Turcis superuenientibus, anteq; pręsidatus sui tempus esset euolutū, de necessitate morā facere compulsus, iurisdictionē cōtinuerat suā, nec ipso ad propria redire ualente, nec populo ab administratione cū cedere compellente. Erat tamen prælatus inutilis, à subditis non ualens propulsare molestias, aut quietē aliquam procurare. Conuenientes ergo ciues adinuicē, cum eius tamen consciētia & bona uoluntate, legatos (ut prędiximus) ut suis remedium aliquod adhiberet molestijs, ad D. Balduinū dirigūt. Qui populi & maiorū intellecta postulatione, habito cum suis consilio, acquieuit: & ad iter se accingēs, cum octoginta tantū equitib. Euphratē transijt, reliquos de comitatu suo per arces & mancipia quæ sibi contulerat Dominus, circa Euphratē ad custodiā derelinquens. Porrò Turci qui trans Euphratem habitabant, præcognito eius aduentu, ei parauerunt insidias: erat autem in itinere oppidum, cui præerat quidā Armenius, in quod ut prætentas sibi declinarę

posset

posset insidias, se cõtulit, à domino loci benignè & hospitaliter susceptus. cũ autẽ ibi per duos quieuisset dies, non ausus procedere: Turci qui per biduũ illic latuerant in insidijs, morã fastidientes longiorẽ, ante prædictũ oppidum erectis uexillis, cum turmis ualidioribus subitò astiterũt, prædã quam in pascuis adiacentib. repererant, uiolenter abducentes. Nostri aũt quoniã impares & numero & uirib. ad eos egredi nõ præsumentes, intra oppidũ se cohibebant. Tandẽ die tertia abeuntib. illis, & reuersis ad propria, Balduinus inceptũ iter peragens, Edissam peruenit: ubi à prædictę ciuitatis ciuibus, occurrente ei uniuerso clero & populo, cũ tubis & tympanis, cũ hymnis quoq; & canticis spiritualib. multo præuentus honore, & omni gratia susceptus est.

Dux ciuitatis facti pœnitens, eius successibus inuidet, pacta rescindere nititur: sed tandem uictus à populo, fraudulenter Balduinum adoptat in filium. Caput III.

AT uerò dux qui eum citari fecerat, apud se tacitus considerãs honorem & gratiã, quam aduenienti populus exhibuerat, inuidere cœpit, & à pactorum tenore quæ prius proposuerat, resilire. Cum enim eum ad hoc euocasset, ut uniuersorũ bonorũ, uectigalium, tributorũ, quæ ciuitas habuerat, eum in uita sua decreuisset ex æquo fore participẽ, & post eius obitum cũcta ex integro possessurũ, mutato proposito, cœpit offerre: Quod si urbi & ciuibus suis uellet contra Turcorum importunitatẽ ministrare subsidium, & arcere uiolentiã, ipse iuxta boni uiri arbitratũ, honestam annuatim laboris recompensationẽ designaret. Quod D. Balduinus omnino respuens, ut tanq; gregarius aliquis apud eum stipendia mereret, ad abitum se parabat: cum ecce ciues eo cognito, ad eundẽ ducem properant, monentes & instantes attentius, quatenus tantum principem, tamq; eorum libertati necessariũ, nullatenus abire patiatur, sed iuxta priorum tenorem pactorũ eum sibi obliget, ut de cætero tam ipse quàm uniuersa ciuitas optata quiete perfruantur. Videns autem dux unanimẽ plebis et maiorum instantiam, & feruorem dilectionis quam erga eum conceperant, reniti, & eorum obuiare postulationibus periculosum ducens, inuitus licet, & suspectum eius habens introitũ, tamen assensum præstitit, & sub quodam colore, cumulatæ recompensationis, eo in filium adoptato, præsentibus ciuibus, quamdiu uiueret, omniũ bonorum ex æquo, solenniter contulit participem, & post eius obitum ex integro successorem. Gauisus autẽ est populus, libertatis suæ omnimodã in eo spem habentes. Ab ea igitur die, de D. Balduini protectione præsumentes, iniurias quas à duce perpessi fuerant, solito libentius reuocantes, animum habebant ultum iri, si quando locus daretur & tempus: quod postmodũ rei subsequẽs exitus, euidentissimè declarauit.

Rogatu ciuium Samosatum obsidet. Ciues aduersum ducem suum, uirum inutilẽ, conspirant, recolentes quantas eis intulerit iniurias. Caput IIII.

ERat autem iuxta eos antiquissima ciuitas, & munita supra modum, nomine Samosatum: cui præerat uir infidelis, natione Turcus, Balduc nomine, in armis strenuus, sed subdolus & nequam. Hic prædictos ciues multis afficiebat molestijs, tributa & agrorum uectigalia, & angarias multiplices eis ingeminãs, & pro his omnibus liberos eorum habebat obsides: quibus nullam impendens humanitatẽ, in luto et latere sibi seruire compellebat.

Pro quibus molestijs ciues uniuersi ad domini Balduini prouoluti genua, orant unanimiter, & cum lachrymis implorare satagunt, quatenus ab illius uexatione eos protegere dignaretur, & ita efficere, ut liberos suos, qui ab eo detinebantur inuiti, possent recipere. ille autem eorum hanc primam postulationem uolens exaudire benignius, & per hoc sibi populi gratiam ampliorem promereri, conuocato populo, & armis cōmunito, ad locū prædictum in manu robusta peruenit: ubi cum per dies aliquot frequentibus congressionibus, & multa instantia urbem expugnasset, Turcis qui intus erāt strenuè resistentibus, & de loci præsumentibus munitione, uidens quod non proficeret, relictis militibus septuaginta, in loco uicino & munito aliquātulum, qui Samosatenis sine intermissione requiem negarent, & continuas molirentur insidias, ipse Edissam est reuersus. Videntes autem ciues, quod esset dominus Balduinus uir strenuus, & in cunctis prosperè agens: & indignum reputantes, quod qui dignus erat tanquam liberator urbis, & quietis fundator, uniuersos præsidere, & pro arbitrio cuncta disponere, parem haberet in ciuitate uirum inutilem: accito Constantino nobili & potente uiro, qui in montibus munitissimis habebat præsidia, de communi proponunt consilio, ut duce eorum interempto, dominum Balduinum sibi ducem constituant, & principem singularem. Ciues enim eius meritis exigentibus oderant illum. multis enim calumnijs eos dicebatur affligere, aurum & argentum & quælibet preciosa ab eis uiolenter extorquens, cui si quis tentabat resistere, eidem statim, data pecunia, Turcorum suscitabat inimicitias & odium: ita ut non solum in uineis & hortis & satis succendendis: gregibus quoque & armentis abducendis timerent, uerùm & de uita periclitarentur sæpius.

Edissani ducem prædictum interficiunt, Balduinum sibi præficiunt in dominum: ipse uerò Samosatum prædictum à Balduc, qui ei præerat, multo emit precio. Caput V.

Conuenientes igitur ad inuicem, horum malorum memores, & uidētes quod maior ad diu desideratam libertatem obtinendam, per hospitem pateret uia, ex condicto ad arma conuolant, & turrim in qua domicilium habebat, multa impugnant instantia, proterua animositate diruere satagentes. Videns autem plebis feruorem, & pro meritis aduersus se indignationē conceptam, accito domino Balduino, pro uita solicitus, rogat, ut effusis thesauris, pro eius salute ad populum intercedat. Ille autem cum bona fide, ciuium ab eo uellet propulsare iniurias, & ab illo proposito cohibere, uidens quod non proficeret, sed magis & magis irritaretur populus, reuersus ad ducem, monet & hortatur attentius, quatenus quocunque modo uitæ consulat & saluti. Ille autem desperati more, quærens remediū ubi non erat, per fenestram fune demisso, seipsum etiam deponebat: ubi antequā ad terram perueniret, mille sagittis confossus interijt. Quem defunctum & exanimem per plateam trahentes, amputato capite, uix aduersus eum conceptā indignationē expleuerunt. Die uerò altera dominum Balduinum inuitum & renitentē, sibi præfecerunt in dominum, exhibitis corporaliter de conseruanda fidelitate iuramentis: & introducentes eum solenniter, & cum omni gloria in præsidium ciuitatis, uniuersos thesauros & infinitas, quas ille à multis retro tēporibus congregauerat, ei tradunt diuitias, uniuersa in tranquillo constituta ciuitate.

Balduc uerò, quem Samosatenæ ciuitati præesse dixeramus, uidens quod Balduinus de die in diem proficiens, uniuersam sibi subiugabat regionem, prædictam ciuitatem sub precio decem milium aureorum uenalem obtulit. Dominus uerò Balduinus post multam deliberationem, uidens loci munimen, & quod non facilè uiribus poterat superari, data infinita pecunia, urbē & ciuium obsides, cum multa gloria suscepit. Hic primū tantum ciuiū Edissanorum in se conciliauit gratiam, ut iam non solum dominum, sed etiam patrem eum haberent, parati pro eius incolumitate & gloria usque ad mortem decertare.

Sororgiam ciuitatem obsidet. Obsessam uiolenter occupat: gratiam apud populum suum demerens infinitam. Caput VI.

Est in eadem prouincia ciuitas Sororgia nomine, infidelibus eodē modo referta habitatoribus, Edissanis in uicino constituta, cui præerat quidam Turcorum satrapa Balach nomine. Hic etiam prædictis ciuibus Edissanis, multas inferebat iniurias, & continuis uexabat molestijs. pro quo etiam domino Balduino supplicantes Edissani, facilè obtinēt, ut congregato exercitu, urbem prædictā obsideret. Vnde factum est, ut statuta die illuc proficiscens, desiderium populi manciparet effectui ciuitatem. Locatis autē in gyrum castris, & machinis congrua prouisione dispositis, urbem animosius cœpit impugnare. Videntes autem ciues uiri constantiam, & de uiribus diffidentes, nimia concussi formidine, missa ad eum legatione, pacem impetrāt ea conditione, ut urbe resignata, uita eis & incolumitas conseruetur. Suscepta autem ciuitate, & eius præsidio, relictis de suo comitatu ad custodiam sufficiētibus, præfectoq; uno ex illis, qui ibidem eius procuraret negotia, ciuibus quoque annuatim præstando imposito tributo, Edissam cum ingenti gloria est reuersus. Factumq; est, ut per huius urbis impugnationē, liber ab Antiochia usq; Edissam transire uolētibus, pateret commeatus. In medio enim itinere, inter prædictam urbem & Euphratem transire uolentibus, præstabat prius impedimentum. His ergo dictis de domino Balduino, ad ea quæ restant de maiore exercitu dicenda, redeamus.

Directi quidam à maiore exercitu, urbem Artesiam uiolenter occupant. quo rumore exciti Antiocheni, illuc cum multa properant militia, nostris insidias præstruunt, urbem impugnant: nihil proficientes redeunt, ponte tamen prius occupato. Caput VII.

Interea dum circa partes Edissanas trans Euphratem dominus ita desudat Balduinus, maior exercitus, ut præmissum est, per abrupta montium & uallium deuexa Maresiam usq; peruenerat: erat aūt prædicta ciuitas Christianos habens habitatores, paucis exceptis qui in præsidio ciuitatis morabanť, cæteros pro libero tractantes arbitrio. Hi uerò audito nostrorū aduentu, perterriti, clàm aufugerunt, urbem solis fidelibus relinquētes. Ad quam postq; Deo deuotus exercitus peruenit, ante urbis mœnia, in pascuis uirentibus castrametati sunt, uiolentiam ciuibus inferri omnino prohibentes. Vnde factū est, ut rerum uenaliū illic cum omni tranquillitate ministrata sit abundantia. Compertū aūt habētes, ex indigenarū relatione fideli, quod in proximo alia esset ciuitas, bonis redundans omnib: & cæteris multo fertilior, quę à Turcis detine-

detinebatur,nomine Artesia: illuc cum omni celeritate de communi consilio comes Flandrensium Robertus, assumptis sibi quibusdam nobilibus, Roberto uidelicet de Roserio, & Goscelone filio Cononis de Monte acuto, cũ mille loricatis proficiscitur: quò perueniens proximus eam obsidione uallat. Turci autem de loci munimine præsumentes, urbe relicta, in præsidiũ se contulerunt: at uerò Armenij, & alij fideles eiusdem urbis habitatores, compe rientes quod hi qui in tanto armorum fulgore aduenerãt, de exercitu essent, quem diu, & cum multo expectauerant desiderio, in spem libertatis erecti, arma corripiunt: & Turcos, qui eos uiolenta dominatione per multa oppresserant tempora, gladijs conterimunt. Factumq; est, ut subitò perimentes uniuersos, eorum capita exterius proijcerent: & portis apertis fideles qui exterius erant, intra urbem deuotiss. inuitarent ad hospitium: & plenis hospitalitatis legibus, eis & equis eorum necessaria ministrarent. Est autem hæc ciuitas, quæ alio nomine Calquis appellatur, quæ sicut prædicta Maresia una de suffraganeis urbibus, quæ ad Thronum Antiochenum subiectionis habet respectum. Distat autem ab Antiochia miliaribus quindecim. Hæc ergo fama longè lateq; per regionẽ diffusa, ciues Antiochenos exciuit, ut arma corriperent, & in perniciem illorum qui ad Artesiam conuenerant, & eius ciues occidendo urbem occupauerant, accingerentur. Electi ergo de his qui apud Antiochiam ad tutelam eiusdem urbis conuenerant, quasi ad decem milia, illuc sub omni festinatione contendũt. Ad quem cum approximarent locũ, præmissis triginta armaturæ leuis equitibus, qui equos habebant uelocissimos, reliqui in loco occulto ad insidias derelicti remanserũt. Hi ergò qui præmissi sunt, quasi excursores, ut nostros ad insectandum incautius inuitarent, ante urbem Artesiam cœperunt liberè nimis, quasi prædas abacturi, discurrere. Nostri autem qui in urbe erant, eorum non uolentes ferre superbiam, et liberos nimis discursus, certatim ad arma conuolãt, & eos sectantes incautè, aliquantulum super eas quas studiosè locauerant insidias, descenderunt: qui de latebris egredientes, nostros ab urbe laborabãt excludere, ne ad eam confugientes, contra irruentes maiores copias possent inuenire refugium. Nostri tamen autore Domino, eos à se uiriliter repellentes, sani & incolumes, cũ omni suo comitatu infra prædictam urbem se receperunt. Videntes autem, quod non erat opus facile ut ciuitatem ita subitò sibi uendicarent, apponunt eam obsidione uallare. Cumq; per diem integrum urbem expugnassent, & illis qui intus erant resistentibus uiriliter, non proficerent, audientes etiam quod maior appropinquaret exercitus, cuius periculosum erat nimis aduentum expectare, saniore ducti cõsilio, Antiochiam reuersi sunt: ponte tamen, qui medius erat, militibus communito. Comes igitur cum his qui secũ erãt, urbem quam ei contulerat Dominus, usq; ad aduentum maioris exercitus solicitus conseruabat. Sed interim egregiæ indolis adolescens prædictus, Goscelo domini Cononis comitis de Monte acuto filius, ualida correptus ægritudine, uita decessit. Ibidem cum honestis exequijs traditus est sepulturæ.

Maior

Maior exercitus Artesiam peruenit: inde præmißis quibusdam, qui prætentarent uias, ad pontem accedunt, & inuitis hostibus fluuium transeunt. Caput VIII.

Vix circa auroram, Turci qui ab Antiochia uenerāt, discesserunt ab Artesia: cum ecce nunciatur, maiorem exercitum eiusdem ciuitatis fines ingressum, nō longè ab urbe castra locasse. Dumq; pro fratribus qui apud Artesiam obsidionem pati dicebantur, debitam gerunt solicitudinem, de communi consilio, mille & quingentos in subsidium eorū loricatos dirigūt, præcipientes, ut si ad urbem obsidione soluta, liberum possint habere accessum, relictis custodibus, qui ad urbis defensionem sufficere possint, dominus comes Flandrensis, & alij nobiles, qui cum eo ibidem erant, ad exercitum redeant. Redierat etiam dominus Tancredus, eandem mandati formam suscipiens à Cilicia, ubi regionē uniuersam suæ mandauerat ditioni. Reuersi erāt et alij nihilominus, qui undequaq; dispersi, uarijs rapti fuerāt studijs: excepto domino Balduino Ducis fratre, qui circa partes Edissanas, de die in diem, præuia Domini misericordia magis ac magis proficiebat. Sic igitur redintegrato exercitu, & partibus recollectis, lege præcipiunt edictali, ut de cętero nemo, nisi missus, ab exercitu pręsumat separari. Solutis igitur castris, uersus Antiochiam acies dirigunt, uiarum compendia secuti: & quia fluuius in uia medius erat, & super fluuium pontem audierant esse munitissimum, timentes ne exercitus ibi aliquod sustineret impedimētum, dominum Robertum Normannorum ducem cum suo comitatu iusserunt procedere, & prætentare itinera, quatenus si quid difficultatis occurreret, id subsequentibus legionibus faceret notum, & principes super ea redderet doctiores. Præcedebant autē eius exercitus legionum primicerij, uexilla baiulantes, uiri nobiles & inclyti, et in usu armorum commendabiles, dominus Erardus de Pusato, & Rogerus de Barnauilla. Separatus igitur ab exercitu dominus Comes cum suis cohortibus, & maiores præcedens copias, ad prædictum pontem peruenit. Erat autem pons lapideus, in utraq; fronte turres habens munitissimas ex opere solido, sicut & totus pons erat compositus: in quibus centū uiri fortes, & in armis strenui, arcus usum habentes familiarem, & sagittandi peritiam, ad earum custodiam erant deputati, ut transire uolentes à uadis & fluminis accessu uiolenter arcerent. Aduenerant pręterea ab Antiochia equites septingenti, qui in ulteriore eiusdem fluminis ripa constituti, uada præoccupauerant, transitum nostris omnino pro uiribus inhibituri. Fluuius autem, cui pons superpositus est prædictus, Orontes appellatur, uerbo uulgari Fer dictus, qui ab eo loco secus Antiochiam defluens, inde ad mare descendit. De hoc quidam somniare solent, quod sit Farfar Damasci fluuius: sed compertum habemus, quod errore trahuntur, qui hoc asserunt. Farfar enim & Albana à Libano trahentes originem, per agrum Damascenum secus ipsam urbem defluentes, in Orientem penetrant: ubi in arenosa solitudine deficere dicuntur. Orontes uerò secus Heliopolim, quæ alio nomine appellatur Malbet, primum habens exordium, per Cæsaream & prædictam Antiochiam in mare descendit mediterraneum. Perueniens igitur ad pontem Normannorum Comes, cum suis expeditionibus transire prohibitus est, cùm ab his qui in turribus erant super pontem, tum ab his etiam,

mini,& honesta morũ disciplina,easdem nihilominus haberet suffraganeas: uiginti enim prouincias in sua iurisdictione eiusdem (Deo amabilis) ciuitatis dicitur habere Patriarcha. Quarum quatuordecim, singulas habent metropolitas,cum suis suffraganeis. Sex uerò reliquę,sub duobus primatibus,qui uulgari appellatione dicuntur Catholici, quorũ alter est Amensis,alter uerò Hermopolitanus, qui est Baldacẽsis, cum eorum suffraganeis disponuntur. Quę omnes uno nomine, Oriens uidelicet nuncupant,sicut ex synodo Constantinopolitana colligitur,quæ sic habet: Orientis autẽ Episcopi,solius Orientis curam gerant: seruato honore primatus ecclesiæ Antiochenæ,qui in regulis Nicenæ synodi continetur.

In qua prouincia sita sit: descriptio quoq; situs eius. Caput X.

Sita est in prouincia,cui nomen Syriacœles,quę maioris Syriæ pars esse dinoscitur: commodissimam & amœnam habens positionem. Protẽditur uallibus,agrum habens optimum,& glebam uberem,riuis & fontibus tota penè irrigua,amœnitate singulari, inter medium montiũ ab Oriente in partes decliuis occiduas. longitudinem habens quasi ad miliaria quadraginta: latitudinẽ uerò,pro diuersitate locorũ,sex uel quatuor. In superiore sui parte lacum ex adiacentibus collectum fontibus habẽs piscosum maximè,à fluuio qui uallem percurrit,ad mare secus urbem defluens,spacij unius miliarij distans,unde riuus egreditur,qui postmodum in eundem fluuium inferius circa urbem deriuatur. Montes uerò,qui eam ex latere uallant utroq;,& si sublimes sint ualde, tamen dulces & perspicuas manant aquas: & usq; ad suprema culmina, in cliuis & lateribus suis, agriculturam præbent præcipuam: quorum qui ab Austro est,sicut est etiã fluuius,qui eandem urbem præterlabitur,Orontes dicitur,teste Hieronymo,qui Antiochiam inter Orontẽ fluuium & Orontem promontorium dicit consistere: cuius pars inferius secus mare in immensam se erigens altitudinem, nomen sibi uendicat speciale, & uulgari appellatione dicitur mons Parlier, quem quidam Parnassum reputant, Baccho dedicatum & Apollini. Quorum opinioni suffragari uidetur fons Daphnidis,quem quidam Castalium reputant,iuxta ueterum tenorem fabularum, Musis sacrum, & gymnasijs celebrem philosophorum. Qui ad radices eiusdem montis,in eo loco qui dicitur scala Boamundi, iuxta urbem prædictã habere dicitur exordiũ. Sed à uero secus est hæc opinio. Nã Aoniæ regionis,quæ pars est Thessalię, Parnassum constat esse promontorium,secundum quod Naso in primo Metamorphos. describit ita:

Separat Aonios Actæis Phocis ab aruis
Terra ferax,dum terra fuit,sed tempore in illo
Pars maris,& latus subitarum campus aquarum.
Mons ibi uerticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnassus,superatq; cacumine nubes.

Hic autẽ iuxta Solinum Cassius appellatur, de quo in Polyhistore suo capitulo quadragesimo quarto, primò sic ait: Iuxta Seleuciam Cassius mons est, Antiochiæ proximus,cuius è uertice uigilia noctis adhuc quarta,globus solis conspicitur,& breui corporis circumactu,radijs caliginem dissipantibus, illinc nox,illinc dies cernitur. Sed ne te Seleuciæ nomen decipiat æquiuocũ,

immiſſus, in locis pluribus multo argumento aquas miniſtrat horis conſtitutis. Sunt autẽ tam qui in montibus, quàm qui in deuexo, quàm qui in planicie ex opere ſolidiſſimo, muri denſi plurimum, & proportionabilẽ habentes altitudinem, turribus frequentibus, & ad defenſionem aptiſſimis, æquis ſpacijs circumſepti. In parte autem Occidentali inferius, circa partes ciuitatis nouiſſimas, ita mœnibus & monti fit uicinus fluuius, ut pons quo tranſitur, portæ ciuitatis & muro continuetur. longitudinem aũt ciuitatis quidã ad duo, quidam ad tria reputant miliaria. Diſtat autem à mari miliaribus decem, aut duodecim.

Quis erat dominus in ea, & quomodo audito noſtrorum aduentu, prius cominus erant ex uicinis urbibus copiæ in eam collectæ. Caput XI.

HVius aũt tam egregiæ ciuitatis præſes erat quidam, Accianus nomine, natione Turcus, qui de familia fuerat magni & potentiſſimi principis Soldani Perſarum, de quo ſuperius fecimus mentionẽ, Belfercho uidelicet, qui uniuerſas illas prouincias ſuo uiolenter ſubiugauerat imperio: tandem uerò ſubactis populis & nationibus, uolẽs ad propria redire, nepotibus ſuis ac uernaculis, quas uniuerſas ſibi uendicauerat, diſtribuit prouincias, ut tantorum beneficiorum memores, perpetuò ſibi fidelitatis nexu tenerentur obligati. in qua diſtributione, Solimanno eius nepoti, ut prædiximus, Nicea cũ adiacentibus prouincijs collata eſt. Cuidã uerò alteri eius nepoti, Ducat nomine, urbem contulit Damaſcenam cum urbibus ſuffraganeis & adiacentibus regionibus: quorum utriq; Soldanus & nomen contulit et dignitatem. Solimanno, quia cum Græcis limitans imperij Conſtantinopolitani, perpetua, & ſine intermiſſione erant certamina. Ducat uerò cum Aegyptijs, quorũ prædicto Soldano ſuſpectum erat incrementũ, & uires formidabiles, iugem & continuum penè habebat conflictum, & guerram pertinacem. Cuidam uerò ſeruo eius Aſſangur nomine, qui fuit Sangnini pater, & auus Noradini, famoſiſſimam contulit ciuitatem Alapiam. Huic quoq; de quo ſermo eſt in præſenti, Acciano urbem eadem liberalitate conceſſit Antiochiam, cum finibus modicis. Nam uſque ad Laodiceam Syriæ, Calipha Aegyptius uniuerſas poſſidebat regiones. Hic ergò audiens, quod tantus fidelium principum adueniret exercitus, miſſis frequentibus nuncijs, et uiua uoce, & epiſtolarũ officio omnes principes uniuerſi ſolicitabat Orientis, maximè autem & Calipham Baldacenſem: & eximium cæteris omnibus potentiorem Soldanum Perſarũ. eratq; ſatis facile, & in expedito, perſuadere quod poſtulabat. nam de noſtrorum aduentu erant multò antea præmoniti, de quorũ numeroſitate & uirtute inſuperabili Solimannus, qui ipſo rerum experimento & fide oculata conſpexerat, eos reddiderat fida relatione doctiores. Inſtat ergò uterq; multa precum inſtantia, & profuſis opem poſtulant lachrymis: hic, ut illatam ulciſci poſſit iniuriam: ille uerò, ut patriam ab eorum uiolentia defendat. Promittũt igitur illis manus, & ſubſidium pollicentur imploratũ: quod poſtmodum, ſicut res ipſa docuit, fideli interceſſione impleuerunt. Accianus tamen interea de noſtrorum aduentu ſolicitus, quanta poteſt diligentia, ex adiacentibus prouincijs, & finitimis urbibus uires congregat & inducit, & obſidionem de die in diem præſtolans, uictus & alimentorũ colligit copias,

licet cum multo strepitu & cornicinum stridore, equorumque hinnitu, & armorum fragore, confusa uociferatione, quæ usque ad sidera tolli uidebantur, noster accederet exercitus, tamen tota illa die, & per subsequētes aliquot tanto silentio conquieuit ciuitas, ut neque ex ea sonus aut strepitus audiret, ut meritò crederet defensoribus uacua, quæ tamen multis tam alimentorū, quàm optimè armatorum copijs militum redundabat.

Disponuntur principes circa urbem stationibus congruis, & urbem uallant obsidione: ciues timore consternantur. Caput XIII.

ERant itaque in ea ciuitatis parte, quæ in plano sita est, portarum aditus quinque. In plaga enim superiore, quæ ad Orientē respicit, erat porta una, quæ hodie dicit Sancti Pauli, eo quod monasterio eiusdē Apostoli in cliuo montis posito sit subiecta. Secūda uerò eidem è regione opposita, tantum ab ea distans, quantū in longum ciuitas porrigitur uniuersa, porta est Occidentalis, quæ hodie S. Georgij dicitur, eo quod eiusdem martyris basilicæ sit uicina. In latere autem septentrionali, tres erant portæ, quæ ad flumen habebāt exitum: quarū superior porta Canis dicitur, pontē habens ante se, per quem palus, muris contermina transitur. Secunda uerò, hodie porta ducis appellatur: quarū ab utraque, quasi spacio unius miliarij distat fluuius. Tertia uerò porta, Pontis dicitur, eo quod ibi pons est, quo fluuius transitur. nam inter prædictam Ducis portam, quæ media est, usque ad hanc, quæ est in eo latere nouissima, ita muris applicatur fluuius, ut de cætero muris continuus, à ciuitate non recedat. Hanc igitur, & eam quæ dicitur S. Georgij, quoniam ad utramque illarum, non nisi flumine transmisso, peruenire poterat exercitus, inobsessas dimiserunt, reliquis tribus superioribus obsidione uallatis. Superiorem igitur obsedit dominus Boamūdus, cum his qui ab initio eius castra secuti fuerant: circa eum, à parte inferiori, Robertus comes Normannorum, Flandrensiū comes, dominus Hugo Magnus: hi à castris domini Boamundi, usque ad portam Canis, castra cum suis Normannis, Francis, & Britannis continuauerant sua. Circa portam uerò eandem dominus Raymundus comes Tolosanus, & episcopus Podiensis, cum alijs nobilibus, qui eorum castra secuti fuerant: cumque omnium Guasconum, Prouincialium, & Burgundionum infinita multitudine, castra locauerunt usque ad sequentem portam omne spaciū occupantes. Circa uerò eandem portam, dux Godefridus cum fratre suo Eustachio, & Balduino Hematorum, Raynaldo Tullensium, Conone de Monte acuto, comitibus et illustribus uiris, et alijs nobilibus qui ab initio eius castra secuti fuerāt, Lotharingis, Frisonibus, Sueuis, Saxonibus, Franconibus & Bauaris, castra locant sua: reliqua parte, penè usque ad portam pontis occupata inter ciuitatem & ei iam coherentem fluuium & reliquorum castra principum, quasi in triangulo constitutus. Erant autē in prædicta regione pomœria, quę nostri uniuersa succidētes, claustra sibi, & equis eorum inde contexebant repagula. Admirabantur igitur qui de turribus & muris per cancellos castra contemplabant ciues, armorum fulgorē, operum diligentem instantiam, hospitandi modum, castrorum positionem, & suspectum tam uiribus quàm numero multitudinem: dumque præsentia cum præ

teritis comparant tempora, præsentē molestiam cum tranquillo qui præcesserat rerum statu conferentes. uxoribus & liberis, paternis quoque laribus, & quod pręcipuū est mortalibus, libertati timentes: felices eos reputant, quos amica mors tantis subtraxerat periculis, quibusque dederat obitus, ne tot inuoluerentur calamitatibus. Suspensi igitur de die in diem suorum cladem, & urbis expectabant oppugnationem: quasi certum habentes, quod absque ruina ciuitatis, & libertatis eius naufragio, tanta obsidio absolui nō posset, quæ ad id totis uiribus anhelabat.

Nostri super flumen pontem erigunt ligneum, ut liberius pabulatum exeant: in castra comitis Tolosani per portam eis conterminam, à ciuibus fiunt eruptiones repentinæ. Caput XIIII.

IGitur qui in castris erant, ut equis pabulum, sibique necessariam procurarent alimoniam, trans fluuium de necessitate egredi consueuerant, & procedere longius aliquantulum. Cumque sæpe ac sæpius illàc properantes cum animi incolumitate reuerterentur indemnes, ciuibus adhuc intra urbem se cohibentibus, nec præsumentibus ad hoc exterius euagari, pro consuetudine sibi fecerant fluuium sæpius in die transire, idque fiebat cum multa difficultate: nam inuadabilis erat fluuius, & natando transire oportebat. quod compertum habentes qui in ciuitate erant, plerunque palàm, sed frequentius clàm per pontem flumine transmisso, nostris incautè discurrētibus, & gratia quærendi necessaria, dispersis ab inuicem, cædem inferebant & uulnera: ea maximè freti fiducia, quod non poterant facilem habere ad castra reditum, fluuio impedimentum administrante. Eodemque pacto & qui in castris erāt, quamuis suos coram se malè tractari cernerent, nō facilè poterant optatum suis prębere subsidium: unde uisum est principibus omnino esse expediens, ut pontem ibi ex quacunque erigerent materia, per quem facilius insidijs possent occurrere, & suos recipere compendiosius, ad castra redire cupientes: utque nō deesset etiam peditibus eorum, ad suas necessitates euocatis, maximè usque ad mare uolentibus descendere, uia compendiosior, & sine difficultate. Inuentis igitur aliquot nauibus, tam in flumine quàm in lacu superiori, eisque inuicem competente nexu colligatis, suppositis etiam trabibus, & lignea ad id conueniente materia, uimineis desuper contextis cratibus, effecerunt, ut pluribus una fronte transire uolentibus, solidam in se præberēt habilitatem. Vnde ex eo facto maiorem populus consecutus est commoditatem. Distabat autem pons iste ligneus, à ponte lapideo qui urbi erat contiguus, quasi unius miliarij spacium, eratque positus iuxta domini Ducis castra, è regione contra portam quæ eidem Duci erat ad custodiam deputata, quæ etiam usque hodie ab eo cui commissa fuerat, porta Ducis appellatur: ita ut eius castra intra prædictam portam & pontem de nouo constitutū, essent sine interuallo media. Nec solum per pontem superius dictum, & portam ei cohærentem nostris procurabantur pericula, uerumetiam per superiorem, quę ab illa erat tertia, quæ porta Canis etiam hodie dicitur, multa nostris occurrebant discrimina. Erat autem, ut prędiximus, pons ibi lapideus super paludem quandam urbi conterminam, qui tamen ex eius fontis, qui est in Orientali porta S. Pauli, tum ex aliorum deriuatione iugi, & riuulorum continuo processu confi-

conficitur. Per hunc igitur pontem in castra domini comitis Tolosani, cui ad custodiam porta illa casu conugerat, nocturnæ fiebant eruptiones, & per diem etiam repentini nonnunquam assultus. Aperta enim porta, subitò sagittarum immittebant grandinē: & pluribus ex eius comitatu saucijs uel interemptis, in eo spem habentes, quod non nisi per pontē eos insectari poterāt, facto impetu, & cæde perpetrata, ilicò per pontem ad portam redeuntes, intra urbem se recipiebant indemnes. Vnde fiebat, ut prędictus comes & alij nobiles, qui in parte illa castra locauerant, maiorem equorum iacturam, & plura multò amplius in equis & mulis paterentur dispendia, quàm aliorum principum legiones.

Comes contra eos uaris procurat argumenta, tandem porta obiectis molibus obduratur. Caput XV.

COmes igitur & reuerendus episcopus tanta suorum non ferentes æquanimiter dispendia, conuocantes suos, præcipiūt, ut malleis & instrumentis repertis ferreis omnes unanimiter ad prædicti pontis dissolutionē se præpararent: factumq; est ita, ut die quadam loricati, cassidibus tecti & clypeis, ad pontem cōuenientes prædictum, cum multa instantia, pontem dissoluere conarentur: sed resistente plurimū operis soliditate omni ferro duriore, & ciuibus sagittarum immissione, & contorsione lapidum, eorū laborem impedientibus, uidentes quod nō proficerent, ab incepto destiterunt. Mutato igitur proposito, consilio machinam decernunt esse è regione circa pontem erigendam, de qua inclusorum introductorum solicitudinem, & instantiam armatorum ciuium, eorumq; eruptiones cohiberent. Comportata igitur competente & pro uotis materia, & artificibus uocatis, subitò, et infra paucos dies, suis absoluta partibus & diligentius completa, cum multo labore, & eam trahentium periculo, ante pontē in modū excelsę turris erecta est, & D. Comiti ad custodiā deputata. Ciues aūt uidētes machinā muro proximam, illuc sub omni celeritate contendunt, & directis ad machinam iaculatorijs iterum tormentis, crebra molarū contorsione eam debilitare festināt. Ipsi quoq; in turribus & muro cōstituti, sagittis & omni iaculorū genere his qui in machina erant & circa eam, instantes animosius, eos à ponte arcere satagebāt. Dumq; qui supra murum erant, ex omni latere instarent & iacularentur frequentius, ita ut sagittarum immissione, & iaculorum frequentia nostros à se aliquantulum propulissent: alij aperta porta, cum multo exientes impetu, pontem uiolenter occupant: & rem gladio cominus peragentes, ad machinam accedūt, & exclusis inde qui ad eius custodiam erant deputati, machinam succendūt, & subitò redegerunt in fauillam. Videntes autē nostri principes, quod neq; sic contra eas, quæ per eam portam inferebantur, molestias plenè proficerēt, sequenti die tres iaculatorias erigunt machinas, ut saltem eorum iactu continuo, & saxorum contorsione muros & portā debilitare, & ciuibus per eam egredi uolentibus exitum possent impedire: fiebatq; ita, quamdiu se in iaculando continuarent machinæ, nemo per eam portam auderet egredi: remittentibus uerò illis operam, iterum ciues ad solitas recurrebant eruptiones, castris uicinis multas inferentes molestias. Videntes autem nostri, quod neque sic proficerent, de quorundam consilio, rupes ingentis magnitudinis,

quæ uix centum deuolui poſſent manibus, & robora prægrandia in uirtute loricatorum mille, protegente eos uniuerſo exercitu, ultra pontem deferẽtes, portæ obijciunt, tantam eis præſtruentes congeriem, ut porta de cætero ciuibus inutiliter aperiretur, molarium aggere conatus eorum præpediente. Sicq; factum eſt, ut tali argumento per eandem portam, ciuium frangeretur impetus, & eruptiones quieſcerent repentinæ.

Noſtris pabulatum egreſsis, hoſtes occurrunt, fit conflictus acerrimus. multi ex utroq; exercitu cadunt, tum confoßi armis, tum ſubmerſi flumine. Caput XVI.

FActum eſt autẽ die quadã, quod de noſtro exercitu uiri equites, numero treecenti, noſtrum pontem pabulandi gratia tranſeuntes, cœperunt per regionem, more ſuo, ut ſibi quærerent neceſſaria, diſpergi. Morem autem fecerat, & pro conſuetudine induxerat, tum neceſſitas importuna, tum id etiam quod frequentius ab illis partibus, licet ſecum plura comportarẽt neceſſaria, redierunt indemnes: unde ſibi quandam incautam nimis pollicebantur ſecuritatem, arbitrantes quod ſe perpetuò in huiuſmodi continuarent ſucceſſu, nec ſe, ſicut in bellicis ſolet fieri negotijs, caſus ſiniſter interponeret: quos ex urbe contuentes, egreſſi in maiore multitudine ciues, per pontem tranſeuntes lapideum, ad eos quos incautius deambulantes uiderant, ſub omni celeritate contendunt: in quos irruentes ſubitò, pluribus ex eis interfectis, reliquos in fugam uertunt. Qui dum ad pontem nauium tanquam in caſtra ſe colloca turi properarent, primis pontem occupantibus, plures ex eis uado tranſire cupientes, mortem inuenerunt in undis, in quibus arbitrabantur reperire ſalutem. Alij quoq; nihilominus de ponte, licet inuiti turmis comprimentibus ferebantur in alueum præcipites, quos ex parte plurima aquarum comprimebat uiolentia, & inuolutos pariter trahebat in profundum, abſorbens aui dè, quod poſtmodum reddere denegabat. Quod poſtquã noſtris innotuit, concurrentes ad arma, loricatorum aliquot milia, flumine tranſmiſſo, hoſtes à noſtrorum redeuntes cæde, & de ſpolijs exultantes habent obuiam: quos uſque ad portam ciuitatis, grauiſſimam in eis ſtragem operantes, multa pro ſecuti ſunt inſtantia. At uerò ciues uidentes ſuorum ſtragem & uulnera, & deficientibus compatientes, reſerata porta in graui multitudine, & audacia ſolito ampliore, pontem tranſeunt lapideum, & ut ſuis neceſſarium procurarent auxilium, in noſtros irruentes animoſius, primum ualidè reſiſtentes, demum ui oppreſſos multitudinis, in fugam uertunt, & uſque ad pontem contextum nauibus perſequi non deſiſtunt: in quo facto plurimi ex noſtris pedi tibus gladio ceciderunt, plurimis etiam ſubmerſis in flumine. De equitibus uerò, dum ſuper pontem arctius ſe comprimunt, hoſtes fugiendo inſectantes, de ponte in fluuium dati præcipites, cum equis, loricis, galeis & clypeis, poſtmodum comparere deſierunt, fluentarum uoragine ſuffocati. Sic ergo exercitus non leuiorem quàm qui in urbe erant, patiebantur obſidionẽ: nam cohibentibus eos tam ciuibus quos latere nõ poterat noſtrorũ exitus, quàm hoſtib. exteris, qui in ſyluis & montib. deliteſcebant, noſtris inſidias prætendentes, & de noſtris triumphãtes ſæpius, nõ erãt auſi extra caſtra procedere, aut uictus quærẽdi gratia longius euagare: nec in ipſis etiam caſtris tuta ſatis erat mora, timentibus uniuerſis, ne hoſtiũ ingens (qui ex locis plurimis con-

gregari

gregari dicebatur) super eos repentè irrueret multitudo. ita ut prudenti uiro meritò posset uenire in ambiguum, utris magis timendum esset, quorum ue melior esset conditio, an obsidentium, an eorum qui obsidionem pati uidebantur.

Consumptis necessarijs, cœpit fames inualescere. Populus inopia laborare. Pluuiarum intemperie putrefieri tentoria. Exercitus deperire. Caput XVII.

REferre casus singulos, qui in tanta obsidione, & tam continuo tēpore per loca uaria diebus penè singulis accidebāt, longum esset enumerare, te historiæ compendio, quod studiosè quærimus, ualde contrariū: unde omissis specialibus, generalia prosequamur. Inter hos igitur assidui Martis uarios euētus, cum iam quasi in mensem tertiū protracta esset obsidio, cœpit in castris uictus deficere, & alimentorum inopia exercitus laborare. Cum enim ab initio maximam rerum necessariarum habuissent opulentiam, & equis eorum non deessent pabula, more imprudentium arbitrati sunt, quod se in eodem statu deberent continuare tempora, nihil sibi facientes reliquum, sed cōcessa abutentes ubertate, infra paucos dies, quæ ad multos sufficere poterāt, si congruo dispensarentur moderamine, profligabant uictualia. Nō erat in castris modus, nec prudentibus amica parsimonia, sed ubiq; luxus, ubiq; superfluitas: nec solum in his quæ ad hominum pertinebāt alimoniam, uerùm etiam in cibis iumentorum, & in equorum pabulis, omnis omnino modus defecerat: unde factum est, ut exercitus ad tantam redigeretur inopiam, quòd fame inualescente, penè populus deperiret uniuersus. Colligebantur ergo adinuicem, & præbitis inter se iuramentis, quod æquis portionibus, & bona fide, cuncta quæ lucro cederent, diuiderentur: trecentorum aut quadringentorum simul egrediebantur agmina, uniuersam perlustrantia regionem, ut sibi uictum quacunq; ratione procurarent. Hi tale propositum habentes in principio, antequam ciues ad eos egredi, & insidias moliri consueuissent, dumq; suburbana longè lateq; gregibus & armentis, frumento, uino, & alijs redundarent alimentis, cum multa præda, & uberibus spolijs, & uictu plurimo reuertebantur, unde prædicta in castris fuerat opulentia. At nunc exhaustis locis conterminis, & Turcis, qui prius timore contabuerant, resumptis uiribus, & animositate recepta sua loca defendentibus, aut uacui penitus reuertebantur, aut (quod sæpius contingebat) interemptis omnibus non supererat, qui uel de eorum interitu castra certificaret. Inualescebat igitur per singulos dies fames & inedia, ita ut uix pro duobus solidis, qui uni personæ semel in die sumpto cibo, sufficeret panis, inueniret. Bos aut iumentū, qui ab initio dabatur pro quinq; solidis, duabus marcis uendebat. Agnus uel hœdulus qui pro tribus aut quatuor denarijs dari consueuerat, quinq; aut sex solidis uix repertus dabatur. Equo aūt pro cibo necessario per noctē octo uix poterant solidi sufficere: unde factum erat, ut qui aduenientes equorū secum deduxerant plus quàm septuaginta milia, uix in castris haberent duo milia, cęteris fame & algore consumptis. Quiq; superesse uidebantur, inedia tabescentes quotidie, & frigoris attenuati uiolentia, paulatim deficiebant. Computruerāt præterea castrorum papiliones & tentoria, ita ut multi quibus adhuc uictus supererat, consumpti frigoris inclementia, uitam expirare cogerentur.

Tanta

Tanta enim erat aquarum inundantia, & pluuiarū intemperies, ut & uictus & ueſtes computreſcerent, & non eſſet locus, ubi aut capita, aut neceſſariam poſſent in ſicco locare ſuppellectilem. Tanta igitur lues legiones in caſtris oppreſſerat, ut iam locus deeſſet ſepulturæ, iam funeribus exequiarum negarentur officia. Si qui adhuc uigoris aliquid in ſe uidebantur habere, ne ipſi quoq; pari conſumerentur periculo, aut in fines Ediſſanas ad dominum Balduinum, aut in Ciliciam ad eos qui urbibus ibi præerant, aut ad alia loca quælibet, quæ in noſtrorum iam deuenerant poteſtatem, occultè ſe conferebant. Sic ergo his abeuntibus, alijs uerò languore & fame conſumptis, alijs etiam peremptis gladio, adeò comminutus erat exercitus, ut uix eius dimidium uideretur ſupereſſe.

Boamundus & comes Flandrenſis, cum ingenti militia pabulatum exeunt. Ciues interim in caſtra clàm irruunt, noſtris damnum & iniuriam irrogantes. Caput XVIII.

VIdentes igitur Deo deuoti principes afflictionem populi, & moleſtias, quibus inceſſanter premebantur, compaſſione liqueſcentes, & pereuntis exercitus dolore tabidi, conuenerūt adinuicem, ſicut & frequenter facere conſueuerant, deliberationem habituri, quomodo & quale tantis malis poſſent adhibere remedium. Tandemq; poſt multas diuerſi generis opiniones uiſum eſt expedientius, ut quidam de magnatibus, aſſumpta ſecū exercitus parte, hoſtium terras ingrederētur, ut inde ſibi prædam, & uictui deferāt neceſſaria: alij uerò medio tempore in caſtris reſidentes, cum omni ſolicitudine exercitū tuerentur. Factumq; eſt ita, ut domino Boamundo, & comiti Flandrenſi id muneris iniungeretur: domino comite Toloſano, & epiſcopo Podienſi, ad cuſtodiam caſtrorū derelictis: Comes enim Normannorum aberat, & dux Lotharingiæ dominus Godefridus lecto decumbens, graui moleſtabatur ægritudine. Aſſumptis ergò cùm equitibus, tum de numero peditum conuenientibus copijs, & quales fatigatus exercitus poterat miniſtrare, in terras hoſtium profectus eſt. Audientes uerò ciues, quod Boamundus & Flandrenſis comes abierant, comes Normannorum aberat, Dux uerò infirmabatur, occaſionem ſumentes, ex tempore & ex utroq; ſolito maiorem audaciam, pontem de communi conſilio tranſire, & in noſtrorum caſtra irrumpere, opportunitatemq; non negligere, quam principum abſentia uidebatur offerre. Conuocata igitur ex uniuerſa ciuitate omnimoda multitudine, ad portum pontis cōueniunt, & reſerato aditu, quidam per pontem, nonnulli per uadum quod erat inferius, certatim tranſeuntes in caſtra moliebantur irruere. Comes autem cum quadam equitatus manu illis occurrens, duobus ex eis interemptis, reliquos intra urbem ſe recipere compulit. Acciderat autē in eo conflictu, quod noſtri equites equum quendam uacuum, cuius dominum ad terram deiecerat, perſequerentur, ut eum caperent. quod uidens populus infelix & indiſcretus, arbitrabat quod noſtri equites timoris cauſa fugerent, in fugam quoq; ſe dederunt: & præ timore ſe coanguſtantes adinuicem, ipſi ſibi mortis cauſam miniſtrabant. Videntes igitur ciues, quod noſtri fugerent nemine perſequente, rurſus per portam egreſſi, fugientibus inſtant cominus, à ponte lapideo uſq; ad naualem pontem noſtros inſectātes, cædemq; in eis plurimā operati ſunt: noſtris enim ſe ad inuicem comprimentibus,

tibus, & præpedientibus iter, partim gladio, partim flumine: de equitibus quindecim, de numero peditũ uiginti consumpti sunt. Quo successu hostes plurimum erecti, in urbem se receperunt.

Qui pabulatum exierant, inuentis hostibus & deuictis, cum præda redeunt, & spolijs uberibus. Caput XIX.

AT uerò prædicti principes dominus Boamundus, & Flandrensium comes, qui de cõmuni consilio pabulatũ exierant, ut castrorũ uictu lato releuarent inopiã, cum suis cohortibus hostiũ regionẽ ingressi, hunc nostrorũ casum quocũq; modo, factis felicioribus recompensauerunt: nã expugnata hostiũ uilla quadã bonis omnib. referta, Boamũdus ad partes uarias exploratores direxerat, ut de statu regionis eum redeuntes instruerẽt, & prędam si possent, ampliorẽ congererent. Factum est autẽ, ut quidã ex eis reuertentes, Turcorũ multitudinẽ in proximo constitutam esse renunciarent, contra quã D. Flandrensem cum honesto dirigens comitatu, ipse cum maioribus copijs subsequebatur, quasi opem si deficeret collaturus. Ille uerò, sicut uir strenuus erat & magnificus, in hostes animosius irruens, nõ prius ad Boamundũ redijt, quàm cæteris in fugam uersis, centũ ex eis gladio peremit. dumq; uictor ad maiores reuerterer copias, ecce exploratores alij, multo fortiores ex alio latere nunciant acies aduentare: contra quas multiplicatis uiribus, & adaucto comitatu, eundẽ Flandrẽsium comitẽ dirigit, ipse uerò cum reliqua parte copiarum ponè subsequit in subsidiũ, cum opus foret, descẽsurus. Factumq; est ita præuia Domini misericordia, ut hostibus in locis quibusdã angustiorib. deprehensis, cum uiderẽt quod neq; sagittis, neq; arcu, sed gladijs cominus res cum eis agerẽ, pugnæ huiusmodi usum nõ habentes familiarẽ, in fugam uersi sunt: quos quasi per duo miliaria insectantes, stragem plurimam in eis exercuerunt. Vnde cum trophæo redeuntes, cum equis & mulis & uberib. spolijs, & præda multimoda, quam de uniuersa contraxerant regione, in castra sani & incolumes se contulerant. Lętatus est exercitus de fratrũ successu, & cœpit à laboribus suis aliquantulum respirare, quoniã tamen præda pauca fuerat, & quæ tantæ multitudini uix ad paucos dies poterat sufficere, non multum releuata est exercitus inopia.

Sueno Danorum regis filius exercitum subsequens, cum suis copijs iuxta urbem Finiminis à Turcis interficitur. Caput XX.

INterea de partibus Romaniæ, rumor quidã mœrore plenus & anxietate uniuersorum corda perculerat, & præsentibus miserijs adiecerat cumulũ tristiorem. Dicebatur enim, & uerè sic erat, quod quidã homo nobilis & potens, Danorũ regis filius, Sueno nomine, uir genere, fama & morib. conspicuus & illustris, eiusdẽ peregrinationis accensus desiderio, mille quingentos optimè armatos eiusdẽ nationis iuuenes secũ trahens, in subsidiũ nostris, & ad præsentẽ properabat obsidionẽ. Hic de regno patris tardior egressus, plurimũ accelerauerat, ut se pręcedentib. cũ omni suo comitatu adiũgeret legionibus: sed causis pręceditus familiaribus, nõ potuit assequi quod optauerat. Seorsim igit trahẽs agmina, solus absq; alicuius aliorũ cõsortio principũ iter arripuit, & uiã aliorũ secutus, Constantinopolim peruenerat, ubi ab Imperatore satis honestè tractatus fuerat: & cũ incolumitate Niceã perueniẽs, in partes

tes Romaniæ ad exercitum properans, cum omni suo comitatu descẽderat. Dumq; inter urbes Finimuris & Termam castrametatus esset, & minus prouidè se haberet aliquantulum, irruentibus super eum clàm & de nocte Turcorum ingẽtibus copijs, in ipsis castris gladio perempti sunt: tamen aduenientium strepitu præcognito, sed è uicino, ad arma conuolant, ubi anteq; plenius instructi hostes possent excipere, ab improuisa oppressi multitudine, penè omnes ceciderunt, sed tamen diu & uiriliter resistentes, ne gratis animas uiderenẽ impendisse, cruentã post se hostibus reliquerunt uictoriã.

Tatinus uir subdolus, tanquam uictualium commercia missurus, & Imperatorem rogaturus ut subueniat, ab exercitu discedit non rediturus. Caput XXI.

TAtinus, de quo & suprà fecimus mentionẽ, Imperatoris hypocrisiarius, qui quasi pro duce itineris ab eodem Imperatore nostrorũ exercitui fuerat adiunctus, & usq; in præsentem diem nostras secutus fuerat legiones, uidens molestias quibus premebatur exercitus, timẽsq;, sicuti & timidus erat, ne principes possent in proposito perseuerare, & populus una die sub hostiũ gladijs contereretur uniuersus: ad conuentum accedens principum, persuadere cœpit cum multa instantia, ut soluta obsidione, ad urbes & finitima præsidia, uniuersus se transferret exercitus, ubi & uitæ necessaria possent abundantius reperire, & Antiochenis frequentes inferre molestias, quousque domini Imperatoris exercitus, quem ex diuersis nationibus, ad infinita contraxerat milia, ut eis subsidium ministraret, circa ueris adueniret initium. Adijciebat etiam, quod quia laboribus eorum ab initio cõmunicare decreuerat, & tam prosperitatis quàm aduersorum se optabat habere consortium, maiorem se ob communem gratiam & publicam utilitatem uelle laborem assumere, uidelicet ut ad Imperatorem directo festinet itinere, exercitum maturare compellat, & de uniuersis ultra urbem finibus, uictui necessaria faciat comportari. Cuius mentem licet nostri principes extunc & ab initio subdolam cognouissent & fallacem, tamen illius uerbo, nemo se obuium dedit, nec fuit quisquam qui se eius moliminibus opponeret. Tunc ut quocunque colore fraudem suam palliaret & commentum, tentoria reliquit, & ex plurima parte familiam, aut eorum negligens salutem, aut in occulto significans, ut ad locum destinatum die statuta eum sequerentur. Abijt ergò, quasi in proximo rediturus: qui postea non comparuit, uir infidelis & nequã, morti perpetuę tradendus. Reliquit ergò post se perniciosum exemplũ. nam ab ea die, quicunq; à castris clàm se potuerunt subducere, fugam occultam inierũt, iuramentorum immemores, et publicæ professionis, quam ab initio uotis con ceperant ardentibus. Fames tamen interim inualescebat, nec poterant principes huic tanto malo præsens aliquod remedium adhibere. Nam licet bini & bini de electis principibus cum ingentibus alternatim copijs, hostium regiones sępe ingrederenẽ, & sæpius uictores redirent ad propria, tamen nec prędas, nec uictualia secũ deferebant necessaria. Hostes nimirũ comperta exercitus & eorum qui deprædandi gratia exire consueuerãt, fame, greges & armenta, & si qua alia in peculijs habebant animalia, ad montes imperuios & loca transferebant penitiora, ubi nec nostris pateret accessus, & peruenientibus etiam non esset facilè prædas abducere.

Fame

Fame inualescente, & lue pestifera populum occupante, triduanum ab episcopis indicitur ieiunium. Caput XXII.

PEr idem tempus, cum circa exercitum de die in diem fames, lues, & alia increbrescerent pericula, uidentes seniores populi, & qui sensus habebāt magis exercitatos, peccata hominum id exigere, & Dominū ad iracundiam prouocatum, meritò hæc flagella populo duræ ceruicis infligere, conuenientes adinuicem, & Domini timorē habentes præ oculis, anxie deliberare cœperunt, quomodo commissa celeri pœnitudine diluentes, & pro culpis præteritis condignè satisfacientes, & similia in posterum præcauentes, indignationem Domini sibi possent reddere placabilē. Factum est igitū de mandato & autoritate domini Podiensis episcopi, qui legatione sedis Apostolicæ fungebatur, & aliorum Deo amabilium pontificū: consentientibus, & idipsum fieri summopere postulantibus principibus laicis, & uniuerso exercitu, indictum est triduanum ieiunium, ut adflictis corporibus, animæ ad orationem possent consurgere fortiores. Quo cum omni deuotione expleto, decernunt pariter, fatuas & leues mulierculas ab exercitu sequestrare: adulteria, & omne fornicationis genus sub pœna mortis inhibentes. Comessationes & ebrietates, & periculosum alearum ludum, incauta iuramenta, in pondere & mensura fraudem, & omnē circumuentionem, furtum & rapinam interdicentes. Quibus decretis, & uniuersorum scitu corroboratis, conuenienti iudices super horum omnium cognitione certos constituunt, quibus & cognoscendi & animaduersionis plenam conferunt autoritatem. Inuenti sunt postea quidam harum sanctionum uiolatores, quibus per prædictos iudices accusatis & conuictis, solenniter iuxta legum seueritatem pœna pro modo culpæ inflicta, alios à similibus deterruerunt cōmissis. Factumq; est per Domini superabundantem gratiam, ut populo ad frugem melioris uitæ reuocato ex parte quiesceret ira Domini sæuior. Statim enim dominus Godefridus, qui totius exercitus quasi singularis erat columna, de ualida ægritudine, qua diu molestatus fuerat, occasione uulneris, quod ei apud Antiochiam Pisidiæ ursus intulerat, plenè cœpit conualescere. unde totus exercitus plurimam suæ afflictionis recepit consolationem.

Dux Godefridus plenam recipit conualescentiam, & exercitus de eius salute consolationem. Caput XXIII.

RVmor interea et fama celebris iam uniuersum repleuerat Orientem, sed nec etiam Austri reginam & exteras nationes intactas reliquerat, tantas Christianorum aduenisse copias, et urbem in ualida manu obsedisse Antiochenam. Vnde regum quisq; pro suo statu solicitus, exploratores ad nostrū dirigebat exercitū, ut per eos de moribus & uirtute & proposito tantæ multitudinis redderentur prudentiores: eratq; in castris tanta eorum copia, ut penè singulis diebus, alijs abeuntibus, his qui eos miserant, statum exercitus renunciaturi, recentes eisdem conditionibus aduenirēt. Nec erat difficile huiusmodi hominibus inter nostros latēre, tum linguarum habentes commercium, cum alij Græcos, alij Syrianos, alij Armenos se esse confingerēt, & uerborum idiomate, & moribus, & habitu talium personas exprimerent. Super eo quoq; ut Reip. consuleretur conuenientes adinuicem, deliberare cœ-

perunt principes, quidnam fieri oporteret. Videntesq́ quod huiusmodi exploratores nō facile erat à castris expellere, quoniam à prędictis nationibus, lingua, moribus & habitu penitus erāt indifferentes: interim donec plenius deliberetur, quid contra illos statuendum sit, optimè iudicant cōsilia sua communicare paucioribus, ne per plures diffusa, usq; etiam ad illos peruenirent, qui in læsionem Christianæ plebis essent hostibus propalaturi. Cumq́; nihil aliud contra talium improbitatē excogitare possent amplius, dominus Boamundus, sicut perspicacis erat ingenij, & mentis acumine pollebat, fertur dixisse principibus: Fratres & domini, omnem istam solicitudinem proijcite super nos. nam autore Domino, nos conueniens huic malo inueniemus remedium. Sic itaq; soluto principum cōsistorio, quisq; ad castra sua reuersus est. Boamundus uerò promissi memor, circa primum noctis crepusculum, cum alij per castra pro cœnæ apparatu more solito essent soliciti, educi præcepit Turcos aliquot, quos habebat in uinculis, & tradens eos carnificibus, iugulari mandat: & igne copioso supposito, quasi ad opus cœnæ diligenter assari præcipit, & studiosius præparari: præcipiens suis, quod si ab aliquibus interrogati essent, quid nam sibi talis cœna uellet: responderent: Quod inter principes conuenerat, ut quotquot deinceps de hostibus, aut eorum exploratoribus caperentur, omnes prandijs & principū & populi ex se ipsis escas, & uiaticum cogerentur persoluere. Audientes igit, qui in expeditione erant, quod talia in castris Boamundi tractarentur, facti admirantes nouitatem, illuc concurrunt uniuersi. Quo facto, qui in exercitu erant exploratores, deterriti, totum esse serium, & sine simulatione, quod decretum dicebatur, arbitrantes, ex eo quod acciderat euidens trahebant argumentum, timentesq́; ne simile quid eis contingeret, à castris egressi, ad propria redierunt, his qui eos miserant dicentes: Quoniam populus hic, quarumlibet nationum, ferarum etiam exuperat sæuitiam, cui nō sufficit urbes, castella, & omnimodam hostium diripere substantiam, & eos uinculis mancipare, aut more hostium torquere inclementius, aut saltem occidere, nisi etiam de carnibus eorum uentrem suum impleant, & adipe saginentur inimicorum. Exijt ergò iste sermo ad partes Orientis remotissimas: & non solum finitimas, uerùm longè positas exterruit nationes. Ciuitas quoque tota contremuit, acerbitate facti conterrita. Sicq; factum est per studium & operam domini Boamundi, ut exploratorum pestis ex parte quiesceret, minusq; nostra hostibus diuulgarentur consilia.

Aegyptius Calypha nuncios dirigit ad principes, fœdus postulans, & eorum gratiam sibi conciliare quærens. Caput XXIIII.

PORrò Aegyptius Calypha inter cæteros infidelium principes, diuitijs & malitia potētissimus, nuncios suos ad nostros direxerat principes, cuius legationis causa hæc erat: A multis retro temporibus uetus odium, & graues inimicitiæ inter Orientales & Aegyptios, ex dissimilitudine superstitionis eorum, & ex contradictorijs dogmatibus ortę fuerāt, & usq; in præsens, tractu continuo, inexorabiliter deductæ, ita ut prædicta regna, mutuis congressionibus plerunq; collisa, fines suos contra se porrigere, & terminos alternatim protelare certatim contenderent, sicut in primo huius operis libro

dictum

dictum est diligentius. Factis uerò nunc his, nunc illis, pro temporum differentia, & successuum uarietate superioribus, regna quoque suscipiebant incrementa, ut quicquid uni accideret, totum alteri decessisse uideretur. Possidebat autem per id temporis princeps Aegyptius, à finibus Aegypti usque ad Laodiceam Syriæ uniuersas, itinere triginta dierum regiones. Persarũ uerò Soldanus Antiochiã, regni Aegyptiorum finibus conterminã, modico ante nostrorũ aduentũ sibi uendicauerat tempore: & uniuersas usque ad Hellespontum, ut prædiximus, occupauerat regiones. Suspectum igitur habẽs Aegyptius Persarum uel Turcorum incrementum, super eo plurimum congratulabatur, quod amissa Nicea, Solimannus cum suis malè tractatus diceretur, & quod circa Antiochiam nostri locassent obsidionem: Turcorũ damnum sibi pro lucro reputans, & eorum molestias pro summa sibi & suis tranquillitate. Timens ergo ne nostri ab incepto deficerẽt, & laboris superati diuturnitate fatigarentur, nuncios dirigit familiares, & assumptos ex domesticis, qui nostros principes ad continuandam obsidionem solicitent, & eius opem & auxilium promittẽtes, principum sibi corda concilient & gratiam, ferirentque cum eis pacta & amicitias. Qui mandatum domini fideliter exequentes, nauigio uecti, in nostrorum castra peruenerunt, pro his omnibus quæ illis iniuncta fuerant, ualde soliciti. Hi licet à nostris principibus satis hospitaliter & honestè suscepti fuissent, & ad eorum colloquiũ, ut iniuncta nunciarent, frequẽter admissi: nostrorum tamen tolerantiam, uires, & armorum genus admirantes, & laboris patientiã: suspectas dein habebant tantæ multitudinis copias, quod futurum erat, animo præsagientes. nam quòd ille fraudulenter in aliorum supplantationem tractabat, id in se postmodum coactus est experiri. Nã Antiochena urbe deuicta, Christianæque restituta fidei, & pristinę libertati, quicquid ab eadem ciuitate, usque ad riuum Aegypti, qui Gazę continuus est, itinere dierum quindecim, fidelis hodie detinet populus, totum ab eius uiolenta dominatione, per omnipotentis Dei gratiam, ab eo sibi potenter uendicauit.

Ciues Antiocheni à finitimis subsidia uocant, & obtinent eorum auxilia. Circa castrum Harenc tentoria locant. Caput I.



Nterea ciues Antiocheni, simul et eorum dominus, pro statu suo ualde soliciti, uidentes nostrorum longanimitatē, & in laboribus perseuerantiam, quodq; nec fame, nec frigoris inclementia ab incepto poterant reuocari, sed inter tot molestias propositum continuare satagebāt, missis epistolis & crebris legationibus, principes finitimos in sui subsidiū euocare contendunt, orātes, & persuadere nitentes attētius, quatenus fratrū compassione moti, eis opem maturare non differant. modum etiam, quo subintrare possint commodius, insinuant talem: ut ad urbē accedentes, occultè in insidijs lateant, expectantes ut ciues more solito cum hostibus, secū ad pontē cōgrediant̄, & circa eos detineātur occupati: dumq; circa id tam interiores quàm exteriores plurimum fuerint negotiosi, tunc irruant subitò, & incautos opprimāt: futurumq; esse, ut & antè & retrò eis occurrētibus, nec uni ex eis liceat mortē euadere. Factū est igitur per eorū iugem instantiā, quod ab Alapia, Cęsarea, Hama, Emissa, Hierapoli, & alijs conterminis urbibus ad ingentē numerum cōgregata militia, clàm & sine tumultu, sicut in mandatis acceperant, accedentes, circa castrum Harenc, quod ab Antiochia uix distat quatuordecim miliarib. castra taciti locauerant: propositū habentes, sicut ab Antiochenis formā receperāt, nostris circa urbis assultū occupatis, ex improuiso irruere. Verùm fidelibus locorum, in locis qui nostris multo usui sępius fuisse noscunt̄, statum eorum & aduentū significantibus, principes præmoniti conueniunt adinuicē, super eo negotio deliberaturi. Placuitq; demum, ut omnes, quotquot in exercitu erant equites, equos quibus uti possent habentes, circa primū noctis crepusculū armis instructi, clàm, & sine tumultu uexilla suorū sequentes principū, in silentio castris egrederent̄. Pedites autē in castris remanerent, pro tuitione castrorū soliciti, quousq; maiores proficiscentes, autore Dño, reuerterent̄.

Nostri principes, peditibus ad castrorum tuitionem relictis, cum equestri manu procedunt obuiam, uictores in castra redeuntes. Caput II.

SVb primo igit̄ noctis crepusculo, sicuti condictū fuerat, à castris egressi, per pontem nauium, uix septingentos secum eduxerant equites: ad eum proficiscentes locum, qui medius inter lacum, de quo superius fecimus mentionem (ubi de urbis situ locuti sumus) & Orontē fluuium, qui ab eo quasi unius miliarij distat spacio, ibi ea nocte quieuerunt. Hostes uerò nihilominus eadem nocte, eundem fluuium per pontem superiorē transierant, de nostrorum aduentu penitus ignari. Mane aūt facto, ubi lux prima terris se intulit, nostri cum omni celeritate arma corripientes, in sex acies suum ordinant exercitum, certis ducibus præsignatis. Turci uerò, iam in uicino constituti, habentes compertum per exploratores, quod nostri eis occurrebant, ipsi etiā de suis copijs duas acies præmiserant, reliquarum copiarum maiore turba subsequente. Factū est autē diuinitus, ut nostri, qui uix erant, ut prediximus, septingenti, per turmas iuxta rei militaris disciplinā dispositi, qui suscepto de superius incremento, infinita milia uiderētur. Procedentibus itaq; paulatim

contra se legionibus, cœperunt eorum primæ acies in nostros cum impetu irruere maximo,& immissa sagittarum grandine, ad suos habere recursum. Nostri autem eorum neglecto impetu,sed cominus accedentes, uibratis solito uigore lanceis,& gladijs incumbentes, eos in unam compellunt turbam solidari:comprimentibus autem eos locorũ angustijs, hinc lacu, inde fluuio licentiam euagandi inhibente, uidentes quod ad consuetas discurrendi artes & sagittandi habilitatem recurrere non dabatur facultas,eo nostrorum non ualentes sustinere instantiam, & se præ timore gladiorum comprimentes,in sola fuga spem salutis cõstituunt.dantes ergo terga,fugam arripiunt. Nostri uerò certatim eos insectantes,usq; ad prædictum eorum castrũ, Harenc nomine,quod à loco pugnæ decem distabat miliaribus, eos occidendo, & stragem infinitam operando, persecuti sunt. Videntes autem oppidani, suos in fugam uersos, hostium gladijs penè omnes occubuisse,milites post eorũ casum timentes,in præsidio remansere,succenso oppido,ipsi quoque in fugam uersi sunt.At uerò regionis incolę Armenij,& alij fideles,quorum illic multa erat copia,prædictum occupant municipium:illud statim nostris principib. antequam redirent ad castra,resignantes. Ceciderunt illa die de hostib.quasi ad duo milia, ex quibus quingenta capita reportãtes, erecti in spem bonam, & de gemino qui eis acciderat triumpho, lætantes, cum mille ualidis equis, qui eis plurimum erant necessarij,& spolijs ingentibus ad castra reuersi sunt, Domino maximas persoluentes gratiarum actiones.

Ciues cognito auxiliariorum suorum casu,grauiter consternantur. Caput III.

At uerò ciues interim tota nocte promissum expectantes subsidium,uotis ardentibus lucem affore præoptabant, ut uidelicet hostibus irruentibus exterius,ipsi quoq; nihilominus ab interius prodeuntes, nostros harũ rerum ignaros & incautos repertos,possent opprimere. Videntes autẽ circa noctis nouissima, iam illucescente aurora, quod aduentus eorum nulla com parebant argumenta,& cognito per exploratores,quod nostri principes eis obuiam processissent,congregati adinuicem,& per portas ciuitatis certatim egredientes,per totã diem nostris grauissima intulerunt certamina, quousq; de superioribus ciuitatis excubijs, quidam nostrorum aduentũ significabãt, tunc in urbem se receperũt. Vbi super turres & mœnia,& loca eminentiora constituti,aduentare quidem considerant legiones:ignari tamen,nostrorum an suorum castra essent,qui accederent. Tandem uerò nostris propius accedentibus,ubi eorum cœperunt arma cognoscere, eosq; prædã & manubias trahere conspicerent,& eos uictores, attritis suorum copijs compertum habuerunt, in grauia se dederunt (tanta spe frustrati) lamenta. Nostri uerò ad urbem accedentes,& castris illati,in uictoriæ signum, & doloris eorũ incrementum,ducenta Turcorũ capita machinis iaculatorijs in urbẽ contorqueri fecerunt, reliqua uerò ante urbem in palis præceperunt conseruari suspensa: ut tam hæc quàm illa tanquam spina in oculis,eorum augerent & multiplica rent molestias. Dicitur autem numerus fuisse eorum qui ad prædictum Antiochenorum subsidium uenire decreuerant,ad uiginti octo milia, sicut ex relatione captiuorũ plenius compertũ est. Factum autẽ est hoc mense Februario,septima die mensis,anno ab incarnatione Domini, M. XCVII.

Nostri castrum ædificant. Naues Ianuensium, in portu applicant. Populus ad mare descendit, & insidias passus, ex parte corruit. Caput IIII.

EOdē tempore uisum est nostris principibus, ut in colle quodā qui supra domini Boamundi erat tentoria, castrum ædificarent, ut si aliquādo in nostras expeditiones Turci tentarent irrūpere, eis noua munitio impedimentū præstaret, & nostrorum castris esset quasi antemurale. Quod factum postq̄ est, & diligenti custodię deputatum, totus exercitus ita collocatus est in tuto, tanq̄ si urbis mœnibus essent per circuitum uallati. Erat autē eis ab Oriente hęc noua munitio, ab Austro murus ciuitatis, & palus muris adiacēs: ab Occasu uerò solis & septentrione, fluuius in ciuitatē se obliquans. Cumq̄ iam in mensem quintum se protraxisset obsidio, naues quædam Ianuensium, peregrinos & uictualia deferentes, infra fauces fluminis egressæ, à pelago se contulerant, expectantes, & idipsum nuncijs frequētibus exigentes, ut missis de principibus aliquot, qui eos securè conducerent, ad castra proficiscerentur. Hostes enim sciētes, quod eorum qui in expeditione erant, frequens erat ad mare decursus, & eorū iterū qui in nauibus erant, recurrendi ad castra uotū, nō remissius uias obsidebant & itinera, & sequentes transeuntibus tendebāt insidias, & stragem in eis operabant, unde nō nisi in maximo comitatu ad castra præsumebant accedere. Decreuerunt autē per dies eosdē, in capite pontis, ubi erat quoddā superstitionis oratorium, munitionē quandā nostri principes exigere, ut minus liber hostibus per pontē patēret exitus. Sed quoniā infiniti de exercitu ad mare descenderant, qui peractis negotijs, ad castra redire proposuerant: eligunt de principibus D. Boamundus, & Tolosanus comes, & cum eis D. Eurardus de Pusato, & comes Gernerus de Gretz, qui Aegyptiorum nuncios redire cupientes, usq̄ ad mare prosequerētur, & eos qui in portu erant, tam qui recētes aduenerant, q̄ qui de castris ad eos descenderant, ad castra reducerent. Audientes uerò Antiocheni, quod prędicti principes ad mare descenderant, missis quatuor milibus expeditorum militum illis obuiam, præcipiunt ut eis parent insidias, & incautè redeuntibus, si ita contigerit, uiriliter occurrere nō formidarent. Factum est autē, ut post diem quartum, cum in redeundo essent, & secum traherēt inermis populi, & iumentorum, uictualibus, & omnimoda supellectile onustorū multitudinē, hostes eis in quibusdam locorum angustijs repentè ex insidijs occurrerent. Præibat autē dominus comes Tolosanus, dominus uerò Boamundus posteriora tuebat: qui licet uiri strenui essent, & per omnia cōmendabiles, dum ex insidijs hostium irrumpunt agmina, plebem inconsultam pro uoluntate regere nō ualentes, nec uires addere, uel alia, quibus natura negabat (postq̄ diu, tum pro sua honestate, tum pro illorum arcendo periculo) uidētes quod mora ad se traheret periculū, nec eos amplius inutiliter laborare oporteret, sibi prouidentes, imparem nimis conflictum reliquerunt, ad castra cum suis qui eos sequi poterāt, se conferentes. At uerò uulgus relictis sarcinis, partim ad syluas, partim ad montes fugit: qui uerò fugere nequiuerunt, hostium gladijs ceciderunt interempti. Facta est ibi nostrorū strages maxima: sed de numero occisorum quidam aliter & aliter nobis retulerūt: tamen plurimorum est opinio, promiscui sexus & ætatis usq̄ ad trecentos cecidisse.

Consilium

Consilium Ducis, & opus admirabile, contra sinistrum casum qui acciderat. Caput V.

RVmor interea ad castra peruenerat, eos qui à mari ascendebant, omnes in uia hostium insidijs & congressione, improuisè penitus corruisse: de principum autem uita uel morte, nõ erat quispiam, qui pro certo aliquid nunciaret. Interea uerò dominus Godefridus, sicuti uir erat impiger, & ad arma promptissimus, tantam pro Dei populo, quantam pro liberis gerens solicitudinem, conuocatis principibus, & legionibus uniuersis, arma incunctanter eos iubet arripere: & emissa uoce prçconia, sub pœna mortis interdicitur, ne quis tantæ necessitatis articulo se audeat subtrahere, sed omnes ad arma conuolent, fratrum sanguinẽ uindicaturi. Nec mora, quasi uir unus conuenerũt uniuersæ legiones: quibus in unum redactis, pontem transeunt nauium, & per acies diuiso exercitu, principes ei præficit, dominum Robertum Normanniæ comitem, dominum quoq; Flandrensem, dominum Hugonẽ Magnum, dominumq; Eustachium fratrem suum, singulis singulas acies distribuens, congruis locat stationibus, uerbis infundens animos, ad uirtutẽ inuitat, & tanq; uiris prudentibus propositum aperit, dicens: Si ita, ut nobis est nunciatũ (peccatis nostris exigentibus, Domino permittente) de dñs & fratribus nostris hostes nominis & fidei Christianæ triumphauerũt, nihil aliud restare uideo, uiri illustres, quàm ut cũ eis moriamur, aut tantã Domino Iesu Christo illatam ulciscamur iniuriam. Mihi credite, quia nec uita, nec salus, morte, uel quolibet ægritudinis genere, charior est: si tantorum principum sanguis impunè effusus est super terram, aut tãta Deo deuoti populi strages, maturam nõ inuenerit ultionem. Videtur ergò mihi, quod hostes depositi, de præsenti aliquantulum elati uictoria, imprudentius se habebunt: & de sua uirtute præsumentes, per nos ad urbem redire, prędam & manubias inferre non uerebuntur. Solet enim prosperitas eos, quibus pręsens arridet, reddere incautiores, sicuti uersa uice, miseris & afflictis rebus, consueuit solertia maior accedere. Nos ergò, si tamen uobis uidet, hîc simus parati, et iustam causam fouentes, de obtinenda uictoria, in eo cui militare nos credimus, spem certã habeamus: & hostes, si per nos redire uoluerint, in ore gladij, hostium more excipiamus, iniuriæ memores illatæ, & à paternis uirtutibus non degeneres. Placuit itaq; sermo iste, & in oculis omnium uisus est bonus: dumq; in eo adhuc consisterẽt uerbo, ecce dominus Boamundus à mari rediens, in castra se contulit: & post modicũ interuallũ, comes Tolosanus cũ subsecutus. quos reuertentes, cum lachrymis, & plena charitate suscepit populus, tantorum principum penè solatio destitutus. Intellecto itaq; domini ducis consilio, uerbum approbant, & ita fieri oportere protestantur. Accianus itaq; cognoscens quod sui uicerãt, timensq; redeuntibus, maximè propter egressas de castris prçter solitum legiones, quotquot erant in ciuitate armorum usum habentes, sub edicto publico ad portam pontis præcipit conuenire, ut suis redeuntibus, opem impendere, si opus fuerit, non morentur. Nostri uerò missis exploratoribus, diligenter percunctari faciunt, quo accedant itinere, de obtinenda uictoria spem habentes in Domino.

Hostes redeuntes cum uictoria ante portam ciuitatis, nostrorum gladijs obtruncantur: cadunt ex eis duo milia. Dux loricatum per medium diuidit. Caput VI.

NEc mora, dum ordinatis aciebus, & erectis uexillis, hostium prestolanẽ aduentum, ecce aduolant, qui eos in uicino constitutos denunciant, & nostros armari, & hostib. obuiam ire, multa uociferatione hortanẽ: illis uerò appropinquantibus, & eatenus uicinis, quod nostris egrediendũ esse uidetur, inuocato de superius auxilio, mutuo se hortãtes, ut uibratis hastis, pristinæ uirtutis memores, in eos unanimiter irruant, gladijs instãtes cominus: dumq; solita eis incumbunt instantia, & iniurię memores, quam pertulerãt, nec respirandi permittunt ferias, emarcuit uirtus eorũ, & præ timoris angustia renibus dissolutis, in fugam uersi, ad pontẽ ciuitatis certatim contendũt. Sed præuenerat eorũ molimina, in huiusmodi assuetus negotijs, Lothoringiæ dux illustris, & locũ qui ante pontẽ eorum erat aliquantulũ eminentior, cum suis occupat, & eos quos uenerabiles principes gladijs insectabãtur, ad pontem uolentes effugere, aut gladijs obtruncat, aut in agonem unde fugerant, uiolenter redire compellit perituros. Instat comes Flandrensium tanq; uir strenuus, & armorũ usum habens familiarẽ, cum suis sequacibus hostiũ prosternit agmina, obijciens animosius, & frequenter quæ in nostros mala cõmiserat exaggerat. Normannorũ uerò nihilominus comes, à paterna uirtute nõ degenerans, strenuè nimis in eodẽ desudat opere. Comes quoq; Tolosanus zelo Dei succensus. Hugo etiã Magnus, regij memor sanguinis, & à tantæ dignitatis culmine nõ recedens. Comes Eustachius, D. Ducis frater. Balduinus quoq;, Hermanduorũ comes: & Hugo de sancto Paulo, cũ alijs nobilibus, tanta hostes animositate insequunẽ, tanta in eos uirtute desæuiũt, ut contritis eorũ uiribus, more pecudũ impunè cęderenẽ. Accianus autẽ urbis portas post suos quos inde ad pugnam emiserat, claudi pręcipiens, ut eis animos ampliores infunderet, & pro desperatione reditus, magis animaret ad prælia, dum sibi credit consulere, suos inconsultè trahit in ruinã: dum eñ nostrorũ impetus & instantiam sustinere nõ ualerent diutius, salutis unicum erat fuga remedium: cuius spe frustrati penitus, passim gladijs cædunẽ & pereunt, qui ea uia mortẽ poterant euasisse. Erat aũt in castris tantus armorum fragor, & gladiorum tinnitus & choruscatio, equorũ fremitus, & populi uociferantis clamor, quod nisi armorũ genus manifestam inter eos præbuisset differentiam, multos potuisset error indiscretus imminentibus subiecisse periculis, aut sinistris casibus exemisse. Matronæ autẽ ciuitatis cum filiabus & paruulis, senes quoq; & imbellis populus, de turribus & muro suorũ stragẽ contuentes, gemitibus & lachrymis suorum deplorant exterminiũ, felicia iudicantes quæ præterierant tempora: felices eos nihilo minus, quibus mors amica pridem se contulerat, ne istis inuoluerentur calamitatibus. Quæcunq; fœcundas, beatas prius matres reputauerant, nunc mutato cantico, faustas esse steriles, & matribus multo prædicant feliciores. Accianus interea populum suum uidens penitus defecisse, quodq; residuũ erat gladijs expositũ, strage uicina consumendũ, portas præcipit sub omni celeritate aperiri, ut populi reliquias in tuto permitteret locari. Reserato aũt aditu tanta per pontẽ fugientiũ facta est turba & tumultus, ut hostibus insectantibus & præ timore seinuicẽ comprimentib. infiniti pręcipitarenẽ in fluuiũ. Dux uerò Lothoringiæ,

giæ, etsi in toto conflictu optime se haberet, tamen circa pontẽ iam aduespe-rascente die, tantum, tamq; insigne uirtutis, qua singulariter præeminebat, dedit argumentum, ut perpetua dignum uideretur memoria: factum eius celebre, quo se uniuerso exercitui reddidit insignem. Nam postquam multorũ capita loricatorum sine ictus repetitione solita uirtute amputauit, unũ de hostibus protinus instantem, lorica indutum, per medium diuisit, ita ut pars ab umbilico superior, ad terram decideret: reliqua parte super equũ cui insedit, intra urbẽ introducta. Obstupuit populus, uisa facti nouitate, nec latere patitur, quod ubiq; prædicat, factum tam mirabile. Cecidisse ea die dicuntur de hostibus, quasi ad duo milia: quod nisi nox importuna, nostrorum titulis & palmæ inuidens, se intulisset immatura, finem ea die proculdubio Antiochenum habuisset negotium. Tanta autem circa pontem & in flumine perpetratę cædis extabant uestigia, ut mutato colore fluminis, totus ad mare sanguineus descenderet. Fama est etiam, & ita per quosdam fideles, qui ab urbe egressi ad nostros se contulerunt, plenius innotuit, quod duodecim de maioribus eorum satrapis, in ea congressione gladijs obtruncati, irreparabile ciuitati damnum intulerunt.

Nostri in capite pontis præsidium con[s]truunt. Victoriæ signum ad [n]auci dirigunt. Caput VII.

LVce demum postera solito cursu terris restituta, iterum cõueniunt principes adinuicem, gratias Omnipotenti pro collata exhibentes uictoria, ut de instantibus deliberarent negotijs. Visumq; est omnibus expedire, ut ad id, quod prius conceperãt, redeuntes, munitionem quandã in capite pontis erigerent, ut & ciuibus præpediretur exitus, & nostris securior discurrendi ministraretur facultas. Erat autem ibi (ut prædixisse nos meminimus) superstitionis eorum oratorium, ubi etiam sepulturæ suorum locum deputauerant. Illuc enim tam noctu præterita, quàm diei parte sequentis iam exacta, defunctorum suorum transtulerant & sepelierant corpora. Quod ut plebi nostræ plenius, & pro certo compertum est, illuc uiolenter irruentes, occasione spoliorum, quæ cum ipsis tradita fuerant sepulturæ, sepulchra uiolant, sepultos effodiunt, aurum, argentum, & uestes preciosas cum ipsorum funeribus de monumentis extrahentes. Factum est autem, ut qui prius de numero interemptorum, eo quod de nocte consummatum erat prælium, dubitarent, per hanc talem reuelationem facti doctiores, pleniorem de hesterno negotio lætitiam conceperint. Nam præter eos qui in flumine uarijs casibus submersi sunt, & qui in urbe sepulti, quiq; letaliter saucij, mortem adhuc præstolabantur imminentem, mille quingenti in prædicto loco reperti sunt. Ex quibus trecentis uel amplius ad portum proiectis, nostros qui illuc ab hesterno conflictu redierant, lætificauerunt admodum. Aegyptiorum etiam legatos, qui nondum à portu discesserant, plurimum in eo facto deterrentes: unde factum est, ut qui in montibus & speluncis, syluis & frutetis ab hesterno elapsi periculo latebant, audita nostrorum uictoria, ad castra se contulerint. Milites, quos in prælio occidisse crediderunt, sani & incolumes, autore Domino, reuersi sunt. Vnde recepto populo, qui ad uaria loca se contulerant, castrum circa pontis initium, ex ipsis lapidibus, quos de monumentis

mentis effoderant, unanimiter & feruenti studio muro erigunt solido, & erectum, uallo profundo cõmuniunt. Dumq́ inter principes de eius custodia esset deliberatio, & nemo esset eorũ, qui tanto oneri se uellet subijcere, & causas quisq́ pro sua excusatione uarias allegaret, uir Deo amabilis dñs comes Tolosanus ultrò se obtulit, & publicæ utilitatis gratia nouũ præsidiũ in suã suscepit curam. Vnde & uniuersarum expeditionũ gratiã, quam toto anno perdidisse uidebatur, sibi recõciliauit in integrum. Nam ab æstate preterita, per totã insequentẽ hyemem, occasione cuiusdã ægritudinis, ita remissus iacuerat, & penè inutilis, ut eam curam exercitus, quam principũ aliorũ quisq́ pro uiribus et studio supportabant indefesso, ipse solus uideretur negligere, nemini se exhibens munificum, nemini affabilitatis gratiam exhibens: eratq́ in eo id notabilius, eo quòd omnibus alijs posse & habere plurima dicebat. Vt igitũ desidiã simul & auaritiã excusaret, onus prædictum gratanter assumpsit. Præterea in manus domini Podiensis, & quorundam nobiliũ quingentas dicitur marcas argenti examinati, ad restaurationem equorum, quos in conflictu amisisse cõtigerat, dedisse. Vnde eius facti animosiores domestici, de damno equorum resarciendo habentes fiduciam, hostibus fortius instabant: & domini Comitis, quã passus fuerat, lenita est inuidia, ita ut ab omnibus pater & conseruator exercitus appellaretur.

Ciuitas solito amplius angustatur, munitione noua super portam constituta. Caput VIII.

PORta igitur pontis per prædictum nouum præsidium, in quo quingentos uiros fortes D. comes Tolosanus locauerat, sic obsessa, ut ciuib. per eam non nisi cum maximo periculo pateret exitus, nostri ad necessaria prosequenda discurrebant liberius. Hostes uerò iam non nisi per portam Occidentalem, quæ inter radicem montis & fluuium posita erat, exire poterãt. Et licet nostris, quorum castra omnia trans fluuium erant, non multum eorum exitus per eam portam potuit esse periculosus: quia tamen minus liberã euagandi uidebantur habere licentiam, & uitæ necessaria per eam solam adhuc inferebantur obsessis: conuenientes iterum, ut super huiusmodi necessarium haberent tractatum, uiri uirtutum, & immortalis memoriæ principes: decernunt præsenti plurimum expedire negotio, ut trans fluuiũ in loco ad id idoneo aliqua cõstrueretur munitio, ubi aliquo ex principibus locato illa, uel talis euagandi amputaretur licentia. Cumq́ de constituenda munitione apud omnes constaret, nemo tamen se obtulit, qui eius præsumeret tuitionem sibi assumere. Dumq́ ita hærerent, & factum non procederet, dominus Tancredus, uir insignis & industrius, ad id muneris eligitur: sed cum de rei familiaris tenuitate excusationem uellet intexere, prædictus comes Tolosanus ad opus ædificij centum ei marcas argenti contulit: & ut laboris consortibus honestum non deesset salarium, quadraginta eis marcæ per menses singulos ex publico sunt deputatæ. Sicq́ factum est, ut in colle quodam eidem portæ contermino, ubi pridẽ monasterium fuerat, præsidio locato, & uiris prudentibus & robustis ad eius deputatis custodiam, dominus Tancredus tam strenuè, quàm feliciter, usque ad consummationem negotij, debita solicitudine obseruauerit illæsum. Erat autem inferius, secus fluminis decursum, secessus

cessus quidam inter montes & eundem amnem, herbidus, & pascuorum amœnitate simul & ubertate commendabilis, tribus aut quatuor uix distans ab urbe miliaribus: in hunc ob defectum in urbe pabulorum, Antiocheni equos ex parte plurima transtulerant suos. quod ubi nostris compertũ est, clàm uocatis equitum cohortibus, quædã secuti uiarum dispẽdia, ut propositum occultarent, ad locum prædictũ conueniunt: ubi occisis qui armentis præerant nonnullis equitibus, exceptis mulis & mulabus, duo milia nobilium equorum ad castra deduxerunt. Nec erat præda uel manubiorum genus aliud eo tempore, quod magis exercitui foret necessariũ: nã suos cùm in acie, tum fame, tumq; frigore, alijsq; casib. innumeris penè omnes amiserãt.

Dispersi ad exercitum redeunt. Balduinus ab Edissa singulis principibus munera dirigit. Caput IX.

SIc igitur ciuitate ex omni parte obsidione uallata, ut iam ciuibus ád procuranda exterius negotia, nec liber exitus, nec sine difficultate daretur introitus, cœperunt multa difficultate laborare, & multis aggrauari molestijs. Victus enim deficiens & subitò exorta inopia ciues plurimùm molestabat: imminuta quoque equorum usibus alimonia, eos inedia tabescere, & omnino sua negare officia compellabat. Nostris autem solito liberior tum ad mare, tum ad alia loca ad quæ eos sua trahebat necessitas, progrediendi data erat facultas: unde & in castris ex parte plurima releuata erat illa uictus inopia, qua periculosè nimis per totam hyemem laborauerat exercitus. Nam decursa hyemis aspèritate, et ueris iam adulti temperie restituta, sedato pelago, classis quæ in portu erat ire & redire poterat tranquillius, & uiarum difficultate temporis incalescentis beneficio deposita, exire poterant, qui cura domestica & familiari solicitudine ad procuranda negotia habebantur. Et iam etiã qui in castris & in urbibus finitimis, castrorum fugientes hyeme asperitatem, latuerãt, reddito fauore temporis clementioris, iterũ ad castra reuertebantur, arma reparantes, & redintegratis uiribus iterum se accingebant ad prælia. Sed D. Balduinus, Ducis frater, de quo superius fecimus mentionẽ, de suarũ cumulo diuitiarũ, quas ei, ut prędixerã, multa liberalitate contulerat Dñs, audiens quod tanta inopia laboraret exercitus, illorũ decreuit plenitudine piæ compassionis affectu, releuare paupertatem: & missis ingentibus donis, in auro & argento, sericis, equis nobilibus & preciosis, singulorũ principũ rem domesticam reddidit ampliorẽ. Nec solum maiorib. uerũ & multis de plebe munificũ se exhibens & liberalẽ, propensius omniũ sibi reconciliauit gratiã, uniuersos in suã excitans dilectionẽ. Insuper aũt ne domino suo & fratri primogenito aliquid fecisse uiderect, in terra quam circa Euphratem possidebat, omnes redditus quos circa Turbessel, & in suburbanis ei adiacentib. in frumento, hordeo, uino & oleo habebat, necnon & aureorum quinquaginta milia fratri designauit persoluenda. Pręterea quidã Armeniorũ potens satrapa, D. Balduini familiaris, Nichosus nomine, tẽtorium miri operis, maximæ capacitatis, gratia D. Balduini per nuncios suos direxit ad D. Ducẽ: sed positis in itinere à Pancratio insidijs, ablatũ est prædictum tentorium à pueris deferentibus: & ex parte prędicti Pancratij, ad dominum Boamundũ dono delatum est. quod postq; D. Duci innotuit, & per pueros prędicti Nichosij

ita rem

ita rem processisse cognorat, adiuncto sibi Flandrensiū comite, cuius amicitia specialiter in tota expeditione usus fuerat, dominū Boamundū conuenit, ut munus sibi destinatum & ablatum uiolenter, restituat: ille uerò licet donationis nobilis uiri Pancratij titulū prætenderet, seq; iustè possidere, quod petebat, allegaret: tamen ne tumultus fieret in populo, aut inter principes scandalum oriretur, multa precum reliquorū principum uictus instātia, munus quod sibi oblatū fuerat, restituit, gratia inter eos plenius restituta. Vnde miramur plurimum, quod uir tanta modestia insignis, tantaq; morū dignitate conspicuus, rem modicam & contemnendam facilè, tanta importunitate repetijt. nec aliquid nobis pro solutione occurrit, nisi quia scriptum est: Nihil ex omni parte beatum. & illud: Quandoq; bonus dormitat Homerus. illud quoq; tertium: Opere in longo fas est obrepere somnum. Vt enim in nobis sæpius à bono sentiamus defectum, humanę conditionis leges habent.

Nunciatur in castris, hostium copiarum aduentus. Stephanus Blesensium comes, simulata ægritudine, ad mare descendit, non rediturus. Caput X.

INnterea fama celebri uulgabatur, Persarum principem potētissimum, ad Antiochenorum instantiam, & suorum etiam postulationes assiduas, ex uniuerso imperio suo, in eorum subsidium, innumerabiles dirigere copias, & infinitam Turcorum multitudinē in Syriam ascendere, sub deputatis magistratibus, lege edictali præcepisse. Nec solum ab exterioribus rumor hic originem habebat & incremētum, uerumetiam & qui de urbe egrediebant, ad castra nostra habentes refugium, idipsum consonè protestabant. Cumq; per dies singulos magis & magis hic rumor ampliaretur, & iam pro foribus dicerentur imminere, timor nostrorum concussit exercitum, ita etiam ut dominus Stephanus Carnotensium comes, uir potentissimus & princeps illustris, quem ob meritum singularis prudentię principes suis consilijs quasi patrem præfecerant, simulata ægritudine, sumpta à fratribus licentia, cum domesticis & familiaribus uniuersis, & omnimoda qua plurimum abundabat substantia, ad mare descendit, dicens se apud Alexandriam minorē, quæ nō longè à portu in littore maris sita, initium præstabat Ciliciæ, moram uelle facere, quousq; recepta plena conualescentia, & uiribus resumptis, iterū redire ualeat. Quo discedente, secuti sunt eum, qui in eius comitatu aduenerant, uiri quasi ad quatuor millia. qui ad mare perueniens, ad prædictam secessit Alexandriam, rei euentum præstolans: habens apud se propositum, quod si nostris in bello, quod sperabatur futurum, prosperè succederet, rediret ad exercitum, quasi de ægritudine conualescens: sin autem, in nauibus quas sibi parauerat, cum probro perpetuo & existimationis iactura, redire in patriā tentaret. Quo facto tam notabili, & perennem irrogante infamiam, principes qui in castris erant consternati, nobili uiro compatientes, qui & decus generis, & honestatem propriam tanta culpa funestauerat, cœperūt anxiè deliberare, quomodo huic tanto malo possent occurrere: ne qui residui erant, perniciosio illius prouocati exemplo, simile aliquid auderent attentare: placuitq; tandem de communi consilio, ut missa uoce præconia, omnibus generaliter ab exercitu discessus interdiceret: adhibita pœna, quod si aliquis cuiuscunq; conditionis officio fungeretur, aut cuiuscunq; dignitatis titulo pręmineret,

furtim,

furtim,& sine principum licentia,se à castris subtraheret,tanquam sacrilegus aut homicida perpetuę subiaceret infamiæ, & ultimum prætera supplicium cogeretur subire. Factumq́ꝫ est ita, ut tum uirtutis amore, tum pœnæ formidine,nemo iam de cætero,nisi à principibus impetrata licentia, uel ad modicum auderet se à castris subtrahere, sed omnes unanimiter tanq̃ꝫ uiri claustrales,principibus suis sine difficultate & molestia se obedientes exhibebant.

De statu ciuitatis dicitur. Boemundi cum quodam fideli de ciuitate gratia contractis describitur. Caput XI.

POrrò hæc ciuitas Deo amabilis,à tempore Apostolorū,ut prędiximus, Christi doctrinam,& iugum suaue,prędicante Apostolorum principe, suscepit,& usq; in pręsentem diem fideliter & deuotè portauit. Dumq́ꝫ totus concuteretur Oriens,successoribus Mahumet ad impietatem superstitionis & peruersorum dogmatum uniuersas uiolenter subiugantibus prouincias, hæc & eorum languorem respuit,& gentis incredulę dominationem,quàm diu potuit,ferre detrectauit. Nā cum omnes à sinu Persico usq; ad Hellesponfum,& ab India usq; ad Hispanias,hæreses illius seductoris, uniuersas occupassent regiones, hæc in medio peruersarum nationum quasi sola & singularis fidei cōseruauit integritatem,& pro sua stetit uiriliter libertate. nam uix annorum quatuordecim elapsa erant curricula, ex quo perurgente eam intolerabili hostiū procella,longis obsidionibus fatigati,eius ciues inclyti,& iam diutius resistere non ualentes, urbem hostibus nominis & fidei Christianæ resignare coacti sunt. Vnde factum est, quod etiam adueniente nostrorum exercitu,penè omnes ciuitatis habitatores fideles erant,sed nullam in ciuitate habentes potestatem. Nam eis negotiationi,& alijs mercantiarum artiū officijs uacantibus,solis Turcis & infidelibus militare licebat,& maiores ciuitatis administrare dignitates: unde nec arma eos liceb at tractare,nec ad curam rei militaris admittebantur. & maximè postquam de aduentu Occidentaliū Christianorum rumor ad principem ciuitatis peruenerat, ita suspecti habebantur, & præsertim postquam urbem uallauerat obsidio, ut etiam non nisi certis horis de domibus exire,& in publicum prodire liceret. Erāt autem ex eis in ciuitate familię ualde nobiles,antiquam ducentes ex generosis proauis sanguinis dignitatem: inter quas erat tribus una generositate insignis,quæ dicebatur Beni Zerra,quod in lingua latina interpretatur, Filij loricatoris. Hi enim siue à primo eorum parente, qui hāc artem exercuerat: siue ab eo quod ipsi hanc professionem exercerent, ut loricas intexerent, dicebantur Filij loricatoris. Probabilius tamen est,& uidetur,quod quidam ex eis adhuc eidem arti darent operam,ut fit: indeq́ꝫ nomen habebant hæreditariū,& ita per successionem traditam artē non desererent. Vnde & in parte ciuitatis Occidentali secus portam, quæ hodie dicitur S. Georgij, turris una,quæ uulgari appellatione dicitur Duarum sororum, ut in ea artis suæ,quæ domino & ciuitati plurimum uidebatur utilis,quieti uacarēt,erat eis deputata: erantq́ꝫ in ea familia duo fratres, quorum maior,& qui contribulium suorum & familiæ princeps erat, dicebať Emirferrus, uir potens plurimum, & urbis domino multa familiaritate coniunctus, ita ut eius palatio Notarij fungeretur officio,& plurima esset insignis dignitate: hic autē quoniam uir erat ualde indu-

 strius

strius & uafer, audiens quod dominus Boamundus princeps magnificus esset & illustris, & in omnibus quæ exterius gerebantur, primas haberet partes: statim post urbem obsidione uallatam, per fideles internuncios eius sibi conciliauit gratiã, totoq; obsidionis tempore, fideliter & deuotè se continuabat in proposito, ita ut diebus penè singulis de statu ciuitatis & Acciani proposito eum redderet doctiorem: dissimulabat autem quantum poterat, sicuti uir discretus erat & prudens, hanc quam cum domino Boamundo contraxerat familiaritatem, ne fortè alijs cognita, sibi & suis posset esse in periculũ. Dominus quoq; Boamũdus uersa uice, hanc boni uiri occultabat amicitiã, & arcanum penes se quasi sepultum comprimebat, ita ut nec eorum familiaritatis et discurrentis internuncij, etiam utriusq; domestici & contectales, nullum uel leue possent intelligere argumentum.

Consilium per internuncios inter dominum Boamundum, & prædictum fidelem uirum. Caput XII.

CVmq; iam quasi mensibus septem hæc inter eos se continuasset gratia, ita occultè, ut diximus, plerunq; de eo quomodo ciuitas Christianę restitueretur libertati, sermo inter eos habitus est familiaris: cumq; super eo à domino Boamundo sæpius esset commonitus, semel eidem per filiũ, qui secretorum erat baiulus, respondisse dicitur: Nosti uirorum optime, & mea luce mihi charior, quàm syncerè te dilexerim: ex quo, autore Domino, in hãc communem gratiam descendimus. teneoq; nihilominus memoriter, quod in uerbo tuo, firmam, & bono uiro condignã reperi usquequaq; stabilitatẽ: unde factum est, ut per dies singulos mihi magis & magis insinuêris, et multo charior occurras. Super eo autem, unde me cõmonuisti sæpius, nonnunquam solicitus deliberaui, partes congruo pensans libramine. Nam si patriam pristinæ restituere libertati, & exclusis immundis canibus, quorum uiolenta dominatione premimur, Dei cultorem populum possem introducere, certus sum, æterna mihi non defutura præmia, & cum sanctis animabus æternæ beatitudinis non defuturum consortium. Si uerò rem semel aggressus, difficilem & arduam consummare nequiuero, certum est, et nulli uenit in dubiũ, quin domus mea, & præclari nominis familia penitus deleatur, ita ut nõ memoretur nomen illius ultra. Veruntamen, quoniam consueuit emolumentorum spes mortalium mentes ad similia sæpius inuitare: si hoc posses apud tuos obtinere, quod nostro studio tibi traditam, propriam uendicares ciuitatem: ego tui gratia (cui omne bonum, tanquam liberis meis cupio:) ad prędictum opus, licet difficile uideaẽ, autore Domino, cuius glutino mihi coniunctus es, me accingam, & turrim hanc munitissimam, ut uides, cuius plenam habeo potestatẽ, sine difficultate tibi tradam, unde uestris omnibus liber in ciuitatem poterit esse introitus. Si uerò, sicut pares estis, ita urbem captam, ęquis inter uos portionibus proposuistis diuidere: ego gratia illorum, ad quos nulla mihi est proportio, in hoc periculum non descendam. Vnde cum diligentia elabora & enitere, publicæ utilitatis & salutis gratia, ut apud tuos principes id obtineas; securus procul omni dubio, quod quacunq; die te id obtinuisse cognoueris, urbis tibi aditũ, sicut persuadere niteris, aperire non differã. Ad hoc noueris, quod nisi hoc in proximo fiet, differet fortasse

in perpe

in perpetuũ: nam diebus penè ſingulis ciuitatis domino, & nuncij dirigunt & epiſtolæ, quod qui in ſubſidiũ eius ex Oriente conuenerunt, circa Euphratem caſtrametati ſunt, equitum ducenta trahentes ſecum milia. Quod ſi uos extra urbem repererint, difficile eſt, ut & ciuium & aduenientium multitudinem hoſtium poſſitis ſuſtinere.

Laborat Boamundus ut ei ciuitas concredatur: ſolus Toloſanus comes contradicit. Caput XIII.

AB ea igitur die, dominus Boamundus prætentare cœpit ſolicitus, & ſingulorum principum corda percunctari diligenter, quid'nam haberent in animo, & quid ſi urbs obſeſſa caperetur, de ea diſponerent: celans tamen propoſitum, niſi apud eos, de quibus certum habebat grato aſſenſu obtemperaturos deſiderijs. Cumq; intelligeret ſe apud quoſdam illorum non multum poſſe proficere, rem diſtulit uſq; in tempus magis opportunũ. Dux tamen Godefridus, & Normannorũ comes, & comes ſimul Flandrenſium, necnon & dominus Hugo magnus, eius acquieuerunt poſtulationi, et grato concurrebant aſſenſu, ſecretum nobilis uiri approbantes, & admirantes prudentiam, & apud ſe occultum, et nemini unquam publicandum comprimentes. Solus uerò Toloſanus comes in eo ab illis erat diſſonus. Vnde factũ eſt, quod res in periculoſam penè deſcendit dilationem: nam nec ille, qui domini Boamundi familiaris erat, tantum ſibi aliorum gratia laborem uolebat aſſumere, nec tantis ſe mancipare periculis: nec ipſe dominus Boamundus tanta pro utilitate communi, quanta pro domeſtica & familiari laborabat inſtantia: familiaritatem tamen cum uiro prædicto, muneribus & obſequijs proſequebatur, legibus ſynceræ impletis amicitiæ: miſſisq; utrinq; frequentibus, & receptis pariter nuncijs, ſemel concepto uires & fomitem miniſtrabant amori.

Qui in ſubſidium Antiochenis properabant, Edeſſam obſident: ſed reſiſtente uiriliter Balduino, uacui redeuntes, Euphratem tranſeunt. Caput XIIII.

INterea qui ab Acciano & ciuibus miſſi fuerant, ſubſidium poſtulaturi in Perſidẽ, conſummato pro uotis negotio, & impetrata poſtulatione, quam prætulerant, reuertebant ad propria. Princeps enim ille magnificus, Antiochenorum moleſtijs, quas audierat compatiens, & occurrere uolens noſtrorum conatibus, & uires præcidere, ne regnorum eius aliquas partes ſua uiolentia poſſent comprimere, infinitas Perſarum, Turcorumq; copias in Syriam dirigit, quendam familiarẽ ſuum, de cuius uirtute, fide & induſtria plurimum præſumebat, illis præficiens: & ſub eo Centuriones, Quinquagenarios, & inferiores conſtituens magiſtratus, qui omnes eius parerent & regerentur imperio. Epiſtolas præterea ad uniuerſarum ſibi ſubiectarum præſides regionum, uim legis obtinentes, eis delegat, præcipiens populis & nationibus, tribubus, & linguis, ut omnes ſine excuſatione dilectum filiũ ſuum Corbagath, quem exercitibus ſuis demeritis electione præfecerat, ſequantur, & eius omnes ſubijciantur poteſtati, parentes in omnibus quæcunque pro liberæ uoluntatis arbitrio imperare decreuiſſet. Aſſumptis igitur de mandato domini, prædictis legionibus, & quæ toto itinere occurrebant, cum ducẽtis milibus Meſopotamiã ingreſſus, circaq; partes Ediſſanorum

castra metatus est. Hic cum eidem multorũ relatione cognitũ esset, quod unus de Francorũ Principibus, contra quos dirigebat, tam ciuitatem quàm uniuersum adiacentem obtineret prouinciam, decreuit antequam Euphraten pertransiret, prædictã impugnare & uiolenter occupare ciuitatem. Dominus autẽ Balduinus præcognito eius aduentu, urbem suam cum uictualibus, armis & uiris strenuis undiq; corrogatis, diligenter cõmunierat, itaq; de eius minis & terroribus modicum quid erat sollicitus: cumq; uoce præconia publicè mandatũ esset cohortibus, ut urbem obsidione uallarent, & obsessam tota impugnarent instantia, uidentes quod resistentibus strenuè ciuibus, non multũ in eo facto possent proficere, qui magis sensus habebant exercitatos, ad illum accedentes Principem suum, post multa tandem persuaserunt, ut relictis incidentibus caussis principale propositũ exsequeretur: & Euphrate transmisso, Antiochiam, quò principaliter dirigebatur, obsidionem dissoluturus maturaret. Nã in reditu suo, obtenta uictoria, uix unius opus esset dici, & prædictam occupare ciuitatem, & Balduinum uinculis mancipare. Cumq; per tres septimanas continuas ibi operam consumpsisset & impensam, præcepit Legionibus ut transiret fluuium: & ipse nihilominus transiens, proposito incepto instare diligentius. Hæc autem eius mora circa partes Edissanas, caussa fuit quod dominus Balduinus prædictæ obsidioni se præsentem dare non potuit: caussa fuit etiam & nostrorum salutis. nam si directo ad eos peruenisset itinere, sicuti & domino Boamundo ab eius amico prædictum fuerat, antequã urbem obtinerent, in graui esset res eorum constituta discrimine. nam etiam urbe prius per Dei gratiã obtenta, uix eius potuerunt aduentum sustinere.

Nostri exploratores dirigunt, de aduentu hostium solliciti. Caput XV.

RVmor interea aduentum tantorum exercituum præcurrẽs castra repleuerat, et multis idipsum referẽtibus, quasi pro certo habebatur, quod in uicino essent cõstituti. Super quo principes ualde solliciti, uiros experientissimos, de quorũ fide & industria merito possent præsumere, ad loca dirigunt diuersa, ut quãta possint diligentia, per suos de quibus dubitare non erat licitũ, percontarentur & fierẽt prudentiores, an ita foret sicuti uulgo dicebatur. Eligũtur ergo ad id muneris uiri nobiles & in armis strenui, Drogo de Nella, Clarenbaldus de Vendosio, Girardus de cerisiaco, Raynaldus Comes Tullensis, & alij nonnulli quorum nomina non tenemus: qui ad uarias partes dispersi cum suis comitatibus, sedulitate quãta possunt diligenter inuestigant: & missis iterũ suis exploratoribus ad loca ulteriora, ex omni parte expeditiones confluere & conuenire in unum exercitus, sicut solent flumina in mare decurrere, pro certo colligunt: tandemq; maturè reuersi, Principes qui eos miserant, super eo plenius instruunt, iam non de cætero dubitantes. Septem itaq; diebus, antequam prædictus Princeps cum suis adueniret legionibus, præmoniti sunt nostri maiores exercitus, exploratoribus id iniungentes, ne id populo notum fieret, ne fortè plebs famis angustia & laboris diuturnitate fatigata, timore cõcuteretur nimio, & de fuga cogitaret, quod quibusdam etiam de maioribus nuper acciderat.

Conuenientes adinuicem deliberant. Boamundus secretum refert, quod ei commiserat amicus. Caput XVI.

CONuenientes igitur adinuicē super facto, in quo totius uidebatur summa consistere, in spiritu humilitatis & animo contrito cœperunt adinuicem deliberare, quid in tanta necessitate fieri oporteret. tandemq́ placuit quibusdam, ut omnes quotquot erāt in obsidione exercitus, aduenienti multitudini urbe relicta procedat obuiam ad duo uel tria miliaria: ibiq́ cum superbo principe, & de uiribus suis nimiū præsumente, inuocato de cœlis auxilio, belli fortunam experiantur. Alijs autem uidebatur expeditius, ut partem exercitus in castris deserāt, qui ciues egredi & hostibus admisceri uolentes, infra mœnia cohibeant. pars uerò potior & armis magis instructa iuxta consilium priorum, aduenientibus hostibus in uirtute omnipotentis occurrāt ad tria miliaria, ibiq́ si ita à Domino sit prouisum, congrediant. Dumq́ in hac deliberatione studiosius disceptarēt adinuicē, & quisq́ suam pro arbitrio daret sententiam, dominus Boamundus maiores Principes, dominum Ducē Godefridum, & dominū Flandrensiū Comitem Robertū, dominum item Robertū Comitem Normannorū, dominum quoq́ Raymundum comitē Tolosanū seorsum à turba secretius cōuocat, & in loco familiari constitutos alloquit, dicens: Video uos fratres dilectissimi, & diuinę seruitutis cōsortes de aduentū istius principis qui uenturus esse dicitur, multa sollicitudine macerari, & in deliberatione præmissa uarijs affectos desiderijs, uaria sensisse: sed tamen neutrū partiū illuc se dirigere, ubi totius negotij summa consistit. Nā siue omnes egrediamur, ut uolunt ex uobis quidā: siue pars in castris remaneat, uidemur operam & studiū, & impensas per tam longa tempora inutiliter expendisse. nam egredientibus uniuersis soluet obsidio, et nostrum euacuabitur propositū, ciuibus in suam se libertatem recipientibus, aut dum hostibus egressu libero se adiungēt, aut dum urbi auxiliares introducunt cohortes. Si uerò pars legionū in castris remanserit, idipsum uideo de necessitate contingere (nam quomodo poterit pars una pręsente eorum subsidio ciues intra urbem cohibere, cum nos omnes uiribus cōmunibus & in diuersis absq́ ulla spe subsidij deiectos uix poteramus cohibere?) alterutrū horū mihi uideor uidere profectò futurū, ut uel suis coniuncti auxilijs, mixtis uiribus in nos irruant fortiores: aut saltē introductis auxiliarijs copijs, urbē uictu, armis diligenter communiant. ita ut etiamsi auctore Domino exteriores uicerimus, de obtinenda tamen urbe nulla nobis fiducia reseruetur. Vnde mihi uidetur, Patres reuerendissimi, quod illuc omnis nostra deberet festina re intētio, & circa illud sollicitudo uersari, ut ante huius tanti principis aduentum ciuitas in nostram descenderet ditionem. Quod si modū quæritis, quo hoc nostrū tale cōsilium effectui ualeat mancipari, ne impossibilia uideamur suggerere, in promptu est nobis uiam aperire cōpendiosam, & qua facilè ad finem perueniatur optatū. Amicū habeo in ciuitate fidelem, quantū humanus dijudicare ualeat oculus, & prudentem plurimum. hic secundum quod aliquibus ex uobis iam me retulisse memini, turrim habet in potestate munitissimam, quam si certis cōditionibus id ab eo exegero, fide media obligatus mihi resignare tenetur. Pro quo facto multā illi pactus sum dare pecuniam,

ſibiq; & hæredibus eius in perpetuū non modica prædia,& libertatem om-
nimodam,quaſi pro labore ſalariū,ſi res optatum ſortiri poterit euentū, fide
interpoſita,cōpromiſi. Si ergo ueſtræ uidetur Amplitudini, ut noſtra ſollici
tudine & ſtudio capta ciuitas in noſtram iure hęreditario in perpetuū poſſi
denda tranſeat iuriſdictionem,paratus ſum,cum prædicto familiari meo pa
cta complere. Sin autem elaboret ueſtrū quilibet & quocunq; ſtudio urbem
poterit obtinere,habeat eam ſibi in omni pace quietam:ego illi in præſentia-
rum meas cædo actiones,& iuri meo renuncio.

Gauiſi principes Boamundo urbem concedunt. ipſe cum amico de urbe tradenda tractat ſecretius. Caput XVII.

His dictis,principes gauiſi ſunt gaudio magno,et petitioni oblatæ grato
concurrētes aſſenſu,excepto Comite Toloſano,qui partes ſuas ſe nemi
ni cedere,proteruè nimis aſſeuerabat,urbē cum ſuis pertinentijs iure hęredi
tario poſſidendā cōcedūt in perpetuū, cōpromittentes ad inuicē,& datis de
xtris ſe obligātes, quòd ſibi creditū nemini reuelarēt arcanū. dominū quoq;
Boamundū monēt et hortant attētius, quatenus ad rei conſummationē tota
incumbat ſollicitudine,ne periculoſam intercedere patiat morā. Soluto itaq;
conuentu,ille ſicut uir erat morę impatiēs, et ardenter urgens propoſitū,ami
cū ſolitis cōuenit internuncijs, & ſignificās quod apud principes cuncta pro
uotis impetrauerat, amici animū ſolito reddidit lætiorē. Monet ergo & per
fidem inuitat mediā,ut nocte proxima ſubſequēte,auctore Domino,res eſſe
ctui manciparet. Accidit autem,medio ut dicitur tempore, quiddā quod ad
conceptū prius opus eum nihilominus animauerat. Nā tum circa frequens
miniſteriū & curam quam in domo domini ſui et urbe uniuerſa habebat am
pliſſimā,caſu filium quē habebat iam puberem,ex cauſſa urgente, ſed nobis
occulta, domum direxiſſe dicitur,qui illuc perueniens rem inuenit deteſtabi
lem. unū enim de maioribus Turcorū principibus, cū matre reperit puer, il
licita carnis copula cōmiſceri:quod abhorrens et dolore cordis tactus intrin
ſecus,ad patrē properè redijt,rem nefandā ſeriatim pandens. Ille uerò facti a-
cerbitate permotus,& zelo maritali ſuccenſus,dixiſſe fertur:Non ſufficit ca-
nibus immundis, quod nos indebitè iugo premūt ſeruitutis, & noſtra cotti
dianis exactionibus debilitare patrimonia, niſi etiam thori leges uiolent, &
iura diſſoluant coniugalia. Ego ſi uixero,hanc eorū auctore Domino abbre
uiabo inſolentiā,dignam pro meritis recompenſationem retribuens. His di-
ctis,iniuriam diſſimulans,filiū ſecreti cōſcium, & de illata matri turpitudine
confuſum,ſolito itinere dirigit ad dominū Boamundū,monens attentius,ut
ad opus prædictum uniuerſa præpararet neceſſaria: in ſe uerò nullā eſſe mo-
rā, quo minus nocte proxima promiſſum impleat. Significat nihilominus,
ut circa horā nonā omnes Principes, ſinguli cum comitatu, tanq; hoſtibus
obuiam profecturi,de caſtris egrediant: circa primam uerò uigiliam noctis,
clam & cum ſilentio reuertentes, parati ſint circa noctis mediū iuxta eius mo
nita ſe habere. Suſceptum ergo adoleſcentē, ad principes ſecreti cōſcios oc-
cultè ſecum deducit, & cōſilij formā quam per eundē à patre ſuſceperat ordi
natim,pandit ex ordine. Illi uerò & argumenti & fidei ſtupētes ſynceritatem,
conſilium approbant,& ita fieri oportere conſentiunt.

Ciues

Ciues prædictum uirum suspectum habent, ipse coram Principe suam allegat innocentiam. Cap. XVIII.

ACcidit autẽ per eosdem dies quiddã, quod in maioribus negotijs solet contingere frequẽtius. Ciuiũ enim & eorum maximè qui curã urbis gerebant propensiorem, cœpit animus præsagire, nõ ex aliquibus indicijs, sed magis ex suspicione, quod de urbe tradenda occultè haberetur tractatus, cœpitq; sermo iste in omniũ ore penè uersari. Vnde cõuenientes adinuicẽ maiores ciuitatis, Principẽ adeũt, super eo uerbo consiliũ habituri: uidebatũ enim uerisimile, & multæ ad id cõcurrebant præsumptiones. Erãt enim in eadẽ ciuitate (ut prædiximus) multi fideles, & si omnino huius reatus immunes, tamen suspecti habebanť: inter quos prędictus nobilis homo, & si de eius fidei synceritate Accianus nõ modicè pręsumeret, à reliquis tamen magistratibus habebať in suspicione. Verũ et coram Acciano positi, dum super eo facto de liberationẽ haberent sollicitã, inter alios qui uidebãtur suspecti, huius habuerunt mentionẽ: quibus prædictus Princeps quodãmodo persuasus, cũ ad se præcepit euocari. quo in eius pręsentiã constituto, de eodẽ uerbo corã eo cœpit studiosè idem cõtinuari tractatus, ut eius consiliũ super hoc audiretur, & depræhenderet ex eius uerbo manifestè, utrũ meritò suspectus esset uel non. Contigit aũt, sicut uir industrius erat, & oculi ualde perspicacis, quod protinus cognouit, quod eius gratia ille talis habereť conuẽtus, quodq; apud eos esset suspectus. unde, ut artificiosè cælaret propositũ, & se apud eos assereret innocentem, fertur dixisse ijs qui conuenerant ut tentarent eum: Sollicitudinẽ geritis uiri uenerabiles & huius ciuitatis principes maximi ualde commendabilem, & quæ nõ nisi in prudente locũ potest habere. Prudẽter enim timetur quod accidere potest, & abundans in re capitali cautela non nocet: unde nõ leui motu inducti esse uidemini, ut pro libertate, uita, uxoribus & liberis hanc geratis sollicitudinẽ. Est tamen, si nostro uultis acquiescere consilio, uia compendiosa satis, qua huic morbo, quem uenturũ formidatis, possit cõueniens aptari remedium, & cura cõpetens adhiberi. Hoc negotiũ tam detestabile, quod ita prudenter ueremini ne accidat, nullatenus potest effectui mancipari, nisi per eorum operã, qui turribus & muris sunt præfecti, & ad portarum deputati custodiã. Quod si de eorũ synceritate diffiditis, mutentur frequentius, ne in aliquo certo loco morã facientes diuturnã, perniciosam cum hostibus possint cõtrahere familiaritatẽ. Huiusmodi enim negotium nõ facilè absoluitur, sed temporis indiget diuturnitate: nec penes priuatã personam tantæ rei potest consistere momentum, nisi & de maioribus ciuitatis pari factionis scelere corrupti muneribus inuoluantur. Mutatio uero hęc repentina & frequens omne huiusmodi periculosæ negotiationis amputabit opportunitatem. Hęc cum dixisset, innocentiam uisus est astruxisse suam, & suspicionem quam de eo conceperant, aliquatenus mitigasse. Placuit itaque eius sermo, & in oculis omnium uisus est bonus: fuisset que statim effectui mancipatum eius consilium, nisi quia nocte irruente, dies iam declinauerat, ita ut nequaquam circa urbis statum tanta posset fieri mutatio. Cura enim uigili & exacta diligentia urbem præcipiũt custodiri, eorum quæ à prædicto uiro tractabantur penitus ignari. Ipse autẽ sciens quod in proximo res esset maximam mutationem subitura, sedulũ se gerit quomodo interim propositum impleretur, antequam aliquid occurreret impedimenti.

Quantis angarijs fidelium populus, qui in urbe erat, premeretur: & quomodo strages eis destinata quieuerit. Caput XIX.

POrrò ciues ab ipso primo nostrorũ introitu, ex quo circa urbem locata est obsidio, suspectos habuerunt Græcos, Syros, & Armenios, & alios cuiuscunque generis Christianæ fidei professores. Vnde statim eos qui tenuiores erant, nec sibi & familiolis suis poterant sufficere, uictum penes se nõ habentes necessarium, extra urbem fecerant esse, ne urbi essent oneri: solis diuitibus, & qui ampla habebant patrimonia & alimenta, penes se in domibus suis sufficientia, retentis. Hos etiã tantis angarijs affligebant & perangarijs, ut melius esse uideret his quos ab urbe depulerãt, quàm quibus pro summo beneficio urbis indulserãt habitationem. Nam & pecuniarias eis sæpius infligebant mulctas, id quod habere uidebantur uiolenter extorquẽtes, & ad quęlibet sordida munera & onera ciuilia rapiebant inuitos. Nam si erigendę essent machinæ, aut immensi ponderis transferendæ trabes, statim id eis muneris iniungebatur. Hi lapides & cœmẽta, & quamcunque materiam ad opus ædificiorũ necessariam circumferre compellebantur. hi iaculatorijs & machinis, molares qui extra mitterentur tenebantur ministrare, & funibus quibus extra contorquebantur inseruire, pro arbitrio præfectorum sine intermissione, nulla data requie, cogebantur. Demum uerò postquam iniuncta sibi obsequia fideliter & deuotè compleuerant, colaphos & uerbera reportabant, pro mercede indignis affecti contumelijs. nec sufficiebat hoc immundis canibus, quorum uiolenta dominatione premebantur: sed ut inauditam complerent malitiam, octo diebus, antequam supradictum uirum, ut prędiximus, tanquam suspectum conuenirẽt, consilio secretius habito, quotquot in urbe habitabant fideles, subitò, & de nocte occidere decreuerũt: quod nisi per quendam magnum & prudentem ciuitatis principem, qui semper Christianis se amicum exhibuerat, octo dierum ad id complendum, inuitis alijs, datæ fuissent induciæ, procul omni dubio, missis spiculatoribus, illius tam perniciosi consilij executoribus, eadem nocte uniuersa fidelium turba gladio cecidisset. Recepta autem fuerat eo intuitu octo dierum prædicta dilatio, ut interim considerarẽt, utrum solueretur obsidio: quod si nostri in obsidendo perseuerarent, tunc quod decretũ fuerat, executioni mandaretur: sin autem, parceretur ciuibus, qui ad mortem erant deputati. Effluxerant porrò feriæ, eaque erat nox nouissima, iamque secretius exierat edictum, ut prædicta executioni mandaretur sentẽtia: cum de complendo eadem nocte proposito, inter dominum Boamundum & prædictum Emirferrum cõuenerat: & pro fixo fuerat statutũ, ut quod multum antè inter eos conceptũ fuerat, adimpleret: quod autore Domino factũ est. unde accidit, quod eadem nocte, nostris urbem occupantibus, pro excito tumultu, maiores ciuitatis minus facti sunt solliciti, nihil aliud arbitrantes urbis strepitũ significare, quàm id quod in Christianos conciues præceperant exerceri. Vnde & urbe uiolenter effracta, in domibus fidelium reperti sunt de hostibus quamplures, qui ad hoc conuenerant, ut sicuti eis iniunctum fuerat, incautos repentè occiderent.

Iuxta consilium prædicti uiri, exercitus de castris egreditur, circa noctem reuersurus. Caput XX.

IGitur circa horam nonam, missa uoce præconia per castrorum ambitum, edicitur publicè uniuersis de equestri ordine, quatenus armati omnes maiores sequãtur principes: id quod eis iniunctum fuerit, sine mora executuri. Erat autem non solum plebs inferior huius ignara secreti, uerumetiam paucis ex maioribus reuelatum erat hoc mysterium. Factum est igitur, ut iuxta prudentis uiri consilium, egressæ à castris uniuersæ equitum copiæ, principum secutæ uexilla, longius se abire fingerent, quousque nox irruens terris, solitam induxerat caligine: qua occultati, clàm & cum silentio ad castra sunt reuersi. Huic autem uiro Dei, qui tantum nostris fauorem contulerat, frater erat uterinus, longè alterius mentis, & disparis propositi: cui frater, quoniam de eius non multum præsumebat synceritate, nihil secreti sui communicauerat, sed suspectum habens eum, propositum quantum poterat, occultabat suum. Accidit autem eadem die, dum nostræ circa horam nonam egrederentur legiones, quod ambo fratres adinuicem per cancellos murorum castra prospicerent, & egredientia contuerentur agmina: laborabat autem senior frater, minoris nosse propositum, & eius uoluntatem libēter indagare. unde exorsus, ad fratrem dixit: Misereor frater mi, populo huic nostræ professionis gratiam & fidem consecuto, cui tam subitus paratur interitus. ignarus enim quid crastina pariat dies, securus egreditur, & quasi rebus in tuto collocatis, nihil timere uidetur: uerùm si sciret quantæ illi præstruantur insidiæ, & quanta in proximo eorum paretur ruina, fortè aliter sibi prouideret. Cui frater: Stulta, inquit, solicitudine consumeris, & indiscreta compassione fatigaris. utinam Turcorum gladijs iam occubuissent uniuersi. à die enim introitus eorum primo, multo deterior facta est nostra conditio: uixq; esse poterit, ut tantum nobis utilitatis per eos accedat, quantum molestiarū eorum occasione passi sumus. Sic ergo qui prius dubitauerat, an fratri suo communicaret propositum, nunc tanquam pestem declinans, abhorret animo, execratur in conscientia, & ne Christi obsequium præpediretur per eum, cœpit de eius morte (charitati fraternæ publicam fidelium præponens salutem) tractare.

Boamundus amicum solicitat, ut opus compleatur. Emirferrus fratrem non consentientem perimit. Christianos per scalam demissam, in urbem recipit. Caput XXI.

INterea dominus Boamundus tota mente anhelãs, quomodo uotis satisfaceret, ne de eius desidia res optata susciperet dilationē: Principes circuit tota instantia, monet esse sollicitos, scalam funibus cannabinis satis artificiose intextam, paratam habens præ manibus, quæ uncis inferius ferreis, superius uerò ad murorum propugnacula debeat alligari. Iam uerò nocte media, cum se uniuersa quieti dedisset ciuitas, continuis uigilijs, & labore immenso uires sopori ministrantibus, interpretem domesticum & ualde familiarem ad prædictum amicum dirigit, ut ab eodem sciscitaretur diligentius, utrum adhuc sibi uelit adesse domini sui familiam. Adueniens autem ille, uirum reperit in cancellis uigilantem. Cumq; ei interpres uoce submissa, uerba

uerba domini sui exposuisset, respondit ei: Sede quietus & tace, quousque præfectus uigilum, qui cum multo accedit comitatu, & fulgore lampadarũ, locũ istum pertranseat. Erat enim in ciuitate consuetudo, quod præter uigiles, qui in singulis turribus erant deputati, eorũ superior magistratus, ter uel quater in nocte, muros cũ ingenti circuiret comitatu, faculas ardentes gestando præ manibus, ut si quos inueniret aut somno grauatos, aut negligentius se habentes, debitæ animaduersioni subiacerent. Pertransiens aũt hic, cuius tanta erat iurisdictio, uirum uigilantẽ reperiens, eius cõmendauit diligentiã, ad ulteriora loca properans securus. Videns autem uir prędictus horã se obtulisse rebus agendis opportunã, interpretẽ sepositum alloquitur, dicẽs: Vade citus, & dic domino tuo, ut cum uiris electis festinus adueniat. Qui dicto citius recurrens ad dominũ, & paratũ reperiens, cum uocatis clàm alijs principibus, & in ictu oculi sicuti primo eunti erant subsequentes, quisque cum suo domestico comitatu subitò ante turrim diu antẽ prænotatam, quasi uir unus astiterunt, ita ut nec clamor, nec strepitus ex eis audirẽt. Interea ille uir prædictus turrim eandẽ ingressus, fratrem reperit somno grauatum, cuiusque mentẽ nouerat alienã à suo proposito, timẽs ne per eum rei tam penè consummatę ministrarẽt impedimentũ, gladio transuerberat, facto pius & sceleratus eodẽ. post hoc rediens ad cancellos, & quos uocari pręceperat conspiciens, dato et resumpto mutuæ salutationis officio, funem demittit inferius, quo scalam ad se pertrahat subleuatã. Erecta igitur scala, & iam à superiore parte, quàm ab inferiore firmius annexa, nemo repertus est, qui ad uocem superioris uel domini Boamundi mandatum præsumeret ascendere, & in se huiusmodi experimentum facere. Quod dominus Boamundus uidens, conscẽdit ipse prior intrepidus. Cumque iam muri propugnaculo, transcursa scala, manum adhibuisset, comprehendẽs eum qui erat interior, sciens quia D. Boamundi esset manus, dixisse fertur: Viuat hæc manus. Et ut eius & omnium fidelium sibi maiorem reconciliaret gratiam, eo quod fratrem uterinũ, in opere tam sancto non consentientem transuerberauerat, induxit eum in turrim, & fratrem ostendit exanimem proprio sanguine cruentatũ. Deosculatus igit Boamundus uiri constãtiam, & fidei synceritatem, ad murũ rediens, emisso paulisper per cancellũ capite, uoce suppressa suos ad ascensum cœpit inuitare: cumque adhuc dubitarẽt, nec erat ausus quisque ascendere, totũ reputantes sophisticũ, quicquid de muro dicebat: quo cognito, ad suos per eandẽ scalã rediens, suæ incolumitatis euidens dedit argumentũ. Vnde factũ est, ut certatim ascendentes, in momento murum replerent, & non solum turrim illam, uerum & de collateralibus nonnullos occuparent. Audiuimus quod inter alios D. Flandrensiũ comes, & D. Tãcredus ascenderũt, quorũ doctrina cęteri regebant.

Intromissi portam capiunt. Exercitus iam facti conscius, in urbem irruit. Ciuitas expugnatur. Caput XXII.

Videntes uerò principes, quod sufficiebat numerus & prudentia eorum qui iam ascenderant, ut uel una uel plures portæ aperirent, & sub omni uelocitate reuersi sunt ad castra, ut suas præpararent copias: & dato signo ab interioribus, urbem ingredi non morarentur. Qui uerò supra murũ ascenderant, uirtute induti ex alto, duce prædicto uiro qui eos introduxerat, iam decem

decem turres in eodem sine interpellatione tractu, occisis eorum custodibus occupauerant: & tamen adhuc uniuersa quiescebat ciuitas, ita ut nec rumor aliquis audiret. Erat autem secus eam partem muri, unde nostri ascenderant, porta adulterina: ad quã descendẽtes, cõfractis eius uectibus et seris, eam uiolenter aperiunt, & admittentes eos qui deforis expectabant, creuit eorũ numerus qui intus erant ad immensum: ita ut ad portam quae Pontis dicitur, facto impetu concurrentes, caesis gladijs eius custodibus, eam uiolenter aperirent. Interea quidam de familia domini Boamundi, eius uexillũ super eum contulerat montem, qui urbi praeeminebat, & iuxta praesidium superius in arce quodam loco eminentissimo collocauerat. Cognoscentes aũt quod aurora rutilans solis ortum nunciaret, dato signo cornibus & lituis, coeperunt perstrepere ad urbis ingressum, eos qui in castris erãt, animantes. Principes uerò, signi quod condixerant intelligẽtes argumentum, raptis armis, subitò sua secum trahentes agmina, in urbem irruunt, aditus & portas occupantes. Interea populares exciti, quos hactenus secretum latuerat, uidẽtes iam castra penè uacua, alios secuti, in urbem certatim se ingerunt. Ciues autem tanto tumultu expergefacti, primùm dubitant, quid nam sibi uelit clamor iste insolitus: deinde uidentes discursus per urbem loricatorum insuetos, & stragem quę passim per uicos fiebat et plateas, rem prout erat, arbitrati sunt accidisse. Relictis ergò domibus, cum uxoribus & liberis tentabant effugere: dumq; armatorum acies fugiunt, latebras quaerentes, & salutis uiam, attoniti quid faciant, armatis se ingerunt imprudenter. Qui autem erant urbis habitatores, Syrij, Armenij, & aliarũ nationum fideles, hi de euentu qui acciderat congratulantes plurimũ, correptis armis, nostrorũ se adiungũt coetibus: & sicuti maiorum habebant locorũ peritiam, ita alios post se trahentes, urbis diuerticula & portas, si quae adhuc clausae tenebantur, obtruncatis eorum custodibus, confractis seris aperientes, reliquũ exercitus intromittebant. Haec à Domino egressa uicissitudo, ut qui canibus immundis, indebitae seruitutis iugo subiecti fuerant, angarijs & perangarijs, & cruciatibus miserabiliter fatigati, nunc uice uersa, aequipollentes refunderent calumnias, & eis procurarẽt interitum. Et iam uniuersus nostrorũ introductus erat exercitus, iam liberè portas turresq; sibi uendicauerãt & moenia, iam principum uexilla & omnibus nota in locis sublimioribus constituta insignia, uictoriae dabant argumentum. Erat ergo ubiq; strages, ubique luctus, ubiq; mulierum eiulatus: & interfectis patribusfamiliâs, passim obtruncabatur familia, & effractis domibus uasa diripiebantur: & uniuersa eorum substantia his qui primi accedebant, concedebatur ad prędam. Discurrebãt uictores per loca prius inaccessa, & tracti cędis cupidine, & lucri desiderio, nec sexui parcunt, nec conditioni, aetatis etiã apud eos nulla erat differẽtia. Occurrẽtes aũt sibi per uicos & plateas ciuitatis, quęrũt diligẽtius ubi sint potentũ domicilia, et ubi habitauerãt locupletiores: illucq; iunctis cõcurrẽtes agminibus, interfectisq; domesticis, effringentes penetralia nobiliũ, liberos, matresq; familias gladijs transuerberantes, domus, supellectilẽ, aurũ, argentũ, & uestes pręciosas ęqua sorte inuicem partientes. Caesa fuisse dicuntur ea die de ciuium numero decem milia, quorum corpora passim & sine delectu per uias iacebant insepulta.

Ciues

Ciues in præsidium se receperunt. Accianus extra urbem fugiens occiditur. Multi de monte præcipites prosternuntur. Caput XXIII.

ACcianus uerò uidens, quod hostibus tradita erat ciuitas, & per turres & mœnia & urbem sibi uendicauerant uniuersa: uidensque quod populus, qui stragem euaserat, in præsidium se certatim conferebat, timēs ne Christianus exercitus illuc eos prosequens, præsidium uellet obsidione uallare, solus absque comite per posticum egressus, amens, uitæ tamen & salutis quærens compendium, fugam iniit: dumque solus prę doloris angustia, sine certo proposito errabundus uagaretur, casu habuit obuiam quosdam Armenos: qui statim eum cognoscentes, accesserunt, quasi solitam exhibituri reuerentiam. dumque ille, quasi extra se factus, hos passus est ad se peruenire, cognoscentes ex eo, quod solus ita aufugerat, urbem esse deuictā, uiolenter eum ad terram deiecerunt, & educto eiusdem gladio, caput ei pręcidentes, in urbem intulerant, coram uniuerso populo illud principibus offerentes. Erāt autem in ciuitate quidā nobiles, qui de remotis partibus ad Antiochenorū, gratia exercendæ uirtutis, uenerant subsidium: hi locorum ignari, cognito quod ciuitas in nostrorum uenerat ditionem, dubij quid facerēt, & pro uita soliciti, in præsidium se superius recipere decreuerunt: dumque illuc tota properarent intentione, casu accidit, quod nostros à parte superiori habentes obuiam, & inter locorum intercepti angustias, ita ut neque ascendere, neque descēdere, propter montis deuexitatem liceret, instantibus nostris desuper, dum quocunque modo fugere nituntur, præcipitati sunt cum equis & armis, quibus erant insigniti, quasi trecenti: qui confractis ceruicibus, & membris contritis, uix de seipsis reliquerunt aliquam memoriam. Qui autem de urbe, aut de adiacente prouincia locorum habentes peritiam, inuenti sunt expeditiores, hi summo diluculo, postquam cognouerunt urbem effractam, per portas, quæ iam incipiebantur reserari, iunctis agminibus egrediebant, ut confugerent ad montana: quos nostri cominus insectantes, partē reduxerunt, uiolenter eos compedibus alligantes: pars equorum erepta beneficio, ad montana fugiēs, uitæ consuluit & saluti. Circa uerò horam diei quintam, redeuntibus nostris, qui egressi fuerant, & qui per urbem dispersi fuerāt, recollectis adinuicem, quæsitum est diligentius, & pro certo cognitū, quod nihil prorsus alimentorum in urbe repertū fuerat: nec mirum, cum iam penè mensibus nouem continua obsidione uallata fuisset. Sed tamen in auro, argento, gemmis, uasis preciosis, tapetis & holosericis, tot & tantæ receptæ sunt copiæ, ut qui prius mendicabat esuriens, nunc factus locupletior, omnibus afflueret abundanter. Reperti autem sunt in tota urbe qui ad arma ualerent, equi uix quingenti, & hi etiam confecti macie, & inedia tabescentes. Capta est ergò Antiochia, anno ab incarnatione Domini, Millesimo nonagesimo octauo, mense Iunio, tertia die mensis.

LIBER SEXTVS.

Deſcribitur mons qui urbi præeminet, & pars eius ab hoſtibus occupatur, cuſtodibus illuc locatis. Mittuntur ad mare qui populum euocent, & illatis uictualibus ciuitas cõmunitur. Caput I.



SEdato autem tumultu, & gladijs inebriatis ſanguine, ſeſſis à cæde continua uictoribus, cum iam ciuitas quieuiſſet, conuenientes adinuicem principes, multũ adhuc ſupereſſe laboris, & nondum conſummatum negotium intelligentes, per portas & mœnia deſignatis cuſtodibus, in montem aſcendere decreuerunt, & oppugnare præſidium. Et miſſa uoce præconia, cohortes uniuerſas, in montem prædictum aſcendere certatim compellunt: quò peruenientes, cum præſidij conſtaret munitione, quòd omnino eſſet inſuperabilis, & quòd ſola fame poterat expugnari, uidentes quod inutiliter conſumerent operam & ſtudium, & res multorum dierum ferias exigeret, ad alia ſe conuertunt argumenta. Mons enim iſte, qui urbi præeminet, ualle quadam pro fundiſſima, deuexo plurimum præcipitio diuiſus eſt, ita ut eius pars quæ in Orientem reſpicit, ſit humilior, largam in ſui uertice habẽs planitiem, uineis aptam & agriculturæ. Tanta eſt profundæ intercapedinis diſtantia, ut potius montes duo, quàm unus in duo diuiſus uideatur. Qui uerò in Occidentem protenditur, longè ſublimior eſt, & cacuminatus, intus parte ſublimiore ſicubi eſt præſidium, muro ſolido, & turribus ualidioribus. Ab Oriente & Septentrione prædictum habens immane & in modum barathri præcipitium, ita ut nec excogitari poſſit, quomodo ex illis duabus partibus præſidio noceatur. Ab Occidente uerò collis erat depreſſior, inter quem & præſidium uallis erat, ſed modica, nec latitudine diffuſa, nec profunditate præceps: per quam uolentibus à præſidio in urbem deſcendere, iter unicum & ſingulare ſatis per ſe nemine impugnãte periculoſum. Hunc ergo collem noſtris uiſum eſt principibus occupare, ne fortè per portam præſidij hoſtibus immiſſis, in noſtrorum læſionem, in urbem patêret deſcenſus: locatis ergò ibi uiris prudentibus & ſtrenuis, & relictis quæ in uictu neceſſarijs, factoq; muro cum propugnaculis & opere ſolido, & locatis ſuper eum ordine cõgruo machinis, quibus à ſe repellere poſſent hoſtiũ moleſtias: Principes de maioribus deliberaturi, in urbem deſcenderunt, ad eundẽ locum cõpoſitis negotijs redituri. Omnes enim illic moram facere, quouſq; expugnaretur præſidium, decreuerant: excepto domino Duce, qui de communi principum conſilio, portam Orientalem in ſuam receperat cuſtodiam: ſimul & præſidium, quod noſtri extra urbem firmârant, domino Boamundo commiſerant. Audientes igitur, quod magnus princeps, de quo ſuprà dictum eſt, Corbagath uidelicet, in proximo uenturus eſſet, & iam fines Antiochenorũ ingreſſus, innumerabiles infuderat copias: decreuerunt uſq; ad mare aliquem de principibus dirigere, & eos fratres omnes, qui illuc alimentorum gratia, & colligendi uictus ſe contulerant, reuocare, & quicquid illic neceſſariorum reperierint, totum ad urbem quantocyus præcipiunt comportari. Factum eſt aũt, ut per illud biduum, quod uſq; ad aduentũ maiorum copiarum ſupereſſe uidebatur, in omni ſolicitudine diſcurrentes, quicquid uictus & pabulorum undecunque corradere potuerunt, in urbem introducentes, ad eius condu-

ctionem toto studio laborarent. Sed & suburbanorum incolæ, & agrorum cultores, scientes Christianis urbem esse traditam, quæcunque inferri poterãt, diligenti studio comportabãt: sed modicum erat, & penè nihil quod undique inferebatur. nam diutina obsidio, quæ nouem mensibus continuis uniuersam exhauserat regionem, nihil reliqui fecerat, unde uel ad paucos dies nostris posset subueniri.

Trecenti à maiore hostium præmissi exercitu, ante urbem discurrunt. Rogerius de Barnauilla incautus occurrens occiditur. Caput II.

ALtera uerò die post urbem captam, cum nostri circa urbis custodiã, & pro inferendis alimentis essent ualde soliciti, ecce trecẽti equites de exercitu Corbagath studiosè præmissi, si fortè aliquos ex nostris extra urbem incautè se habentes reperire possent, ad unguem armati, & inuecti equis celeribus, iuxta urbem se locant in insidijs. Ex quibus triginta, qui equos uidebantur habere uelociores, usque ad urbem cœperunt discurrere, ex industria ignorantiam prætendentes, & discurrentes incautius. Hos cum nostri qui in ciuitate erant, ita uiderent discurrere, ægrè tulerunt, indignum omnino reputantes, nisi eis obuiam procederetur. Vnde uir in armis strenuus, cuius multa in eodem exercitu egregia fuerant opera, Rogerius uidelicet de Barnauilla, de comitatu Roberti Normannorum comitis, assumptis secum consortibus quindecim, eis in occursum ab urbe properat, more suo aliquid insigne gesturus. Qui dum laxis habenis in prædictos discursores irrueret animosius, subitò, sed fraudulenter, in fugam uersi sunt, tamdiu fugã continuantes, quousque ad suorũ peruenerant insidias. Vnde consurgentibus his qui latuerant, redintegrato suorum numero, in eos qui socios insectabant, calle reciproco irruentes, in fugam adegerũt: dumque Rogerius & sui uiribus impares & numero, in urbem se contendunt recipere, hostilium equorũ uelocitate præuentus, ictu sagittæ trans præcordia letaliter confossus, equo lapsus interijt: uir, suis perpetuò lugendus, expeditionis Christianæ, quantũ in se erat, fidelissimus procurator. Cęteris aũt in urbem se recipientibus, in pręsentia omnium qui in muro erant & turribus, nemine ex eis opem ferente, uiri memorabilis capite amputato, hostes reuersi sunt in dẽnes. Quibus abeuntibus, nostri corpus eius cum honestis exequijs, nõ sine lachrymis & uniuersorum gemitu in urbem introducentes, in porticu basilicę Apostolorũ principis, supremo humanitatis officio, præsentibus principibus & uniuerso populo, sepulturæ dederunt magnificè.

Princeps maior accedit, castra locat in montibus supra præsidium. Dux in porta Orientali prosternitur: ducenti pereunt de nostris. Caput III.

AT uerò sequenti die, quæ ab urbis liberatione erat lux tertia, summo diluculo, circa solis exortũ, sæpè dictus princeps potentissimus, cum infinitis, & maioribus etiã quàm prius diceret copijs, regionẽ quantum ex sublimiore ciuitatis parte poterat quis intueri, suorũ multitudine occupauerat uniuersam: & ponte superiore transito, inter lacum & fluuium, qui inter se quasi spacio unius miliarij distare uident, castrametatus est. Erat autem tanta expeditionum eis multitudo & militiarũ numerus, ut etiam illa tam insignis planicies, in qua sitam esse diximus Antiochiam, uix eorum castris sufficeret, ut de col-

libus etiam uicinis locando tabernacula, nōnullos occuparent. Die demum tertia postquam ante urbē castrametatus est, uidēs quod nimis esset ab urbe remotus, habito cum suis consilio, ut his qui præsidium tuebantur, de loco uiciniore conferret solatium, & ut per eam portam, quæ castro suberat, suos in ciuitatem posset intromittere, solutis castris, ad montana contendit, à porta Orientali usq; ad Occidentalem uniuersum Australe latus continua uallans obsidione. Erat autem secus eandem Orientalem portam præsidium quoddam in colle aliquantulum edito situm, quod ab initio ad castrorum tuitionē fundatum, domino Boamundo prius tradiderant conseruādum: urbe uerò capta, postquam generalem cœpit habere administrationem, prędictām munitionem simul cum uicina porta domini Ducis custodiæ deputauerūt. Circa quod præsidium, dum castra hostes locassent sua, & his qui erant in præsidio assultus darent cum multa instantia frequentissimos, Dux eorum non ferens insolentiam, cum suo egressus est comitatu, ut his qui in pręsidio erant penè deficientibus ministraret subsidium, & castra quæ ante portam erant locata dissolueret: sed egredienti duci, & suis uolenti subuenire, occurrit Turcorum multitudo ingens, quam & uiribus & numero longè superiorē Dux sustinere nō ualens, uix eorum ereptus gladijs, fuga inita, in urbem se recepit: ubi hostibus proteruè nimis insistētibus, dum plebs indiscreta nimis premeretur, & mutuo sibi præ turba negarent introitum, ducenti penè, partim oppressi, partim uulneribus saucij, nonnullis etiā captis, miserabiliter perierūt.

Nostri infra urbem secus radicem montis uallum ducunt. Pugnatur ibi: uincuntur hostes. Princeps hostium de monte descendit, urbem obsidet in parte inferiori. Caput IIII.

SIc igitur duce confuso, qui quasi omniū præcipuus uidebat, Turci in tantam elati sunt audaciam, ut per portam superioris præsidij, quibusdā nostis compendijs, in urbem descendentes, in nostros subitò irruerent: & repentes improuidos, sagittis & gladijs plerunq; multos interfice.ent: nostris autem eos insequentibus, subitò montem occupantes, in arcem se recipiebāt superiorem, alias etiam uias habentes, quàm per eum collem, quem nostri occupauerant & communierant diligentius: dumq; sæpius ita contingeret, & multi de populo in ciuitate, hac fraude deperirent, conuenerunt simul principes, ut huic tanto malo remediū procurarēt: factūq; est, quod de cōmuni cōsilio, D. Boamundus, & D. Comes Tolosanus, inter partē urbis inferiorem & cliuū montis, uallum duxerūt profundū admodum, & latitudinis competentis, quo impetus eorum qui descendere de monte consueuerant, retardaretur, & populus intra urbem posset tranquillius quiescere. Et ut etiam uallū ad sui tuitionem redderent habilius, munitionē ibi construunt, fidelē & deuotā operam impendentes, tamq; pro salute propria, quàm pro uniuersis legionibus. Turci uerò, qui adhuc superius obtinebant præsidiū, & qui exterius erant in obsidione, per superiorem portam admissi, per occultas semitas descendentes, huic nouæ munitioni frequētes dabant assultus: & quanta poterant instantia, ut eam deijcerent, elaborabant. Accidit autem die quadam, quod erumpens à superioribus partibus, per solita uię compendia Turcorū manus solito numerosior, circa prædictum, & de nouo conditū præsidium, tanta cœp.it eos qui intus erant impugnare instantia, quod nisi princeps qui

aliis urbis partibus ad custodiam erant deputati, et uniuersus qui per urbem dispersus erat populus, maturius subuenisset, pene dominũ Boamundum & Eurardum de Pusato, Rodulphum de Fontanis, Reibaldum Trecon, Petrum filium Gillæ, Albertum & Iuonẽ, uiros strenuos et nobiles, qui ad eius tuitionem se intrò contulerãt, expugnassent: sed aduenientes cum multo impetu Dux, & Comes Flandrensis, & princeps Normannorũ, eorum adeò represserunt insolentiã, ut interemptis pluribus, & captiuatis nonnullis, non solum à præsidio, uerùm ab urbe uniuersa, conuersos in fugam, & malè tractatos, sub omni celeritate fugere compellerẽt: qui ad dominum suũ reuersi, nostrorum uires, & admirabilem animorũ constantiam prædicabant. ita ut in eis uideretur impletum illud uaticinium: Lingua canum tuorum ex inimicis. nam fidelis populi extollebant præconium, qui erant eius persecutores. Corbagath uerò, cum per dies quatuor in montanis, ut prædiximus, morã fecisset continuam, uidens quod non proficeret, & quod equis pabula deficerent, solutis castris, iterum cum uniuersis legionibus suis denuò descendit ad campestria, & transito flumine, per uadum inferius partitis agminibus æqui pollentibus spacijs, & locatis in gyrum principibus suis, urbem uallat obsidione: ubi dum die sequẽte, quidam ab exercitu diuisi, nostros ad cõflictum prouocarent, contigit ut de equis descendentes, & his qui in muro erant, instantiam suorum proteruius incuterent, dominus Tancredus per portam egressus Orientalem, in hostes irruit subitus: & anteq̃ ad equos possent habere recursum, sex ex eis interimens, reliquos in fugã adegit: quorũ amputãs capita, in urbẽ intulit ad consolationem populi, qui pro defectu Rogerij de Barnauilla, qui ibidem occisus fuerat, graui mœrore concutiebatur.

Populus infra urbem multa laborat inedia. Quidam nobiles clàm inde aufugiunt. Boamundus uniuersis præficitur. Cap. V.

INterea populus, qui paucis ante diebus eandem urbem obsederat, & obsessam sibi uendicauerat uiolenter, nunc uersa uice (sicut & rerum solet esse uicissitudo) obsidionem sustinens, graui supra modum molestabatur inedia, & immensis supra uires fatigabatũ laboribus. Foris erat gladius, & intus pauor. Nam præter eam, quam de innumerosis expeditionibus exterioribus quæ urbem obsederant, meritò conceperant formidinẽ, hostibus adhuc præsidium detinentibus, unde fiebãt sæpissimè, ut dictum est, irruptiones, nõ erat illis tranquillitas. Fiebat igitur, peccatis eorum exigentibus, quod multi in desperationem lapsi, professionis immemores, iuramentorum quæ exhibuerãt prodigi, clàm funibus & in sportis per murũ demissi, derelictis socijs, aufugerant ad mare. ex quibus nonnulli ad manus hostiũ peruenientes, perpetuæ mancipati sunt seruituti. alij uerò ad mare peruenientes, eos qui in nauibus erant, præcisis anchoris, in fugã compulerunt, dicẽtes: Princeps hic magnus, qui cum innumerabilib. aduenit copijs, urbẽ quam nos expugnaueramus, extincto uniuersorũ nostrorũ numero, nunc & principib. interemptis, uiolenter recepit: nos autẽ opitulante Dño, gladios eorũ euasimus. Vos igitũ funes præcidite, & maturate fugam, ne ad mare descendentes, pari uos inuoluant periculo. Ipsi autem cum eis conscendentes, fugam inierunt. Erant autem qui sic aufugerant, non solum de popularibus & plebeijs, uerùm etiam uiri no-

uiri nobiles, & multa generositate insignes, Vuilhelmus uidelicet de Grantemaisuil, uir inclytus de Apulia, qui sororē D. Boamundi habebat uxorē, & Albericus frater eius. Vuilhelmus Carpentarius, Guido Trusellus, & Lampertus Pauper, & alij multi, quorū nomina nō tenemus, quia deleta de libro uitę, pręsenti operi nō sunt inserenda. Nōnulli etiam, quod multò erat abominabilius, futuri timore periculi, famis et laborū impatientes, ad hostes se conferebant, Christi doctrinā & eius fidem cum impietate abnegantes. hi de statu nostro certificantes aduersarios, supremū eodē modo penè nostris intulerunt periculū: alij uerò qui in ciuitate remanserant, spem diffugij nihilo minus ex parte plurima conceperant. Sed uir uitæ uenerabilis, Podiensis episcopus, & D. Boamundus princeps illustris, eorū præuenerunt molimina. Nam designatis per portas singulas uiris prudētibus, & de quorū experientia simul & fide meritò præsumerent: turribus quoque per singulos nobiles collocatis, ita nocte & die studio indefesso seruabant excubias, ut nemini penitus quantumcunq; properanti & arguto, ulla pateret uia subterfugij. Et ut liberius generalem, quæ eis concessa fuerat, exercere possent iurisdictionem, intimauerant omnibus à maiore usq; ad minimū, quod usq; ad consummationem negotij Antiocheni, & bellum quod sperabāt futurum, completum, D. Boamundi mandatis fideliter & deuotè obedirēt: unde ille incessanter nocte & die, suis comitatus domesticis & familiaribus, & his quibus ampliorē habebat fidem, uicos & plateas, muros & turres ciuitatis cum multa circuibat solicitudine, diligenter inuestigans, ne quis incautè se haberet, ne quis hostium introitus pateret insidijs. Erant aūt præsidia quatuor, in quibus maior exigebāt custodię diligentia: superius uidelicet, quod cōtra arcem superiorē è regione positum erat. Secundū item inferius, infra urbem supra uallū erat constitutū, contra eorum irruptiones, qui à porta castri superioris in urbem consueuerant descendere. Tertiū extra portā Orientalē positum, quod ad castrorū tuitionē ante urbem captam fuerat fabricatū. Quartū quoq;, quod in capite pontis constructū fuerat, per quod porta pontis nouissimè fuerat obsessa. Cuius curā D. comes Tolosanus, ex quo ciuitas capta fuerat, cum alijs in urbem se conferens, dereliquerat. Vrbe aūt capta, Flandrensiū comes prædictum ingressus castrū, cum quingentis uiris fortibus & strenuis diligēter cōmunierat, timens ne fortè in manus hostium deueniret, nostris per pontē introitus negarēt & exitus, in quo fieret obsessorū multo deterior cōditio.

Comes Flandrensium præsidium ante pontis portam, quod conseruare nō poterat, ultrò deserit & incendit. Princeps hostium quosdam de nostris captos in Persidem mittit. Caput VI.

CONtigit autem die quadam, quod uidens Corbagath, nostros nimiam egrediendi & ingrediendi habere licentiam, et pręḋictum iuxta pontem præsidiū, multum suis obstare conatibus, præcepit de suis ad duo milia loricatorum armatis, ut pręḋictū cum omni instātia impugnarēt pręsidiū. Illi aūt dicto quantocyus parentes, circa prædictæ munitionis uallum, congruis locatis stationibus, quanta possunt instantia, immissa sagittarū grandine, prædictum locum, ab hora diei prima usq; in undecimā continuis infestant assultibus, & congressionibus impugnant: Comite cum suis resistente uiriliter, et locum, cuius tuitionem assumpserat, totis uiribus protegente. Cumq; circa

 solem

solem iam occiduum et uesperam imminentẽ uiderent impugnatores, quod non multum proficerẽt, soluto assultu in castra reuersi sunt. At uerò Comes timens ne multiplicatis uiribus in crastino ad opus simile accingerentur, sciensq; quod nullatenus posset contra tantum exercitum, prædictã tueri munitionem: intempestæ noctis silentio ignem adhibens, & incendio tradens, uniuersam in urbem cum suis eiusdem rei consortibus se contulit. Mane autem facto redeuntes in idipsum, qui hesterna die castrum impugnauerant. assumptis igitur duobus alijs milibus, iterum ad idem opus se accingunt: & ad dictum locum properantes, ubi desertum reperiunt & ex parte plurima dirutum, infecto negotio reuersi sunt ad suos. Per eosdem dies accidit, quod quidam de hostium exercitu latenter egressi, quosdã de nostris casu obuiam habentes, uiros egenos & inopes, proficiscentes incautius ceperunt: quos ante Principem suum deductos statuerũt, ut ei tanquam Domino, successus sui & manubiarum dedicarent primitias. Ille autem in captiuis & armorum & habitus cõtemnens uilitatem (erant enim eis arcus lignei, enses quoq; sordebant operti rubigine, uestes etiam præ continuis laboribus laceræ, & assiduitate utendi prætendentes uetustatem: non enim erãt populo peregrinanti diuersa, quibus alternatim uterentur, mutatoria) dixisse fertur: Ecce populus qui regna debeat sollicitare aliena, cui pro multis diuitijs deberet sufficere, ut in quocunq; terrarũ angulo panis eis quasi uilibus daretur mercenarijs. Ecce arma, quibus Orientaliũ ingenuitas debeat flagellari, quibus uix passer ictus deperiret. Alligate eos, & compeditos cum armis suis, & isto suo habitu, Domino meo qui me misit repræsentate illos, ut ex istis colligat, quàm nullius momenti sit de talibus triũphare: qualesq; habendi sint, quos tam miserabilis populus gloriatur subegisse. Abijciat ergo à se curam & omnem istam super me sollicitudinem: in proximo enim erit, quod canes hi immundi cõparere desinant, & consumpti penitus nequeant in populis numerari. His dictis tradi præcipit quibusdam ad hoc deputatis, qui eos iuxta eius definitionem ad maiorem Soldanum uinctos deducerent in Persidem: leuissimum enim iudicabat, eos posse sibi subijcere, quorũ uirtutẽ nondum expertus fuerat. quod' que sibi pro gloria putauerat adscribendum, ut eos apud dominum suum uilipenderet, id postea in eius confusionem retrusum est. quanto sanè à contemptibilioribus, suo iudicio, uictus abijt & confusus, tanto illi maior infligitur contumelia, tantoq; maior irrogatur confusio. Solet enim uictis esse quasi pro solatio & casum reddere leuiorem, si à uiris fortibus & strennuis dicantur superati: sic è diuerso, ruborem ingeminat, et adauget ignominiam ab indignis & uilibus obtenta uictoria superari.

Fame inualescente, populus ad immundos inuitus conuertitur cibos. Caput VII.

VRbe igitur sic ex omni parte obsidione uallata, cũ iam populo egredi uel ingredi, & sua exterius procurare negocia nõ liceret, facta est nostrorũ multo deterior cõditio. nam cũ nihil inferreret alimentorũ, exorta est fames in ciuitate solito uehementior, ita ut præ defectu uictualiũ, & famis importunè urgentis acerbitate, ieiuna plebs propugnandi cibi gratia, ad turpia nimis declinaret compendia. Nõ erat in escis etiam apud delicatos differentia, non

non erat mundorum ab immundorum legalis illa distinctio: sed quod casus offerebat, siue gratis siue cum precio, id in cibum uertebatur: inde uenter rugiens & famelicus, si tamen ad hoc sufficiebat quod assumptum fuerat, implebatur. Non erat rubor nobilibus, non ingenuis uerecundia, mensis alienis importunos se conuiuas ingerere, auidè manibus alienis inhiare, importunè petere quod sæpius negabatur. Fugerat à matronis, quibus aliquando familiaris fuit, pudor, à uirginibus reuerentia: et suorum oblitę natalium, exhausta facie, uocibus flebilibus, quæ saxea possent mouere pectora, non timentes repulsam, passim uictum quęritabãt: quas autem famis acerbitas expugnare non poterat, ut rubore deposito, fronte indurata ad mendicandum descenderent, hæ in absconditis delitescentes, in seipsis tabescebant, mortem magis eligentes quàm se dare in publicum ut aliquid postularent. Erat denique intueri uiros robustiores fœminis, quos uirtus præcipua & nobilitas præclara reddiderant conspicuos & insignes, innixos præ nimia debilitate baculis, per uicos & plateas artus circumferre semineces, uultu deiecto. Etsi non uoce eleemosynã peterent à transeuntibus, intueri erat nihilominus pueros uagientes & adhuc lactis egentes alimonia, per cõpita uiarũ passim expositos: quibus ij qui eos genuerant, materna denegabãt obsequia, dum sibi nõ sufficerent ad hoc saltem, ut sibi aliquid peterent necessarium. Vix erãt in tãto populo qui sibi sufficerẽt: uniuersis penè sumptus defecerãt, omnibusq́ quasi in usum uenerat mẽdicare. Aut si cui res adhuc domestica suppetebat, dũ nõ occurrebat uenale quod erat necessariũ, nihilominus indigebat: quiq́ apud suos in largiendis dapibus prius liberales iudicabantur, & profusi, hi secessus quærentes abditissimos, & loca inaccessa cæteris, qualem qualem sumentes refectionem, ijs quę undecunque collegerant incumbebant auidius, nemini quod eis erat pro cibo communicantes. Quid plura? Camelos, equos, asinos, mulos, & immunda quælibet & indigna relatu, suffocata morticinia, quoties dabatur ex ijs aliquid habere, pro summis reputabant delicijs: & ex ijs importunam repellentes esuriem, miseram quocunq́ modo sustentabant uitam. Nec solum plebeios & mediæ manus homines huius tam miserabilis inediæ calamitas inuoluerat, uerùm & maioribus nimis importunè se ingesserat principibus: eratq́ eis tanto molestior, quanto pluribus prouidentes, indigebant amplioribus, & suam petentibus negare non poterant munificẽtiam. Referre uerò quid singulis acciderit maioribus, licet hoc habeant adhuc ueterum traditiones, & quanta ægestate pij pro Christo laborauerint Principes, lõgè esset ab historiæ cõpendio, & speciales tractatus exigeret. Sed ut in summa dicatur, uix est quod aliqua contineat historia, tantos principes, tantumq́ exercitum, tantas alibi sine defectu & tam patienter pertulisse molestias.

Hostes clàm unam de turribus penè occupant, Henricus de Sascha restitit uiriliter, & pluribus occisis arcem obtinet uiolenter. Caput VIII.

INterea dum ita ciuitas per studiũ & operã Corbagath & suorũ, ex omni parte circũdata esset obsidione, & populus inclusus nusq́ egredi, nullusq́ ad eos introire posset, insuper & cõgressionibus penè continuis, tam in urbe quàm extrà supra uires fatigati essent, accidit ut præ laboris diuturnitate

 & fa-

& famis incdia, minus uigiles, minusq́ solliciti urbem custodirēt: quibusq́ cura circa corporis alimentum pené tota uersabatur, necesse erat, ut ad cætera tractanda consurgerent remissiores. Vnde factum est, ut die quadam turris una, iuxta eam per quam nostris datus fuerat in ciuitatem introitus, custodita negligentius, hostibus paulo minus ad urbem iterum impugnandam occasionem præstitisset. Quidam enim de hostibus sperantes, quòd in noctis silentio potuissent eam occupare, ut inde sibi, sicuti & nostris prius in urbem pateret descensus, ad eam obtinendam scalas muro clàm adhibuerunt, quibus iam circa primum noctis crepusculum, quasi triginta super murum ascenderant, turrim uacuam ingressuri: in quo negotio dum feruentius desudarent, casu contigit, quod qui uigilum administrabat præfecturam, mœnia perlustrans, ad eam partem peruenit, ubi hæc talia gerebantur. Cognitisq́ eorum moliminibus, multa uociferatione eos qui in uicinis erāt turribus excitauit, turrim denuncians fraudulenter ab hostibus occupatam. Ad quem tumultū excitati sunt, qui in ea regione obseruabant excubias: inter quos uir strenuus & insignis Henricus de Sascha, cū duobus alijs, Francone uidelicet, & Sigemaro, cognatis, de uilla quæ dicitur Machesa super Mosam fluuium, ad partes illas impiger conuolat, timens ne forté ab aliquibus pecunia corruptis ciuitas proditiosé tradita esset hostibus. Quò perueniens, confluentibus ad eum qui in uicinis erant turribus, hostes inuadit uiriliter, & strenuitate solita, in momento, licet plurimum resistentes, à prædicta turri depulit, quattuor ex eis peremptis gladio: reliqui uiginti sex (triginta enim iam ascenderāt, alios postmodum introducturi) fractis cruribus & brachijs & ceruicibus de muro præcipitati sunt. Amisit tamen uir strenuus socium suum Sigemarum, transuerberatum gladio: Franconem uerò letaliter saucium, quasi seminecem, domum fecit reportari.

Hostes ad mare descendunt, incendunt naues, & in uia multos de nostris perimunt. Caput IX.

PErurgente igitur obsessos singulis diebus maiore inedia, & fame periculosius inualescente, affligebatur populus uehementius: unde præ angustiarum multitudine & quottidianæ afflictionis pondere intermisso, quidam uitę negligentes & salutis, urbe clàm egressi, per medias hostium acies, per mille discrimina, ad mare, ubi adhuc aliquot tam Græcorum quàm Latinorum erant naues, descendebant ut cibos emerent, & iterum referrent in urbem uenales. alij uerò, ut se tantorum eximerent casibus periculorum, abibant non redituri, nullam spem habētes, quod eorum qui in urbe relicti fuerant, in melius posset procedere negotium, aut hostium saltem gladium declinare. Quod postquā Turcis compertum est, clandestinis itineribus & nocturnis, caussa quærendi uictus nostros ad mare descendere, & circa urbem euagari, missis nonnullis locorum habentibus peritiam, qui eis prætenderent insidias, sæpissimas ex eis operati sunt strages. Et quoniam sæpius eis in eo successerat facto, duo milia electorum equitum ad oram maritimam dirigunt, qui peremptis nautis & institoribus, & classe succensa, omne de cætero commerciorum genus amputarent, ut & ea præcisa negotiandi semita, omnis omnino Christianis deficeret alimonia, & salutis spes intercludetur.

retur, quod et factum est. Nam mandatum exequentes, succensis ex parte nauibus, & earũ nautis, quos incautos repererant, ex plurima parte interfectis, reliquos in fugam adegerunt. quo rumore, qui à Cypro, Rhodo, & alijs insulis, quicq́ de Cilicia, Isauria & Pamphilia & alijs maritimis regionibus gratia commerciorum solebant accedere, plurimum deterriti, iam illuc redire & merces inferre formidabant, nec audebant accedere, unde nostris etsi nimis periculosa prius, periculosior tamen facta est conditio, rerum uenalium penitus cessante commercio. nam dum institoribus liber per mare patebat accessus, & si modicum erat quod per eos inferebatur, nec tanto poterat suffi cere populo, tamen ad nonnullam nostris erat consolationem, & eorum aliquatenus releuabat inopiam. Hostes uerò redeuntes ab ora maritima, de nostris etiã in uia quosdã reperiunt, quos omnes gladijs interimũt, exceptis paucis, qui per dumos & fruteta & speluncarum latebras delitescere potuerunt. quæ fama mali nuncia, nostros non minus, quàm ipsa famis enormitas molestauit: quotiens enim suorum casum audiebant, totiens eorum dolor renouabatur. Vnde tot molestijs & laboris immensitate, & quottidiana suorum ruina, & infortuniorum acerbitate supra uires fatigati, iam de uita desperare, iamq́ minus pro sua tuitione solliciti, minusq́ obedire Principibus incipiebant.

Stephanus Comes Carnotensium ad Imperatorem Constantinopolitanum proficiscitur. Caput X.

INterea Vuilhelmus de Grentemaisuil, & alij qui cum eo aufugerant, peruenientes Alexandriam minorem, ubi dominus Stephanus Carnotensium & Blesensium Comes, cuius reditũ tam principes, quàm uniuersus populus, per singulos dies ardentibus præstolabantur desiderijs, adhuc suam simulabat ægritudinem, quæ apud Antiochiam gerebantur, exponunt. Et ne ipsi etiam ob leuem & friuolam caussam, & tanquam timidi socios deseruisse uiderentur, ærumnarum & afflictionis modum qui erat, amplificant. Et licet magnus esset & incomparabilis, tamen studiosa relatione maiorem efficiunt, & de magnis maiora loquunt. Nec erat difficile ei persuadere quicquid timiditatẽ augere poterat, cum ipse prius eiusdem rei gratia socios deseruerat, & fugerat à consortibus, ægritudine simulata. Factum est itaque, quòd communicato adinuicem consilio, naues habentes paratas mare ingressi sunt: qui dum aliquandiu nauigassent, peruenientes in unam ex urbibus maritimis, sicuti solliciti erant, & ubi nam Imperator esset diligenter inuestigarent, didicerunt per quorundam relationem dissonam & emen titam, quod Imperator cum infinitis legionibus tam Græcorum quàm Latinorum apud urbem Finiminis castra locasset, Antiochiã proficiscẽs, quasi nostris subsidiũ collaturus, sicuti ex cõpromisso tenebatur. exceptis autẽ exercitibus quos ipse ex uniuersis nationibus adinuicẽ collegerat, erãt ei adiuncti, quasi ad quadraginta milia Latinorum, qui à legionibus quæ præcesserant, aut paupertatis caussa, aut sua suorũq́ ualetudine, aut ex quibusdam alijs urgentibus caussis per terram Imperatoris derelicti fuerant: tunc uerò resumptis uiribus et animo de Imperatoris præsentia, & eius innumerabilibus

copijs

copijs transeundi fiduciam habentes, ad uię censores toto spiritu, totacꝫ men te festinare satagebant. Audiens ergo prædictus comes Stephanus, quod il luc residens Imperator, uires maiores pręstolaretur & ad proficiscendum se accingeret, assumpto cum ijs qui secum erant, itineris compendio, uersus imperatoris exercitum cum omni celeritate contendit. quò perueniens, ab imperatore honestè satis, sed cum admiratione susceptus est: nouerat enim eum Imperator & ab initio dum cum alijs transiret, eius sibi contraxerat amicitiam. Interrogans igitur Imperator ab eo diligenter de uita & salute & statu principum, & quæ nam esset caussa, quod ab alijs rediret separatus, respondit.

Oratio eius ad eundem Imperatorem, mendacio plena, perniciosa fidelibus. Caput XI.

FIdeles tui Imperator inuictissime, qui paulo antè per tuã habuerant transitum eminentiam, & de tua plenitudine, te largiente facti sunt locupletiores, capta Nicea, usqꝫ Antiochiam satis prospero cursu peruenerunt, urbemqꝫ ipsam iugi obsidione quasi per nouem continuos menses expugnatam, præuia Domini misericordia, uiolenter sibi excepto urbis præsidio, quod in monte sublimiori situm, urbi præeminet nullis superabile uiribus, uendicauerunt. Cumqꝫ crederent rem esse consummatam, quodqꝫ se periculis exemissent uniuersis, urbe recepta, factus est error nouissimus peior priori, & in multo maiora quàm passi sunt, inciderunt discrimina. Vix enim ab urbe capta dies tertia elapsa fuerat, cum ecce Corbagath Persarum princeps potentissimus, cum infinitis orientalium copijs & multitudine omnem numerum excedente, eandem obsidione uallauit urbẽ, et ex omni parte obsessis introitum negans & exitum, principes & omnem populum tot et tantis molestijs affligit, quòd nec etiam de corũ uita sperare liceat. multitudinis autem eos obsidentium non est facile numerum compręhendere: nam ut in summa dicatur, omnem adiacentem urbi regionem, locustarum more operuerũt eorum agmina, ita etiam, ut tabernaculis uideatur locus deesse. Noster autem populus, fame, frigore, simul & æstu, cædibus & clade, ita comminutus est, quòd totus intra urbem se collegerit, & uix ad eius tuitionem sufficere posse uideatur. Præterea & id solatij, quod de regno tuo tam de insulis quàm de alijs urbibus maritimis, nauigio annona inferri consueuerat, noueris funditus esse præcisum. Nam emissa copiarum parte, omnem inter Antiochiã & mare regionem, ita occupauerunt, ut classe penitus consumpta nautis, institoribus gladio peremptis, omnem conuectorum spem & obtinendi uictus fiduciam nostris amputauerint. Sed nec in ciuitate tantum alimentorum superesse, ut uel unius diei subueniri possit necessitati. Ad hoc, ad maiorem ærumnarum cumulum, nec in urbe etiam habent tutum refugium. nam irruentibus ijs qui per castrum superius in urbem clàm sæpius immittuntur, in ipso ciuitatis medio per uicos & plateas fiunt congressiones, non minorem curam intestinorum habentes conflictuum, quàm eorum quæ ab exterioribus inferebantur. Vnde nos &, ij qui nobiscum sunt præsentes Capitanei & nobiles uiri, uidentes confratrum negotia non posse procedere, eos conuenimus, sæpius & fraternè monentes, ut sibi consulerent, & inui-

& inuita diuinitate rem impossibilem comprachendere uelle desisterent. quos cum à suo non possemus reuocare proposito, nos, ne paribus imprudenter inuolueremur calamitatibus, nostræ curauimus saluti prouidere. Et nunc si placet, & tuis ita uisum fuerit illustribus, desiste procedere, ne tuæ felices quas tecum trahis expeditiones, paribus inuoluantur periculis. nam à facie tantæ multitudinis quam uniuersus ministrauit Oriens, consultius est, intentato negotio, tibi adhuc integro discedere, quàm temere casum fortuitum cum tot & tantis experiri. Testes sunt eorum quæ loquimur præsentes inclyti uiri, eiusdē sortis participes. Sed et Tatinus uir prudēs & uafer, quem nobiscum tua direxit amplitudo, nostrorum cognoscens defectum, prudenter nimis ab eorum se subtraxit collegio, ut hæc tuæ nota faceret maiestati. Erat autem in prędicto Imperatoris exercitu, quidam domini Boamundi frater, Guido nomine: qui hoc audiēs, penè ad insaniam motus est, fratris & amicorū casum deplorans. Hic licet primùm Comitis narrationi obuium se daret, timoris caussam obijciēs, quod à tantorum cœtu principum se subtraxisset imprudenter: compescuit eum prædictus uir, secundum carnem inclytus, & si moribus ita, Vuilhelmus de Grentemaisuil, qui suā & domini Boamundi sororem habuit uxorem.

Reuertitur Imperator ad propriæ expeditiones quas in nostrorum subsidium collegerat, dissoluit, uerbo credens prædicti Comitis. Caput XII.

His igitur auditis, conuocato Principū suorum consistorio deliberat Imperator, utrum procedendū sit ei, an domū exercitū oporteat reuocare: habitaq; pro tēpore & negotio deliberatione argumentosa, tandē de cōmuni cōsilio uisum est expedire, tutius esse, incolumes exercitū domū reuocare, quàm uniuersi in se excitare Oriētis regna, & se dubijs incōsiderate cōmittere fortunę casibus & præliorū. Tantū igit Imperator uerbis prædicti Comitis fidē adhibuit, ut non solū ita fore, prout ille asseueraret, uerumetiā ut timeret apud se, ne Princeps prędictus, nostris (ut dicebat) interēptis, cū uniuersa multitudine quā secum trahere dicebat in regnū eius introiret: & quā de opere et studio peregrinantiū principū Niceā cum uniuersa uicinia receperat, iterū cogeret amittere: unde huic prouidēs articulo, uniuersas prouicias ab Iconio usq; Niceā, rediens à dextra lęuaq; incendijs & rapinę mandari pręcepit, ut si casu quolibet suas aduersus imperiū eius hostes uellet expeditiones dirigere, regio uastata alimētis carens, et habitatoribus uiduata, aliquod saltē ministraret impedimentū: sicq; factū est, ut per operā prędicti Comitis subsidiū quod ex cōpromisso conferre paratus erat Imperator Christianus, eo plurimū indigēs nō haberet exercitus. Considerantib. tamē interius, et rē perscrutantibus diligēter, uideri potest, etsi prędicti Comitis opus nullatenus ualeat excusari, utpote uiciosam habēs originē, et causā primā ab honesto se discutientē: tamē ex eo subsecutū est, eo procurāte qui solus potest & nouit ad meliores exitus, etiā quę malo sunt inchoata principio pertrahere, ut in eorundē Principū & plebis Dei, qui ita cecidisse dicebat, certū sit gloriā redundasse. Nam qui portauerāt pondus diei & æstus, & relictis uxoribus & liberis peregrinantes Domino decreuerāt militare, dignum erat, ut gloriā pro suis laboribus reportarēt. quoniā si præsens fuisset Imperator, cęteris omnibus inuidisset.

uidisset. Videretur enim, si cum suis expeditionibus affuisset, ob pręcipuam sui auctoritatem et copiarum maiorem numerum negotium consummasse, & ita sibi meritò palmā competere. Vnde creditur à Domino procuratum, ut qui fideliter & deuotè & cum innumerabilibus desudauerant periculis, laboris fructum & uictoriæ titulum reportarent.

Hostes cognito Imperatoris recessu, instant amplius. Desperant nostri, obsequia negant. Boamundus urbem incendit, ut eos de latebris eliciat. Principes fugam meditantur, Dux resistit. Caput XIII.

RVmor interea de recessu Imperatoris multorum relationibus urbem repleuerat, qui & molestijs quibus premebantur incessanter, adiecit cumulum, & in desperationis barathrum omnes penè dabat præcipites. Abominantur prædicti comitis & in perpetuum damnant memoriam, execrantur Vuilhelmū de Grentemaisnil, & omnes illius impietatis participes, ut cum proditore Iuda in æternis incendijs habeant portionē: qui nō solum se communibus subtraxerint laboribus, uerùm etiā tanto, quod eis uidebatur Dominus procurasse, Dei populū defraudassent subsidio. At uerò Corbagath, & qui in castris eius erāt principes maximi, sicubi cognito per exploratores Imperatoris aduentu, suspensi meritò tenebantur, uiresq́ eius suspectas habentes, robur imperij non immeritò formidabant, ita nunc notum per eosdem eius habentes discessum, in maiorem se erigunt insolentiam: & quasi de uictoria certa spe concepta, nostros animosius comprimebant, & coangustabant attentius. Vnde fiebat, ut fideles qui in urbe erant, in tanta essent calamitate, & multiplicis miseriæ nouissimo constituti, ut iam nec salutis spes, nec consolationis uia ulla superesse uideretur. Adeoq́ inualuerat, & omnes occupauerat desperatio, ut circumeunte domino Boamundo ciuitatem, cui super omnes uniuersi exercitus cura commissa erat generalis, nec uerbo nec uerberibus quicquam proficeret, ut uel unum de domibus in quibus latitabant, posset auellere, & peragendas excubias, uel ad occurrendum hostibus, siue intus siue extra, quorum multiplices patiebātur insidias, destinare. Vnde die quadam, defatigatis uociferando præconibus & apparitoribus, infecto negotio reuersi, cum uiderēt quòd inutiliter operam cōsumerent, ut aliquem de latebris possent educere, in locis plurimis incendia per ministros suos procurari iubent, & urbem succendi, ut saltem incendiorum metu prodirent in publicum, qui congelatis uisceribus, obsequio diuino studiū negabant & operā. unde factum est, ut quorū prius nō poterant habere copiam, eos postmodum ad prosequenda munera certatim inuenirent pręcipites. Dicitur etiam, quòd principes de uita desperantes, & salute, habito inuicem familiari consilio occultè decreuerant, ut relicto populo & plebe uniuersa, ipsi clàm & de nocte aufugerent, ad mare properantes. quod postq́ Duci innotuit, & uenerabili uiro Podiensi Episcopo, cōuocantes eos ad se, iustis in eos increpationibus inuecti sunt, ponentes prę oculis, quàm perennem infamiæ notam sibi & posteritati suæ in perpetuum meruerint prædicti nobiles uiri, qui contra honestatem morum, generositatis suę titulos denigrantes, tanto fidelium Christi collegio se subtraxerant. Erat igitur in populo Dei tantus alimentorum defectus, tanta famis angustia, tot & tantę tam exterius quàm interius

terius

terius hostium importunitates, ut nusquam contra ea solatium, nusquā contrà remediū inueniret. Maiores & minores paribus inuoluti calamitatibus, nullam sibi adinuicē consolationis gratiam impendebāt, memores uxorum & liberorum quos domi reliquerant, amplissimaq́ꝫ, quę ob Christianitatem dimiserant patrimonia, mente recolunt, & de Domini quasi conqueruntur ingratitudine, quòd labores eorum, & deuotionis synceritatem nō respiciat, sed quasi à Deo alienum populum, in manus hostium tradi patiatur.

Petro cuidam fit reuelatio: Lancea domini reperitur. Iterum confortatur populus. Caput XIIII.

DVm ergò sic affligit̄ Dei populus, respexit eū Dominus, & gemitus eorum exaudiuit, mittens ei consolationē de sede maiestatis suæ. Quidam enim Petrus Clericus, ut dicitur, de regione Prouincia, ad episcopum Podiensem, & dominū Comitem accessit Tolosanum, asserens, quod ei beatus Andreas apostolus in somnis apparuerit, & eum ter uel quater commonuerit diligentissimè, quatenus ad principes loqueretur & nunciaret, ut lanceā, qua Domini nostri Iesu Christi latus fuerat perforatum, in ecclesia principis Apostolorum occultè repositam, cum omni studio perquirerent: eiq́ꝫ locum certis designauerit indicijs. Qui accedens ad prædictos Deo amabiles uiros, uerbum sicut ei iniunctum fuisse testabatur, ex ordine pandit, asserens se ab eodē Apostolo multis terroribus ad hoc compulsum. Nam cum sæpè legationem hanc sibi assumere, quoniam pauper & nullius prudentiæ erat, detrectasset, urgentissimam Apostoli uisionem, nisi cum mortis periculo declinare se non posse profitebatur. Hi autem reliquis principibus uerbum secretius communicantes, eundem Clericum præsentem constituunt, ut ab eodem modum & formam uisionis acciperent: quibus uerbis fidem habentes, ad locum quem eis intra septa prædictæ ecclesiæ designauerat, conueniunt: ubi effossa terra in altum aliquatenus, lanceam, sicuti prædixerat, reperiunt. Quod audiens populus, tanquam immissa de supernis consolatione, currūt unanimes, & donis, muneribusq́ꝫ tam preciosum multo honore præuenientes inuentum, cœperunt quodāmodo à suis anxietatibus respirare, & in obsequijs diuinis reperiri fortiores. Fuerant & alij nonnulli, qui se dicebant uisiones angelorum & sanctorum Apostolorum uidisse, quibus quasi inuicem consonantibus fides habebatur amplior, & populus à sua deiectione resurgebat in immensum. Factum est igit̄ ad suggestionē uenerabiliū, & Deum timentium uirorum, quod principes uniuersi iterū uoto excepto, & iuramentis corporaliter præstitis, se obligauerunt mutuò, ut si Dominus eos de præsenti casu clemēter eriperet, & de hostibus suis optatā indulgeret uictoriam, quod ipsi abinuicem non discederent, quousq́ꝫ autore Domino, urbem sanctam, & gloriosum eius sepulchrum, Christianæ fidei & pristinæ libertati restituerent.

De communi principum consilio mittitur Petrus Heremita legatus ad hostes: intrepidus peragit legationem. Caput XV.

CVm aūt diebus uiginti sex continuis hac inde intolerabili afflictionē laborassent, cœpit iterū populus, ad cor rediens, fortitudine lumbos suos accingere, et longanimitate prius solita abundare, quadam spe diuinitus im-

m missa

missa se confortans: ita ut omnes unanimiter à maiore usque ad minimum his molestijs finem imponendum cōsonarent, & cum hostibus pugnandum, ut subitò per diuinæ uirtutis auxilium eos de suis uiribus præsumentes, hostes à se possent repellere, & urbem quam eis contulerat Dominus, liberam uendicare. Vtilius enim iudicabant belli semel fortunam experiri, quàm perpetua tabescere inedia, & ingruentium molestiarum iugi sarcina torqueri. Hic igitur erat, & in omnium ore sermo uertebatur, ut extra urbem egredientes, cum hostibus decertarent: nec erat ea mens nobilium tantum, sed etiā populares eo desiderio succensi, principum arguebant desidiam, & moras increpabant. Conuenientes igitur principes in unum, & populi immissum diuinitus recognoscentes seruorem, de cōmuni decernunt consilio, ut missa legatione ad principem hostium, alterutrum duorū proponāt: Aut cedat, urbē nostris perpetuo possidendam derelinquens, sicuti iuris eorum ab initio fuerat, & nunc, autore Domino, in idipsum est conuersa: aut ad pugnam se præparet, gladij iudicium subiturus. Electus est igitur ad id muneris prosequendū, Petrus Heremita, uir uitæ uenerabilis, de quo in superioribus multa diximus: adiunctusque est ei socius & comes, quidam Herbanius Persarum idiomatis, & Parthicæ linguę aliquā habens peritiam, uir itidem prudens & discretus: quibus datum est in mandatis id quod præmisimus, sub conditione tamen hac, ut si pugnam præeligere inueniretur, esset in eius optione, utrum singulariter ipse cum uno ex principibus experiri uellet, an certum numerum nostrorum, totidem opponere: aut simul hinc inde uniuersos confligere exercitus, & legiones unanimiter ad pugnam conuenire. Impetrato igitur ad tempus fœdere cum gratia mittēdæ legationis pace petita, profecti sunt duo prædicti uiri cum sibi consortibus destinatis, usque ad tentoriū principis: ubi eum reperientes cum suis ducibus & satrapis, sicuti uir magnanimus erat, licet statura pusillus esset, munus iniunctę legationis strenuè & fideliter procurauit. Accedens autem ad præfatum Persarū satrapam, nullamque ei omnino exhibens reuerentiam, constanter & imperterritè proposuit, dicens: Direxit nos ad tuam nobilitatem, Deo amabiliū, qui in Antiochia sunt Principum sacer conuentus, monens ut ab eorum infestatione, & ab urbis, quam eis restituit diuina clementia, impugnatione desistas. hanc enim Apostolorum princeps Petrus, nostræ fidei fidelis & prudens dispensator, uerbi sui uirtute, & exhortationis, qua præeminebat, gratia, sed & signorum magnitudine ab idololatria reuocans, ad fidem Christi conuertit, nobis eam reddens peculiarē. Nūc uerò eam à uobis uiolenter & indebitè occupatam, nobis restituit fortis & potens Dominus: unde pro auita hæreditate & Christi domicilio familiari, debitam gerentes solicitudinem, unum tibi ex pluribus proponūt, ut aut ab urbis obsidione, & eorū molestatione quiescas, aut tertia ab hac die cum eis gladijs decertantibus experiaris. At ne fortè oblatum certamen causeris, & subterfugij causam iustam inuenias, optionem tibi proponunt, ut unū è pluribus possis: an solus cum uno ex pluribus tantū congrediaris, et uictor totū obtineas, aut uictus conquiescas: aut plures cum totidem eisdem conditionibus decertēt: aut uniuersæ hinc inde legiones bellicis euentibus experiantur. Ille uerò spreta eius legatione, respondisse dicitur: Non uides mi Petre, quod principum,

principum, qui te huc ad nos miserũt, res sit in eo statu collocata, quod mihi debeant optiones proponi, uel quod ego tenear pro eorum arbitrio aliquid eligere: cum ad hoc per nostrum deuenerint gladium, ut neq; sibi liberam facultatem habeant optandi, sed pro nostro arbitrio eos oporteat sumere & deponere uoluntatem. Vade ergo & dic imprudentibus, qui suã adhuc non intelligunt conditionẽ, qui te huc ad nos direxerunt, quod omnes quotquot integræ ætatis ex utroq; sexu reperire potero, domini mei obsequijs deputatos, iure reseruabo: omnes uerò alios tanquam arbores inutiles gladio succidam, ita ut neq; eorum aliqua supersit memoria. Quod nisi satius duxissem eos famis acerbitate consumi, quàm gladijs interimere, iam pridem effractis mœnibus, & urbe uiolenter occupata, uiarum suarum fructus collegissent, gladijs ultoribus subiecti.

Reuertitur Petrus ad proceres, hostium superbiam nostris insinuat: bellum indicitur. Caput XVI.

AT uerò Petrus intellecta principis, ad quem missus fuerat, mente: & superbia cognita, quam ex multitudine suorum & incõparabilibus diuitijs collegerat, sumpta licentia, ad suos reuertit. Quem intra urbẽ receptũ, & quæ secum deferebat responsa uolentem edere, & significare his qui eum miserant principibus, affuit uniuersa tam principũ, quàm plebis multitudo, cum summa auiditate audire gestientes responsi formam, & legationis finẽ. Dumq; Petrus secundum uerborum seriem, principis, ad quem missus fuerat, superbiam, minas, & immoderatum fastum, præsente populo uniuerso, seriatim proponere decreuisset: timẽs uir illustris Dux Godefridus, ut si cuncta ex ordine populo continuis afflicto laboribus, & iam præ ærumnarum immensitate deficiẽti, panderent, plebs nimis deterreret, & timore deficeret, uolentem in narratione procedere compescuit, seorsum ducens eum à turba frequentiore, & suggerens, ut omissis alijs, id solum breuiter & in summa significetur, quod bellum exigant hostes, & ad id se omnino pręparent. Populus ergo iuxta Petri uerbum, intelligens quod hostes pugnam deposcerent, unanimiter omnes à maiore usq; ad minimum, paribus accensi desiderijs, id ipsum uotis expetunt ardentibus, cum tanta hilaritate uerbum suscipientes, ut iam omnium pressurarum quas pertulerant, uiderent immemores, & de uictoria securi. Acclamantibus ergo uniuersis, & tam uoce quàm signis consonantiam, & omnium conuenientiam significantibus, bellum crastina die futurũ indicitur. Gauisus igitur, reuersus est ad propria populus, totámq; illã noctem præ pugnæ desiderio ducunt insomnem, dum arma exerunt, dum arma præparant, loricas detergunt, & galeas, aptant clypeos, gladios acuũt, somno locus non datur, nec indulgẽt sopori. Edicit pręterea publicè, & uoce præconia nunciatur, quatenus summo mane, ante solis exortum, unusquisq; armis correptis, & instructus ad prælũ, suis associaretur legionibus, & pro prij principis uexillum sequatur. Mane autem facto, circa primum diei crepusculum, sacerdotes & ministri Domini, per ecclesias diuina celebrãtes, & consummantes sacrificium, plebes monent, ut peractis de more confessionibus in spiritu humilitatis, & animo contrito cõtra mundi pericula, Corpore & sanguine Domini se communiant, & indultis offensis, & rancore deposito, si quis erat, reformata penitus charitate, cum maiore fiducia ad prælium

m ij egredi-

egrediantur: et eius uerè sint auditores & mẽbra, qui dixit, In hoc cognoscẽt omnes quia mei estis discipuli, si dilectionẽ habueritis adinuicẽ. Celebratis ergò diuinis, & legionibus uniuersis cœlesti munere satiatis, tanta est eis diuinitus infusa gratia, ut qui heri et nudiustertius quasi segnes & abiecti, macilenti & exangues, præ defectu uirium uix poterant attollere lumina, frontes erigere, & ieiunijs attenuati, uicti laboribus quærebant latibula, pristinæ honestatis immemores, nũc ultrò in publicum prodeuntes, abiecta ignauia, quasi resumptis uiribus, arma baiulãt uiriliter, et de rebus bellicis tractare animositate præsumunt solata, palmam sibi promittentes. Vix reperiebat in tanto populo conditionis aut ætatis cuiuspiam, qui non meditaretur fortia, qui ad arma non consurgeret, qui non sibi præsagiret uictoriã. Sacerdotes uerò sacris induti uestibus, turmas circumeuntes & cõuentus, cruces deferebãt in manibus, & sanctorũ patrocinio peccaminũ promittentes indulgentiã, & plenam delictorũ remissionẽ his qui fortiter in acie desudarent, et paternarũ traditionũ, et Christianę fidei uellẽt esse defensores. Episcopi nihilominus, principes, & exercitus primicerios tã seorsum quàm in publico exhortantes, quanta eis diuinitus dabat exhortationis gratia, instabãt, benedicentes populũ, & Domino cõmendantes: inter quos pręcipuus Christi cultor D. Podiensis episcopus, exhortationibus iugiter insistens, ieiunijs & orationibus, & larga eleemosynarum liberalitate seipsum Domino dedit in holocaustum.

Ordinatis aciebus, urbem egrediuntur: Tolosano comite ad urbis custodiam de relicto. Caput XVII.

CONuenientes igitur summo diluculo, quarto Calend. Iulij, & ante portã quæ ponti erat continua, inuocato desuperius auxilio, omnes unanimiter quasi uir unus, antequam urbem egrederentur, acies instruunt, & instructis ordinem & modum assignant progrediendi. In prima igitur acie, Hugonem magnum, fratrem regis Franciæ, Ducem & signiferum constituunt: atque associant uirum per omnia commendabilem, Anshelmum de Ribursmonte, cum alijs nobilibus, quorum numerum uel nomina non tenemus. Secundæ præficiunt dominũ Robertum, qui cognominatus est Friso, Flandrensium Comitem, cum his qui ab initio castra eius secuti fuerant. Tertiam iussus est regere dominus Robertus Normannorum dux: & cum eo uir inclytus, nepos eius, Comes Stephanus de Albamarla, & alij nobiles, qui in eius aduenerant comitatu. Episcopus uerò Podiensis, dominus Ademarus, bonæ memoriæ, cum sua & domini comitis Tolosani familia, quartæ præerat aciei, Dominicam secum deferens lanceam. Quintam uerò Tancredus comes Tullensis, & Petrus de Stadancis, frater eius, Comes Gernerus de Grez, Heinricus de Ascha, Tancredus de Ainmerlat, Galterus de Dõmedart, suo moderamine iussi sunt producere. Sextę uerò aciei de mandato principũ præfecti sunt Ramboldus comes de Oringis, Ludouicus de Moneans, Lambertus filius Cononis de Monteacuto. Septimã uerò aciem uir illustris & magnificus, dominus Lotharingiæ Dux Godefridus, cum uiro uenerabili fratre suo Eustachio, iuxta militarem disciplinam disposuit. Octauæ uerò uir in armis strenuus, & morum generositate insignis præfuit, dñs Tancredus. Nonam uerò comes Hugo de Sancto Paulo, & Engelhardus

filius

filius eius, Thomas de Feria, Balduinus de Burgo, Robertus filius Gerardi, Rainoldus Beluacēsis, Galo de Caluomonte disponere iussi sunt. Decimę uerò præfecti sunt Rocholdus Comes Prochensis, Euerhardus de Pusato, Drogo de Monti, Radulphus filius Godefridi, Conanus Brito. Vndecimā uero Yscardus Comes Dyensis, Raymundus Piletus, Gastus Biterrensis, Girardus de Rossellon, Vuilhelmus de monte Pessulano, Guilhermus Amaneus tenuerunt. In duodecima uerò, quę erat nouissima, cęteris refertior, constitutus est princeps & moderator D. Boamundus, iussusq; est postremus incedere, ut pręcedentibus tempore opportuno ministraret subsidiū, et pro ijs qui amplius ab hostibus grauarētur prouidā gereret sollicitudinem. Dominum autem Comitē Tolosanum ægritudine ualida periculosius laborantem, in urbe dimiserunt ad eius custodiam, contra illos qui adhuc rebelles erant in præsidio, ne fortè in absentia principum, urbem arbitrātes uacuam, super debiles, infirmos, senes & mulierculas, imbellem populū, irruptiones molirentur. Fecerant autem & in colle qui præsidio erat impositus, murum ex calce & lapidibus cum propugnaculis solidissimum, super quem machinas iaculatorias constituerunt: nonnullos ducentos uiros, robustos uiribus, & armis instructos, qui locum tuerentur, ibi relinquentes.

Hostium Princeps exitum conatur impedire, sed nostri uiriliter erumpunt. Cap. XVIII.

Sic ergo dispositis suorū ordinibus, & in acies redactis, de cōmuni decernunt consilio, quòd D. Hugo Magnus, dominusq; Flandrensis & Dux Normannorum reliqua præcedāt agmina. uniuersisq; præcipiunt hunc obseruare proficiscendi ordinem, ut pręmissis peditibus equites subsequantur, & eis diligentem adhiberēt custodiam. Cautum est etiam edicto publico, et lege communi promulgatum, ne quis hostium spolijs inhiare pręsumat, sed omnes cædi unanimiter incumbant, quousq; obtenta uictoria & prostratis hostibus, licitè possint ad colligenda spolia redire. Porro Corbagath suspectum habebat ab initio, & maximè postquam ad eum Petrus missus fuerat, nostrorum subitum in castra egressum: unde & cum ijs qui in præsidio erāt, conuenerat, ut si quando nostri de exitu cogitarent, & se pręprararent ad egressum, oppidani dato signo, castris id significare properarent. Factumq; est circa horam diei primam, dum nostri acies suas disponerent, qui in præsidio erant, id compertum habentes, signo dato de quo inter eos cōuenerat, id castris cominus significauerunt. Vnde nostrorum uolētes impedire propositum, præmiserunt de suis quasi ad duo millia, qui circa pontem nostris occurrerent, & eos egredi non paterentur: qui ut instarent proteruius, & ad sagittandum essent habiliores, descendētes de equis pedites se constituerunt pontis partem ulteriorem occupantes. At uero nostri compositis aciebus, et iuxta rei militaris disciplinam ordine congruo digestis, reserata porta, obseruatis stationibus & legionibus impermixtis egrediuntur. Dumq; prædicti hostes qui ad cohibendum nostris exitum conuenerant, & in eo proposito fortius desudarent, Dominus Hugo Magnus, qui ut præmisimus, primæ præerat cohorti, præmissis turbis pedestribus & sagittarijs, in eos irruens animosius, primò tentantes resistere, sed tandem nostrorum impetum ferre non ualentes, uiolenter dissolutos adegit in fugam: tanta instās animositate,

Corbagath ſuas inſtaurat acies: pugnatur cominus. Solimannus à tergo irruẽs, aciem Boamundi grauiter opprimit: ſubueniunt principes. Turci deficientes ignem ſubijciunt, ut fumum excitent. Caput XX.

INterea Princeps hoſtiũ intellecto noſtrorũ egreſſu, tum ex ſigno quod in præſidio urbis cõſpexerat, tum ex eorũ relatione qui ab egredientibus deuicti aufugerant, conuocatis ſenioribus & expeditionũ primicerijs, iam incipit habere pro ſerijs, quæ prius quaſi ludicra reputauerat: & quorũ prius arma & tenuitatẽ negligere uidebatur, iam incipit habere ſuſpecta. De cõmuni igitur cõſilio, Antiochenorũ tum maximè uſus experientia, acies inſtruit, diſponit agmina, & qui præcedere ſiue ſubſequi debeãt, diligenti ſtudio diſtinguit & debita digerit ſollicitudine. Inter cætera uerò antequã noſtri uniuerſa inter urbem & montes occupaſſent campeſtria, aciem unam uiris prudentibus, & robuſtis inſignem, cui præeſſe dicebatur uir illuſtris Solimannus Nicenorum Princeps, de quo ſuperius mentionẽ fecimus ſæpiſſimã, uerſus mare dirigit, eo intuitu ut noſtris deuictis & cõuerſis in fugã, uolentibus ad mare deſcendere, uel in urbem ingredi, illi occurrerẽt: & ita inter molares duos, uidelicet inter ſubſequentes & occurrentes à fronte Dei populus contereref. reliquis autẽ à dextris locatis & à ſiniſtris ſub ſingulis principibus, ſub obtentu gratiæ ſuæ, diſtrictè præcipit, quatenus priſtinæ uirtutis memores, ſtrenuè & uiriliter decertare cõtendant: friuolũ reputãtes, quicquid tam imbellis populus, uulgus ſamelicũ, plebs inermis & inconſulta niteretur moliri. Occupata igitur uniuerſa planitie, & prouiſo diligẽtius ne ab hoſtibus poſſent circumdari, monentibus lituis, & præcedentibus legionum uexilliferis, noſtri uerſus aciem hoſtium gradatim procedunt: quibus cum appropinquaſſent, adeò ut iam in eos, hoſtes ſagittas ſuas contorquere poſſent, facto impetu, tres primæ acies unanimiter in eos irruunt, lanceis & gladijs inſtãtes cominus. Sed & noſtri pedites qui arcubus utebantur & baliſtis, equitum præcedentes manipulos, uotis ardentibus ultrò & certatim ſe ingerebãt, quibus ſubſequentes, quantam poterant adhibent cuſtodiæ diligentiam. dumq; primæ acies uiriliter in agone deſudant, ecce ſubſequentes eis adiunctæ & illatæ, impetu non inferiore, eos qui ſe præceſſerant reddunt tam audacia quàm uiribus præſtantiores. Cumq; iam omnes, excepta nouiſſima, cui præerat dominus Boamundus, ad hoſtes perueniſſent acies, & cum eis decertarent uiriliter, ita ut pluribus interfectis, & iam penè diſſolutis agminibus hoſtes in fugam uerterentur, duxq; cum ſuo comitatu ualidiorem & denſiſſimam hoſtium cohortem iam penitus in fugam adegiſſet: ecce Solimannus, cũ ea legione quam ſuprà diximus eum ad loca maritima deduxiſſe, rediens, in aciem domini Boamundi audacter & cum nonnullo impetu à tergo irruit, tantam immittens ſagittarum multitudinem, ut inſtar grandinis totam aciem operirent: moxq; depoſitis arcubus et eorum neglecto officio, claua inſtantes & gladijs, ita ut importunam eorũ inſtantiam dominus Boamundus uix ſuſtineret: dumq; ij premerentur atrocius, & iam penè diſſolueretẽ legio cui præerat, licet ipſe ſtrenuè pro more & fortiſſimè, in hoſtes medios cum paucis conſortibus decertaret, Dux ſubitò cũ ſuis copijs euocatus, unaq; cum eo uir ſpectabilis dominus Tancredus impiger, aduolant, domino Bo-

no Boamundo subsidium ministraturi: quorũ importuno aduentu, statim hostium eneruatæ sunt uires, & omnis eorum uirtus emarcuit, instantibus nostris animosius, uulneraq; & mortem ministrantibus. dumq; uiderent se uiribus impares, et irruentium pondus se non posse sustinere diutius, ad alia se conuertunt argumenta, & ignem solito excutientes artificio, subijciunt in stipulã. erat enim fenũ multum in loco aridum ualde & stipula, prorsus apta incendio, quæ subiectũ ignem suscipientia gratum ministrauerunt fumum. Et licet flammam quidem modicam, tetram tamen atq; densam fumi dederunt caliginem: qua inuolutę acies, minus quidem instabãt hostibus, fumo plurimũ officiente luminibus, & puluere inhilo minus, qui eorũ & peditum excitabatur frequentia. In hac igit̃ tanta fumi caligine studiosius excitata, hostes nostros insecuti de peditibus nonnullos occiderũt. Equites autem equorum capti beneficio, periculosam illam declinantes nebulam, redeuntes in idipsum, & diuino freti adminiculo, agonem cõtinuantes, redintegratis diuino munere uiribus, hostes in fugam gladijs persecutoribus conuertunt, nec desistunt insequi, quousq; ad suorum iam dissoluta agmina, eos recurrere uiolenter compulerunt.

Fugit hostium Princeps, Legiones eorum perimuntur: qui euaserunt, uersi sunt in fugam. Caput XXI.

Erat autem in ea regione uallis modica, per quam horis hyemalibus torrens de monte defluens descendere consueuerat, cursuq; præcipiti alueũ in uallum subegerat: ultra quam cum hostes confugere noster cõpulisset exercitus, in colle quodam eminentiore, aliquantulum dum tentarent resistere, & tubarum sonitu & strepitu tympanorũ dissolutas iterum reuocare conarẽtur legiones, sine intermissione eos subsecuti, nostri principes aduolant celerius, tam qui in postremis ubi maius exercebatur negociũ, cum Solimanno laborauerant, dominus Dux Godefridus, Dominus Boamundus, Tancredus quoq; & alij quidã nobiles, auctore Domino uictoria potiti: quàm qui in prima fronte, obuias sibi iam cõtriuerant acies, Hugo Magnus uidelicet, & uterq; Robertus tam Flandrensiũ quàm Normannorum Comes, & alij multi perpete digni memoria, ualle transmissa, hostes à prędicto colle deijciunt uiolenter: & iterum ab inuicẽ dissolutos, nostrorum cõstantiam sustinere nõ ualentes, fugam inire compulerant. Corbagath autem ab initio turbam declinans, in colle quodã constitutus frequentes dirigebat nuncios, qui ad eum recurrentes sæpius de belli euentu eum edocebãt: Hîc dum præstolaretur anxius, quo fine tantũ finiretur negociũ, repẽtè suas dissipatas penitus & in nullo sibi cohærentes, diffluere cõspicit legiones: quo facto perterritus, monentibus suis qui eum comitabãtur, ut saluti consuleret, relictis castris & suorum immemor, fugã inijt quantocyus, tanta exterritus formidine, ut neminem expectans & equos permutans alternatim, ut fugę possent sufficere, transito Euphrate in tutum se receptaret. Relictæ uero acies, principis destitutæ solatio, & resistendi animo simul & uiribus uacui, quibus equi sufficere poterant, eadem uia saluti consulentes, fuga elapsi, insequentium gladios euaserunt. Nostri autem timentes equorum defectum, non multum insequi præsumpserunt, excepto domino Tancredo, & paucis alijs qui usq; ad occasum so-

sum solis tribus aut quattuor miliaribus eos sternēdo prosequuti sunt. Tantum siquidem diuina uirtus eis timorem immiserat, ut uel resistere, uel à se insectantium propulsare iniurias nec attentarent. decem enim ex nostris uidebantur eis quasi multa milia, nec erat qui à facie nostrorum fugientibus posset ministrare consolationem. Hîc planè innotuit, quia non est consilium contra Dominum. quoniam, quòd uerè dicatur, quòd nō deserit Dominus sperantes in se, ipso rerum experimento factū est euidens & manifestū: cum populus inops et famelicus tantam uirorum fortium multitudinem, Dei fretus auxilio, potuit superare, & præter spem propriam, in uno prælio uniuersum à Deo destitutum Orientem confundere.

Redeuntes à cæde hostium nostri, de castris eorum infinita reportant spolia. Caput XXII.

Consummato igitur prælio, & diuinitus concessa nostri principes potiti uictoria, in castra hostiū redeunt: ubi tantam rerum necessariarum reperiunt opulentiā, tantas Orientalium diuitiarū copias, ut iam auri & argēti & gemmarum, holosericorū & preciosarum uestium, necnon & uasorum tam artificio quàm materia cōmendabilium neq; numerus esset, neq; mensura: equorū etiam, sed & gregum & armentorū. Annonæ quoq; nihilo minus, & uictualium tanta ibi reperta est abundantia, ut iam nescirent quid eligerent, etiā suprema qui prius laborauerant inopia. Colligentes itaq; hostium papiliones & tentoria, quibus plurimū indigebāt (sua quippe uetustas & imbrium quos sæpe pertulerant intemperies corruperant, tunc cum essent in Cilicia) gazas in eis reperiebant multiplices, sed & ancillas & paruulos quos fugientes dimiserant, secum in urbem detulerūt. Inter cætera autem & maioris eorum principis admirabile repererunt tabernaculum, in modum ciuitatis, turribus, mœnibus & propugnaculis, ex optimo serico & uarijs coloribus contextū. A cuius medio quasi à tridinio principali, in partes plures annexa defluebant diuersoria, quæ quasi per uicos distinguebanť, quibus duo hominum milia spaciosè consídere posse dicebanť. Onerati igitur spolijs, & manubijs ditati, cuncta in urbē deferūt, agentes solennia in lætitia & exultatione, gratias illi exhibentes de cuius munere uenerat, ut tot casibus superatis, tot decursis laboribus, optatā consecuti essent uictoriā. Qui aūt erāt in præsidio, uidentes quod sui defecerāt, & necessariā subsidij spem haberent nullā, interpositis conditionibus, quod cū salute liceret egredi, uxoresq; ac liberos suos et omnem eorū substantiā liberè possent educere, arcē nostris resignāt principibus, eorū uexillis in summis turribus collocatis. Sic igiť factū est per Dei abundantem gratiā, ut recepto urbis præsidio, & obtenta uictoria, qui heri & nudiustertius tenues erant & penè famelici, bonis incœperint omnibus abundare: ad hoc enim iam deuenerant etiā qui inter eos erāt potentissimi, & eximij nominis, ut etiā mendicare compellerentur. nam ut de gregarijs taceamus, Comes Hermannus uir nobilis de regno Teutonico, ad eā deductus est paupertatē, ut ei de mensa Ducis, panis pro quottidiano stipendio quasi magnū deputaretur. Henricus quoq; de Ascha uir probitate singularis, inedia penitus consumptus esset, nisi ab eodē domino Duce assumptus esset in conuiuam. Sed & ipse etiam Dux, dum ciuitas obsideretur, anteq; egrederentur

rentur ad prælium, tanta laborabat inopia, ut equos non habens, eum cui insedit in prælio à Comite Tolosano multis precibus uix extorserit. Iam enim tam ipse quàm alij principes quicquid pecuniarum secum detulerant, in larga eleemosynarũ liberalitate & pietatis operibus, et ijs maximè quę ad cõmunem respiciebant utilitatem, prona deuotione cõsumpserant. Vnde factum est, quòd multi nobiles & apud suos tam genere quàm stemmate præclari, ea die qua bellum indictum est, consumptis opibus inopes facti, equos non habentes, partim pedites, partim super asinos & uilia iumẽta egressi sunt ad pugnam: quorum inopiam benignè respiciens consolator Dominus, antequam sol uerteretur in occasum, deuictis hostibus opes contulit redundantes. Renouatũ est ibi euidentius illud Samariæ antiquũ & uetus negotium, de mensura similaginis & ordei, quæ statere uno accipiebatur. Nã qui mane uix sibi sufficere poterat, uespere habuit unde multos aleret. Factum est aũt hoc, Anno ab incarnatione Domini. M. xcviij. mẽse Iunio, xxviij. die mensis.

Ciuitate composita, Ecclesias mundant, Clerum in eis ordinant studiosè. Caput XXIII.

REuersis igitř principibus de prælio, & urbe iam in omni tranquillitate cõposita, curæ fuit omnibus, & præcipuè patrono exercitus, uiro uenerabili Domino Podiensi Episcopo, cooperantibus alijs qui in eodem exercitu erant pontificibus, & plebe suffragia ministrante, tam maiorem urbis Ecclesiam, quæ in honore principis Apostolorum dedicata erat, quàm reliquas, quæ per urbem erant constitutæ, in pristinum decorem reformare basilicas, et in eis clerum restituere, qui diuinis iugiter se manciparent obsequijs. Gens enim Turcorum impia, loca prophanauerat uenerabilia: & eiectis inde cultuum diuinorũ ministris, usibus prophanis ea deputauerãt: in alijs equos & iumenta quasi in stabulis collocãtes, in alijs uero indigna ijs locis exercentes negotia. Venerabiles quoq; sanctorũ imagines (quibus simplex populus & plebs dei cultrix pia ruditate cõmendabilis, quasi pro libris utunť, quęq; uice lectionis simpliciores ad deuotionẽ excitant) ex ipsis deraserãt parietibus, & quasi in uiuentes personas desæuientes, oculos effoderant, & mutilauerant nares, & luto sumpto de immundis, obduxerant: deiecerant altaria, & nephandis operibus inquinauerant Domini Sanctuarium. Placuit igitur de communi consilio, ut statim sine dilatione in eis clerus restitueretur, & pristina reformaretur dignitas, designatis stipendijs unde possent sustentari qui in eis Domino militarent. Obtulerũt itaq; de spolijs hostium, aurum, argentum, unde fierent candelabra, cruces & calices, & textus Euangeliorum, & cætera Ecclesiasticis necessaria usibus utensilia. Olosérica quoq; ad opus sacerdotalium instrumentorũ, & altarium operimenta. Dominum quoq; Patriarcham, Ioannem nomine, qui tanquã uerus Christi cõfessor, post nostrorum aduentũ, infinita ab infidelibus pertulerat supplicia, in sede propria cum multo honore locauerũt: per urbes finitimas, quæ Cathedralẽ consueuerunt habere dignitatem, constituentes Episcopos. Nostræ uerò latinitatis Patriarcham, eo uiuente qui pridè ibi ordinatus fuerat, eligere uel consecrare nõ pręsumpserunt, ne duo unũ & eundẽ thronũ obtinere uiderenť: quod immediatè cõtra sacros Canones & cõtra Sanctorũ statuta patrũ esse dinoscitur. Sed tamen postmodũ uix euoluto biennio, uidẽs ipse quod nõ satis utiliter præ-

esset,

esset Græcus Latinis, urbe cedens Constantinopolim abijt. Post cuius discessum conuenientes eiusdem ciuitatis clerus & populus, Artasiensem Episcopū Bernhardum nomine, natione Valentinū, qui in eadē expeditione D. Podiensem episcopū secutus, fuerat Capellanus eius, sibi præfecerūt Patriarchā. Vrbis aūt potestatē & dominiū, sicuti ab initio promiserāt, oēs unanimiter D. Boamundo cōcesserunt, excepto Comite Tolosano, qui portā ponti conterminā cum adiacentibus turribus suis munitā satellitibus detinebat: quas postmodū post discessum Comitis ex urbe, eiectis inde eius militibus, sicuti inferius dicetur, recepit. Quoniā autem apud suos nomine dignitatis Princeps dictus fuerat, obtinuit consuetudo, ut de cętero Antiochiæ Dominus & Princeps appelletur.

LIBER SEPTIMVS.

Diriguntur nuncij ad Imperatorem Hugo Magnus, & Comes Henmancorum. Balduinus Comes in uia deficit: Hugo Magnus non reuertitur. Podiensis Episcopus moritur. Lues oritur. Cap. I.



REbus igitur in urbe sic dispositis, de communi decernunt consilio, ut D. Constantinopolitanū Imperatorem per nuncios suos sollicitent, quatenus iuxta pacta quę cum eis inierat, eius auxilium in propria persona non differat ministrare: sed proficiscētes Hierosolymā, sicut tenebatur ex compromisso, maturē consequatur. alioquin pactorum seriem negligenti, ipsi nullatenus uellent se obligatos teneri. Electi autem sunt ad id muneris prosequendū uiri nobiles & clarissimi, dominus uidelicet Hugo Magnus, domini Philippi Frācorum regis frater, et dominus Balduinus Henmancorum Comes: quorum alter irruētibus in itinere hostibus cōparere desijt, cuius usq; hodie dubius est exitus, alijs dicentibus eum in acie cecidisse: alijs, ab hostibus captum & mancipatum uinculis, in ulteriora deductum orientis, asseuerantibus. Dominus uerò Hugo Magnus irruentiū insidias declinās hostium, ad Imperatorem peruenit incolumis. Vbi insignibus gestis eius multam nubem induxit, & titulo generis derogauit nō modicum. Nam cum in expeditione nulla gessisset gregiē, unde sibi famā pepererat immortalem, in ea legatione meritū denigrauit, dum expleto negocio, ad eos qui eum miserāt, nec responsa detulit, nec curauit redire. Fuitq; in eo delictū tanto notabilius, quanto ipse genere erat præclarior. nam iuxta uerbum nostri Iuuenalis,

Omne animi uitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Suscitata est itaq; ex caussis occultis statim urbe capta & cōsummata uictoria, postq; erant res in tranquillo collocatę tanta clades in populo, ut uix aliqua præteriret dies, in qua triginta uel quadraginta nō efferrentur funera, ita quod de populo supererat, iam quasi penitus deleretur. Qua lue pestifera & contagione cunctos longē lateq; indifferēter inuoluēte, uir uitę uenerabilis & immortalis memoriæ, dominus Ademarus Podiensis Episcopus uiā uniuersæ carnis ingressus est, atq; cum gemitu & lachrymis & intimis omnium suspirijs tanquā pater & præcipuus plebis uniuersæ moderator, in basilica beati Petri, in eo loco ubi lancea Domini reperta fuisse dicebatur,

cum multa sepultus est honorificentia. Eiusdem cladis acerbitate Henricus de Ascha uir & generis titulo, et strennuitate commendabilis, apud castrum Turbes consumptus est, ibiq; sepultus. Sed et Raynaldus de Asmesbach miles pariter & manu et sanguine clarissimus, eodem occubuit casu, sepultus in uestibulo basilicæ principis Apostolorum. Sexus quoque fœmineus ibi penè uniuersus eadē lue deperijt, ita quod infra paucos dies penè quinquaginta milia deficerent: cuius tanti mali circa hæc quidam curiosi, caussas assignare cupientes, dissentiebant ab inuicem, dicentibus alijs quod ex occultis quibusdam aëris passionibus hoc accideret: alijs uerò id pro caussa assignantibus, quòd populus longo tempore famis acerbitate uexatus, postquam alimentorum attigit abundantiam, cibos cum auiditate sumens nimia, prætēritos defectus quærens redimere, sibipsi caussam mortis immoderata gulositate inferebant. Idq; pro suæ assertionis opinione in euidens trahebāt argumentum, quòd sobrijs & ijs qui sibi parcè sumebant alimenta, multò melius erat, & redibant ad conualescentiam.

Vociferatur populus ut Hierosolymam eatur: differtur iter usq; ad Cal. Octobris. Boamundus in Ciliciam descendit, & regionem recipit uniuersam. Caput II.

INterea uerò tum cladis effugiendæ gratia, tum assumptæ peregrinationis intuitu incœpit uociferari populus, & instanter acclamare, ut adiret uersus Hierosolymam, cuius caussa uenerant, & itineri Principes se accingerent, & Domini præirent exercitui, caussæ principali, quæ omnes de regionibus suis exemerat, satisfacientes. Qua ex caussa principes cōuenientes in unum, super hac populi postulatione tam fauorabili & exauditione digna, deliberationem ingressi sunt, in qua alius aliter assentiebat: quibusdam enim uidebatur id expedientius, ut statim sine dilatione iter arriperent, & populi satisfacerent desiderijs: quibusdam uerò ob instātis feruorem æstatis & aquarum penuriam, & populi famis acerbitate diutius afflicti, debilitatem, & equorum defectum, usq; ad clementioris initiū temporis & Cal. Octob. differendum uidebatur, ut hoc medio tempore, equis de nouo acquisitis, & refocillatis uiribus, populo quoq; alimentis & requie in statum pristinum reformato, & omnium uiribus reparatis, ad laborem itineris possent resurgere fortiores. Placuit tandem omnibus posterior sentētia, & usq; ad tempus prætaxatum de communi cōuenientia receptæ sunt feriæ. Vt uerò interim & cladis declinarent imminentis periculum, & necessariorū alibi maiorem reperirent abundantiam, diuisi sunt principes ab inuicem, ea conditione, ut sine dilatione, tempore redirent condicto. Boamundus enim in Ciliciam descendens, Tarsum, Adanam, Mamistram, Anauarzam urbes recepit: & custodibus deputatis, regionem sibi uendicauit uniuersam. Alij quoq; per urbes dispersi finitimas, seorsum à turbis, equis & sibi curam agentes indulgebāt. Multi etiam tam de plebe, quàm nobilioribus, ad dominum Balduinum Ducis fratrem, ut ab eo aliquid accipere mererentur, Edissam cui præerat transito Euphrate, certatim properabant. Quos ille cum multa honestate suscipiens, & apud se commorantes tractans benignius, multis donatis muneribus, hilares remittebat ad suos.

Dominus Haſarch contra ſuum dominum Rodoam, à Duce petit auxilium. Dux euocato fratre Balduino, illuc properat. Caput III.

Accidit autem per eoſdem dies, quod Rodoam Alapienſium princeps, cum quodam de ſuis ſatrapis, qui caſtello Haſarch pręerat, contraxerat inimicitias, eoq; odiũ inter eos prouenerat, quod conuocata ex uniuerſis ſibi ſubditis regionibus militia, caſtrũ prædictũ obſederat. Videns autẽ præſidij dominus, quia nõ facilè niſi per auxilium Francorũ, domino potenti & irato poſſet reſiſtere, miſſa legatione ad Ducem Godefridũ per quẽdam Chriſtianum fidelem ſuum, miſſis muneribus, ut eius ſibi facilius conciliaret gratiã, eius amicitiã poſtulat, ſeruitium ſuum cum deuotione ſpondet, indiſſolubili nexu fœderis ei ſe cupiens obligare: & ut uerbis eius pleniorẽ haberet fidem, & nulla ex parte de eius promiſſo dubitaret, filium ſuum ei deſignat obſidẽ, orans & petens, ut à præſenti eum ſoluat periculo, condignã pro meritis tempore opportuno retributionem percepturus. His & huiuſmodi uir uenerabilis perſuaſus, prædicto nobili amicitia fœderatur, in ſuam eum gratiã recipiens: miſſoq; nuncio, fratrem ſuum Ediſſanũ comitem cum militaribus copijs ad ſe præcipit euocari, ut amicum obſidione ſoluta expediat. Vixq; prędictus Rodoam circa caſtrum Haſarch quinq; dies cum ſuis expeditionibus conſederat, cum ecce dux Godefridus in magna multitudine tam fideliũ ſuorum, quàm amicorũ, quos ad proſequendũ propoſitum inuitauerat, ab Antiochia egreſſus in manu forti, ad partes illas ut amico ſubueniret, impiger properabat. Qui autẽ prædicto nobili uiro ad dominum Ducẽ miſſi fuerãt, uidentes quia proſperè & pro uotis cuncta cõpleuerant, in conſpectu Ducis domino ſuo gratiã obtinẽtes cumulatiorẽ, quoniam ipſi in perſona propria dominum ſuum ſuper eo nullatenus poterant reddere doctiorem (exercitus quippe hoſtilis ita undiq; caſtrum uallauerat, ut nec introitus alicui pateret, uel exitus) duas emiſerunt columbas, ad id muneris proſequendũ inſtructas apprimè, quibus literulas ſuæ legationis ſeriem continentes ad caudas religauerunt, quibus dominum ſuum ſuper his omnibus quæ obtinuerãt, inſtruerent diligentius. Quæ ſuæ libertati reſtitutæ, in momento ad locũ unde eductæ fuerant redeuntes, ab earũ cuſtode pariter & alumno captæ ſunt, & diſſolutæ paginulæ præſentatę ſunt domino: quibus perlectis, in tantam ſpem erectus eſt, ut qui prius obſidentem ueritus multitudinem, de reſiſtendo diu eius deſperauerat, eoſdem ſponte laceſſere nõ uereretur.

Balduinus fratri occurrit cum ingentibus copijs. Reliqui principes miniſtrant auxilium. Fugit Rodoam, quidam ex noſtris in uia pereunt: occiduntur hoſtium ad decem milia. Caput IIII.

Interea cum iam diei unius iter dux cũ ſuo comitatu proceſſiſſet, occurrit ei frater eius cum tribus milibus uirorũ fortium, & armatorũ optimè: quo cum plena charitate & pietatis affectu benignè ſuſcepto, propoſiti pandit ſeriem, & gratiam quam cum prædicto uiro nobili contraxerat, aperit diligenter: quæ omnia ſuperapprobans, ante omnia monet, ut quoniam eius uires, ad tantam obſidionẽ uiolenter diſſoluendam, nõ uidebanť poſſe ſufficere: antequã procedat, principes qui apud Antiochiam remanſerant, in ſuũ euocet auxilium, ut confidentius ualeat in facto procedere. Acquieſcens ergò Dux

fraternis monitis, missa legatione, dominũ Boamundum, dominumq́; Tolosanum comitẽ, multa precum exorat instantia, & sub obtentu fraternitatis inuitat humiliter, uicẽ condignã tempore accepto recepturi. Inuitauerat autẽ eos & prius, antequàm urbe egrederet, & multùm amicè illorum sibi postulauerat suffragiũ: sed inuidiæ stimulis agitati, eo quòd prædicti uiri nobiles, Ducis prius quàm suum expedierant adminiculũ, cum nõ sequi decreuerãt: at nunc iterata uocatione cõmoniti, uidẽtes quod nõ possent eum sua honestate Ducis preces nõ admittere, conuocatis copijs D. Ducem secuti, eius se expeditioni sociauerunt. Qui postquàm conuenerant inuicem, facti sunt omnes quasi ad triginta milia pugnatorum. Rodoam uerò, licet Turcorũ quadraginta diceretur habere milia, tamen diffidens de uiribus, & nostrorũ timens aduentũ, quos in proximo affuturos per suos nouerat exploratores, soluta expeditione, reuersus est Alapiam. Dum autẽ nostrorũ exercitus fugæ Rodoam ignarus adhuc, cœptũ cõtinuaret iter, multiq́; ab Antiochia utriusq; ordinis uiri de remoto sequerent, ut proficiscentibus se associarent legionibus, in quasdã hostium, quas illi studiosè prætenderant, non pauci casu descenderunt insidias, longè à præcedẽti, ut diximus, agmine separati: quos longè & industria & uiribus impares exuperantes Turci, captiuatis nonnullis, plurimos ex eis occiderunt. Quod postquã Duci, cæterisq; principibus innotuit, accepto desistentes itinere, prędictos malefactores unanimiter insecuti, antequàm in suos se possent secessus recipere, & solita reperire diuerticula, eos casu obuiam habuerunt: quos gladijs excipientes, & irruentes in eos animosius, dissoluerũt in momento. Et retentis nostris, quos captiuos abducebãt in compedibus, interemptisq; ex hostibus quamplurimis, & captiuatis innumeris, in fugã uerterunt, penè ad supremam deletos internecionem. Erant autẽ hi ex electa spe dicti Rodoam milítia, ex familiaribus & domesticis eius, quasi decem milia. Quo peracto, iterum rediens in unum exercitus noster, ad locũ destinatum cum uictoria peruenerunt: quibus cum trecentis equitibus pręsidij dominus occurrens, in conspectu uniuersaliter legionum, prono capite, defixis in terrã genibus, primò Duci, dein principibus alijs, in multa deuotiõe magnas agẽs gratiarum actiones, se coram omni populo præbitis corporaliter iuramentis, Christianis principibus fidelem obligauit & tradidit: asserens, quod ab eorum gratia & obsequijs, nulla dies, casus nullus, illũ auelleret in perpetuũ. Sic igit̃ feliciter cõsummato negocio, & amico pro uotis expedito, exercitus reuersus est Antiochiam, D. Balduino fratre Ducis Edissam redeunte.

Dux cladem declinans, in terram fratris secedit, quorundam proditorum illic oppida diruit. Properant illuc & alij quidam principes, ut Balduini munificentiam consequantur. Caput V.

DVx ergo uidens adhuc regnare in urbe pestilentiam, & cladẽ magis ac magis in populo dominari, fratris acquiescens petitionibus, qui eũ præsens quàm intimè rogauerat, ut in suam descẽderet regionem, ibiq́; Augusti feruorem, & pestilentis aëris declinaret maliriam. Assumpto familiari comitatu, & indigentium maxima manu, ut eis in necessarijs, charitatiuè prouideret, in terram fratris descendit, in finibus Trabessol, Harab & Rauandel habitans, tota regione utens pro suo arbitrio, & fratris sæpius habens præsentiam.

ſentiam. Accidit autem, dum morã ibi faceret, quod regionis incolæ, & maximè uiri religioſi, qui in monaſterijs, quæ illinc erant plurimæ, habitabant, graues de Pancratio, & Conuaſilio eius fratre, in eius præſentia fundebant quæſtiones: erant autem hi duo fratres, Armenij natione, uiri præclari, ſed ſubdoli ſupra modum, habentes in ea regione municipia, de quorum munimine præſumẽtes, regionis habitatores, & maximè monaſteria, grauibus & indebitis moleſtabant exactionibus. proceſſeratq; eò uſq; eorum temeritas, quod etiam D. comitis Ediſſani nuncios cum muneribus ad fratrẽ directos, dum adhuc obſidio ante Antiochiam perſeueraret, in itinere ſpoliare præſumerent, & deſtinata D. Duci munera, D. redirigerẽt Boamundo, ut eius ſibi aduerſus comitem Ediſſanum conciliarent gratiam. Auditis ergò querimonijs, et iuſta motus indignatione, miſſis quinquaginta de numero ſuorũ equitibus, cum populo regionis, eorum præſidia effregit uiolenter, & effracta ſolotenus deiecit, ut eorum intolerabilem aliquatenus cõprimeret inſolentiam. Duce igitur in partibus illis cõmorante, uniuerſi penè maiores noſtri exercitus, & de popularibus infiniti, ut contra imminentes paupertatis anguſtias aliquod reperirent ſolatium, ad dominũ Comitem prædictum confluebant: & maximè ex quo præſidium Haſarch, quod in medio itinere conſtitutum erat, in noſtrorum deuenerat gratiam. Quos omnes cum tanta ſuſcipiebat honorificentia, tanta remunerabat liberalitate, ut ipſi etiam qui ad hoc uenerant, mirarentur.

Ciues Ediſſani indignati, quòd Comes eorum ſolus uteretur Latinis, aduerſus eum conſpirant: ſuper quo Balduinus commonitus, conſpiratores interficit. Caput VI.

FActum eſt itaq;, quod noſtrorum turbis ad urbem ſæpe dictã confluentibus, tanta erat in ea Latinorũ multitudo, quod ciuibus Dux iam inciperet eſſe moleſtus: frequẽtes ẽm eis in hoſpitio ſuſceptis, inferebant moleſtias, ſupra modum in populo dominari uolentes. Iamq; ciuium conſilio nobiliũ, quorum beneficio tantam urbem acquiſierat, minus & minus utebať. Vnde uehementi indignatione aduerſus eum ſuoſq; ſuccenſi ſunt, pœnitentes admodum, quòd eum ſibi præfeciſſent: timentes, una die, cui nihil ſufficere uidebatur, bonis omnibus ſpoliari. Facta ergo conſpiratione cum principibus Turcorum finitimis, tractare cœperunt, quomodo dominus Balduinus aut caſu caderet repentino, aut ſaltem urbe pelleretur. Vt autem ad hoc propoſitum inuenirentur paratiores, theſauros ſuos, & omnem ſubſtantiam per caſtella & finitimas urbis apud ſuos depoſuerant familiares: dumq; circa id plena ſolicitudine tractarent frequentius, factum eſt, ut relatione cuiuſdam, qui gratia in eundem plurima, fidei & dilectionis ſynceritate abundabat, huiuſmodi ſermo ad eum perueniret. cuius rei plurima & digna fide reperiens argumenta, miſſa ſatellitum ſuorum numeroſa manu, omnes homicidas illos teneri præcepit, & uinculis alligare. Tandem uerò re per eorundem confeſſionem plenius intellecta, factionis illius principes excæcari facit: alios uerò, qui minus deliquerant, confiſcatis eorum bonis, urbe fecit extorres: aliorum autem ſubſtantiã, ſuo applicans ærario, urbis habitatione clementer indulta, pecunialiter tantum multauit. Vnde ſuſcepta ad uiginti aureorum milia

quantitate, his qui ad se uenerant, quorumque ope urbes & finitima sibi subijciebat municipia, multa liberalitate erogabat stipendia. Et tam ciuibus quàm populis adiacentibus, solo nomine inferebat formidinem. Vnde & de eius exterminio multi cum omni solicitudine cogitabant, ita ut socer eius timens, ne pro dotis residuo, quam cum filia promiserat, nec dum persoluerat, graues quæstiones pateretur, in montes, ubi habebat præsidia, clàm aufugit.

Balas proditionem aduersus Comitem molitur, Comes sibi præcauet: capiuntur ex eius socijs quidam. Fulcerius Carnotensis casum reddit leuiorem. Balduc proditor occiditur. Caput VII.

ERat porrò in eadem regione nobilis quidam, genere Turcus, Balas nomine, eodem conatu confœderatus, qui quondam Sorogiæ dominus fuerat, ante illum Latinorum frequentem accessum Comiti plurimum familiaris. Hic uidens, quòd circa eum Comitis amor intepuerat, siue rogatu ciuium, siue propria ductus malicia, accessit ad eum orans & petens, ut unicum quod ei supererat præsidium, ueniens ipse in propria persona, susciperet: asserebat enim, sibi eius gratiam sufficere, & pro multa hæreditate reputari. Vxorem autem ac liberos, & omnem substantiam suam in urbem Edissanam asserebat se uelle introducere: multum enim contribulium suorum indignationem fingebat se uereri, eo quod Christianis factus esset familiaris. Quibus uerbis Comes persuasus, diem condixit, ut ad locum perueniens, eius satisfaceret uoluntati. Statuta autem die, assumptis secum ducentis equitibus, ad locum destinatum præuio Balas peruenit. Balas autem oppidum occultè præmunierat, uiros centum fortes uiribus & armis optimè instructos introducens, qui ita latebant in præsidio, ut nullus ex eis compareret. Cum ergo ante oppidum constitissent, rogauit Comitem, ut cum paucis & familiaribus castrum ingrederetur, ne fortè omni illa intromissa multitudine, ipse in substantia sua aliquam iacturam sustineret. Et iam pro uoto penè cuncta persuaserat, cum proditionem quodammodo præsagientes quidam, qui circa eum erãt nobiles uiri & circumspecti, ingredi uolentem quasi uiolenter detinuerunt, hominis suspectam meritò habentes malitiam, & tutius iudicantes per alias personas hoc fieri primum experimentum: quorum prudenti Comes acquiescens cõsilio, duodecim de suis uiros robustissimos, & armatos egregiè, in præsidium iussit introire: ipse autem exterius in loco satis uicino cum reliqua militia subsedit quietus, donec rei exitum fide conspiceret oculata. Qui autem ingressi sunt, fraudem & malitiam iniqui proditoris in seipso experti sunt: nam egressi de latibulis armati ad unguem Turci, de quibus prædiximus, centum seductos equites, resistere uolentes, sed in cassum uiolenter comprehenderunt, in uinculos eos mancipantes. Quo cognito, Comes pro suis fidelib. quos ita fraudulẽter amiserat, tristis admodũ, & maximè solicitus, accedens propius ad præsidium, cœpit Balam diligẽter cõmonere: & sub obtentu iuramentorum, quæ illi de obseruanda fidelitate exhibuerat, attentius conuenire, ut sumpta immensitate pecuniæ, quos proditiosè receperat, restitueret: negauit penitus, nisi ei Sorogia redderet. Comes aũt uidens quod nõ proficeret, erat enim præsidiũ in excelsis rupibus situm, arte

arte & uiribus insuperabile,reuersus est Edissam, suorum ægrè ferens captiuitatem,& fraudem quam pertulerat animo uoluēs anxietate nimia. Prȩerat autem prædictæ urbi Sorogiæ, quidam Fulbertus Carnotensis,uir militaribus negotijs expertissimus, centum expeditissimos sub se habens equites. Hic dolum comperiens quem dn̄s eius passus fuerat, tota mente concussus æstuabat animo,quomodo tantam ulcisceret̄ iniuriam. Vnde die quadā̄ positis in loco ad id opportuno insidijs,ante sæpius memoratū oppidum,quasi prædam abacturus, cum paucis studiosè, ut eum insequerentur, accessit: qui autē erant in municipio, uidentes quod ex pascuis prædam abigeret, armis correptis,certatim illum ultra quas idem posuerat insidias, insectati sunt fugientem. Vnde resumptis uiribus, & erumpentibus his qui latuerant, in eos irruentes,quibusdam interfectis, alijs in oppidum uix refugium habentibus,ex eis sex uiuos cōprehendit:pro quibus totidem de suis,modico temporis interuallo,facta recompensatione,recepit: quatuor uerò ex eisdem,deceptis custodibus elapsi,in suam se receperunt libertatem. Duos uerò,qui de illorum supererant numero,uir nequam & impius decollari præcepit. Vnde factum est, ut ab ea die dominus Balduinus Turcorum declinaret amicitiam,& suspectam penitus habebat fidem:quod statim euidenti docuit argumento. Erat enim in eadem regione quidam eiusdem generis, Balduc nomine, qui urbem Samosatum ueterem & munitissimam, precio interueniente,eidem Comiti uendiderat.Hic uxorē & liberos,& uniuersam familiam in urbem Edissanam traducere tenebatur ex compacto: sed caluas quærens occasiones,propositum adimplere differebat, malignandi quærens opportunitatem.hunc ad se ingressum more solito, & moræ causas allegantem friuolas,ne simile aliquid ab eo pateretur,decapitari iussit.

Comes Tolosanus Albaram occupat,Episcopum in ea constituit.Classis Teutonicorum applicat in portu.Clades non cessat. Caput VIII.

INterea uerò dum circa Turbessel dux moram faceret, & hæc circa partes Edissanas agerentur, comes Tolosanus cum suo comitatu & multo pauperum populo egressus Antiochia, ne interim ociosus torpesceret, Albarā urbem munitissimam in Apaminensi prouincia constitutam, ab Antiochia quasi duorum dierum itinere distantem obsedit, & obsessos in ea ciues uiolenter compulit ad deditionem. Vrbe uerò capta,& adiacente sibi cum uniuersis suburbanis subiecta regione, quendam Petrum Naboriensem genere, de suo comitatu, uirum honestæ conuersationis, & ualde religiosum, in eiusdem loci elegit Episcopum: cui statim dimidium ciuitatis & uniuersi contulit territorij, Deo gratias exhibēs, quòd per eius operam & studiū Oriens Episcopum haberet Latinum, qui Antiochiam ut suæ cōsecrationis munus susciperet,de mandato Comitis profectus, pontificalis adeptus est plenitudinem potestatis. Postmodum uerò Antiochena ordinata Ecclesia, per dominum Bernhardum eiusdem ciuitatis Patriarcham Latinorum primum, suæ Metropolis in eandem Ecclesiam transtulit dignitatem, suscepto ab eodē pallij præmio, factus Archiepiscopus. Erat per idē tempus cum domino comite Tolosano quidam nobilis Guilermus nomine. hic effracta urbe Antiochena,casu fortuito uxorem Acciani, Antiochenorū principis,cum duo-

bus nepotibus ex filio Samſadolo paruulis ceperat, & apud ſe detinebat in uinculis: pro quorũ redemptione, prædictus Samſadolus, ſuprà nominato nobili uiro infinitam dedit pecuniam, matre cum liberis priſtinę reſtitutis libertati. Eódem quoq; ingens uirorũ multitudo de regno Theutonicorum, de partibus Ratiſponenſibus, numero quaſi mille quingenti proſpero nauigio, in portu ſancti Symeonis applicauerant: qui omnes infra modicum tempus eadem clade conſumpti ſunt. Tribus enim menſibus cõtinuis ad Calendas Decembris uſq;, morbus ille peſtilẽs, ita populum afflixerat, ut infra hoc temporis ſpacium, de equeſtri ordine ceciderint uiri nobiles plus q̃ quingenti, de plebe uerò infinitus erat numerus.

Ciuitatem Marram obſident, obſeſſam capiunt. Dominus Vuilhelmus Auraſiacenſis Epiſcopus moritur. Gulfredus de Turribus inſignis habetur. Cap. IX.

CAlend. autem Nouemb. cum iam ſicut ex compacto tenebãtur omnes principes, qui cladem euitantes ab urbe ſeceſſerãt, eſſent reuerſi, capta ut prædiximus, Albarienſi urbe, de communi conſilio, Marram urbem muniti ſſimam ab Albara octo diſtantem miliaribus, ne nil interim ageretur, expugnare proponunt: non enim poterant uociferantis populi, & iter uerſus Hieroſolymam expetentis clamorem tolerare. Præparatis igitur neceſſarijs die conſtituta profecti ſunt, ut propoſito ſatisfacerẽt, Comes Toloſanus & Flandrenſis, comesq; Normannorum, Dux etiam & dominus Euſtachius eiuſdem frater, & Tancredus unà cum illis ſuprà nominatam urbem obſidione uallauerunt. Erant autem ciues eiuſdem loci, ſuperbi admodum, & præ multitudine diuitiarum arrogantes, eò q; maximè, quod ſemel in quodam conflictu, multos de noſtris occiderunt: unde adhuc apud ſe gloriabantur, noſtrum contemnentes exercitum, & principibus irrogantes conuicia. Sed & cruces etiã ſuper turres & mœnia figentes, ſputis & alijs modis quibuſdam probroſis nimium, in noſtrorum contumeliã afficiebant. Vnde motu maiore & indignatione uehementi, quantum poterat intendere ſacrilegij dolor, urbem aggredientes cõtinuis aſſultibus, ſi ſcalarum habuiſſent copiam, die ſecunda, qua ad eandem applicuerant, urbem uiolenter effregiſſent. Tertia demum die, dominus Boamundus cum maioribus copijs, urbem ex ea parte qua inobſeſſa remanſerat, obſidione continuauit: poſt cuius aduentum diebus aliquot indignantes noſtri, quod tam diu detinerentur inutiliter, crates contexunt, & turres erigunt, machinasq; ligneas componunt iaculatorias: & impatientes moræ, urbem proteruius impugnare ſatagunt. Complanato igitur multo labore uallo, noſtri murum ſuffodere nitebantur, qui uerò intus erant totis uiribus reſiſtentes, lapides, ignem, & plena apibus aluearia, ut eos à muro propellerẽt, mittentes, ſed Dei uirtute & miſericordia de noſtris nullos, aut paucos lædere poterant: tantoq; noſtri inſtabant uehementius undiq; urbem impugnantes, quanto ciues deficere & eorũ euacuari conatus conſpiciebant. Cum autem primo diei diluculo, uſq; ad ſolem occiduũ continuatus eſſet aſſultus, defatigatis labore continuo ciuibus, & iam minore reſiſtentibus cura, applicatis ad murum ſcalis, uiolẽter noſtri muros conſcendunt. Inter quos uir nobilis de Epiſcopatu Lemouicenſi Gulfredus cogno-

cognomento de Turribus, murum primus conscendit, quem plures subsecuti, quasdam ciuitatis turres occupauerunt: sed in eodem facto procedere, & urbem sibi uendicare uniuersam, nox irruens intempesta prohibuit: differentes autem usque in sequentem diem, nostri equites, & maiorum maius negocium, ut summo mane redirent in idipsum, tota nocte circa urbem, ne hostibus pateret exitus, custodierũt uigilias. At uerò plebs indomita longis fatigata laboribus, & diutinæ famis acerbitate uexata, uidens quod hostium nemo compareret in mœnibus, quod ciuitas sine strepitu tota quiesceret, absque maiorum conscientia in urbem ingressa est, & eam reperientes uacuam, clàm & sine strepitu uniuersa eius obtinuerunt spolia. Ciues enim in speluncas se contulerant subterraneas, ut saluti consulerent uel ad tempus. Mane autem facto, exurgentes principes, & urbem sine prælio obtinentes, pauca inde sustulerunt spolia: cognoscentes tamen, quod in latibulis subterraneis se ciues occultauerant, appositis ignibus, & fumo copiosius immisso, eos ad deditionem compulerunt, & inde uiolenter abstractos partim obtruncauerunt gladijs, partim compedibus mancipauerunt. Mortuus est ibi dominus Vuilhelmus, bonæ memoriæ, Aurasiacensis Episcopus, uir religiosus & timens Deum. Dux autem cum per dies, cum alijs ibi moram fecisset, quindecim, cum Flandrensium Comite familiaribus tractatis negotijs, Antiochiam est reuersus.

Dux ad fratrem reuertitur, licentiam impetrat: rediens ad exercitum, insidias patitur in uia, sed illæsus euadit. Caput X.

PEr idem tempus uidens dominus Godefridus Lotharingiæ Dux, quod populus ad proficiscendum se accingeret, & principes ad idipsum inuitaret instantius, proposuit, prius quàm à regione illa discederet, fratrem uidere, & eius colloquio recreari. Profectus ergo cum familiari comitatu, in fratris regionem descendit: quo uiso, completisque pro quibus ierat negotijs, & sumpta licentia, Antiochiam ad cæteros principes qui eum exspectabãt, reuertebatur. Cumque iam urbi per sex uel quinque miliaria esset proximus, accidit quod in loco herbido & amœno satis, secus fontẽ, qui dulces & perspicuas emanabat aquas, ipsa loci facie ad id inuitante, descendit ut cibum sumeret: dumque in eo sociorum ferueret intentio, & aptus pro loco & tempore prandij fieret apparatus, ecce repentè de carecto paludis, quæ loco illi erat contermina, hostium equites ad unguem armati, super cõuiuantes irruunt. Dux tamen & sui, antequam Turci ad eos accederent, arma corripuerant equis insidentes. unde factum est, ut habito inter eos cõflictu, præuia Domini gratia, Dux fieret superior: ita ut interfectis pluribus, reliquos in fugã abigeret. & inde cum gloria in urbem se recepit.

Apud Marram oritur contentio inter Comitem Tolosanum, & dominum Boamundum. Boamundus partes Comitis apud Antiochiam occupat. Principes apud Rugiam conueniunt, nihil utile statuentes. Populus fame laborat. Caput XI.

CApta ergo ciuitate prædicta, orta est inter D. Boamundũ & Tolosanũ Comitẽ grandis cõtrouersia. Comes enim Albariensi Episcopo eã dare proposuerat, Boamũdus uerò eã ciuitatis partẽ quã occupauerat, pro Comitis arbitrio Episcopo nolebat cõcedere, nisi Comes eas quas ipse apud An-

tiochiam possidebat, prius ei resignaret turres. Tandē uerò neglecto negotio quod apud Marrā gerebatur, D. Boamūdus cum indignatione reuersus est Antiochiā, ubi expugnatis turribus quas Tolosani Comitis munitas detinebant satellites, eius inde uiolēter deiecit familiā, & sic uniuersam absq; cō sorte possedit ciuitatē. Comes uerò uidens quod eius recesserat æmulus, & pro libero arbitrio de urbe capta posset disponere, Episcopo eā sicut & prius proposuerat cōtulit Albariensi. dum aūt cum eodē ordinaret Episcopo, quo modo deputatis ex utroq; ordine custodibus, urbē possent ab hostibus conseruare indemnē: sentiens hoc populus, molestè nimiū cœpit ferre, et apud se conqueri, quod moras innecterēt principes, & pro singulis captis urbibus lites inter se suscitarent & iurgia, ita ut principale eorū propositū omnino neglectum uideret. Vnde cōuenientes adinuicē, ordinauerunt apud se, ut quacunq; ex caussa, absente Comite urbē diruerēt, ne de cętero eorum uotis aliquod prętaret impedimentū. Contigit uerò interea, quòd cōuenientibus apud Rugiā, quę quasi in medio inter Antiochiā & prędictā Marram sita est, principibus, ut ad uociferationes populi, super itinere deliberationem haberent, Comes uocatus illuc peruenit. Vbi dissentientibus ab inuicē nihil cōsonum, nihil utile de proposito cōstitutum est: ubi dum Comes morā faceret, populus qui apud Marrā relictus fuerat, nacta occasione ex Comitis absentia, multū prohibente & renitente plurimū prędicto Episcopo, turres et mœnia deiecerant funditus: ut Comes rediens, ulterius innectendi moram ex eo caussas nō haberet. Redeunte uerò Comite, tristis admodū pro casu qui acciderat: uidens tamen populi uoluntatē, factum prudēter dissimulauit. Populus uerò nihilominus proteruius instabat, orans & petens, ut populo Dei ad peragendū iter incœptum ducem se prębereti: alioquin ipsi unum quemlibet de militibus sibi præficerēt, qui eorum prę̨esset exercitui, & eos in uia Domini præcederet. Erat prætera in eodem exercitu tanta famis acerbitas, ut deficientibus alimentis, multi contra morē ferarum animis induti, ad esum immundorum se conuerterent animalium. Dicitur etiā, si tamen fas est credere, quod multi præ alimentorū inopia, ad hoc ut carnes humanas ederēt, prolapsi sunt. sed neque clades deerat in populo, nec meritò deesse poterat, ubi tam immundis & pestilentibus cibis (si tamen cibi dicendi sunt qui cōtra naturā sumuntur) misera plebs alebatur. Nec enim momentaneū fuerat, nec ad tempus modicū, illa tanta talisq;, quę populū afflixerat, inopia. sed quasi hebdomadibus quinq;, uel amplius, circa illā quā expugnare nitebant urbem, morā fecerāt cum periculo. Defecerant aūt ibidē non solum bellicis casibus, uerumetiam ualetudinibus uarijs, uiri præclari & nobiles: inter quos perfectissimę indolis adolescēs Engelhardus, filius domini Hugonis Comitis sancti Pauli, ægritudine correptus ualida, diem clausit extremum.

Comes in terras hostium ingressus, prędas introducit, populum uociferantem non perferens, iter arripit. Iunguntur ei Normannorum Comes & Tancredus. Cap. XII.

His omnibus uir inclytus & insignis dominus Comes Tolosanus, mente anxius & spiritu, fluctuabat dubius: nam & periclitantis populi eum affligebat molestia, & fatigabat necessitas & itineris desideriū, quo tam maiores quàm minores succensi erāt, ita etiā ut clamoribus assiduis & frequēti contesta-

contestatione id importunius exigerent, requiem penitus denegabant. Volens utricque morbo congruū aptare remedium, certus tamen quod alīj principes eum in hac parte sequi nollent, ut populo uociferanti & suæ satisfaceret conscientiæ, diem ad iter aggrediendum populo præfecit quindecimum. & ne medio tempore fame (quæ nimis inualuerat) populus periclitaret, assumpta parte militiæ, de turbis pedestribus ījs qui uidebantur ualidiores, parte reliqua intra urbem relicta, in terras hostium descendit, ut uitę necessaria plebi quocunque periculo procuraret. Ingressus igitur cum maximo comitatu, regionem hostium opulentissimam, effractis municipījs pluribus, & succensis suburbanis aliquot, greges inde retulit & armenta, seruos quoque & ancillas, & alimentorum ingentes copias, ita ut usque ad satietatem plenam, ieiunus & esuriens reficeretur populus. et socījs qui apud Marram remanserant urbem tuentes, portiones pro sorte uirili deputaret. Regressus igitur Comes cœpit æstuare, quid faceret populo interim clamante, quod ad iter aggrediendum præfixa iam instaret dies, & dilationes omnes respueret. Videns autem qua caussam foueret populus honestam, & quod eorum non posset sustinere instantiā, licet solus esset, nec eum de principibus aliquis sequi decreuisset, cum suo comitatu: succensa tamen urbe, & in fauillam redacta, iter aggressus est. Videns autem quod non multos haberet equites, Episcopum rogauit Albariensem ut secum proficisceretur: qui benignè preces admittens Comitis, quendam nobilem uirum, Vuilhelmum uidelicet de Tuliaca, super res suas cum septem equitibus & peditibus triginta præfecit, qui bona fidę & plena deuotione res suas conseruans, cōmendatas, infra paucos dies, pro septem equitibus habuit quadraginta, & pro triginta peditibus octoginta uel amplius recepit, res domini multiplicans in immensum. Igitur statuta die iter arripiens profectus est, neminem aliorum operiens. erant autem in eius comitatu uirorū quasi decē milia, ex quibus uix trecenti quinquaginta erant equites. Cui proficiscenti, Normannorū Comes, & D. Tancredus, uterque cum quadraginta equitibus, & uniuersa peditum manu se aggregauerūt, comites in itinere se præstantes indiuisos. Profecti autem, tantā in itinere inuenerunt opulentiam, ut populo nihil amplius esset necessarium. Transeuntes autem per Cæsareā, Hamā & Emissam, quæ uulgari appellatione dicitur Camesa, à principibus eorum et ducatum merebant habere, & rerū uenalium forum optimis conditionibus, insuper et dona plurima in auro & argēto, gregibus & armētis, & uictualibus omnimodis, à municipalibus quoque & oppidanis per quorū fines transibant, ut eorū parcerent regioni. Sicque per dies singulos augebatur eorum exercitus, & in meliorē proficiebat statum, rebus et omni sufficientia abundās necessarījs. Equorū etiam, quorū maximā passi fuerant indigentiā, tam gratis quàm pro precio ingentē sibi cōparauerant multitudinem, ita ut antequam cum reliquis conuenirent principibus, mille & ampliores, exceptis prioribus, in suo haberent exercitu. Tandē cū per dies processissent aliquot, iter agentes mediterraneū, de comuni decretū est cōsilio, ut ad oram redirent maritimā, ut de statu reliquorū principū, quos in finibus Antiochenis pòst se dimiserāt, facilius instruerent, & à maiorib. quæ ab Antiochia & Laodicea per mare descendebant, rerū necessariarū assequerent comerciū.

Prædonum accursus in itinere Comitis sustinet exercitus: contra quos Comes prudenter irruit. Castrũ repugnans effringitur. Ante Archim castra locantur, & finitimorum nuncij ad principes accedunt. Caput XIII.

FVerunt sanè toto illo itinere, ex quo à Marra discesserunt, eis cuncta satis prospera. nisi quod sępius circa expeditionis nouissima, prędones quidã occultè cõsueuerant irruere, & de senibus & ualetudinarijs qui exercitũ non poterant æquis subsequi passibus, nonnullos interimebãt, aut captiuabant: quorum fraudibus Comes argutè obuiãs, præeuntibus exercitum domino Tancredo & D. Normannorũ duce Roberto, unà cũ Albariensi Episcopo, ipse cum quibusdã uiris insignibus & egregijs pòst exercitum sequebantur, ut si incautos opprimant, tempore occurreret opportuno. Factũq; est ut more solito irruentibus maleficis, Comes è latebris egrediẽs, eis se daret obuiã, & repentè irruens prosterneret uniuersos, equos eorum & spolia & de captiuis aliquot cum multa lætitia in expeditionem referens. Ab ea die tutè & sine difficultate incedebat populus, rebus necessarijs affluenter abundãs: nec fuit in omni regione quam prætererunt proficiscẽtes, à dextris uel à sinistris ciuitas ulla, uel municipium, cuius ciues exercitui & eius ducibus nõ dirigerent munera, fœdus nõ impetrarent à transeuntibus & amicitiam: excepto uno, cuius habitatores de sua multitudine & loci præsumentes munimine, nec forum eis obtulerunt rerum uenaliũ, nec impetrato fœdere, ducibus miserunt encęnia, sed iunctis agminibus nostrorũ expeditioni conati sunt impedimẽtum prębstare. Quod uidentes nostri, iusta indignatione succensi, in eos irruerunt unanimiter: & in momento dissolutis eorum manipulis, & captiuitatis nonnullis, eorum oppidũ effregerunt uiolenter, gregesq; eorum & armẽta, equos etiam qui in subiectis pascuis alebantur, & omnẽ eorum substantiam diripientes adduxerunt secum. Erant autẽ in eodem exercitu finitimorũ principum nuncij, ad hoc ut pacẽ impetrarent missi. Hi nostrorũ uidentes uires & audaciã, ut plenam pacem suis obtinerẽt dominis, ad propria reuertebantur, ut qui eos miserant, de nostrorũ moribus & fortitudine plenius instruerent, sed mox cum equis & alijs muneribus redibant. Post autẽ aliquot dies, regione media cum omni trãquillitate decursa, in campestria urbis antiquæ et loci situ munitissimæ, haud longè à mari, quæ Archis appellatur, descẽderunt, satis in uicinio iuxta urbem castra metantes.

Describitur Archis. Captiui ex nostris qui in urbe Tripolitana detinebantur, urbem obsidendam significant. Caput XIIII.

EST aũt Archis una de urbibus prouincię Phœnicis, ad radices Libani, in colle sita munitissimo, quattuor aut quinq; à mari distãs miliaribus, lõgè lateq; diffusa, optimi soli, & glebæ uberis habẽs planiciẽ: cui etiã & lætissima non desunt pascua, et aquarũ cõmoditates uiuentium. Hanc, ut ueterũ habẽt traditiões, septimus filiorũ Chanaã fundasse dicit, et de suo nomine Arachis dixisse: sed postea corrupto nomine, Archis dictã fuisse. Circa hãc, ut præmisimus, nostri castra locauerũt sua, non casu fortuitu, sed quorundã ex nostris qui in uinculis hostiũ detinebanẽ, literis et exhortatione cõmoniti. Erãt enim in ciuitate Tripolitana, quæ est ciuitas nobilissima in littore maris sita, ab Archis sex aut quinq; distans miliaribus, de nostris aliquot, qui in ea uiolenter detinebanẽ. Ab initio enĩ obsidionis Antiochiæ, & maximè post urbẽ debellatam,

latam,cœperũt nostri ut sibi uictum propagarent,cõpellente inopia,imprudenter circuire regiones,& se hostibus circumiacentibus ultrò ad prædã exponere. Vnde factũ erat, ut uix esset ciuitas uel oppidũ, quod de populo nostro nõ haberet captiuos:iuxta quẽ modum in urbe Tripolitana, de qua prę misimus,de nostris plus ꝗ̃ ducenti eadem detinebantur conditione. Qui nostrorum intelligentes aduentum,significauerunt principibus, ut nullatenus ab Archi discederent,sed eam uallarent obsidione. sic enim aut intra paucos dies eã possent recipere:aut à rege Tripolitano,ut ab obsidione discederent, infinitam extorquere pecuniã, & captiuorũ fratrum obtinere liberationem. Quod & factum est.nam statim accedẽtes ad urbẽ,proprius castris circumpositis obsidione uallauerunt:tum ut id tentarẽt,quod eis intimatum fuerat: tum ut reliquos operirent̃,quòd eos in proximo subsecuturos credebant.

A castris egressi quidam,urbem Antaradon occupant uiriliter,unde cum spolijs uberibus ad castra redeunt,& continuant obsidionem. Caput XV.

EGressi autem de castris eisdem equites centũ,cum peditum ducentorum duobus manipulis,et Raymundũ Pelet secuti,usq; ad urbẽ Antaradon, quæ uulgari appellatione Tortosa dicit̃, ab obsidione uiginti uel amplius distantem miliaribus, ut experirentur si quid sibi necessariũ & usui futurum reperirent,peruenerunt. Est autẽ Antarados ciuitas in littore maris sita, iuxta se insulam habens modicã quasi per duo distantẽ miliaria,ubi per antiqua & multa secula insignis ciuitas Arados nomine fuit. Huius Ezechiel propheta mentionẽ facit,ad principem Tyri dirigens sermonẽ ita: Habitatores Sydonij & Aradij fuerunt remiges tui. Et idem infrà: Filij Aradij cum exercitu tuo erãt super muros tuos, in circuitu tuo. A cuius nomine & prędicta ciuitas nomẽ accepit,ut Antarados diceret̃,eo quod prędictæ Arado esset opposita. Harũ utraq; sita est in Phœnice prouincia, & eiusdẽ ciuitatis unus & idem auctor fuit, Aradius uidelicet,nouissimus natu filiorum Chanaan,filij Cham,filij Noë. Ad hanc itaq; urbem accedẽtes domini Tolosani exercitus pars prædicta,urbem cœperũt acrius impugnare. sed cum resistentibus ciuibus animosè satis,in eius expugnatione nõ possent multũ proficere, nocte irruente,in diem crastinã distulerunt negociũ:ut receptis consortibus,qui eos subsequi decreuerant,facto mane ad id tempus fortiores resurgerẽt. At uerò ciues timentes ne maiores ea nocte accederent copiæ, quibus tandẽ resistere non ualerent,cum uxoribus & liberis & familia urbẽ egressi,ad montes uicinos,ut fuga saluti cõsuleret̃, se cõtulerunt. Nostri porrò summo mane se adhortantes adinuicẽ,casus qui de nocte illa acciderat ignari,ut opus continuarent hesternũ, & ad urbem impugnandã se armarent,accedẽtes cominus,& eam reperientes uacuã,intrepidè & cõstanter ingressi sunt, & uictualibus & spolijs eam inuenientes redundantem. Vnde onerati usq; ad supremam satietatẽ,ad castra reuersi sunt: quę interim eis acciderant,cuncta per ordinem edocentes,& de successu prospero uniuersum lætificantes exercitum.

Dux Godefridus cum Flandrensium Comite & expeditionũ residuo Laodiceam peruenit,Guimerinum à uinculis expedit,classem ei restituens. Boamundus usq; ad prædictam urbem abeuntes prosequitur. Caput XVI.

INterea circiter Calendas Martias,populus qui Antiochiæ remanserat,uidens præfixã ad iter egrediendũ imminere diem; D.Lotharingiæ ducem Gode-

Godefridum,dominum quoq; Robertum Flandrensem Comitem,& alios principes multa cœpit urgere instantia,ut iter arriperēt, & eis uolentibus uoti consummationē ad implere,ducatum præberent.Prætendebāt & domini Comitis Tolosani,Ducis Normannorū, & domini Tancredi fidem & constantiam,& admirabilem gratiam quam plebi Dei exhibuerant,eos iam per dies multos in uia Domini fideliter præcedentes. His & huiusmodi persuasi principes, attestati,compositis sarcinis et necessarijs ad iter preparatis,assumpta secum uniuersa tam equitum quàm peditum multitudine, quibus cordi erat & in proposito uersus Hierosolymā proficisci,iij.Cal.Martijs apud Laodiceā Syriæ quasi ad uigintiquinq; milia uirorū fortium & armatorū cōuenerunt,prædictos principes secuti. Sed & D.Boamundus cum suo comitatu illuc usq; eos prosecutus est:non tamen aut cum eis proficisci, aut ibi moram facere longiorem poterat,ne forte recens captam Antiochiam hostibus circumpositis temerè, uel ad tempus inobseruatam negligere uideretur: tamen ut societatis memor & gratiæ, quam in uia Domini cum alijs contraxerat proceribus,eos usq; ad locum prosequutus est supradictū, quicquid officij & humanitatis poterat prompta exhibens deuotione, ut sui memoriam altius imprimeret abeūtibus.Reuersus est ergo salutatis principibus,& sumpta cum multo gemitu & suspirijs licentia,ut ciuitatis sibi creditæ curam gereret diligentem,quæ fideles habens habitatores,sola de urbibus Syriæ,Imperatoris Grecorum iurisdictioni erat supposita. Ad hāc Guimerinus quidam Boloniensis,quem superius cum classe apud Tarsum Ciliciæ,dum dominus ducis frater Balduinus eam occupasset,applicuisse meminimus,cum eadem classe sua peruenerat.Et dum eam imprudenter, non comparatis uiribus aggrederet impugnare & suæ mancipare ditioni, captus erat à ciuibus, & carceri cum omni planè suo comitatu mancipatus.Hunc quia de terra patris sui aduenerat,& apud Tarsum predictam fratri suo utilitati fuerat & honori, dominus Dux à præside ciuitatis & loci primatibus sibi petijt restitui: qui uerbo Ducis non audentes in re quapiam contraire, predictam Guimerinum cum socijs uniuersis & classe quā induxerant, Duci restituerūt: quem suæ classi Dux præficiens,æquis passibus cum per terras gradientē subsequi præcipit.quod & factum est.

Dux & qui cum eo erat exercitus,Gabulon obsidet.Tolosani fraus intercedit.Archim properantes reliquis associantur principibus.obsidio non proficit. Cap. XVII.

EGressus igitur Laodicea Syriæ prædictus exercitus, receptis ijs quos in eadem urbe repererat, qui ab Antiochia & Cilicia & urbibus finitimis, caussis familiaribus & occupationibus domesticis detēti,tardius egressi fuerant,oram legentes maritimā,ad urbē Gabulonensem,quam uulgari appellatione Gybellum dicunt,quæ à prædicta Laodicea duodecim distat miliaribus,peruenerunt. Vbi cū per aliquod temporis interuallū castris in gyrum locatis urbē obsedissent,is qui ciuitati præerat, principis Aegyptij procurator (nā hæc prima de urbibus maritimis Aegyptiorū erat subiecta potestati)aureorū sex milia duci obtulerat,insuper ingentia munera,si ab obsidione desisteret:quem tanquam sordidorum contemptorem munerum, cum flectere nequiuisset,ad alia se conuertens studia,legatos de quorum fide præsumebat,

mebat & industria, ad comitē direxit Tolosanū, prędictā pollicens pecuniā, si eum à ducis manibus posset expedire. Ille aūt, ut dicit̄, oblata clàm sumpta pecunia, confinxisse dicit̄, quod infinita hominū multitudo à tractu descende rat Persico, propositū habens eas iniurias ultū iri, quas Persarū populus sub duce Corbagath passus fuerat apud Antiochiā, & quod nō inferius priore bellum parabat̄ rediuiuum: & super his omnibus se dicebat recepisse fide di gnos nuncios, de quorum uerbo nullatenus esset ambigendū. Missa igit̄ le gatione per uirū uenerabilē, dominū Albariensem episcopū, & directis epi stolis, dominum Ducem, & comitem Flandrensem anxiè nimis solicitat, ut obsidione soluta, properare non differant, sed omnibus periculis fraterna compassione occurrant. Illi uerò audita fratrum necessitate, quod imminere dicebatur ex periculo, in simplicitate spiritus gradientes, statim obsidione so luta, & itinere maturato, transeuntes urbem Valentiam, quæ sub oppido Margat, in littore maris sita est, deinde Mareclean, quæ prima de urbibus Phœnicis à Septentrione uenientibus occurrit, Antaradum, quę uulgari ap pellatione Tortosa dicitur, quæ similiter una est de urbibus suprà nominatæ prouinciæ, in littore maris similiter constituta, peruenerunt. Quam reperien tes habitatoribus uacuam, insulæ quæ ab Occidente eidem obiecta est ciui tati, ubi & nostrorum naues aliquot opportuna statione inuenerant, uicini tatem admirati sunt. Vnde compendia secuti, infra paucos dies ante urbem Archim cum omni sua multitudine se cōstituerunt. Quibus D. Tancredus occurrens, fraudem Comitis uniuersam seriatim edocuit. Vnde & seorsum longè à tabernaculis eorum qui præcesserant castrametati sunt. Videns au tem Comes, quod ab eo aliorum principum esset alienatus animus, missis muneribus, eos sibi reconciliari satagebat. Vnde factum est, ut post modi cum temporis interuallum, reconciliatis sibi principibus, excepto domino Tancredo, qui aduersus eum graues suscitabat quæstiones, in unum corpus circa urbem conuenerint expeditiones. Cumq; Comes ante ducis aduentū multis iam diebus inutiliter ibi insumpsisset operam, spes erat quidem in ad uentu reliquorum principum, quod urbs facilè superari posset, & obsiden tium labor optato fine consummari: sed contra spem accidit. nam neq; prius neq; posterius propitium in eo facto habuit populus Dominum: quoties enim nitebantur urbem impugnare, & ad uaria se attollebant nocendi argu menta, ut uel agerent ad deijciendum murum, uel contra eum assultus com mitterent, toties noua occurrebant impedimenta, & omnis eorum euacua batur conatus, frustrabanturq;, opera impensa deperibat: ita ut manifestè diceretur intelligi, quod in eo opere, eorum conatibus fauor se subtraxisset diuinus. Quippe occidebat̄ assiduè populus, & uiri nobiles & præclari inu tiliter decumbebant. Ceciderunt ibi uiri nobiles & pręclari, & casu mirabili, uterq; iactu lapidis, Anshelmus de Riburgismonte, uir in armis strenuus, et perpetuæ dignus memoriæ: & Pontius de Baladino, uir nobilis & familia ris domino comiti Tolosano. Propterea & populus ibi inuitus detinebatur, cui erat in proposito, iter inceptum consummare: unde nec operā dabat cum studio, nec multam in facto impendebat solicitudinem, maximè autem post Ducis aduentum, etiam qui cum comite Tolosano aduenerant, eius familia

res & domestici se subtrahebant ex industria, ut communes affectus, tædio aliorum, principum uias sequeretur, qui etiam inuiti & compellēte Comite contra conscientias detinebantur.

Renouatur quæstio de lancea Domini. Inuentor rogum intrat accensum: paucis post diebus moritur. Caput XVIII.

RENouata est ibi quæstio de lancea, quæ apud Antiochiā reperta fuerat, utrū ea esset, qua de latere Domini sanguis & unda profluxit, an res esset commenta. Dubitabat enim ualde super hoc populus: sed & maiores fluctuabant incerti, alijs dicentibus, quod ueré ipsa esset, quæ Domini cruce ma duerat, eius latus aperiens, & per inspirationem diuinam in consolationem plebis reuelata: alijs asseuerantibus, quod uersutiarū Tolosani comitis esset argumentum, & gratia quæstus adinuentio ficta. Huius autem dissensionis autor erat præcipuus, quidam Arnulphus, domini Normannorum comitis familiaris & capellanus, uir quidem literatus, sed immundę cōuersationis, & scandalorum procurator (de quo in sequentibus multa dicenda occurrent.) Cumq; diu super hoc in populo sermo discurreret contradictorius, hic qui eam reuelationē sibi factam fuisse asserebat, ut populo fidem faceret, & omnem tolleret ambiguitatē, rogum copiosum iubet accendi, pollicens autore Domino, certo per ignem experimento fidem se facturum incredulis, quod nihil cōfictum, nihil cōmento adumbratum in eo facto intercessisset, sed sola reuelatione diuina ad notitiam hominum et consolationem totum esset procuratum. Accenso igitur rogo copioso admodum, cuius incendij feruor etiā circumpositos terrere poterat: conuenit uniuersus populus à maiore usque ad minorem, in ea sexta feria, quæ sanctum Domini Pascha præcedit, in qua & mundi Saluator pro nostra salute passus legitur, ut tantæ rei plenum haberet experimentum. Qui uerò tam periculosum examen sponte subiturus erat, dicebatur Petrus Bartholomei, clericus quidem, sed modicè literatus, & quantum ad humanum diem dijudicare pertinet, homo simplex uidebat: Qui oratione facta in cōspectu circum septarum legionum, assumpta secum prædicta lancea, per ignem transiuit, quantum populo uidebatur, illęsus. uerùm hoc eius factum non solum non amputauit quæstionem, sed maiorem suscitauit: nam intra paucos dies uita decessit. cuius accelerati obitus occasionem, cum homo sanus & uitalis prius uideretur, quidam asserebant tentatū incendiū, dicentes quòd in eo tanquā fraudis patronus, mortis causam collegisset. Alij uerò dicebant, quòd ab incendio sanus euaserat, & incolumis, sed egressum ab igne, turbæ causa deuotionis irruentes oppresserant eatenus, ut uitæ finem administrarēt. Sicq; res quę in dubium uenerat, nullam recipiens decisionem, maius induxit ambiguum.

Nuncij qui à nostris principibus missi fuerant in Aegyptum, reuertuntur. Caput XIX.

PEr idem tempus legati nostri, qui inuitantibus Aegyptijs, qui ad obsidionem Antiochenā missi à Calypha Aegyptio uenerant, ut pręmisimus, descenderūt in Aegyptum, post annum quo tam uiolenter quàm dolosé detenti fuerant, ad principes qui eos miserant sunt reuersi: ueneruntq; cum eis Aegyptiorū principis legati, uerba deferentes multū ab his quæ prius attulerant, dissimilia. Cum enim multa prius obtinere laborassent precum instantia, ut

tia, ut nostrorũ principũ contra Hierosolymã Turcorum & Persarũ Soldanos haberent gratiã & auxiliũ: nũc mutato cantico, pro summo beneficio se arbitrabant nostris indulgere, si Hierosolymam ducentos aut trecentos simul permitteret inermes accedere, & completis orationibus redire incolumes. Quod uerbũ nostri principes pro ludibrio habẽtes, prędictos nuncios redire compulerunt, significantes, quod nõ secundũ propositas conditiones particulatim illuc accederet exercitus, sed iunctis agminibus Hierosolymam proficiscerent unanimes, regno eius periculũ illaturi. Huius autẽ mutationis causa fuerat quiddam, quod ex nostra uictoria, quæ apud Antiochiã accide rat, habuerat ortũ. nam Turcis ibi ita periclitãtibus, ita per omnẽ Orientem eorum cõfractus est gladius, & sublimis quę fuerat gloria, uersa est in confusionẽ, ut ubicũq; cum alijs nationibus erat eis negotiũ, in omni loco succum berent, & calculũ reportarẽt in omni conflictu deteriorẽ. Iuxta quã eorũ con ditionẽ, inualescẽte super eos Aegyptiorũ regno, per manũ cuiusdã, cui erat nomen Emiterius, principis militiæ regis Aegyptiorũ Hierosolymam amiserint, quã triginta & octo annis antè ab eodẽ Turci eripuerãt uiolẽter. Vnde factũ est, ut hostes quos prius quasi fortiores horruerant, nunc per nostrorũ operam deiectos, & confractis uiribus, in imo uidentes cõstitutos, nostrorũ auxilium, quod prius instanter nimis expetierant, contemnerent.

Imperatoris legati adsunt, de domino Boamundo cõquerentes. Imperatorem nunciant uenturum. Principes dissentiunt. Pugnatur cum Tripolitanis, & uincuntur hostes: nostri uictores in castra redeunt. Caput XX.

ADuenerunt præterea Constantinopolitani Imperatoris legati, multum conquerentes de D. Boamundo, qui contra legem pactorũ & exhibiti tenorẽ iuramenti Antiochiam pręsumebat detinere: allegantes in conspectu principũ, quod domino suo prębitis corporaliter iuramentis, omnes qui per eum transierant, tactis sacrosanctis Euangelijs promiserant, quod neq; de oppidis, neq; de ciuitatibus aliquam, quæ de imperio eius fuerant, usq; Hierosolymam, detinere præsumerent, sed ea capta, eius imperio resignarent: de reliquis uerò habitæ conuentionis partibus, nullam omnino habebant memoriam. Certum est autem, quod id inter eum & principes, apud Constantinopolim conuenerat. sed in fine cõuentorum fuerat annexum, quod ipse cum omni suo comitatu, & ingentibus copijs eos deberet sine dilatione subsequi, & auxilium in suis necessitatibus ministrare. Quibus de cõmuni principum consilio responsum est, quod Imperator pacta & conuenta prior uiolauerat: unde meritò & ab his quæ iuxta legem pactorum sibi poterant competere, casum pateret: iniquum enim est ei fidem seruare, qui cõtra pacta nititur uersari. Nam cum nostris principibus ex compacto teneretur obligatus, quod conuocatis exercitibus, statim eos sequeret, & per mare nauibus continuum eis ministrari faceret cõmercium, & rerum uenaliũ toto itinere exhiberi pręciperet opulentiam: utrunq; neglexit fraudulenter adimplere, cum sine difficultate utrũq; potuisset effectui mancipare. Vnde quod de Antiochia factũ fuerat, quoniã id iure fecisse uidebant, ratum uidebant permanere, & inconcussum, ut is eam iure hæreditario possideret in perpetuum, cui de cõmuni liberalitate concessa fuerat. Instabãt præterea eiusdem imperatoris legati, per-

ſuadere cupientes,ut eiuſdem imperatoris aduentum, quem in Cal.Iulij affu turum promittebant,prȩſtolaret̃ exercitus,pollicentes quod ſingulis princi pibus ingentia daturus eſſet munera:ſed & plebeis cum multa liberalitate ſti pendia,unde honeſtè ſuſtentari poſſent, eſſet largiturus. Super quo delibe rationem habentes,diſſentiebant ab inuicem. Nam Toloſanus comes expe ctandum eſſe tanti principis aduẽtum utile iudicabat, ſiue ex eo quod ita aſ futurum arbitraretur:ſiue ex eo quod ea occaſione principes & populum de tinere laboraret,quouſq; urbẽ quam obſederat,ſibi poſſet uendicare. Turpe enim & ignominioſum reputabat, ſi à propoſito ita manifeſtè deficeret, de ſiderium non ualens adimplere. Alijs autẽ oppoſita longè melior uidebatur ſententia,ut cœpto inſtarent itineri, et uotũ pro quo tot labores pertulerant, feliciter cõſummarent.fraudes eñ imperatoris,& eius uerſutias,quas ſȩpius experti fuerãt,declinare iudicabãt cõmodius,ne eius labyrinthis & ambagi bus iterũ ſe inuoluerent,à quibus nõ ſatis facilè poſtmodũ poſſent expediri. Effuſa eſt igit̃ inter principes contẽtio,et eorũ penè in nullo conſolabant̃ deſi deria. Vnde & is qui urbi præerat Tripolitanȩ,cũ prius infinitam obtuliſſet pecuniæ ſummã,ut obſidione ſoluta,ab eius finibus noſtræ migrarẽt expedi tiones,cognito ſchiſmate quod inter principes erat exortũ,nõ ſolum dare pe cuniã prius oblatã renuit,uerũ noſtris ſpontè occurrere, & cũ eis belli aleam experiri propoſuit. Factũ eſt aũt,quod de cõmuni cõſilio, relicto Albarienſi epiſcopo,et alijs nõnullis uiris potentib. in obſidiõe,qui caſtra tuerent̃,prin cipes in dicto prȩlio,inſtructis aciebus,& ordine congruo diſpoſitis, uerſus Tripolim agmina dirigũt:quò peruenientes,eiuſdẽ loci prȩſidẽ, cũ uniuerſa ciuiũ multitudine tã equitũ q̃ peditũ extra urbẽ reperiũt: ubi ordinatis pari modo agminibus,noſtrorũ aduentũ prȩſtolabant̃ intrepidè. Cum eñ duo bus menſibus,& amplius aliquid,Comes Toloſanus in prȩdicta obſidione operã cõſumpſiſſet inutiliter, nec profeciſſet quippiã,cæperãt eos Tripolita ni contẽnere,& noſtrũ exercitũ minus & minus habere ſuſpectũ,q̃ ab ea uir tute quã prius audierãt,facti degeneres in ſeipſis,ſtrenuitatis cõſuetȩ paterẽt̃ defectũ. Poſtq̃ ergò ad urbẽ uentũ eſt,& hoſtiũ cõtrà ſe poſitas noſtris datũ eſt intueri legiões,in eos ſtatim irruũt animoſius,& primo impetu diſſolutis eorũ cohortib. hoſtes in fugã uerſos,intra urbẽ certatim ſe recipere proterua cõpulerũt inſtãtia,ſeptigẽtis ex eorũ nũero gladio perẽptis: de noſtris uerò tres aut quatuor cecidiſſe dicunt̃. Ibi celebrauerũt paſcha, quarto idus April.

Prȩſes Tripolitanus multa pecunia & muneribus à noſtris pacem impetrat. Principes de Syrorum conſilio, qui in illis partibus habitabant, uiam eligunt maritimam. Caput XXI.

OBtenta igitur uictoria, in caſtra iterum reuerſi ſunt, ubi nihilominus uo ciferari & acclamare cœpit populus uniuerſus,ut illa pernicioſa obſidi one dimiſſa,uerſus Hieroſolymã,quo eorum omne feſtinabat deſideriũ, iter arriperent:obtinuitq; proterua inſtantia populus,ut incenſis caſtris, Dux & Flandrenſiũ comes,necnõ & Normannorũ comes, ſed et Tancredus,popu lo ſatis facientes,inuito,& plurimũ renitente comite Toloſano, obſidionem deſerentes,uerſus Tripolim,tanq̃ iter continuaturi,expeditiones direxerãt: erantq; in eo facto procliuiores, qui ab initio prædicti comitis ſigna fuerãt ſe cuti:ita ut eum deſerentes,prȩdictos principes certatim ſequerent̃: quo intel lecto, uidẽs quod neq; precibus,nec pollicitis eos reuocare poterat,faciẽs de neceſſi-

necessitate uirtutẽ,alios secutus est,licet inuitus.Cumq́ uix quinq́ miliarib. progressi, ante urbem Tripolitanã castrametati essent, eiusdem loci præses, qui Aegyptij Caliphæ in ea regione procurabat negotia,deposita illa tali arrogantia, qua prius cum nostris principibus de pari posse contendere arbitratus fuerat,cognoscens seipsum, missa legatione à principibus obtinuit,ut datis quindecim milibus aureorum, insuper etiã muneribus in equis,mulis, sericis, & uasis preciosis, & restitutis uniuersis quos de nostro populo detinebat captiuis,ut à sibi cõmissa discederent prouincia, ac tribus quibus præerat ciuitatibus, Archi uidelicet, Tripoli, ac Biblio cum suis prouincijs parcerent transeuntes. Misit insuper greges & armenta,& alimẽtorum uberem copiam,ne præ uictualiũ inopia, suburbana spoliare cogerent, & agrorum cultoribus inferre molestiã. A' certis etiam quibusdã fidelibus, Seyr montis habitatoribus, qui urbibus illis à parte supereminet Orientali excelsus admodum, & in sublime iuga porrigens,tanq́ à uiris prudẽtibus locorũ gnaris,qui ad eos gratulabundi descenderant,ut fraternæ charitatis impenderẽt affectum,consilium ab eis petierant,qua uia uersus Hierosolymã tutius possent incedere,& cõmodius. Illi tandem compensatis bona fide uniuersarum uiarum quæ illuc ducebãt tam cõmoditatibus quàm compendijs,nouissimè uiam eis cõmendauerunt maritimã,ut & directiorem sequerent, & nauium suarum quæ proficiscentẽ sequebant exercitum,eis solarium nõ deesset. Erãt aũt in nostrorũ classe,nõ solum Guinimeri,sociorumq́ eius, qui à Flandria, Normannia,& Anglia,ut præmisimus,descenderãt,uerum & Ianuensium, Venetorũ, Græcorumq́ naues,quæ à Cypro,Rhodo, & alijs insulis rebus onustæ uenalibus frequenter accedebant, quæ nostris multã afferebant consolationẽ. Assumptis ergo ducibus itineris,tum ex prædictis fidelibus,tum ex Tripolitani principis familia, oram legentes maritimam, iuga Libani à sinistris habentes,Biblium pertranseuntes,supra ripam fluminis, secus locũ cui nomen est Maus, castrametati sunt, ubi per diem uulgus debile, & cos qui non ita celeriter subsequi poterant,operientes,habuerunt requiem.

Proficiscentes urbes prætereunt in littore maris sitas, Liddamq́ & Ramulam perueniunt. Caput XXII.

Die demum tertia ante urbem Berilensium, secus fluuium qui iuxta urbẽ labitur, castrametati sunt: ubi à præside loci, ut satis parcerẽt & arboribus,data pecunia, & uictualibus ad sufficientiam ministratis, nocte quieuerunt una. Sequenti uerò die Sydonem pertranseuntes, secus fluenta aquarũ cõmoditatem secuti,locauerunt tabernacula. Vbi nescimus qua fiducia,qui urbi præerat, nostris principibus nullam exhibuit humanitatis gratiam,sed de uiribus præsumens suis,exercitum nostrũ aggressus est molestare: in quo facto non multum successit ei prosperè. nam quibusdam ex nostris in eos irruentibus,qui eorum discursionibus prouocati,diutius dissimulare non poterant,interfectis ex eis aliquot,reliquos intra urbẽ se recipere compulerunt: unde factũ est,ut noctẽ illam in castris,cessantibus eorũ molestijs,cum omni tranquillitate peragerent. Mane autẽ facto, ut aliquantisper recrearetur populus,moram ibi facere decreuerãt,mittentes de exercitu expeditiores quosdam,qui de urbanis adiacentibus uictui necessaria conueherẽt: qui comportatis gregibus & armentis & uictualium ingẽti copia,cum sospitate regressi

sunt omnes, excepto quodã nobili uiro, Galthero uidelicet de Verra, qui redeuntibus alijs, ad ulteriora progrediēs, ut maiorē prædā cōtraheret, dubia sorte sublatus cōparere desijt, uniuersis eius dubiū exitum nimis molestē ferentibus. Sequēti postmodum die, transcursis scopulosis ex parte plurima locis, per loca planiora, à dextris relicta antiqua urbe Sarepta Sydoniorū, uiri Dei Heliæ nutricia, transmisso flumine, qui medius discurrit egregiā illius regionis metropolim Tyrū, ueracissimum Agenoris et Cadmi domiciliū, peruenerūt, ubi circa illū egregiū & seculis omnibus admirabilē fontē hortorū, & puteū aquarū uiuentiū castrametati in pomerijs latē patentibus, & multa cōmoditate refertis, nocte quicuerunt una: dehinc die restituta iterū se ad iter accingētes, ex superatis angustijs, quę inter montes prominētes & mare periculosē nimis iacent mediæ, iterū in plana descenderunt, quæ urbi Acconensium subiecta sunt. Vbi iuxta ciuitatē secus fluuiū, qui eandē urbem præterfluit, castrametati, à procuratore & ciuibus munera suscipientes, rerū uenalium bonis cōditionibus habuerunt cōmercium. Factus est insuper nostris principibus familiaris et amicus, spōdens, si post captā Hierosolymā, uiginti dierū spacio, absq; cōtradictione in regno possent cōsistere, aut Aegyptiorū uires superare, ipse urbē Acconēsem absq; difficultate ulla eis resignaret. Inde uerò progressi Galileā à lęua deserētes, inter Carmelum et mare, Cæsareā secundæ Palęstinæ metropolim, quę prisco nomine Turris Stratonis appellata est, peruenientes, secus fluuiū qui de paludibus eidē urbi adiacentibus defluit, castrametati sunt: ubi & sanctum Pentecostes diem, iiij. Cal. Iunias celebrauerunt, à prædicta urbe, uix duobus distantes miliaribus. Inde post diē tertium itineris resumentes laborē, relictis à dextra locis maritimis, Antipatrida et Ioppe, per latē patentē planiciem, Eleutheriā pertrāseuntes, Liddam, quæ est Diospolis, ubi et egregij martyris Georgij gloriosum usq; hodie sepulchrum ostendit, in quo secundum exteriorē hominē in Domino creditur conquiescere, peruenerunt. Cuius ecclesiā, quam ad honorē eiusdē martyris, pius & orthodoxus Princeps Romanorū Augustus, illustris memoriæ D. Iustinianus, multo studio & deuotione prōpta ædificari præceperat: Turci, audito nostrorū aduentu, solotenus hostes deiecerāt paulo antè, timentes ne trabes ecclesiæ, quæ multę proceritatis erāt, in machinas & tormēta ad expugnandam urbē uellent cōuertere. Cōpertum autē habentes, quod in uicino nobilis quædā esset ciuitas Ramula nomine, cum quingentis equitibus D. Flandrensium Comitē præmiserunt, qui ciuium prætētaret animos, & quidnam haberent propositi, experirentur: qui accedentes ad urbem propius, uidētes quod nemo ad eos egrederetur portas, quas patētes repererunt, ingressi sunt, urbē penitus reperientes uacuā. nocte enim quę præcesserat, cognito nostrorum aduētu, abeuntes cū uxoribus & liberis, & uniuersa eius familia urbem uacuā reliquerūt: quod statim remisso nuncio, Comes legionibus significans ad urbē eos accedere, maturè cōsuluit. Illi uerò cōpletis de more orationibus ad urbē accedentes, in omni cōmoditate frumēti, uini & olei, ibi continuum exegerunt triduū, Episcopum eidē Ecclesiæ præficientes quendā Normannorū genere, de episcopatu Rothomagensi, cui utranq; urbē, Liddā scilicet & Ramulā cū adiacentibus suburbanis, iure perpetuo possidētes cōtulerūt, primitias laborū suorū cū omni deuotione egregio Martyri dedicātes.

Hierosolo-

Hieroſolymitæ uiris fortibus, armis & uictualibus, cõtra noſtros urbem cõmuniunt diligenter. Ciues fideles ex plurima parte extra urbem proijciunt. Caput XXIII.

INterea Hieroſolymitæ de noſtrorũ aduentu nuncijs edocti frequentibus, ſciẽtes quòd omnis quæ aduenire dicebat̃ multitudo, ſpeciale & præcipuũ haberet ciuitatẽ illã obtinendi propoſitũ: quanta poſſunt diligentia, quanta ualent ſollicitudine, urbem cõmunire ſatagunt, uictui neceſſaria, armorũ genera quælibet, ligna, ferrum & chalybem, & quæcunq; obſeſſis ſolent præſtare præſidiũ, corrogare, & in urbẽ inferre, ſtudijs ſe in uicẽ præuenientibus, contendunt. Sed & princeps Aegyptius, qui multo labore eodẽ anno, Turcorum expulſo principatu, prædictã urbem receperat, cõperto quod ab Antiochia noſter diſceſſerat exercitus, quãto poterat ſtudio, turres reparari præceperat, & mœnia. Ciuibus, ut eorum ſibi & fidẽ cõciliaret, & gratiã, de proprio ærario cum multa liberalitate miniſtrari præcipiens ſtipendia, tributorũ & uectigaliũ præſtationes remittẽs imperpetuũ: qui tum ut uitæ cõſulerent, & ſaluti, tum ut tantæ libertatis ſublimarent̃ priuilegio Regio, ſatagentes parẽre uoluntati, cõuocatis uicinarũ urbiũ ciuibus, uiris fortibus & induſtrijs & armatis optimè, urbem cõmunierant diligenter. Inſuper etiam conuenientes omnes unanimiter in atrio templi, quod erat ſpacioſiſſimũ, ut noſtrorum poſſent præuenire aduentũ & præcidere, decreuerunt, ut interfectis uniuerſis fidelibus, qui eius urbis eſſent habitatores, Eccleſiam Dominicæ reſurrectionis deijcerent funditus, & ſepulchrũ Domini ab eadem radicitus conuellerent, ne illorũ occaſione, aut orationis gratia, fideliũ populus deinceps accedere, aut urbẽ frequentare proponerent. Sed tandẽ cognito, quod per hoc maiora populorũ noſtrorũ in ſe conflarent odia, & in ſuum uehemẽtius irritarent interitũ, mutato conſilio, extorta ab eis uiolenter uniuerſa pecunia, & quicquid habere uidebant̃, quattuordecim aureorũ milia, tum à Patriarcha qui tunc urbi præerat, tum à populo ciuitatis, tum ex adiacentibus Monaſterijs abſtulerunt. unde oportuit eundẽ uirum uenerabilem, ut haberet unde tantam ſummã extortæ pecuniæ ſoluere poſſet, cum ad id uniuerſorum non ſufficiebant patrimonia, & ut inopiã ſuam & plebis quocunq; modo cõſolaretur tenuitatem, in Cyprum inſulam abnauigare, ut ibi à fidelibus eleemoſynarum, & piæ largitionis mendicaret ſuffragia, quæ attritæ & eſurienti plebi Dei, quæ Hieroſolymis & in eius finibus habitabat, mitteret ad uitæ ſuſtentationem. Nec etiam hoc eis uiſum eſt ſufficere, ſed extortis à plebe per quæſtiones & grauia tormenta bonis omnibus, exceptis ſolis ſenibus & ualetudinarijs mulieribus & paruulis, omnes alios urbe depulerũt: qui uſq; ad noſtrorum aduentum in uiculis ſuburbanis deliteſcẽtes, quottidie mortem expectabant, non audentes urbem introire. ſed nec exterius inter perſequentem populum, tuta eis dabatur requies, habẽtibus locorum incolis omnem eorum ſuſpectam operam, & eos uſq; ad immundos & intolerabiles perurgentibus angarias. Erat præterea eodem tempore, in eadem Deo amabili ciuitate, uir uitę uenerabilis & fide inſignis, Geraldus nomine, qui ei de quo ſuprà diximus, præerat xenodochio, in quo pauperes qui orationis gratia ad urbem accedebant, hoſpitabantur, & aliqualem pro loco & tempore ſumebant refectionẽ. Hunc credẽtes pecuniarũ aliquam habere repoſitionẽ, & ſuſpectum habẽtes, ne in noſtrorum aduentu aliquid eis moliret̃ damnoſum:

uinculis ſubiecerunt & uerberibus, ita ut manuum ac pedũ torquendo eius confringerẽt articulos, & membrorũ partem maximã redderent inutilem.

Bethleemitæ ad principes legatos dirigunt: mittitur illuc Tancredus, qui eccleſiam & locum occupat. Caput XXIIII.

COnſummato igit triduo, cuſtodibus ibi aliquot deputatis, qui munitionem eiuſdem ciuitatis partem ab hoſtium tuerentur inſidijs, ſummo diluculo ad exequendum ſe accingunt propoſitũ. Vnde aſſumptis itineris ducibus, uiris prudẽtibus, & locorum peritis, peruenerunt Nicopolim. Eſt autem Nicopolis ciuitas Palæſtinæ. hanc dum uicus adhuc eſſet, ſacer Euangeliorũ liber appellauit Emaus: beatusq́ Lucas Euangeliſta hanc dicit ab Hieroſolymis diſtare ſtadijs ſexaginta. De hac Sozomenus in ſexto Tripartitæ hiſtoriæ ita ait: Hanc Romani poſt uaſtationẽ Hieroſolymorum, Iudæamq́ uictoriam, Nicopolim ex euentu uictoriæ uocauerunt. Ante hanc urbem in triuio, ubi Chriſtus cum Cleopha poſt reſurrectionem noſcitur ambulaſſe, fons eſt in quo paſſiones hominum diluuntur, & alia pariter animalia diuerſis detenta languoribus emundãtur. quod ut ita contingat, traditur ex quodam itinere apparuiſſe Chriſtum ad fontem cum diſcipulis ſuis, et lauaſſe pedes: ex quo aqua facta eſt diuerſorum medicamen paſſionum. Hæc prædictus Hiſtoriographus de caſtello Emaus. Vbi noctem illam in aquarum abundãtia, & rerum copia uictui neceſſariarum egerunt tranquillam. ubi circa noctis medium, fidelium qui in ciuitate Bethleem habitabant, legatio adfuit ad Ducẽ Godefridũ, orans et petens, cum multa inſtãtia, ut illuc aliquam militię partẽ dirigeret. Conuenientibus enim ex uniuerſis finitimis oppidis & locis ſuburbanis hoſtibus, Hieroſolymã properabant, tam ut urbem tuerentur, quàm ut ipſi etiam in urbe ſalutis ſibi inuenirent conſilium. Timebãt aũt prædicti fideles, ne ad partes eorum accedẽtes, eccleſiã deijcerent, quam multo precio ſępius ab eiſdem hoſtibus, ne deijceretur, redemerant. Audita igitur & cum pietatis affectu ſuſcepta fratrum fidelium poſtulatione, electis ex ſuorum numero centum expeditis equitibus, ad locum prædictum, ut fidelibus opem ferrent, Dux præcipit contendere: quibus dominus Tancredus datus eſt primicerius, & conſors itineris: qui ducibus eiuſdem loci habitatorum, ad locum ſummo diluculo peruenerunt deſtinatum: ubi à ciuibus cum hymnis & canticis ſpiritualibus honorificè ſuſcepti, introducente eos clero & populo, ingreſſi eccleſiam fœlicis puerperæ diuerſorium, & ſaluatoris præſepe, in quo fœlicium cibus animalium requieuit, beatis oculis cõſpexerunt. Vbi etiam & ciues eiuſdem loci præ gaudij & exultationis immenſitate, uotiua cantica Domino pſallẽtes, in ſignum uictoriæ domini Tancredi uexillum ſuper eccleſiam ſtatuerunt. At uerò qui in exercitu remanſerãt, præ itineris deſiderio, loca uenerabilia ſcientes in proximo conſtituta, pro quorũ amore & reuerentia tot labores, tot pericula tertio iam anno ſuſtinuerãt, noctem ducebant inſomnẽ, uotis ardentibus auroram depoſcẽtes, ut itinerarij ſui felicem conſpicerent clauſulã, & tam longæ peregrinationis beatã cõſummationẽ poſſent intueri. Videbãt eis nox ultra ſolitũ uices ſuas producere, partemq́ lucis futuræ ſibi uſurpare indebitè, omniſq́ mora animis ardẽtibus periculoſa uidebatur: eratq́ abominabilis, iuxta id quod prouerbialiter dici ſolet, Animo cupiẽti nihil ſatis feſtinat. Et itẽ illud, Dilatione uotũ crecerat.

Profici-

Proficiscentes exercitus Hierosolymam perueniunt, sed interim excitatur tumultus, in quo cadunt nonnulli de hostibus. Caput XXV.

POstquam autem in castris cognitum fuit, quod Bethleemitarũ nuncios, Dux nocte illa susceperat, & de suis in eorum subsidiũ præmiserat quosdã, non expectata procedendi licentia, uel opportunitate, qualẽ lux exoriens iter agentibus solet ministrare, intempestę noctis silentio, excitantibus se mutuo plebeis & moram arguentibus, inuitis principibus surrexerunt, iter arripientes. Cumq; processissent aliquãtulum, uir quidam nobilis & strennuus, Gastus Bitertensis, assumpto sibi triginta expeditorum equitum comitatu, ab exercitu separatus uersus Hierosolymam aurora iam illuscente cœpit contendere, ut si quas extra urbem gregum aut armentorũ reperiret copias, eas secum in expeditionẽ deduceret. Cumq; iam urbi esset proximus, iuxta uotum occurrerũt ei animalia quibus pauci præerant pastores: qui uisa nostrorum militia in urbem perterriti aufugerũt. Gastus uerò interim relicta absq; custodibus secum trahens animalia, ad exercitum reuertebatur: cum ecce ad pastorum uocem exciti Hierosolymitæ, correptis armis, prædam abactam uiolenter reuocare cupientes, certatim insecuti sunt abeuntem. Vir uerò insignis, insectantium ueritus multitudinem, relicta præda saluti fugiendo consulens, in collis culmine cum suo substitit comitatu: dumq; ibi rei præstolaretur euentum, ecce per uallem eidem loco subiectã, dominus Tancredus cum prædictis centum equitibus, à Bethleem rediens ad exercitũ maturabat: quibus prędictus uir nobilis occurrẽs, casum qui ei acciderat, ex ordine pandit: coniunctis itaq; agminibus, eos qui prædam reducebant uerso insecuti sunt itinere: & anteq; in urbem se reciperẽt, subito in eos irruentes, interfectis pluribus, reliquisq; in fugam uersis, prædã iterum receptam uiolenter adducentes, ad exercitũ cum multa lætitia sunt reuersi. à quibus cum quæreretur, unde prædam illam contraxissent: respondentes, quod de agro Hierosolymitano eam abduxissent, audito nomine ciuitatis, pro qua tot & tantos labores pertulerant, præ feruore deuotionis lachrymas & suspiria cohibere non ualentes, pronos in terram se dederunt, adorantes & glorificantes Deum, de cuius munere uenit, ut sibi à fidelibus suis, dignè & laudabiliter seruiatur: quiq; populi sui uota benignè exaudire dignatus est, ut iuxta eorum desideria, ad loca optata mererent peruenire. Vnde progressi pusillum è uicino urbem sanctam contemplantes, cum gemitu & suspirijs præ gaudio fusis spirituali, pedites, et nudis ex plurima parte uestigijs, cœpto feruentius insistentes itineri, subitò ante urbem se constituerũt, castra circumponentes eo ordine, quo à maioribus principibus singulis designabatur. Videbatur impletum esse, quod per Prophetã præmissum fuerat uaticinium, & exhibitum historialiter uerbum Domini, Leua Hierusalem oculos, & uide potentiam regis. Ecce saluator tuus uenit soluere te à uinculo. Et illud: Eleuare, eleuare, consurge Hierosolyma, solue uincla colli tui captiua filia Syon.

LIBER

Descriptio situs urbis sanctæ, in qua ostenditur quas regiones & qua habeat loca per circuitum. *Caput I.*



Rbem sanctam & Deo amabilem Hierosolymã, in sublimibus sitam esse montibus certũ est, & tin ribu Beniamin positam ueterum tradit auctoritas, habetq; ab Occidẽte tribum Symeon & Philistinã regionem & mare Mediterraneũ. A quo urbi proximũ est iuxta uetustissimũ oppidũ Ioppen, iugum quattuor distãs miliaribus, inter se & prædictũ mare habens castellum Emaus, postea dictũ Nicopolis, ut præmisimus, ubi post resurrectionẽ suam Dominus duobus discipulis apparuit. Modim etiã, sanctorũ Machabeorũ fœlix præsidiũ. Nobe quoq; uicum sacerdotalẽ, ubi Dauid esuriens cũ pueris suis, tradẽte Abimelech sacerdote panes propositionis comedit. Et Diospolim, quæ est Lidda, ubi Petrus Aneã uirũ paralyticũ ab annis octo in grabbato iacentẽ saluti restituit. Sed & Ioppen prædictã, ubi idem Petrus, discipulam nomine Tabithã, plenam operibus bonis & eleemosynis, defunctã suscitauit, & sanctis ac uiduis resignauit uiuã. Vbi & apud Symeonẽ coriarium hospitatus, Cornelij nunciũ suscepit, sicut in Actibus Apostolorũ continet. Ab Oriente uerò Iordanis habẽs fluenta, & ei adiacentẽ solitudinẽ, filijs prophetarũ familiarẽ, quasi ad milliaria quattuordecim: & uallem syluestrẽ, ubi nunc est mare salis, quod & lacus Asphaltites, & mare mortuũ nuncupatur: quæ omnis regio antequã Dominus subuerteret Sodomã, ut in Genesi legit, quasi paradisus Dei irrigabatur. Citra uero Iordanẽ, urbẽ Hiericho, quam Moysis successor Iosue, magis orando quàm pugnando subegit: ubi postea Dominus præteriens, cæco lumẽ restituit. Galgala quoq;, Helisei receptaculũ. Vltra Iordanẽ uerò Galaad, Basan, Amon & Moab. quæ postmodũ Rubẽ, Gad, & dimidia tribus Manasse susceperãt in sorte, quorũ omnis hodie regio generali appellatione dicit Arabia. Ab Austro uerò, habẽs sorte Iuda, in qua est Bethleem, familiare Domini reclinatoriũ, & fœlix natiuitatis Dominicæ & cunarũ locus. Et Thecna urbs, prophetarũ Abacuck & Amos domicilium. Et Ebron, quæ alio nomine dicitur Cariatharbe, sanctorũ Patriarcharum sepulchrũ uenerabile. A septentrione uerò urbem habens Gabaon, Iosuæ, filij Nun, insigni uictoria & defixi solis miraculo præclarũ. Tribũ quoque habens Ephraim, in qua est Silo tabernaculi Domini custos aliquando. Sichar, confabulatricis Domini Samaritanæ patria. Bethel, aureorũ cultrix uitulorũ, & peccati Hieroboam testis. Sed & Sebastia Ioannis Baptistæ, Helisei quoq; & Abdiæ tumulus, quæ olim dicta est à monte Somer: in qua sita est Samaria, regum Israël thronus sublimior: unde & tota prædicta regio usq; in præsentem diem dicitur Samaria. Neapolis quoq;, quæ olim dicta est Sichen, conditoris nomen habẽs: in qua, secundum lectionẽ libri Geneseos, filij Iacob Simeon & Leui, in ultionem stupri, quod filius Sichen, Hemor, sorori eorum Dinæ, amore illius captus intulerat, tam ipsum quàm filios eius in ore gladij percusserunt, urbem eorum succendentes.

Quibus nominibus & quot appellatur ciuitas, & quod Dauid eam Regni solium constituit. Quomodo Aelius Adrianus, urbem decliuem, in montis uerticem transtulit. Et quædam iterum de situ eius. Caput II.

EST autem Hierosolyma Iudeæ metropolis, in loco, riuis, syluis, fontibus & pascuis penitus carente, sita. Hæc iuxta ueteres historias, & Orientalium populorũ traditiones, primum dicta est Salem: deinde Iebus. postmodum tempore Dauid, qui eiecto inde Iebuseo eius habitatore, postquã septẽ annis quot regnauerat in Ebron, eam ampliauit & regni constituit soliũ, dicta est Hierusalem. Vnde ita legit̃ in Paralipomenon: Abijt ergo Dauid & omnis Israël in Hierusalẽ, hoc est Iebus, ubi erant Iebusæi habitatores terræ: dixeruntq; qui habitabant Iebus ad Dauid, Non ingredieris huc. Porrò Dauid cepit arcem Syon, quæ est ciuitas Dauid: dixitq;, Omnis qui percusserit Iebusæum in primis erit princeps & dux. Ascendit igitur primus Ioab filius Saruiæ, & factus est princeps. Habitauit autẽ Dauid in arce, & iccirco appellata est ciuitas Dauid. ædificauitq; urbẽ in circuitu à Mello usq; ad Gyrum. Ioab autem reliqua urbis extruxit. Postea uero regnãte filio eius Salomone, dicta est Hierosolyma, quasi Hierusalem Salomonis. Hanc uerò, ut referunt egregij scriptores, & illustres historiographi, Egesippus & Iosephus, Iudæorũ id exigentibus meritis, quadragesimo secundo post passionẽ Dñi anno, Titus Vespasiani filius, Romanorum princeps magnificus, obsedit: obsessam expugnauit, et expugnatam deiecit funditus, ita ut iuxta uerbũ Domini, non remaneret in ea lapis super lapidem. Hanc eandem postea Aelius Adrianus, quartus ab eo Romanorũ Augustus, reparauit, unde & ab eodẽ dicta est Aelia, sicut in Synodo Nicea legitur: Episcopus Aeliæ ab omnibus honoret, & cætera. Cũq; prius in cliuo sita esset præcipiti, ita ut in Orientẽ partim, partim in Austrũ tota deuexa respiceret, in latere tam montis Syon, quàm in arce cõstituta: ut solum templum, & præsidium, cui nomen Antonia erat, in sui haberet fastigio, & parte superiore, ab eodem Imperatore in montis uerticem tota translata est, ita ut Dominicæ passionis & resurrectionis locus, qui prius extra urbem fuerat, urbe reædificata, intra murorũ ambitum clauderetur. Est autem ciuitas & minor maximis, & mediocribus maior. forma quidem oblonga, et parte altera longiore, tetragona, cum uallibus, profundum ad modũ ex tribus partibus circumsepta. Nam ab Oriente uallem habet Iosaphat. huius mentionem facit propheta Iohel, dicens: Cum cõuertero captiuitatem Iuda & Hierusalem, cõgregabo omnes gentes, & deducã eas in uallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis super populo meo, & hæreditate mea Israël. Cuius in imo, constructa est nobis Ecclesia in honore Dei genitricis, ubi & sepulta credit̃: et gloriosum eius usq; hodie, accedẽtibus populis, monstratur sepulchrũ. Sub qua etiã et torrẽs Cedron, aquis pluuialibus factus tumidior, hybernis mensibus defluere cõsueuit. cuius mentionẽ beatus Ioãnes Euãgelista facit dicẽs: Egressus Iesus trãs torrentẽ Cedron, ubi erat hortus, & cætera. Ab Austro uerò uallẽ habet prædictæ contiguã, cui nomen Hennon: qui sortis Beniamin & Iuda, in funiculo distributionis limes fuit. sicuti in Iosue scribitur: Ascenditq; per conuallem filij Hennon, ex latere Iebusæi ad meridiem, hoc est Hierusalẽ. & inde se erigens ad uerticem montis qui est contra

cõtra Gehennon ad Occidentẽ: in qua hodie de precio Saluatoris, pro quo Iudas mercator pessimus Dominũ Iudæis tradidit, ager emptus ostenditur, in sepulturam peregrinorũ deputatus, cui nomẽ Aceldemac. De hac etiam ualle in Paralipomenon scribitur ita: Sicq́ sermo de Achaz. Ipse est qui adoleuit incensum in ualle Ennon, et lustrauit filios suos in igne iuxta ritũ gentiũ, quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Israel. Ab occidente uerò eiusdem uallis partem, in qua uetus piscina, quæ tempore regum Iuda celebris fuit, designatur. Indeq́ protenditur ad superiorem piscinam, quæ hodie uulgari appellatione dicitur Lacus Patriarchæ: iuxta uetus cæmiterium, quod est in spelunca quæ cognominatur Leonis. A septentrione uerò plano itinere ad urbem acceditur, ubi usq́ hodie locus in quo protomartyr Stephanus à Iudæis lapidatus, & pro persecutoribus orans positis genibus emisit spiritum, designatur.

Quod partem duorum montium infra muri ambitum contineat, & quod sit in alto sita Ecclesia Dominicæ Resurrectionis, in alto uero Templum Domini, & quæ sit forma utriusq́; Ecclesiæ. Caput III.

Sita est autem in montibus duobus, sicut Dauid cõmemorat dicens, Fundamenta eius in montibus sanctis: quorum fastigia infra muri ambitum ex parte plurima continet, modica ualle distincta, quæ etiam urbem per medium diuidit. Horum alter qui ab occidente est, Syon appellatur, unde plerunq́ & tota denominatur ciuitas. ut ibi: Diligit Dominus partes Syon, super omnia tabernacula Iacob. Alter uerò qui ab Oriente est, mons Moria dicitur, cuius mentio fit in Paralipomenon secundo, hoc modo: Et cœpit ædificare Salomon domum Domini in Hierusalem, in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in loco quem parauerat Dauid in area Orna Iebusæi. In occidentali ergo quasi in supremo montis uertice ecclesia est, quæ nomine montis dicitur Syon: & non longè ab ea turris Dauid, opere constructa solidissimo. quæ quasi præsidium ciuitatis cum turribus muris & antemuralibus sibi annexis, uniuersæ sub se positæ præeminet ciuitati. In eodem quoq́, sed in deuexo quod ad Orientem respicit, sita est sanctæ Resurrectionis ecclesia, forma quidem rotunda: quæ quoniam in decliuo prædicti montis sita est, ita ut cliuus eidem imminens, & contiguus ecclesiæ penè superet altitudinem, reddit obscurum. tectum habet erectis in sublime trabibus, & miro artificio in modum coronæ contextis, apertum & perpetuo patens, unde lumen Ecclesiæ infunditur necessarium: sub quo hiatu patulo saluatoris positum est monumentum. Porrò ante nostrorum, Latinorum introitũ, locus Dominicæ passionis qui dicitur Caluariæ, siue Golgatha, & ubi etiam de cruce depositum Saluatoris corpus, unguentis & aromatibus dicitur delibutum & syndone inuolutum, sicut mos erat Iudęis sepelire, extra prædictę ambitum erant Ecclesiæ, oratoria ualde modica. Sed postq́ nostri opitulante diuina clemẽtia, urbem obtinuerunt in manu forti, uisum est eis, prædictum nimis angustum ædificium ampliare, & ampliata ex opere solidissimo & sublimi admodum ecclesia priore, intra nouum ædificium ueteri contiguo & inserto, mirabiliter compræhenderunt lora prædicta. In altero uerò monte, qui in parte est Orientali, in decliuo eius, quod in

Austrum

Austrum respicit, templum Domini est, in eo ubi iuxta lectionẽ libri Regum et Paralipomenon, Dauid rex, ab Aurema siue Horna homine Iebusęo areã emit. Vbi & præceptum est ei altare Domino ędificare, in quo postmodum obtulit holocausta & pacifica, & inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de coelo, super altare holocausti. Vbi etiam de mandato Domini filius eius Salomon, post patris obitum templum ędificauit: cuiusq; forma fuerit, & quomodo sub Nabuchodonosor Babyloniorũ rege ceciderit, iterũq; sub Cyro rege Persarum à Zorobabel & sacerdote Iesu Magno reædificatũ fuerit, et quomodo illud idem cum uniuersa urbe postmodum sub Tito Romanorũ principe deletum fuerit, ueteres tradũt historiæ. Huius autẽ quis autor fuerit, & quæ compositionis sit forma, in præsenti sufficit edocere. Porrò in principio huius uoluminis, ædificij huius autorẽ diximus Homar filium Catab, qui tertius à seductore Mahometh erroris & regni successor extitit. & ita esse, antiqua literarum monimenta in eodem ędificio intus scripta, et de foris manifeste declarant: forma uerò huiusmodi est. Platea quædã, quantum arcus bis iactare potest, habẽs longitudinẽ, & latitudinẽ tantundẽ, quadrangula & æquis distantibus contenta lateribus, muro circundata est ualido, altitudinis moderatæ. In quam ab Occidente, duabus portis introitur, quarũ altera dicit̃ Speciosa: ubi, secundum quod in Actibus Apostolorũ continet̃, claudum ex utero matris suæ, eleemosynã à transeuntibus petentẽ, consolidatis basibus erexit Petrus. Alterius uerò certũ nomen nõ tenemus. A Septentrione uerò una, ab Oriente quoq; alia, quæ usq; hodie Porta Aurea dicit̃. Ab Austro uerò domum habet Regiam, quę uulgari appellatione Templũ Salomonis dicit̃. Super singulas autẽ portas, quæ urbi sunt conterminæ, & per angulos superficiei turres erant sublimes admodum, in quibus certi superstitionis Sarracenorum sacerdotes, ut populum ad orationẽ inuitarent, ascendere consueuerant: quarũ quædã adhuc sunt, quædam uerò casibus uarijs sunt depositę. Infra hęc septa nemini habitare, nemini etiã introire, nisi nudis et lotis pedibus permittebat̃, ianitoribus per singulas portas constitutis, qui huius rei curam haberent diligentẽ. Porrò in medio huius sic circumseptæ areæ, planities iterum quędã & eminentior, eodem modo quadrilatera à lateribus subiectæ ex omnibus partibus æquedistans. Ad quã à parte Occidentali, duobus locis per gradus, & ab Austro totidem, ab Oriente uerò uno tantum ascendit̃. In cuius singulis angulis, singula erãt oracula: quorum quædam adhuc extant, quædam uerò ut alia ibi constituerent̃, deposita sunt. In huius superioris areæ medio templum ædificatum est, forma quidẽ octogonum, & laterum totidẽ, intus & deforis marmoreis tabulis & opere Musaico decoratum, tectum habens sphęricum, plumbo artificiosè coopertum: harum utraq; platearum tam continens & inferior, q̃ superior & contenta, albo strata est lapide, ita ut hybernis tẽporibus aquæ pluuiales, quę plurimæ de templi descendunt ædificio, quasq; aliunde nõ pauciores excipiunt limpidissimę, et absq; coeno in cisternas defluant, quę plurimę infra septa prędicta continent̃. Intus uerò in medio templi, infra interiorem columnarum ordinẽ rupes est aliquantulum eminentior, cum subiecta ex eodem saxo spelunca, supra quam sedisse angelus dicit̃, qui propter dinumerationẽ populi à Dauid

incautè factã, percussit populum, quousque præceptum est à Domino, ut parcens populo gladium suum conuerteret in uaginã. Vbi postmodum empta sexcentis siclis auri iustissimi ponderis area, altare, ut præmisimus, instruxit. Hæc autẽ ante nostrorum introitum, & postmodum annis quindecim, nuda patuit & aperta: postea uerò, qui eidẽ præfuerũt loco, albo eum cooperientes marmore, altare desuper decorũ, in quo clerus diuina celebrat, cõstruxerũt.

Quod in loco arido & inaquosò sita sit ciuitas. De fonte Siloë. Et quomodo ciues audito nostrorum aduentu, lacus dissipauerunt, & obstruxerunt fontes. Caput IIII.

Dicitur autem regio, in qua prædicta Dei cultrix sita est urbs, Iudæa: dicitur nihilominus & Palęstina prima. Iudęa sanè ab eo, ex quo decem tribus Hieroboam filium Nabath secutæ, à Roboam filio Salomonis discesserunt: solæque duę tribus, Beniamin uidelicet & Iuda, adhæserunt ei. Vnde à cognomento Iudæ, utriusque tribus regio, Iudęa dicta est. Vnde & illud est de Euangelio: Reuertere in terram Iuda. Vnde etiam tam ipse Roboam, quàm eius successores, reges Iuda dicti sunt, cum reliquarum decem, tribuũ reges, reges Israël uel Samarię dicerent. Palæstina, siue quasi Philistina à Philistijm deducto nomine dicit. Dicunt autem tres esse Palæstinæ, quarum prima est, quæ propriè Iudæa dicit, cuius metropolis est Hierosolyma. Secunda, cuius metropolis est Cæsarea maritima. Tertia, cuius metropolis est Bersan, siue Sertopolis, cuius hodie dignitatẽ obtinet Nazarea ecclesia. Siue autem sic, siue sic dicitur, certum est, terræ promissionis & Syriæ portionem esse. quod ex Homelia datur intelligi, qua dicitur: Familiare est Syris, et maximè Palęstinę regioni, quę pars Syrię est, in qua Dominus corporaliter apparere dignatus est, ad omnem penè sermonem suum parabolas iungere. Sed & quasi in umbilico terræ promissionis eadem posita est regio, secundum hoc quod in Iosua terræ promissionis termini describuntur, in qua ita legitur: A deserto & Libano, & flumine magno Euphrate, usque ad mare Occidẽtale, erunt termini nostri. Est etiã locus in quo ciuitas sita est, aridus & inaquosus, riuos, fontes, ac flumina non habens penitus, cuius habitatores aquis tantũ utunt pluuialibus. Mensibus enim hybernis, in cisternis quas in ciuitate habẽt plurimas, imbres solent sibi colligere, & per totum annum ad usus necessarios conseruare. Vnde miramur plurimum, quod Solinus dicit Iudæam aquis esse illustrem. ait enim in suo Polyhistore: Iudæa illustris est aquis, sed natura non eadẽ aquarũ. Nec aliquid nobis pro solutione occurrit, nisi ut dicamus: Aut eum rei ueritatem non esse assecutum, aut terræ pristinam faciem postmodum immutatam. Certum est tamen, quod amicus Domini, Ezechias rex Iuda, cognito aduẽtu Sennacherib, filij Salmanassar regis Assyriorum, fontes qui erãt extra urbes, obturauit. De quo ita legitur in Paralipomenon secundo: Quod cum audisset Ezechias, uenisse scilicet Sennacherib, & totũ belli impetum uerti contra Hierusalẽ, inito cum principibus consilio, uirisque fortissimis, ut obdurarent capita fontium quæ erant extra urbem, & hoc omnium decreuerat sententia: congregauit plurimam multitudinem, & obdurauerunt cunctos fontes, & riuum qui fluebat in medio, dicentes: Ne ueniant reges Assyriorum, & inueniant aquarum abundãtiam. Inter quos pręcipuus erat qui dicebatur fons Gyon, de quo in eodem legitur: Hic est Ezechias,

chias, qui obturauit superiorem fontem aquarum Gyon, & auertit eas subter ad Occidentem urbis Dauid. Gyon aūt locus est ab Austro, in ualle Ennon media Hierusalem positus, ubi hodie est in honore beati Procopij martyris ecclesia, ubi Salomon in regem inunctus fuisse dicitur, iuxta quod in tertio libro Regum legitur ita: Tollite uobiscum seruos Domini uestri, & imponite Salomonē filium meum super mulam meam, et ducite eum in Gyon, & ungat eum ibi Sadoch sacerdos, & Nathan propheta in regē super Israel & Iudam, & canetis buccina, atq; dicetis: Viuat rex Salomon. Id tamen ante prædicti Solini tempora fuisse certum est: nam eum & post Titum Romanorum principem, qui urbem deleuit, & ante Aelium Adrianum, qui eandē reparauit, fuisse, euidenter ex eiusdem Polyhistoris lectione colligitur, in cuius quadragesimo capitulo ita legitur: Iudeæ caput fuit Hierosolyma, sed excisa est: successit Hiericus, & hæc caput esse desijt, bello Artaxerxis subacta. Extra urbem tamen ad duo uel tria miliaria fontes sunt nōnulli, sed & pauci numero, & modicam nimis aquarum ministrantes commoditatem: iuxta urbem tamen à parte Australi, ubi duæ ualles prædictæ se continuant, quasi miliario distans ab urbe, fons est quidam famosissimus Siloë: ad quem, eum qui à natiuitate cæcus fuerat, Dominus misit, ut ibi lauaretur & uideret: fons quidem modicus, in imo uallis scaturiens, & qui nec sapidas, nec perpetuas habet aquas: interpolatum enim habens fluxum, die tantum tertia aquas dicitur ministrare. Porrò ciues præcognito nostrorum aduentu, ora fontiū & cisternarum quæ in circuitu urbis erant, usq; ad quinq; uel sex miliaria, ut populus siti fatigatus, ab urbis obsidione desisteret, obstruxerant: unde postmodum in eius obsidione, infinitas molestias noster passus est exercitus, sicut in sequentibus dicetur. Qui autē intus erant, præter aquarū pluuialium, quam habebant, ubertatem maximam, fontes etiam à partibus deductos exterioribus, & aquæductus inuectos in piscinas duas maximæ quantitatis, quæ circa templi ambitum, exterius tamen, sed intra urbem continentur, recipiebāt: quarum altera usq; hodie Probatica piscina reputatur, in qua olim immolatitiæ lauabantur hostiæ, quæ in Euangelio quinq; porticus dicitur habere, & in quam angelus dicebatur descendere, & aquam mouere, illo effectu, ut qui primus post motionem aquæ descenderet in piscinam, sanaretur. in qua & Dominus paralyticum curatum, grabbatum iussit tollere.

Quo tempore noster exercitus ante urbem aduenerit: & quis fuerit nostrorum, hostiumq́ue numerus: & quo ordine castra sint locata. Caput V.

ANno igit̄ ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo nono, mense Iunio, septima die mensis, nostrorum ante prædictam urbem castrametatæ sunt legiones: diciturq; fuisse aduenientium numerus promiscui sexus, ætatis & conditionis, quasi ad quadraginta milia, inter quos expeditorū uix poterant esse uiginti milia peditum, equites autē mille quingenti, reliqui autē omnes aut inerme uulgus, aut ualetudinarij & debiles. In urbe autē dicebant̄ uirorum fortium & optime armatorum quadraginta milia: conuenerāt enī ex uicinis oppidis, & suburbanis adiacētibus in urbem maxima multitudo, tum ut à facie exercitus in urbem se conferentes, propriæ saluti consulerent: tum ut urbē regiā ab imminentibus protegerent periculis, eam cum armis et

uictualibus cõmunientes. Postquam ad urbem accesserunt, habito diligenti tractatu, unde facilius & cõmodius urbem possent impugnare, cum his qui locorum habebant peritiã, uidentes quod neq; ab Oriente, neq; ab Austro propter uallium prædictarũ profunditatẽ possent proficere, à Septentrione eam obsidere decreuerãt. Ab ea igit̃ porta, quæ hodie dicit̃ Sancti Stephani, quę ad Aquilonẽ respicit, usq; ad eã quæ turri Dauid subiecta est, & ab eodẽ rege cognominabat̃, sicuti & turris quæ in parte eiusdẽ ciuitatis sita est Occidentali, nostri principes castrametati sunt. In quorũ ordine dominus Lotharingiæ dux Godefridus primus fuit, post eum dominus Flandrensiũ comes Robertus, tertium uerò locum D. item Robertus Normannorum comes: quartum uerò locum circa turrim angularẽ, quę ab eodem cognominata est, D. Tancredus, & alij quidam nobiles obtinuerunt. Ab eodem uerò usq; ad portam Occidentalẽ, comes Tolosanus cum suo comitatu urbẽ obsedit. uerùm postea tum propter turrim quæ castris eius imminebat, prædictã portã quasi sub se positam potenter tuebat̃: & propter uallem nihilominus quæ inter urbem & castra eius erat media, uidens quod in ea parte nõ multum posset proficere impugnando urbem, de consilio quorundam prudentiũ, & qui locorum habebant peritiam, super montem in quo ciuitas ędificata est, inter urbem & ecclesiam, quæ dicitur Sion, quę ab urbe distat quantum arcus semel potest iacere, in parte Septentrionali, castrorũ partem transtulit: partem etiam ibidem, ubi prius fuerat derelicta. Hoc autem ea intentione dicitur fecisse, ut facilius ad urbem expugnandam sui possent accedere, & prædictam ecclesiam ab hostiũ iniuria tueri. Is enim locus erat, in quo Saluator cum discipulis coenasse, & eorum lauisse pedes dicitur. Ibidem etiam & spiritus sanctus super discipulos in linguis igneis die sancto Pentecostes descendisse: ibi etiam & pia Dei genitrix mortis soluisse debitũ, ueterum habẽt traditiones. Vbi etiam & protomartyris Stephani sepulchrum usq; hodie designat̃.

Quinta post obsidionem die, urbem impugnant: ductu cuiusdam fidelis in syluas descendunt, trabes deferunt, erigunt machinas. Caput VI.

LOcatis igitur, ut prædiximus, castris à porta Septentrionali, quæ uulgò dicitur Sancti Stephani, usque ad turrim angularem, quæ ualli Iosaphat præeminet, & unde usq; ad oppidum eiusdem ciuitatis angulum, qui super cliuum eiusdem uallis ab Australi sita est parte, & inde usq; ad portam Australem, quæ hodie dicitur montis Sion, ciuitas remansit inobsessa, uix enim eius dimidiũ obsidione claudente. Quinta igit̃ die, postq; ante urbem noster constitit exercitus, indictum est generaliter, & uoce significatum præconia, quatenus omẽs unanimiter à maiore usq; ad minimũ armis instructi, & protecti clypeis, ad urbem impugnandã se accingerent. quod & factũ est: confurgentes em̃ omnes unanimes, tanta circa partes urbis obsessas irruerũt instantia, tantaq; cura & uirtute continuantes congressum, ciues impugnabant, ut effractis antemuralibus, intra muros interiores eos se cum timore recipere compellerent, & de resistendo diffidere cogerẽtur. quod si illa die, in eo urbẽ impugnandi feruore scalas habuissent, aut ad occupanda mœnia machinas aptassent, procul omni dubio ciuitatẽ sibi poterãt uendicasse: cũq; à summo mane usq; circa horam diei septimam in eo facto desudassent, uidentes quod absq;

absq; machinis non multum possent proficere, propositum ad tempus distulerunt, opus autore Dño, consummatis machinis, felicius repetituri. Dumq; circa id principes plena deliberant sollicitudine, ubi apta instrumentis lignea posset reperiri materia (nam adiacēs regio uniuersa nullam huiusmodi uidebatur opportunitatē ministrare) casu affuit quidā fidelis indigena, natione Syrus, qui in ualles quasdam secretiores, sex aut septem ab urbe distantes miliaribus, quosdam de principibus direxit, ubi arbores, etsi non ad conceptū opus aptas penitus, tamen ad aliquem modum proceras inuenerunt plures. Vbi habentes artifices & lignorum cæsores, quantum ad opus prædictum necessariū uidebat, camelis & plaustris impositis, ad urbem detulerūt. Conuocatis ergo artificib. & qui in huiusmodi exercitio maiorē habebāt peritiā, omnē operam adhibēt & studium indefessum, in securi & ascia, & in huiusmodi omnino instrumentorū genere, ex subiecta materia, castella & machinas iaculatorias, quas mangana uel petrarias dicunt, arietesq; simul & strophas ad suffodiendū murum, certatim & summa contexunt diligentia. Dabatur autē artificibus, quibus propriæ non suppetebant facultates, ut gratis possent operā impendere, merces de symbolis quos populi offerebat deuotio. Nam nullius principū ad hoc sufficiebāt copiæ, ut architectis possent ministrare salariū, excepto comite Tolosano, qui perpetuò plus cæteris abundabat. Ipse enim de proprio ærario absq; collatione populi suis artificibus impensas ministrabat necessarias: sed & multis nobilibus, quibus sua defecerāt uiatica, stipendia ministrabat. Dumq; sic circa maiora negotia maiores principes essent soliciti, alij nobiles & præclari uiri erectis uexillis, populum educebant ad loca ubi aliquid frutetorum, & syluæ humilis esse, per indigenas compererant: ut equis, asinis, & omniū iumentorū genere uirgulta deferrent inde & uimina, ut inde crates texerent, et maiora supplerent opera. Feruebat igitur opus, & omnium inuigilabat studium, nec erat in tanto populo deses quispiā, aut qui ocio torpescere permitteretur: sic quisq; aliquid muneris impendebat, sublata differentia, quid quemque secundum suam deceret conditionē. Quicquid enim usui esse poterat, id totū tractare reputabat honestū. Instabant operi simul in unum pauper et diues, nec conditionis reputabatur imparitas, ubi par erat studiū, & in exequēdo opere nō seruor dissimilis. qui maior erat meritis, magis solicitus erat circa frequens ministerium: qui uerò inferior, ad aliquod tamen obsequium admittebatur: pro nihilo reputabant quicquid in toto itinere pertulerant, nisi tanti laboris fructū liceret capere, & urbem introire, pro qua tot casus sustinuerant aduersos: leue iudicabāt quicquid mandari poterat, dum ad id tantummodo cooperari crederet, ut uoti compotes fieri mererentur.

Siti populus frangitur. dumq; aquas quærunt, longè positas, & reliqua uitæ necessaria, ab hostibus perimuntur frequenter. Caput VII.

INterea siti fatigabat exercitus uehemētissima. Nam, ut prædiximus, locus ciuitati adiacens aridus est, & inaquosus, riuos aut fontes, uel etiam puteos aquarum uiuentiū nisi remotos, non habens aliquos, cosq; ipsos audito nostrorū aduentu, ut locus ad continuandā obsidionē redderet ineptior, iactu pulueris & modis alijs quibus poterant, oppilauerant uniuersos: sed et cisternas &

nas & pluuialium aquarum receptacula aut dissipauerāt, ut aquas non ualerent cohibere: aut de maliria occultauerant, ne indigentibus & populo sitienti, remediū ministrarent. Ciues tamen Bethleemitę & qui apud Thecnā prophetarum urbem habitabant uiri fideles, frequētes erant in exercitu, quorū ducatu utebat populus egrediens ad fontes, qui per quattuor uel quinq; miliaria ab obsidione distabant: unde cum difficultate nimia, inuicem se cōprimentibus & undas haurire prohibētibus, post moras longissimas, quas sibi mutuis improbitatibus innectebant, aquas in utribus deferebāt lutulentas, quarum haustu quo uix sitiens semel refocillari posset, anima multo precio uendebatur. Sed & Siloë fons urbi conterminus, de quo suprà fecimus mentionem, cum neq; perpetuas aquas haberet, & easdē certo tempore funderet insipidas, populo laboranti nō poterat sufficere. Augebat deniq; sitis importunitatem, & angoris geminabat molestiam, æstatis inclemētia & ardens Iunius: labor quoq; & excitatus puluis, oris & pectoris ariditatē prouocabat. Dispersi ergo & seorsim egredientes, aquas diligenti perscrutabantur indagine: & dum cum paucis se arbitrabantur quæsitos inuenisse latices, subitò ingens occurrebat turba, idem habens propositum, ita ut inuētis fontibus inter eos nonnunq; oriretur seditio: & dum mutuò se præpedirēt, plerunq; ad pugnam ueniret. Qui tamen pedites erant, hi sibi quocunq; modo aquis inuentis parcè utentes, poterant sibi procurare remediū. uerū hi quibus equorum ingens erat numerus, cū difficultate maxima, sitibundos equos per tria uel quattuor miliaria educentes, adaquare poterāt. Neglecta porrò animalia & quibus domini sui prouidere nō poterāt, per campos lento gradu & deficientibus uiribus uagātia, equi uidelicet, muli, asini, sed & greges & armenta siti & ariditate consumpta, in seipsis deficiebant, tabescentia & liquefacta interius moriebantur: unde in castris foetor erat maximus, & pestilens & periculosa nimis aëris corruptela. Non uidebat in hac obsidione, improbæ sitis molestia minus populum fatigare, quàm circa Antiochiā uictus inopia macerauerat eundem. Porrò uictum & ad opus equorū pabula per adiacentia suburbana discurrētes, incautè dispersi, securè minus per regionē uagabant. unde cognitis eorum discursionibus urbani, per partes inobsessas clàm egredientes, occurrebāt aliquotiēs, multosq; ex eis interficiebāt, sæpius equos secum deducētes: nōnullos etiā plerunq; saucios, fuga elapsos, casus eripiebat prosperior. Imminuebatur singulis diebus nostrorū numerus, & ei quod hesterna dies habere uidebat, sequens aliquid detrahebat, dum casibus uarijs, quibus mortalis subiacet infirmitas, penè cottidie multi deperirent: nec accedebāt aliunde, qui loca deficientiū suppleret, uel officia. Hostiū uerò uersa ui ce augebant uires, multiplicabant auxilia, quę per partes inobsessas liberū in urbē habebant introitū, & in nostrorū perniciē ciuibus adiungebantur.

Ciues machinas construunt, ad resistendum se præparant: fideles, qui cum eis erant, angarijs afficiunt. Caput VIII.

CVm igitur circa construendas machinas, cōtexendas crates, scalas cōnectendas, uniuersus noster desudaret exercitus, & circa id plurimū sollicitaretur, ciues nihilominus, ut argumentis argumenta repellerent, omnē impendebant uigilantiā, & tota cura se erigebant ut uiam inuenirent, per quam

possent

possent resistere. Habentes itaq; sufficientē lignorum et arborum procerarū materiā, quam cum multa diligētia ante nostrorū aduentum, ad urbem communiendā satis abundante cautela cōportauerant, machinas interius nostris æquipollentibus, sed meliore cōpactas materia, certatim erigebant: id toto studio procurātes, ne in huiusmodi instrumentorū genere, uel arte uel materia reperirētur inferiores. sed & cōtinuas super murum & in turribus habentes excubias, uniuersa penè quę fiebāt in exercitu, maximè quę ad huiusmodi instrumentorū spectabant artificia, diligentissimè considerantes, maioribus pandebāt ciuitatis, ut arte æmula & cuncta imitari satagente, ipsi nostrorum moliminibus ex æquo responderēt: eratq; satis facile. Nam & artificū & instrumentorū fabrilium, ferri quoq; & æris funium & cæterorū, quæ ad huiusmodi solent esse necessaria, multo maiores habebāt intus, q̄ nostri deforis copias: nec solū in eo ciues edicto publico cōpellebantur labore, uerum etiam fidelibus qui cum eis habitabant, seruilē & extremā conditionem sustinentibus, angarias infligebant insolitas, & grauibus affligebāt perangarijs. Nec solum præstationibus eos macerabāt uiolentis, uerùm ad uincula trahebant & carceres, suspectos eos habentes tanq̄ nostris fauerent, & eis statum & secreta referarent ciuitatis. nec erat de fidelium numero ausus quispiā murū ascendere, aut cōparere in publico, nisi aliquibus onustus necessarijs quasi iumentum traheretur. Hi enim cogebant et onera portare: et qui alicuius artificij habebat experientiā, operas cōpellebantur impēdere fabriles. Ad leuem etiā cuiuslibet delatoris calumniam, rapiebant ad supplicia: et eos qui ex uicinis oppidis & finitimis ciuitatibus se in urbē contulerant, hospitio cogebant recipere, & eis necessaria ministrare: cumq; domesticis & familiaribus eorū substantia ad uictum tenuē & miserū non sufficeret, angariebant tamen exteris bona cōmunicare sua, ita ut ipsi indigerēt primi. Ad hoc, etsi ad opera publica aliquid erat necessariū, primùm ante omnia fideliū domus effringebantur, ut si in eis tale quid reperiretur, uiolenter extorquerent ab eo cuius erat domicilium. Vocati porrò quocūq; loco uel tempore, siue nocte siue interdiu, si quocunq; ex casu moram innecterent, ut primā citationē sine temporis interuallo minus sequerent, rapiebantur ignominiose per barbā & capillum, ita ut etiam hostium eorum misera conditio posset lachrymas excitare. miseriarum deniq; & laborum ponderis immensi, neq; numerus erat, neq; finis. Vnde & supra modum fatigati, in supremum iam deuenerant defectum: ita ut magis mori optarent in Domino, quàm uitam continuare temporalem. uita enim eorum miserabilis minimum distabat à morte, cum nec sumendæ refectioni semel in die tempus indulgeretur, nec sopori necessario uel ad modicum requies præstaretur: quicquid sinistri accidebat, illis imputabatur totum. non erat illis à proprijs penatibus in publicum exitus, aut introitus in propria à suspicione liber: quorumlibet patebant calumnijs, & cuilibet dabatur ad eorum accusationem locus.

Classis Ianuensium apud Ioppen applicat, mittuntur de exercitu qui eos ad obsidionē deducāt: patiuntur in itinere, qui missi fuerant, hostium insidias. Caput IX.

INterea dum hæc circa Hierosolymam in obsidione geruntur, affuit nuncius qui naues Ianuensium in portu Ioppensi applicuisse nunciaret, petens à

principibus, ut de exercitu aliqua dirigeretur militia, cuius ducatu et uiribus ij qui appulerant, ad urbem possent accedere. Est autem Ioppe ciuitas maritima, de qua Solinus in xxxix de Memorabilibus mundi capitulo, sic ait: Ioppe oppidum antiquissimum orbe terrarum, utpote ante terrarum inundationem conditum. Id oppidum saxum ostentat, quod uinculorũ Andromedæ uestigia adhuc retinet, quam expositam belluæ non irritus rumor circumtulit. Quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula, in ædilitate sua Romæ publicauit. Annalibus nota res est. In M. Suræ quoq; ueracibus libris continetur scilicet, quod costarum longitudo excesserat pedes quadraginta, sublimitas autem elephantis Indici eminentior fuerit: porrò uerticuli spinæ ipsius latitudine semipedẽ sunt supergressi. Idipsum & Hieronymus in epitahio sanctæ Paulæ testatur his uerbis: Vidit & Ioppen, fugientis partum Ionæ. Et ut aliquid perstringã de fabulis Poëtarum, religatæ ad saxum Andromedæ spectatricẽ. Accidit uerò, ut iuxta eorum postulationem de cõmuni consilio, D. Comes Tolosanus, qui cæteris amplius abundabat, quendam nobilem de suo comitatu, cui nomen Goldemarus, cognomento Carpinnellæ, cum triginta equitibus, & peditibus quinquaginta illuc dirigeret: qui postquã profecti sunt, uidentes principes, quod qui missi erant non sufficerent, iterum eundem Comitẽ rogauerunt, ut illuc dirigeret plures: qui eorum monitis acquiescens, uiros egregios et insignes, Raymundum Pelet, & Vuilhelmũ de Sabran, cum quinquaginta equitibus post eos qui prius egressi fuerãt, iterum ad opus prædictum destinauit. Goldemaro, qui prius egressus fuerat, postquã in campestria quę circa Liddam & Ramulam sunt, descenderat, occurrerunt hostium sexcenti: qui in eos protinus irruentes, de eius equitibus interemerunt quattuor, & de peditibus multo plures: dumq; nostri quocunq; modo resisterent, & licet pauci essent, ad conflictum se hortarentur mutuò, accidit ut qui subsequebant prædicti duo nobiles uiri, cum omni celeritate adessent, & antequã eorum dissoluerẽt congressus, prędicto se inferunt negocio. unde factum est, ut coniunctis nostris adinuicẽ, affuerit uirtus diuina, & hostibus insistentibus, cęsis ex ęorum numero ducentis, reliquos in fugam adegerunt. Ceciderunt tamen in eo conflictu nobiles uiri, Gisbertus de Trena, & Aycardus de Montmersa: quorum casus postq; innotuit nostris expeditionibus, non mediocrem intulit mœstitiam: nostri uerò cum palma concessa sibi diuinitus, Ioppen iuxta eorum propositũ peruenerunt incolumes, ubi à prædictis nautis cum ingenti suscepti lætitia, mutua caritate & gratis confabulationibus recreati sunt adinuicem. Dumq; ibi moram facerent aliquam, quousq; illi qui in nauibus uenerant, sarcinas composuissent, & se aptassent ad iter, subitò de nocte, Aegyptiorum classis, quæ apud Ascalonam delitescebat, nocendi locum operiens, circa eandem urbem affuit. quod cum nostris cõpertum est, ad mare accedentes, naues prius tentauerunt ab hostium insidijs protegere: sed cognoscentes postmodũ, quod eorum multitudini non possent resistere, sumptis uelis & funibus & cęteris earum armamentis, & cum omni suppellectile sua egressi, in præsidiũ loci se contulerunt. Vna aũt ex eis, quæ prædatum abierat, dum onusta spolijs in locum

locum rediret eundẽ, cognoscentes quia classis hostiũ portum Ioppensem occupauerat, flatibus aucta prosperis Laodiceã peruenit. Erat autẽ Ioppe per idem tempus uersa in solitudinẽ, & habitatoribus uacua: eius enim ciues modico ante nostrorũ aduentũ tempore, de eius munitione diffidẽtes, locum deseruerant, nostri uerò non nisi arcẽ conseruabant. Rebus igitur cõpositis ad iter succincti, præuia militia quæ ad eum usum descenderat, ut eis ducatũ impenderet, cum omni substantia sua Hierosolymã profecti sunt: ubi à legionibus gaudenter excepti, maximã cõsolationem castris attulerunt. Erant enim uiri prudentes, & nautarũ more architectoriæ habentes artis peritiam in cædendis, dolandis et copulandis trabibus, erigẽdisq́; machinis expeditissimi. Sed et multa alia, ijs qui in expeditione erãt modis omnibus profutura, secum attulerant argumenta: ita ut quod ante eorum aduentũ, uix & cum difficultate speraretur effectui posse mancipari, per eorum operam facile compleretur.

Qui in classe aduenerant, ad exercitũ se conferunt, & in erigendis machinis plurimas præstant cõmoditates. Pacificantur ad inuicem Tolosanus & Tancredus. Caput X.

At uerò qui in expeditione remanserant, cœpto fideliter instantes operi, & in erigendarum studio machinarum se tota diligentia continuantes, opus iam ex maxima parte peregerũt. Dux enim & duo Comites, Normannorum uidelicet & Flandrensis, quendam egregium & magnificum uirum, dominum uidelicet Congastonem de Beari, operi præfecerunt, & super artifices ne se haberent negligentius circa propositũ, curam rogauerunt eum impendere diligentem. Ipsi uerò egrediebantur sæpius populum educentes in manu forti, ut ligna cæderent, & cæsa ad opus ædificiorum cõpararent. Alij uerò uirgulta frutices & uimina, & minorũ ramos arborum cædentes, ut ex eis crates fierẽt, ex quibus machinę operirent exterius, certatim cõgerebant, animaliũ tam occisorũ tam præ sitis ariditate deficientiũ detrahebant coria, & mundorũ siue immundorũ indifferẽter, ut ex eis super crates protegerentur machinæ, ne forte ab hostibus ignis immissus ædificia posset consumere. Nec solũ circa partẽ septentrionalẽ ducis studio, & prædictorũ comitum duorũ opus ita feruebat, uerumetiã & à turri angulari usq; ad portã occidentalem, quę est sub arce Dauid, D. Tancredus, et alij nobiles plurimi, qui in ea parte castra locauerant, non inferiore sollicitudine eidẽ instabant operi, curã impendẽtes diligentissimã. Sed in parte Australi domini Comitis Tolosani exercitus, et cuncta familia indefesso studio, & cũ omni diligentia circa idem sollicitabatur negotiũ: eoq́; feruẽtius, quo et ditior erat, et maiores ei de nouo tã hominũ q̃ rerũ necessariarũ accesserũt copiæ: quotquot enim de nauibus aduenerãt eius se adiũxerũt castris, et suppellectilẽ intulerãt ad opus ædificiorũ ualde necessariã. Funes enim et malleos et alia instrumẽta ferrea secũ habentes, sed optimos artifices qui in cõstruendis erigẽdisq́; machinis, ut prediximus, multã habebãt experientiã, ad consummationẽ operis multũ pręstiterũt cõpẽdiũ. Pręerat aũt Ianuẽsib. qui aduenerãt, quidã nobilis Vuilhelmus nomine, cognomento Ebriacus, cuius in operis artificio multa pollebat industria. Cũq́; iã per quattuor hebdõadas id uniuersus desudasset exercitus, multo labore iã ad cõsumationis peruenerãt negotiũ. Vnde cõmunicato cõsilio principes, urbis impugnationi diẽ præfixerãt: sed quia inter D. Tolosanũ comitẽ & domi-

& D. Tancredum grauis intercesserat simultas, & inter cæteros etiam nonnullos, ex caussis quibusdã exortæ erant inimicitiæ: placuit principibus, episcopis, clero & uniuerso populo, ut prius renouata inter eos plenius charitate, diuinum sinceris mentibus implorare possent auxilium.

Inducuntur populo Letaniæ. In montem Oliueti ascendit uniuersus populus. Caput XI.

Die igitur statuta, de publico decreto indictæ sunt uniuerso populo Letaniæ, & assumptis crucibus & sanctorũ patrocinijs, episcopi & clerus uniuersus inducti sacerdotalibus & leuiticis indumentis, nudis pedibus & cum multa deuotione populum subsequentẽ, usq; ad montem Oliueti præcesserunt. Vbi uir nobilis Petrus Heremita, & Arnulphus Normannorum Comitis familiaris, uir literatus, exhortationis sermonem habentes ad populum, in quantũ poterant ad longanimitatẽ animabãt. Est autẽ mons Oliueti urbi ab Oriente oppositus, ab urbe quasi miliare distans, ualle Iosaphat interiecta. unde est, quod à beato Luca dicitur: Ab Hierosolymis iter habens sabbathi. unde et Saluator noster, cernẽtibus discipulis, quadragesimo resurrectionis suę die est eleuatus in cœlũ, & nubes suscepit eum ex oculis eorum. Ad quem locũ cum peruenisset plebs fidelis, in spiritu humilitatis & animo contrito, implorato cum gemitu & lachrymis desupernis auxilio, reconciliatis ad inuicem principibus prædictis, & omni populo in mutuã charitatem reuocato, de monte descendentes, ad ecclesiam montis Sion, quæ in Australem eiusdem ciuitatis partem, secus urbem, ut prędiximus, in montis fastigio sita est, ascenderunt. Ciues aũt & à turribus & muro positi admirantes, quid sibi uellet huiusmodi populi circuitus, arcubus & balistis tela in turmas iaculabantur: unde nonnulli incautius se habentes, uulnera susceperunt. Sed & cruces in nostrorum opprobrium & contumeliã, quas super murum locauerant, sputis & alijs immundis actionibus ignominiosè tractantes, in Dominum nostrum Iesum Christum, & eius salutiferam doctrinã conuicia, et uerba blasphemię impudenter cõgerebant. Populus tamen cum omni deuotione uotũ prosequẽs, ira succensus, qualẽ sacrilegij dolor poterat ministrare, ad prędictam peruenit ecclesiam. Vbi completis iterum orationibus, et indicta die, qua urbem unanimiter impugnarent, circumdata urbe, in castra reuersi sunt. Si quid autem operis cõsummationi deerat, cum multa celeritate id maturare præcipitur, ne quid impedimenti ex aliqua imperfectione urbem impugnare uolentibus occurreret.

Dux, & duo maiores de nocte castra sua transferunt. pergunt ante urbem, eriguntur machinæ. Caput XII.

Adueniente igitur die ad impugnandã urbẽ præfixa, ea nocte quæ diem proxima pręcedebat, Dux & pręedicti duo maiores Comites, uidẽtes quòd ea pars ciuitatis quã ipsi obsederant, à ciuib. esset machinis, armis, et uiris fortibus maximè cõmunita, eoq; fortius quo magis ex ea parte timendũ arbitrabanẽ, et quod in ea parte die sequẽti, ob loci munimẽ, nõ multũ sperarẽt se posse proficere, mirabili prouidẽtia & stupẽdo labore machinas, & castellũ anteq; cõnecterenẽ ad inuicẽ membra, ad eã regionẽ, quæ est inter portã sancti Sephani, & turrẽ angularẽ, quæ à septentrione super uallẽ Iosaphat posita est, particulatim transtulerãt, castris etiã illuc delatis. Videbanẽ enim eis

& uerè

& uerè sic erat, quòd quia ex illa parte ciuitas remāserat inobsessa, idcirco et à ciuibus minore seruaretur diligentia. factúq; est, ut translatę machinæ, continuatis tota nocte uigilijs, ante solis exortū cum multo labore cōpactæ sunt, & congruis stationibus collocatæ. Sed & castellum in ea parte, qua murus uidebatur humilior, & deforis planior, & cōmodior accessus, mœnibus ita applicatum est, ut qui erat in turribus & qui in machina penè posse pugnare cominus uiderentur: nec fuit sanè labor modicus. Nam penè dimidium miliare ab eo loco, in quo prius castra locauerant, prædicta transtulerant instrumenta, & ibidem antequam sol exoriretur compactis ad inuicem membris, erexerant. Sole autem exorto, accedentes ad murum ciues, ut quid extra molirentur nostri conspicerent, partem castrorum & omnem apparatum bellicum, qui heri & nudius tertius ibi uisus fuerat, abesse cum stupore admirati sunt. & circumspicientes cum omni diligentia adiacentem regionem, & muri ambitum perlustrantes cognouerant castra ducis translata esse, & erectas in parte, qua prædiximus, machinas speculati sunt. Eadem quoque nocte & circa alias urbis partes, prout in diuersis (ut prædiximus) locis castra posuerant, uigilias & laborem continuantes, machinas suas erexerant. nam penè eodem momento, & Comes Tolosanus castellum, quod cum multo studio fabricauerat, in prædictam ecclesiam montis Sion, & urbem muro applicauerat. Reliqui principes qui secus turrim angularem, quę hodie Tancredi dicitur, eadem diligentia & pari laboris pondere, eiusdem penè altitudinis & soliditatis ligneam turrim iuxta murum locauerant. Erat autē partrium prędictarum machinarum effectus, & non dissimile artificium. cum enim quadrilatera essent ædificia, latus quod urbi erat oppositum, duplici erat textura munitum, et exterior arte quadam deponi poterat, ita ut muro superpositum, uicem pontis introire uolentibus posset exhibere. Nec tamen ex ea parte munita erat machina: sed quod suberat, anteriore deposito, castellum non minus quàm latera reliqua communiebat.

Impugnatur ciuitas, & uehementissimus hinc inde fit conflictus, sed nox interposita litem diremit. Caput XIII.

Adolescente igitur die, iuxta condictum ad urbem impugnandā affluit nostrorum uniuersa armis accincta multitudo, omnes unū & idem habentes propositū, aut animas pro Christo deponere, aut urbē Christianæ restituere libertati. Nō erat in tāto populo senex aut ualetudinarius atq; ætate iunior, quē nō moueret zelus, et deuotionis feruor nō accenderet ad pugnā: sed & mulieres oblitæ sexus, & insolitæ fragilitatis immemores, tractātes uirilia, supra uires armorū usum apprehendere pręsumebāt. Accedentes igit̄ ad pugnā unanimes, pręparatas machinas nitebant̄ muro propius adiūgere, ut facilius eos qui à turrib. et à muro residebāt, animosius possēt impugnare. At uerò ciues propositū habētes aduersantibus omnino resistere, telorū ictu, sagittarū immissione, innumerabiliū cōtorsione lapidū, tam de manibus emissarū, quàm qui ex machinis iaculatorijs cū horrendo impetu torquebant̄, nostros ab accessu muri propellere satagebāt. Nostri uerò nihilo segnius protecti clypeis, & obiectis cratibus, tā arcubus q; balistis tela immittētes frequentia, & pugillaria cōtorquentes, saxa ad murū accedere nitebant̄ imperterriti,

his qui in turribus erāt requiem denegantes, & resistendi audaciam. Alij uerò infra machinas constituti, aut castellum propius promouere nitebantur, aut iaculatorijs molares maximos ad mœnia dirigentes, ipsa collisione frequenti & ictibus continuis debilitare,& ad casum impellere nitebantur. Alij uero minoribus tormentis, quæ mangana uocantur, minores immittendo lapides,eos qui erant in propugnaculis à nostrorum infestatione compescere satagebant. Verùm necp hi, qui ad promouendum castrum dabant operam,iuxta uotum satis poterāt proficere, cum uallum ingens & profundum quod antemurali erat suppositum, accessum machinæ plurimū impediret: nec qui tormētis mœnia perforare nitebantur, satis eorum labor proderat. nam ciues à propugnaculis,stramine & palei plenos saccos suspenderant,restes quocp & tapetia,trabes ingētis magnitudinis, & culcitras refectas bombice,& à turribus & muro aliquantulum dimiserāt,ut per eorum molliciem & mobilitatem contortorum molarium ictus eliderent,& laborantium eua cuarent conatum.Præterea & ipsi interius machinas erexerant nostris multo plures,quibus sagittando & immittendo lapides nostros ab opere deterrebant incepto.Instantibus igitur tota animositate hinc inde partibus,et omni decertantibus conatu, horrendus & supra hominum opinionem terribilis à mane uscp ad uesperam se continuauit conflictus,& cōgressio pertinax, ita ut instar grandinis super utruncp populum telorum & sagittarum descenderet multitudo,& emissi cautes in ipso aëre mutuò se colliderent,& caussas mortis uarias & multiplices irrogarēt pugnātibus. Porrò par labor & idem periculum erat,tam ijs qui sub duce,quàm qui sub Tolosano & sub alijs etiā militabant principibus. Nam in locis tribus, ut præmissum est, pari studio & feruore non dissimili ciuitas impugnabatur. Nostris uerò ut uallum iactu ruderum,lapidum quocp & terræ implere possent,& iter dirigere ut procedere possent machinæ,cura erat propensior. Ciuibus uerò uice uersa, ut eorum impedirēt propositum, labor erat præcipuus,& magis ingens sollicitudo. Vnde & ij qui ad prædictum opus accingebantur, quanta poterant resistebant instantia, & in ipsos machinas, torres incensos,tela ignita sulphure, pice,pasta & oleo,& ijs quæ incendio solent fomenta ministrare,ut eos exurerent,certatim iaculabantur.Præterea & ingentium quos intus parauerant tormentorum ictus in castella nostra tanta dirigebant arte, ut machinarum penè crura confringerent,perforarent latera:& eos qui in cœnaculis, ut inde urbem impugnarent,ascenderant,pronos ad terram deijcerēt attonitos. Nostri uerò iniectis ignibus corruentes, aquas desuper fundebant copiosius,ut incendiorum comprimerent importunitatem.

Nocte illa in multa anxietate tam obsidentes quàm obsessi uersantur. Caput XIIII.

HVnc igitur tam periculosum procacemcp nimis,& adhuc ancipitem utriuscp partis cōflictum,nox diremit interueniens. Et licet corpora qualem qualem per noctis intempestum uiderentur habere requiē,animi tamen cura immoderata peruigiles,nihilo remissius laborabant. Frangebantur interius mordaci mentes sollicitudine,& propositi memores æstuabāt, lucem expectantes auidissimè,ut iterum redirent ad certamen,& præliorum experirentur fortunam, spem habentes in Domino, quod palmam & meliorem essent

essent reportaturi calculum. Angebantur tamen plurimum, timētes ne clàm in eorum machinas hostes quocunq; pacto procurarent incendia: unde continuas exegerunt uigilias, noctem illam penitus trahentes insomnē. Ciues autem nihilominus curis torquebantur edacibus, formidantes plurimū, ne hostes quos tanta uiderant proteruitate instantes, sumpta occasione ex noctis intempestæ silentio, effracto muro, uel scalis adhibitis, clàm urbem ingrederentur. Vnde solicitudine nō pigri, sed diligenti uigilantia, tanquam quibus res erat pro capite, feruentes tota nocte muri circumibant peribolon, præfectis uigilum in singulis turribus constitutis. Praeterea & qui maiores erant natu, & quibus reipublicæ erat cura propensior, plateas ciuitatis circuibant, alios admonentes, pro uxoribus & liberis, pro rebus domesticis, & statu publico se exhiberent peruigiles, portas & uicos perlustrarent, ne qua hostium uia pateret in insidijs. His igitur curis pars angebatur utraque, nec quietis locum solicitudo peruigil patiebatur adesse. Deterius erat partibus cessante conflictu, animis æstuantibus, nec habentibus requiem, quàm pridie fuerat, dum in prælio desudaretur.

Sequenti die redeunt in idipsum, & solito uehementius impugnatur ciuitas. Pereunt uenefice, qui nostrā machinam fascinatum uenerant. Caput XV.

NOcte igitur in curam die procliuiore finita, cum iam aspirantis diei aurora nunciaret exortū, animatus est cum omni auiditate populus iterū ad certamen. Reuertebať porrò quisq; ad officium, cui hesterna die fuerat deputatus. Quidam enim infra machinas positi iaculatorias, ingentis molares magnitudinis, & soliditatis exquisitę, in mœnia cōtorquebant: alij in castella inferius positi, ad ipsum promouendum tam arte quàm uiribus operam dabant omnimodam. Alij in supremo constituti cœnaculo, arcubus et balistis, & quolibet missilium genere eos qui erant in turribus lacessentes, quanto poterant studio, & indefessa instantia, ut nec manū auderent exerere, infra propugnacula coërcebant. Alij uerò, ut uallo conplanato, & effracto antemurali, castellum mœnibus propius posset applicari, omnem adhibent solicitudinem. Alij porrò, quorum turba erat plurima, sagittis & iactu lapidum ciues arcebant à propugnaculis, ne per eos qui in producenda machina desudabant, ministraretur impedimentum. Ciues autē, quo maiorem nostrorum uidebant instantiam; eo diligentius in contraria se attollebant argumenta, ut uim uiribus, & artem simili propellerent artificio. Nam & impugnantibus æquipollenter tela remittebant & lapides, & his qui castellum promouere satagebant, admirabili strenuitate præstabant impedimentum. Et ut semel omnium nostrorum eluderent molimina, ignem incessanter in ollis fragilibus, & quibuscunque modis poterant, cum sulphure, pice, & aruina, & adipe, stupa, cæra, lignis aridis, & stipula, & quæcunque solent incendium irritare, & ignibus ministrare fomitem, iaculabantur. Fiebat igitur in utroq; populo strages maxima, & de utraq; classe uarijs casibus & euentibus inopinatis plurimum sternebantur. Alij enim machinarum iactu in frusta conterebantur minutissima: alij trans loricas & clypeos, sagittis & telorum multiplicitate concussi, subitò deficiebant corruentes: alij pugillaribus manu missis, uel funda cautibus elisis, aut moriebantur protinus, aut attritis mem-

bris, per multos dies, aut in perpetuum reddebantur inutiles. Nec tamen his omnibus periculis ab opere deterrebantur incepto, nec congrediendi feruor his omnibus in eis poterat mitigari: nec erat difficile discernere, uter cum maiore studio decertaret populus. Sed nec silētio prætereundū credimus, quod eadem die relatione dignum dicitur accidisse. Erat sanè nostris exterius una inter cæteras machina, quæ saxa miri ponderis in urbem multa uiolentia & impetu immittebat horribili, quæ stragem in populo ciuium operabatur multiplicem: contra quam cum nulla arte possent proficere, duas adduxerunt maleficas, ut eam fascinarent, & magicis carminibus redderent impotentem: quę dum suis præstigijs instarent super murum, & incantationibus, repentè ex eadem machina molaris immissus, utramque illarum cum tribus puellis, quę illarum gressum fuerāt comitatę, obtriuit, & excussis animabus, de muro inferius deiecit exanimes. Vnde in castris factus est plausus, & ingens exultatio, ciuibus autem ingens ex aduerso creuit mœstitia.

Datur signum à monte Oliueti diuinitus: & populus qui fatigatus erat, redit in pugnam acrius. Caput XVI.

CVm igitur usque in horam diei septimam, sine certa uictoria anceps & dubium satis protractum esset negotium, desperantes nostri, & immensitate laboris defatigati supra uires, cœperūt instare remissius: ita ut iam propositum haberent castellum continuis penè ictibus confractum, & alias machinas igne recepto iam fumantes, reducere pusillum, & conflictum usq; in diem differre crastinam. & iam paulatim diffidens dilabebatur populus, animis penè dissolutis, & hostibus insultantibus & prouocātibus ultrò ad prælia nimis procaciter & amplius solito: cum ecce adfuit uirtus diuina, quæ rebus desperatis necessariam, & pro uotis hilariter intulit cōsolationem. Nam de monte Oliueti miles quidam, qui tamen postea non comparuit, splendidum & refulgentem uentilando clypeum, signum dabat nostris legionibus, ut redirent in idipsum, & congressionē iterarent. Quo signo exhilaratus animo dux Godefridus, qui cum fratre suo Eustachio in superiore castelli nostri cœnaculo ad urbem impugnandam, & ad cautius tuendum ædificium erat constitutus, populum & maiores cœpit ingentibus reuocare clamoribus. Factumq; est, præuia Domini misericordia, quod uniuersus cum exultatione ad pugnam reuersus est populus, cum tanto feruore, ut tanquam uiribus integris de nouo incipere uiderentur prælium. Denique qui prius aut fessi, aut læsi uulneribus operam subtraxerant, nunc receptis animis, & uiribus geminatis ultrò se offerebant, instantes animosius. Porrò principes, & qui columnæ uidebantur exercitus, hi alios præcedebant, & suo exemplo reddebant animosiores. Sed & mulieres, ne tanti expertes laboris esse uiderentur, uiris in agone desudantibus, potum, ne deficerent, ministrabant in uasculis, & uerbis efficacibus eos ad certamen animabant. Porrò tanta erat in castris lætitia, ut iam quasi certi de uictoria, infra horæ spacium uallo complanato, et effracto antemurali, castellum muro uiolenter applicarent. Ciues autem, ut prædiximus, trabes proceræ longitudinis, & soliditatis multæ à muro suspenderant, ut machinarum ictus eliderent, quarum duas nostri qui erant in castello præcisis funibus, quibus erant religatæ, deiecerūt in terram: quas,

quas, qui erant inferius, cum multo periculo suscipientes, infra machinam detulerant, easque demum ponti, quem statim, ut dicetur in sequentibus, de castello super murum erexerant, ad maiorem subiecerunt soliditatem. Ex fragilibus enim pons contextus erat lignis: nec nisi horum subiecto adminiculo, populum transeuntem sustinuisset.

In parte Australi comes Tolosanus cum suis urbem nihilo segnius impugnat. Caput XVII.

INterea uerò, dum hæc in Septentrionali plaga tanto studio tractarentur, comes Tolosanus, & qui cum eo erant in parte Australi, quanta poterant instantia, eodem zelo feruentes, urbē impugnabant: completoque uallo, circa quod opus per continuum desudauerant triduum, castellum in manu forti, iuxta murum locauerant, ita ut qui in turribus erant & machina, penè possent se mutuò lanceis uulnerare. Erat ergo par utrobique populi feruor, & instantia non dissimilis: eoque diligentius instabāt operi, quod ea esset dies, qua quidam Christi seruus, qui in monte Oliueti habitabat, confidenter promiserat urbem esse capiendam. Sed & signum quod ipsi agitati clypei ab eodē monte Oliueti uiderant, eos uehemēter accenderat, et reddiderat de obtinenda uictoria securiores. Videbantur porrò utriusque exercitus æquis passibus procedere negotium, tanquā ab eodem autore pari diligentia procuraretur, qui mercede condigna, seruorum suorum deuotionem remunerare decreuerat. Tempus enim erat, ut tanti laboris fructum, & militiæ fideliter exhibitæ stipendia reportarent.

Dux & qui cum eo erant, à castello ligneo pontem super murum deponunt: suos immittunt. Vrbs capitur: porta aperitur, & noster inducitur exercitus. Caput XVIII.

IGitur Ducis & Comitum legiones, quæ ut prædiximus, in parte Septentrionali urbem impugnabāt, eousque opitulante Domino profecerāt, quod hostibus defatigatis, & iam resistere nō ualentibus, effractis antemuralibus, & uallo penitus complanato, ad murum impunè poterant accedere, rarò audentibus aduersarijs eis per cancellos aliquid irrogare iniuriæ. Qui uerò in castello erāt, hortante Duce, in culcitram bombice plenam, & saccos plenos stramine ignem iniecerant, qui flante borea, accensus fumum intra urbem intorquebat caliginosum: quo instante proteruius, qui murum defendere tenebantur, ora uel oculos non ualentes aperire, stupidi & fumidæ caliginis turbati uoragine, muri deseruêre custodiam. Quo cognito Dux, sub omni celeritate trabes, quas ab hostibus eripuerant, sursum ferri præcepit, quibus ex una parte in machina, ex altera super murum locatis, latus castelli quod moueri poterat, deponi præcepit: quo super trabes prædictas collocato, uicem pontis præbuit congrua soliditate subnixum. Sic ergò quod hostes per se introduxerant, in eorū uersum est læsionem. Ponte igitur sic ordinato, primus omnium uir inclytus & illustris dux Godefridus, reliquos ut subsequantur exhortans, cum fratre suo Eustachio urbem ingressus est: quem continuò subsecuti sunt Ludolfus & Guillelmus uterini fratres, uiri nobiles, & perpetua digni memoria, ortum habentes de ciuitate Tornaco. Consequenter uerò infinita tam equitum quàm peditum manus, ita ut nec machina, nec pons prædictus plures posset sustinere. Videntes ergò hostes, quod nostri murū iam occupauerāt, & Dux suum iam introduxerat exercitū, turres & mœnia

deserũt, ad uicorũ angustias se cõferentes. Porro nostri uidentes, quòd Dux, & maxima pars nobiliũ, turres sibi uendicauerãt, iam non expectato per machinam ascensu, scalas ad murũ applicãt, quorũ illis maxima erat copia: nam bini & bini equites ex edicto publico singulas sibi præparauerant, per quas ascendentes unanimiter, alijs qui supra murum erant, Ducis mandatũ præstolantes se adiungebant. Ingressi sanè statim post Ducẽ sunt, Flandrensium comes, & dux Normannorum, uir strenuus, & per omnia commendabilis dominus Tancredus, Hugo senior, Comes de sancto Paulo, Balduinus de Burgo, Gasto de Beart, Gastus de Bederz, Gerardus de Rossellon, Thomas de Feria, Conanus Brito, comes Raymboldus de ciuitate Oringis, Ludouicus de Monson, Cono de Monteacuto, & Lampertus filius eius, & alij plures, quorum numerum uel nomina nõ tenemus. Quos omnes, postquã dux cognouit se intra urbem recepisse incolumes, quosdam ad portã Septentrionalem, quæ hodie dicit̃ Sancti Stephani, cum honesto dirigit comitatu, ut portam apeiant, & populum introducant, deforis expectantem: qua sub omni celeritate reserata, ingressus est passim, & sine delectu uniuersus exercitus. Erat autem feria sexta, et hora nona. Videturq; procuratum diuinitus, ut qua die & qua hora, pro mundi salute in eadẽ urbe passus est Dominus, eadem et pro saluatoris gloria fidelis decertans populus, desiderij sui felicem impetraret consummationẽ. Eadem autẽ die & primus homo cõditus, & secundus pro primi salute morti traditus esse dicitur. Vnde & decuit, ut eius membra & imitatores, in ipsius nomine de hostibus triumpharent.

Dux cum suis per ciuitatem discurrens, stragem operatur innumeram: Tolosanus à parte Australi uiolenter ingreditur, & suas introducit legiones. Ciuium pars in præsidium ciuitatis se recipiunt. Capul XIX.

PORrò Dux & qui cum eo erant, per uicos ciuitatis & plateas, strictis gladijs, clypeis tecti & galeis, iuncto agmine discurrentes, quotquot de hostibus repetire poterant, ætati nõ parcẽtes, aut conditioni, in ore gladij indifferenter prosternebant. Tantaq; erat ubiq; interemptorum strages, & præcisorum aceruus capitũ, ut iam nemini uia pateret aut transitus, nisi per funera defunctorum. Iamq; penè ad urbis medium diuersis itineribus stragem operantes innumeram, nostri principes peruenerant, & subsequuti populi infinita multitudo, infidelium cruorẽ sitiens, & ad cædẽ omnino procliuis: cum comes adhuc Tolosanus & principes alij, qui cum eo erãt, circa montẽ Sion decertantes, urbẽ captam, & nostrorũ uictoriã ignorabant. sed excito de nostrorũ introitu, et strage ciuiũ, ingenti clamore, & horrendo sonitu, admirantibus qui in ea parte resistebãt ciuibus, quid nam sibi uellet clamor insolitus, & populi uociferantis tumultus, cognouerunt urbem uiolenter effractã, & nostrorũ immissas legiones: unde relictis turribus & muro, ad diuersa fugientes loca, saluti propriæ consulere satagebant. Hi quoniã præsidiũ ciuitatis in uicino constitutum erat, ex parte plurima se in arcem contulerunt: at uerò exercitus pontem liberè, & sine difficultate super murum aptantes, & scalas applicantes mœnibus, certatim urbem nemine obstante ingressi sunt. Intromissi autem, portam Australem, quæ illis erat contermina, statim aperuerunt, ut reliquus sine difficultate populus admitteretur. Ingressus est igitur

uir

uir insignis & strenuus Tolosanus Comes, & Ysocardus Comes Diensis, Raymundus Pelez, Vuilhelmus de Sabram, Episcopus Albariensis, & alij multi nobiles, quorum numerum uel nomina nulla nobis tradit historia. Hi omnes unanimiter, iunctis agminibus, ad unguem armati, per mediam urbem discurrentes, stragem operati sunt horrendam. nam qui Ducem et suos effugerant, putantes se mortem quocunque modo declinasse, si ad alias se conferrent fugiendo partes, hos sibi habentes obuiam, occumbebant periculosius: & Scyllam euitantes, incurrebant Charybdim. Tanta autem erat per urbem strages hostium, tantaque sanguinis effusio, ut & uictoribus posset tædium & horrorem ingerere.

Ciues in atrium templi se conferunt. Tancredus illuc eos persequitur. Fit strages innumera, & sanguis ibidem funditur infinitus.

Caput XX.

CONfugerat porrò in atrium templi populi pars maxima, eo quod locus in parte urbis uideretur esse secretior, muro quoque, & turribus, & portis ualidioribus apprimè communitus: uerùm eis nihil fuga talis contulit ad salutem. Nam statim cum maxima parte exercitus uniuersi, illuc dominus Tancredus se contulit: & templum uiolenter ingressus, post stragem innumeram, infinitas auri & argenti, & gemmarum copias inde secum dicitur abstulisse: quæ tamen postmodum, sedato tumultu, restituisse creditur in integrum. Porrò reliqui principes, interemptis his, quos sibi per reliquas urbis partes obuiam repererant, audientes quòd intra septa templi populus fugiens se contulerat, illuc descendunt unanimes, & intromissa tam equitum quàm peditum multitudine, quotquot ibi repererunt, nemini parcentes obtruncarunt gladijs, sanguine replētes uniuersa: iustoque Dei iudicio id certum est accidisse, ut qui superstitiosis ritibus Domini sanctuarium prophanauerant, & fidelibus populis reddiderant alienum, id proprij cruoris luerent dispendio, & morte interueniente piaculare persoluerēt flagitium. Horror erat denique cæsorum intueri multitudinem, & humanarum artuum passim fragmenta conspicere, & effusi sanguinis aspergine cunctam redundare superficiem. Nec solum defunctorum corpora membris potioribus lacera & abscisis mutilata capitibus, intuentibus erat angustia, uerumetiam ipsos uictores à planta pedis usque ad uerticē cruore madentes periculosum erat conspicere, & horrorem quendam inferebant occurrentibus. Cecidisse dicuntur intra templi ambitum ex hostibus ad decem milia, exceptis alijs qui passim per urbem obtruncati sunt: uicos replebant & plateas, quorū nō minor dicebatur numerus. At uerò exercitus pars reliqua per urbem discurrens, per angiportus & uiarum diuerticula latentes, miseros, & mortis periculum declinare cupientes, pecudum more raptos in publicum, detruncabant. Alij diuersi per manipulos ingrediebantur domicilia, raptumque patremfamiliâs cum uxoribus & liberis, & uniuersa familia, aut gladijs transuerberabant, aut de locis superioribus in terram dabant præcipites, ita ut confractis ceruicibus interirent: quam uerò quisque domū effregerat, eam sibi cum uniuersa uendicabat pertinentia. id enim prius ante urbem captam inter eos conuenerat, quod quisque sibi acquireret, id iure proprietatis sine molestia possideret in perpetuum.

tuum. Vnde urbem perlustrantes diligentius, & stragi ciuium proteruius instantes, urbis diuerticula, secessus quoque & secretiora ciuium estringebant penetralia, clypeos uel quidlibet armorum in introitu defigentes, ut esset signum accedentibus, ne gressum ibi figerent, sed loca præterirent, quasi iam ab alijs occupata.

Vrbe composita sedatur tumultus: & armis depositis, orationis gratia loca circumeunt uenerabilia: diem agunt solennem. Caput XXI.

SVbiugata igitur penitus ciuitate, & interemptis ciuibus, tumultu aliquantulum sedato, conuenerunt principes ad inuicem, antequam arma deponerent, ordinantes, ut per turres singulas ad maiorem cautelam custodes deputarentur, & per portas urbis singulas uiri honesti constituerentur ianitores, quousque de communi conuenientia & publico decreto principum aliquis urbi præficeretur, qui eius curam gereret, & pro libero cuncta dispensaret arbitrio. Hostium enim circumpositorum merito suspectas habebant insidias, et impetus non imprudenter formidabant repentinos. Tandem uerò urbe ad hunc modum ordinata, armis depositis, in spiritu humilitatis & in animo contrito nudis uestigijs, lotis manibus, & sumptis mundioribus indumentis, cum gemitu & lachrymis loca uenerabilia, quę Saluator propria uoluit illustrare & sanctificare pręsentia, cœperunt cum omni deuotione circuire, & cum intimis deosculari suspirijs: specialiter autem Dominicæ passionis & resurrectionis Ecclesiam, ubi clerus & populus fidelium, qui per tot annos duræ nimis & indebitæ seruitutis iugum portauerant, de restituta libertate, Redemptori gratias exhibentes, cum crucibus & sanctorum patrocinijs Principibus occurrentes, eos in prædictam cum hymnis & canticis spiritualibus introduxerunt Ecclesiam. Intueri enim erat amœnissimum, & spirituali plenum iocunditate, quanta deuotione, quanto pij feruore desiderij, ad loca sancta accederet populus, quanta mentis exultatione & spirituali gaudio Dominicæ dispensationis deosculabantur memoriam. Vbique lachrymæ, ubique suspiria, non qualia mœror et anxietas solet extorquere, sed qualia feruens deuotio & interioris hominis consummata lætitia, solet Domino in holocaustum incendere. Erat porrò tam in ecclesia, quàm per uniuersam urbem, tantus populi, gratias Domino exhibentis, clamor, ut iam quasi usque ad sidera tolli sonus uideretur, & de eis merito dictum crederetur: Vox lętitiæ & exultationis in tabernaculis iustorum. Feruebant sanè pio succensa desiderio, per urbem uniuersam opera misericordiæ. Hi Domino confitebantur deflenda quæ commiserant, uoto se obligantes ne de cætero deflenda committerent: illi in senes, ualetudinarios & egentes profusa liberalitate cunctam erogabant substantiam, pro summis & sufficientibus reputantes diuitijs, quod hunc uidisse diem sibi fuerat cōcessum diuinitus: illi flexis nudisque genibus, cum singultibus & pręcordialibus suspirijs loca circuibant uenerabilia, lachrymarum cuncta replentes aspergine: quorum uerò sermo dirigebatur ad Dominum, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Quid plura? Difficile est, ut nostro comprehendatur sermone, quanta in plebe fideli sanctæ deuotionis esset immensitas. Certatim enim se mutuo uincere cupientes, in operibus pietatis unanimiter desudabant, cœlestis memores beneficij, & gratiam præ oculis habentes

bentes diuinam, quæ tantos eorum labores remunerare dignata est. Quis enim tã ferrei pectoris? quis mentis adamantinæ? cuius interiora non liquefierent, cum liceret tantæ peregrinationis fructum capere dignissimũ, & exhibitę militię numerare stipendia? Quibus tamen mens erat altior, in arcam futuræ retributionis, qua sanctos suos se remuneraturũ promisit Dominus, id muneris uidebatur exhibitum, ut per collationem præsentium munerum firma sit exspectatio futurorũ, & per eam qui hic peregrinatur Hierusalem, ad eam perueniatur cuius participatio est in idipsum. Porrò Episcopi & sacerdotes in ecclesijs consummantes sacrificia, orabant pro populo, pro collato beneficio gratias exhibentes.

Dominus Podiensis Episcopus, & alij quidam qui in itinere dormitionem acceperant, uisi sunt in ciuitate, & apparuerunt multis. Caput XXII.

EA die dominus Ademarus, uir uirtutum, & immortalis memoriæ, Podiensis Episcopus, qui apud Antiochiam, ut prædiximus, uita decesserat, à multis in sancta uisus est ciuitate, ita ut multi uiri uenerabiles, & fide digni eum super ciuitatis murum, primum omnium ascendisse, & cæteros animasse ad ingressum, oculis corporeis se uidisse cõstanter assererent. & postmodum plurimis loca uenerabilia circumeuntibus, eadem die manifestus apparuit. Alijq; quàm plures qui in toto itinere diuinis obsequijs mancipati, piam in Christo dormitionem acceperant, in eadem ciuitate apparuerunt multis, loca sancta cum alijs ingredientes. In quo manifestè dabatur intelligi, quia etsi uita decessissent, ad æternam etiam beatitudinem uocati, non sunt fraudati à desiderio suo: sed quod pio expetierant studio, pleno sunt effectu consecuti, magnum nobis futuræ resurrectionis argumentum prætendentes. dignumq; erat, ut sicut resurgente Domino multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, & in ciuitate sancta apparuerunt multis: ita fidelibus populis sanctæ resurrectionis locum, à Gentili superstitione mundantibus, priscum renouaretur miraculũ, ut & ipsi in spiritu resurrexisse crederentur, qui resurgentis Domini tam pijs se mancipauerant obsequijs. His igitur & huiusmodi per superabundantem cœlestem gratiam, plebi Dei in ciuitate sancta, miraculosè magis quàm mirabiliter exhibitis, tanta erat in populo mentis hilaritas, & interna cordis exultatio, ut labores quos pertulerãt infinitos, felices esse dicerẽt ac beatos, quibus id diuini muneris datum esset intueri. Clamor autem spiritualiter exultantis ciuitatis ad Dominũ, & quasi præcipiente Domino, solennitas agebatur celebris: ita ut illud Prophetæ impletum ad literam uideretur oraculum, Lætamini cum Hierusalem, & exultate in ea, omnes qui diligitis eam.

Viri fideles qui in urbe habitabant, Petro heremitæ, cui suam commiserant legationem, ingentes gratias exsoluunt, & honore debito prosequuntur. Caput XXIII.

DEniq; fideles, qui uirum uenerabilem Petrũ heremitã, quarto uel quinto prius anno in eadẽ ciuitate uiderant, & cui tam dominus Patriarcha, quàm alij, tam de clero quàm de populo maiores pro excitandis occidentalium regnorum principibus epistolas suas tradiderant, iterum cognoscentes, flexis genibus cum omni humilitate uenerabãtur, referentes ad memoriam priorem eius aduentũ, & familiaritatis gratiam, quam cum ipsis contrahere

dignatus fuerat, gratias exſoluentes, quòd tam ſedulè tamq; fideliter ſolo pietatis intuitu eorum procurauerat legationẽ: Dominũ etiam ſuper omnia collaudantes, qui in ſeruis ſuis glorioſus eſt. qui ita præter ſpem humanam, prædicti uiri uias & ſermonem in manu eius dederat efficacẽ, ut & gentes & regna ad tantos labores pro Chriſti nomine tolerandos, ſine difficultate conuerteret. Verè nanq; uidebatur ſermo hic egreſſus à Domino, qui ait: uerbũ quod egredietur de ore meo, nõ reuerteretur ad me uacuum, ſed proſperabitur in omnibus ad quem mittam illud. Itaq; ſingillatim & in communi multiplici nitebantur eum honore præuenire, ei ſolum poſt Deum adſcribentes, quod duræ ſeruitutis (quam per tot annos paſſi fuerãt) ſoluta erat conditio, & ciuitas ſancta priſtinæ reſtituta libertati. Dominus autem Patriarcha (ut prædiximus) pro Reipub. ſtatu & ſalute ciuium, multo precio comparanda in Cyprum nauigauerat, eleemoſynas à fidelibus illius regionis mendicaturus: unde tributa & impoſita extraordinariè, & ſupra uires uectigalia perſolueret, ne pro eorum defectu aut eccleſias deijcerent tributorũ exactores, aut populum gladijs manciparent, ſicut anterioribus conſueuerãt temporibus. Nam omnium eorum quę circa urbem gerebantur, prorſus erat ignarus, & ad conſueta quaſi rediturus pericula timebat: cui Dominus interim præter ſpem quietem procurauerat tranquillam.

Ciuitas mundatur de interemptorum cadaueribus. Qui in arcem ſe contulerant, Toloſano Comiti ſe dedunt. Dies illa in perpetuum celebris conſtituitur. Caput XXIIII.

COmpletis igitur orationibus, & locis uenerabilibus cum omni deuotione uiſitatis, uiſum eſt expedire principibus, ne ex interemptorũ cadaueribus, aëris peſtilens grauaretur corruptela, urbem & maximè templi ambitum ante omnia mundari: unde ciuibus qui caſu mortem euaſerant, compedibus alligatis id muneris iniungitur: ſed quia ad tantum opus non uidebantur poſſe ſufficere, pauperibus etiam de exercitu, merces cottidiana preponitur, ut prædictæ rei dent operam, & ſine dilatione urbem expediant. Quo diſpoſito principes ad propria reuerſi, domos quales eis interim familia diſcurrens præparauerat, pro hoſpicijs habuerũt. Vrbem autem reperientes commoditatibus plenam, et bonis omnibus redundantem, omnes à maiore uſq; ad minimum cœperũt copioſius abundare. Reperiebantur enim in effractis domibus, auri & argenti, gemmarũ & precioſarũ ueſtium, frumenti, uini & olei, ſed & aquæ (cuius maximã in obſidione paſſi fuerant penuriam) ingentes copię: unde & ipſi qui domus ſibi uendicauerant, poterãt habere ad omnem ſufficientiã, & indigentibus fratribus caritatiuè miniſtrare. Factũq; eſt, ut ſecũda & tertia & deinceps die, in foro publico rerum uenalium optimis conditionibus exhiberetur cõmercium, ita etiã ut plebs inferior, neceſſarijs omnibus abundaret. Dies igitur ſolennes & dies agentes lætitiæ, cibum & requiem, quibus maximè indigebant, corporibus indulgentes, recreati ſunt aliquantulũ, diuini muneris largitatẽ admirantes, & cœleſtis gratię, qua erga eos dignatus eſt Dominus abundare, perpetuã præ oculis habentes memoriam. Ad maiorem autẽ tanti facti memoriã, ex cõmuni decreto ſancitum, & cõmuni omnium uoto ſuſceptum & approbatum eſt, ut hic dies apud omnes ſolennis & inter celebres celebrior perpetuò habeatur, in qua ad laudem & glo-

& gloriam nominis Christiani, quicquid in prophetis de hoc facto, quasi uaticinium prædictũ fuerat, referatur, & pro eorũ animabus fiat apud Dominum intercessio; quorũ labore cõmendabili, & fauorabili apud omnes, prędicta deo amabilis ciuitas, & fidei Christianæ & pristinæ libertati est restituta. Interea uerò pars hostium ea quæ in Arce Dauid, à facie gladij fugiens se contulerat, uidẽtes quod urbẽ uniuersam sibi populus noster uendicauerat, & quod ipsi obsidionem diutius releuare non possent, petita & impetrata à D. Comite Tolosano fiducia, qui circa partes illas turri uicinior hospitatus erat, quod uxoribus & liberis & omni substantia quam secũ intulerant, liberum haberent exitum, & securũ usq; Ascalonã conductum, arcem ei resignauerunt. Qui uerò urbi purgandę curã susceperunt, adhibita diligentia, & feruentes in opere, partim igne cõsumptis cadaueribus, partim sepulturæ traditis, prout temporis patiebaẽ angustia, subitò & infra paucos dies, urbẽ reddiderunt expeditã, ad solitã eam redigentes munditiã. Vnde & cõfidentius locorum uenerabiliũ populus frequẽtabat limina. unde & per uicos & plateas ciuitatis cõuenire, & cõfabulari poterat liberius. Capta est aũt prædicta ciuitas, Anno ab incarnatione Domini M.xcix. mense Iulio, decimaquinta die mensis, Feria sexta, circa horã diei nonã: Anno tertio, ex quo fidelis populus, tantæ peregrinationis onus sibi assumpserat: præsidente sanctæ Romanæ ecclesiæ domino Vrbano Papa secundo, Romanorũ uerò Imperium administrante D. Henrico iiij. In Francia uero regnante D. Philippo. Apud Gręcos autem in sceptris agente D. Alexio: præuia domini nostri Iesu Christi misericordia, cui est honor & gloria per infinita seculorũ secula: Amen.

LIBER NONVS.

Octaua die, post urbem captam, principes conueniunt, ut ex se unum eligendo urbi & regioni præficiant. clerus indiscretè nititur contraire. Caput I.



Sancta igitur ciuitate per superabundantẽ Domini gratiam Christiano populo restituta, et rebus ad aliquẽ modum tranquillè collocatis, decursis in multa lætitia, in timore tamẽ Domini, et gaudio spirituali diebus septẽ, octaua die cõuenerunt principes, habituri tractatum, inuocata Spiritus sancti gratia, ut aliquem de suo eligant collegio, qui regioni præsit, & regiam prouinciæ impendat sollicitudinem. Dumq; essent in eo, cõgregati sunt quidam de clero, spiritu superbiæ tumidi, quærentes quæ sua sunt, non quę Christi Iesu, dicentes se habere uerba secretiora, quæ perferri uelint ad principes, intus in conclaui residentes & intromissi dixerunt: Nunciatum est clero, quod ad hoc, ut de uobis unũ eligatis in regem, cõuenistis. Videtur aũt nobis propositũ uestrũ sanctũ, & utile, et omni cura executioni mandandũ, si tamen ad id ordine cõgruo ueniaẽ. Certũ est porrò, spiritualia temporalib. digniora esse: quę uerò digniora sunt, meritò debere pręcedere. Vnde uideẽ nobis, nisi ordo præposterus studiosè quęraẽ, quod prius eligẽda sit Deo palceẽs et religiosa persona, quę ecclesiæ Dei pręesse sciat et prodesse, ꝗ̃ de secularis potestatis electione agaẽ. Si hoc ordine uelitis incedere, placet nobis admodũ: uobiscũ

summus corpore & spiritu: si uerò secus, inualidum censemus, & uiribus carere decernimus, quicquid extra nostram conniuentiam ordinaueritis. Hæc autem eorum postulatio, etsi in superficie uideretur aliquid honestatis habere, tamen intrinsecus habebat maliciæ plurimum, ut docebunt sequẽtia. Huius autem factionis primicerius erat quidam Episcopus de Calabria, Maturanensis uidelicet, qui Arnulpho cuidam, de quo superius satis dictum est, nimia familiaritate coniunctus erat, & ipsum intra sacros ordines constitutum & sacerdotis filium, & ignominia notatũ incontinentiæ, ita ut in expeditione canticum populis se exhiberet, & esset materia fatuis & lasciuis hominibus in choro canentibus, contra sacros Canones, & contra omnium honestorum uoluntatem, in Patriarchalem nitebatur locare sedem. Erat enim peruersæ mentis homo, pro nihilo ducens honestatem. unde & cum supradicto Arnulpho facilè poterat conuenire, iuxta illud: Qualis quisque est, talium consortio delectatur. Pares enim paribus, ueteri prouerbio, facilè iunguntur. Inuaserat autem hic idem Bethlcemiticam Ecclesiam, pactus cum prædicto Arnulpho, quod si eius studio in Patriarcham promoueretur, iam dictam ecclesiam sine quæstione & molestia, perpetuò sibi liceret possidere: sed eius omnia hæc molimenta, mors uicina præuenit, sicut in sequentibus dicetur. Defecerat sanè in Clero religionis & honestatis uigor, & dissolutus passim & sine delectu per illicita diffluebat. Dominus Ademarus piæ in Domino recordationis Podiensis Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, in fata concesserat. Dominus tamen Vuilhelmus Aurasiacensis Episcopus, uir religiosus ac timens Deum, post prædicti beati uiri transitum, eandem curam suscepit, & quàm diù uixit, administrauit fideliter. sed modico elapso tempore, apud Marram quieuit in Domino. His autem defunctis, factum est sicut in Propheta dicitur: Sicut populus, ita & sacerdos. excepto domino Albariensi Episcopo, & paucis alijs, qui timorem Domini habebant præ oculis.

Principes neglecta cleri contradictione, dominum Ducem eligunt, & electum cum hymnis & canticis sepulchro Domini repræsentant. Caput II.

PRincipes tamen leue & friuolum reputãtes prædictorũ uerbum, cœpto insistentes operi, nihilominus tractabãt de proposito. Tradunt quidam eos, ut magis secundũ Deum & secundũ merita personarũ in electione procederẽt, de familiaribus cuiusq; magnorũ principũ assumpsisse quosdã seorsum, & eos ad iurisiurandi religionẽ cõpulisse, quatenus de moribus & conuersatione dominorũ suorum interrogati, uerũ sine admixtione falsitatis, dicerent: hoc aũt ea fiebat mente & intentione, ut sic de meritis eligendorũ, plenius & fidelius instruerenẽ electores. Qui postmodũ ab electoribus sub debito præstiti iuramenti, diligẽtius interrogati, multa dominorũ suorũ uitia coacti sunt secretius cõfiteri, uirtutesq; nihilominus enumerare, ut nudo apertoq; iudicio cõstaret, qualis quisq; esset eligendorũ. Inter quos domini ducis familiares interrogati, responderũt, quod in omnibus dñi Ducis actibus, id magis absonũ domesticis suis uidebaẽ, quod ecclesiã ingressus, etiã post diuinorum consummatã celebrationem, inde separari nõ poterat, sed de singulis imaginibus & picturis rationem exigebat à sacerdotibus, & ijs qui horum uideban-

uidebantur aliquam habere peritiam, ita quod socijs suis affectis alijs, in tædium uerteretur & nausea: & prandia quæ certo & opportuno tempore parata erant, diutina & importuna nimis expectatione minus tempestiuè, magisq; insipida sumerentur. Quod audientes qui electorũ gerebant officium, beatum dixerunt uirum cui hęc sunt, & cui inter defectus computatur, quod alius sibi adscriberet ad uirtutem. tandemq; consonantes adinuicẽ, post multas deliberationum partes, dominum Ducem unanimiter eligũt, electumq; sepulchro Domini cum hymnis & canticis deuotissimè obtulerunt. Dicitur tamen, quod in dominum Comitem Tolosanum Raymundum, procerum maxima pars conueniret: sed hoc intelligentes, quod nisi regnum consequeretur, domum esset statim rediturus, natalis sui dulcedine ducti, etiam contra conscientiam suam, multa de domino Comite confinxerunt ut reus haberetur: ille tamẽ nihilominus patriam spernens, Christũ deuotissimè secutus, nõ abijt retrorsum, sed in anteriora se extendens, peregrinationem, quam semel ingressus est, & uoluntariam paupertatem usq; in finem prosecutus est: sciens quia qui perseuerauerit usq; in finẽ, hic saluus erit. Et illud: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

Dux promotus, à Comite Tolosano turrim Dauid quam ab hostibus susceperat, reposcit: Dissentiunt principes, sed tandem turrim obtinet postulatam. Caput III.

DOmino igitur Duce, de communi uoto, concurrente omnium consensu, regni apicem obtinente, Comes sancti Aegidij ciuitatis præsidium, arcem uidelicet Dauid, quam sibi ab initio (ut præmisimus) hostes tradiderant, possidebat. Erat autem in eminentiore ciuitatis parte, uersus Occidentem sita, & ingentibus quadrisq; constructa lapidibus, unde totã urbem inferius positam erat intueri. Hãc quasi totius ciuitatis nouissimum refugium, uidens Dux sibi deesse, certum si illam haberet, arbitratus se habere principatum, cœpit à domino Comite in auditorio eã reposcere. Comes uerò eam, tanquã sibi ab hostibus traditã, usq; in Pascha, quo transire & domũ redire proposuerat, eam sibi uelle habere, ut interim cũ suis honestius in regno morã facere posset, allegabat. Dux uerò nisi turrim habeat, uniuersa se uelle deserere, dicebat: allegans omnino inhonestum esse, ut eo domino designato, alter ciuitatis haberet præsidium, quem quasi parem aut superiorem conspiceret. Comes autem Normannię, & Flandrensium Comes domini Ducis partem fouebant, qui uerò cum domino Comite sancti Aegidij, eius etiam familiares erant, ut domino suo, saltem hac uia, occasionem præberent abeundi, partem iuuabant aduersam. Factumq; est autem, ut quousq; de iure decerneretur, cui cedere deberet, turrim in manu domini Albariẽsis Episcopi, quasi ad sequestrum de communi consilio cõmiserit. Ille uerò non exspectato iudicio, ante litis cõtestationem domino Duci dicitur eam tradidisse: cumq; sibi postmodum à nonnullis imputaretur, uim sibi illatam publicè asserebat. Dominus igitur Comes, exacerbatus plurimum, & indignatione plenus, quod turrim ita ignominiosè (ut sibi uidebatur) amiserat, et quod cęteri principes, non satis beneficiorum eius memores, quæ in uia eis sæpius cõtulerat, secus cum minus agerent amicè, descendens ad Iordanem, & aquis eius lotus, ad propria redire, suorum satisfaciens desiderijs, disponebat.

Episcopus

Episcopus Maturanensis, uir subdolus & nequam, quendam Arnulphum sibi similem, in patriarcham nititur promouere: sed non proficit. Crux Dominica reperitur. Caput IIII.

AT uerò prædictus Maturanensis Episcopus, uir subdolus & nequam, non cessabat interea plebem indoctam contra pios cōcitare principes, & in uulgus serere, quod inuidiæ caussa, ut eam liberius possent conculcare, principes nollent ecclesiæ prouidere. Assumensq; secum eiusdem factionis complices, prædictum Arnulphum, alijs contradicentibus, elegit: & auxilio fretus Comitis Normannorum, cuius erat & fuerat in tota expeditione familiaris & conuiua, in sedem patriarchalem, fatuo populo suffragia inconsulta ministrante, inthronizauit: sed neuter suis adinuentionibus lætatus est diu. Nam Arnulphus temerè assumptam coactus est deponere dignitatē: & eius turpitudinis impudens patronus, uiarum suarum fructus recollegit in proximo. Per idem tempus inuenta est in parte sanctæ resurrectionis ecclesię, seorsum, portio una Crucis Dominicæ: quam ob metum gentilium, quorum iugum patiebantur fideles, ad ampliorem cautelam, multo antè, paucis admissis, occultauerant. Hanc studio et opera cuiusdam hominis Syri, qui eius tam preciosi depositi fuerat conscius, repertam, theca reconditam argentea, primum ad Domini sepulchrum, deinde ad templum Domini, cum hymnis & canticis spiritualibus deportantes, persequentes eam uniuerso clero & populo, consolationē quasi de cœlo missam omnes in cōmune acceperūt, arbitrantes se laborū & molestiarum suarū mercedem condignā recepisse.

Quis & unde fuerit, & quibus maioribus fuerit progenitus Dux Godofredus, aperitur. Cap. V.

SAepedicto igitur domino Duce, per Dei gratiam in regni culmine confirmato, scandalisq; omnibus, si qua emerserant, amputatis, regnum in diebus eius conualescere & confirmari cœpit. Regnauit autem anno uno, peccatis hominum id exigētibus, ne diuturniore tanti principis solatio, regni nouelli plantatio recrearetur, & aduersus ingruentes molestias reciperet consolationem. Raptus est de medio, ne malitia immutaret cor eius: sicut scriptum est, Viri misericordiæ colliguntū, & non est qui reputet. Oriundus uero fuit de regno Francorum, de Rhemensi prouincia, ciuitate Boloniensi, quę est secus mare Anglicum sita, ab illustribus & religiosis originē ducens progenitoribus. Pater eius fuit dominus Eustachius senior, illustris & magnificus eiusdem regionis Comes: cuius multa & memorabilia fuerunt opera, quorum adhuc apud seniores finitimarum regionū memoria est in benedictione, & in pia recordatione uiri religiosi & timentis Deum. Mater uero inclyta, & inter Occidentis nobiles matronas, tum morum prærogatiua, tum generositatis titulo præclara, Ida nomine, Lotharingiæ Ducis eximij Godefridi, qui cognominatus est Struma, soror. Qui postmodum cum sine liberis esset, nepotem æquiuocum, in filium suum adoptauit, eumq; uniuersi patrimonij sui, hæredem constituit. Vnde eidem defuncto, in eodem Ducatu successit. Fuerunt porrò huic tres ex utroq; parēte fratres, quibus & morum dignitas & uirtutum, tanti principis uere dabat esse Germanos: dominus uidelicet Balduinus Comes Edissanus, qui eidem postea successit in regno. dominus quoq; Eustachius Comes Boloniensis, patri synonymus, qui in bonis suc-

nis succedēs paternis,post patrem obtinuit Comitatum:cuius filiam illustris & magnificus Anglorū rex Stephanus, Coahaldē nomine, uxorem duxit. Hic etiam,ut D.Balduino fratri absqȝ liberis defuncto succederet,à principibus Orientalibus citatus,uenire noluit,timens ne sine scandalo eius promotio celebrari non posset. Tertius fuit D.Vuilhelmus, uir inclytus, à paterna & fratrum simul honestate & strennuitate non degener.Duo primi dominū & fratrem suum in expeditione secuti sunt,tertio domi remanente. Fuit autē sicut & secundum interiorem hominem,morum gerens prærogatiuā,& cui meritò primitiua competerent,dominus Godefridus uir religiosus, clemēs, pius,ac timens Deum,iustus,recedens ab omni malo,serius & stabilis in uerbo,seculi uanitates contemnens:quod in illa ætate,& militari pręsertim professione rarum est:in orationibus iugis, & in operibus pietatis assiduus,liberalitate insignis, affabilitate gratiosus, mansuetus & misericors, in omni uia sua commendabilis,& Deo placens. Fuit autem & corpore procerus, ita ut maximis minor, & mediocribus maior haberetur: robustus sine exemplo, membris solidioribus, thorace uirili, facie uenusta, capillo & barba flauus mediocriter,in usu armorum & exercitio militari omnium iudicio quasi singularis.

Matris præsagium de futuro statu filiorum. *Caput VI.*

HOrum tantorum principum mater, sancta & religiosa, & Deo placens femina,dum adhuc esset in ętate tenera,spiritu plena diuino,futuras pręuidit conditiones,& statum qui præparabatur adultis, quasi quodā pędixit oraculo.Nam dum semel circa matrem,sicut mos est puerulis,luderent adinuicem, & sese lacessentes, ad matris gremium frequentē haberent recursum, accidit quod eis sub eius chlamyde latentibus, uir uenerabilis comes Eustachius,eorum pater,ingressus est. Vbi cum mutuò se prouocarent, pedes & manus agitantes,matris,qua induta erat, aperta chlamyde, quæsiuit comes, quid nam esset quod ibi tam crebro moueretur. cui illa respondisse dicitur: Tres magni principes,quorum primus Dux,secundus Rex, tertius Comes futurus. Quod postmodum benigna dispensatione diuina impleuit clementia,& uerum prædixisse matrem,rerum euentus subsequens declarauit.Primus enim dominus Godefridus,ut præmissum est, defuncto succedēs auunculo,eius ducatum obtinuit, regnum etiam Hierosolymorum postmodum uniuersorum principum electione consecutus:in quo secundus natu, dominus ei Balduinus successit:tertius, dominus Eustachius, qui defuncto patre succedens in uniuersum,auitam eorum,ut præmissum est, obtinuit hæreditatem.Prætermimus deniqȝ studiosè, licet id uerum fuisse,plurimorū cōstruat narratio, Cygni fabulam: unde uulgò dicitur, sementinam eius fuisse originem,eo quòd à uero uideatur deficere talis assertio. Vnde his prætermissis, ad id quod cœperamus de domino Duce, prosequendum redeamus. Huic autem inter cætera quæ de more suo gessit egregiè,accidisse dicitur quiddam memoria dignum,quod præsenti dignum duximus inserere narrationi.

Recensetur factum eius memorabile in quadam monomachia. Caput VII.

IN singulari nanque quodam certamine, quod ipse multum inuitus subijt, sed iuxta regionis consuetudinem, salua opinionis suę integritate declinare non poterat, extitit factum eius memorabile, & præsenti narratione dignũ. Passus est uir insignis à quodam nobili & potente uiro (qui de numero erat principum, eiusq; dicebatur consanguineus) in curia domini Imperatoris, super quibusdam ingentibus præsidijs, & latè diffuso patrimonio quæstionem: super qua, cum utriq; parti, experiendi gratia dies esset præfixus, eo adueniente, præsentes se exhibuerũt tam reus quàm actor in curia. Vbi lite contestata, cum prædictus uir nobilis proponeret ueditionem, Dux autẽ quantum poterat reniteretur, secundum leges patriæ, adiudicata est inter eos monomachia, id est pugna singularis. Cumq; imperij maiores principes ad hoc tantis elaborarẽt uiribus, ne tam insignes uiri spectaculum de se populo pręstarent indignum, seq; tanto uellent subijcere discrimini, in quo alterutrius opinionis integritas posset periclitari, & non proficerent: mandata est executioni imperialis sententia. & uulgi stante corona, principibus de more circumpositis, locum ingressi sunt, futuro certamini deputatum, Martem dubium experturi. Dumq; in eo conflictu à uiris illustribus & magnificis strenuè nimis decertaretur & uiriliter, casu contigit, quòd uibrato in aduersarij clypeum ictu Ducis confractus est gladius, ita ut supra capulum uix ad semipedalem quantitatem in manu eius fieret residuum. Quod uidentes qui astabant principes, quòd Ducis cõditio facta esset multo deterior, indicta pace, adeunt Imperatorẽ, & supplicantes impetrant, ut de compositione erga tam egregios principes tractare liceat. Vnde dum inter eos tractaretur diligentius, ea quæ ad pacem erant rogantes, Dux omnino repulit: & irreuocabiliter perseuerans, agonẽ reiterat, rediens in idipsum. Dumq; eius aduersarius propter integritatem gladij sui sibi quasi superior factus uidebať, instat proteruius, Duci negãs requiem, quousq; Dux ad solitam recurrens uirtutem, qua singulariter præeminebat, & ira succensus, irruens capulo quem gestabat manu, tanta circa tempus uirtute percussit aduersarium, quod eum quasi semineecem, solo deiecit prostratum, ut penè uita uideretur omnino destitutus. & eiecto proprij fragmento gladij, & hostis prostrati gladium manu tenens, principes ad se uocat, qui cum prius de compositione conuenerant, & rogat attentius, monens ut de pace tractantes, uirum insignem, qui iam desecerat tam ignominiosè, subtraherent. Qui admirantes Ducis uirtutem egregiam, & misericordiam incomparabilẽ, pace impetrata, controuersiam tam honesto fine sopierunt, ut tamen Dux uictor, & immortali dignus gloria apud omnes haberetur.

Item factum eiusdem egregium in uictoria Imperatoris Henrici, contra Radulphum pseudoregem Saxonum. Caput VIII.

ILlud quoq; factum, est haud inferioris gloriæ, in frequenti hominum uersatur memoria, quod præsenti lectioni nihilominus dignũ duximus inserere. Saxonum populus, inter Germanicas nationes ferocissimus, Romani imperij iuga ferre detractans, & liberioribus habenis excussis, disciplinę regulam negare cupiẽs, à D. Henrico Imperatore defecerat: inq; sua adeò erat obstinatus

obstinatus proteruia, ut contra prædictum Augustum, regem sibi crearet quendam comitem, Radulphum nomine, uirum nobilē de eodem populo. Hac iniuria permotus Imperator, uniuersos imperij principes ad se generaliter fecit euocari. Quibus ante se constitutis, iniuriam omnibus tum notam pandit, ad ultionem inuitat. Illi uerò omnes imperij gloriam æmulantes, & Saxonum enorme delictum nimis ægrè ferentes, certatim semetipsos exponunt, uires compromittunt: non esse dissimulandam tantam contra Romanum imperium asserunt iniuriam, sed plectendum morte tam peculiare flagitium: & lesæ crimen maiestatis, ultore gladio feriendū decernunt. Ex condicto igitur, & domini Imperatoris mandato, ad locum destinatum, die præfixa, infinita millia secum trahentes, adsunt, de uniuersis imperij finibus tam Ecclesiastici, quàm cæteri principes, Saxonū regionem uiolenter ingressuri, & exacturi de tantis iniurijs uindictam. Cumq; congressionis dies immineret, & ordinatis legionibus uterque exercitus in procinctu se haberet præliandi, conuocatis ad se principibus Imperator, quærit cui tutè possit imperiale committere uexillum, & tantorum exercituum constituere primicerium? Cui de communi consilio datum est responsum: Dominum ducem Lotharingiæ Godefridum præ omnibus ad id oneris idoneum & sufficientē esse. Cui, tanquam uiro à tot millibus electo, & singulariter omniū iudicio excellenti, tradidit Aquilam, multum inuito & renitenti. Contigit autem illa die, quod confligentibus inter se hinc inde exercitibus, & hostiliter nimis adinuicem gladijs instantibus, Dux cum Aquila præcedens Imperatorem, uersus aciem, cui præerat pseudorex Radulphus, contendens, illuc aciem, cui præerat Imperator, direxit: ad quam perueniens, cōfracta & dissoluta acie regis, præsente Imperatore & principibus aliquot, uexillum quod gestabat, regi per uitalia pectoris immersit: & eo transuerberato, ad terrā deiecit exanimē: denuo signum, licet cruentatum, erigens Imperiale. Videntes autē Saxones, regem suum defecisse, defecerunt & ipsi, domino Imperatori se dedentes. & satisfactione iniuncta pro delicti modo, receptis munitionib. & obsidibus, quorum interuentu se obligauerunt, ne aliquando simile attentarent, in gratiam reuersi sunt. Hæc autem idcirco inseruimus, ut quantus esset apud maximos orbis terrarum principes, hic, de quo agimus, uir inclytus, insinuet. Maximum eñ esse, nemo est qui dubitet, à tantis principibus, qui pares in orbe nō dicuntur habere, unum omnium iudicio optimum designari, præsertim cum ipse eorum iudicium opere tam insigni approbauerit: & præsenti argumento, quod uerum de illo sensissent, edocuerit. Fuerunt & alia multa eiusdē uiri inclyti magnifica & admiratione digna opera, quæ usq; in præsens in ore omnium, pro celebri uertuntur historia. Inter cætera quoq; propositum habens peregrinationem ineundi, castrum, unde ei cognomen erat, Bilionem uidelicet, in agro in situm munitione, commoditatibus, & longè lateq; diffuso territorio, celebre ac nominatissimum, Ecclesiæ Leodiensi, pia liberalitate in perpetuam eleemosynam cōcessit habendum. Sed nos qui ea tantum quæ apud nos gessit, describere sumus aggressi, ad propositum redeamus.

Quàm pia liberalitate erga ecclesias quæ sunt Hierosolymis, abundauerit: & quòd humilitatis intentu, regio diademate noluit insigniri. Caput IX.

POstquam igitur regnum obtinuit, paucis diebus interpositis, sicut uir religiosus erat, in his quæ ad decorem domus Dei habebāt respectum, solicitudinis suæ Domino cœpit offerre primitias. Nam protinus in ecclesia Dominici sepulchri, & templi Domini, Canonicos instituit, eisq; ampla beneficia, quæ Præbēdas uocāt: simulq; & honesta domicilia circa prędictas Deo amabiles ecclesias assignauit: ordinem & institutionē seruans, quas magnæ & amplissimæ à pijs principibus fundatæ ultra montes seruant ecclesiæ: plura etiam, nisi mors eum præuenisset, collaturus. Adduxerat etiam prædictus uir Deo amabilis peregrinationem ingressurus, de claustris benè disciplinatis monachos uiros religiosos, & sancta conuersatione insignes, qui toto itinere, horis diurnis & nocturnis ecclesiastico more, diuina ibi ministrabant officia. Quos, postquam regnum adeptus est, iuxta eorum postulationem, in ualle Iosaphat locauit: amplissimóque loco, eorum gratia, contulit patrimonium. Quæ autem, & quanta sint, quæ ecclesijs Dei pia liberalitate concessit, longum esset enumerare: ex tenore tamen priuilegiorum ecclesijs indultorum, colligere est, quot & quanta sunt, quę uir Deo plenus, pro animæ suæ remedio locis uenerabilibus erogauit. Promotus autem humilitatis causa, corona aurea, regum more, in sancta ciuitate noluit insigniri: ea contentus, & illi reuerentiam exhibens, quam humani generis Imperator, in eodem loco usque ad crucis patibulum pro nostra salute spineam deportauit. Vnde quidam in Catalogo regum, non distinguentes merita, eum dubitant connumerare: magis attendentes quæ exterius geruntur in corpore, quàm quæ fidelis & Deo placens anima mereatur. Nobis autem non solum rex, sed regum optimus, lumen & speculum aliorum uidetur. Non enim consecrationis munus, & ecclesiastica spreuisse credendus est princeps fidelis sacramenta: sed pompam seculi, & cui omnis creatura subiecta est, uanitatem, & perituram humiliter declinasse coronam, ut immarcessibilem alibi consequeretur.

Princeps Aegyptius militiam & uires suas omnimodas contra nostros excitat, & in Syriam dirigit. Caput X.

PEr idem tempus, urbe recens capta, dum adhuc principes, qui eam diuino mancipauerant cultui, nondum essent diuisi abinuicem, rumor insonuit, & uerè sic erat, quod princeps Aegyptius, inter Orientales potentissimus, ex uniuersis regionibus ditioni suæ subiectis militares conuocauerat copias, & exercitus collegerat infinitos: indignè ferens, quòd populus barbarus, de ultimis egressus terrarum finibus, in regnum suum introierat, & prouinciam in proprio suo subditam occupauerat uiolenter. Vocatoq; ad se militiæ suæ principe Elephdalio, qui alio nomine dicebatur Emireus, præcipit ut uniuersum Aegypti robur, & omnes imperij uires colligens, in Syriā ascendat, & populū pręsumptuosum deleat de superficie terræ, ita ut non memoretē nomen illius ultrà. Erat aūt hic idem Emireus Armenius nomine, à Christianis habens originem parentibus: sed diuitiarum immensitate suffocatus, apostatauerat à creatore suo, fide neglecta, ex qua iustus uiuit. Hic idē etiam,

etiam eodem anno, quo à fideli populo est obsessa, & fidei restituta Christianæ, eandem à populo protectam ciuitatem, à Turcorum potestate domino suo uendicauerat: uixq; eam mensibus undecim obtinuerat quietam, cum Christianus exercitus eam, propitio Domino, ab indebitæ iugo seruitutis eripuit. Indignatus ergo, quòd tā reciso tempore sua potitus erat uictoria, & quòd momentanea uidebatur, & erat per eum domino suo acquisita possessio, laborē sibi gratanter assumit iniunctum, sperans de his qui factum eius denigrauerāt, posse facilius triumphare. Assumpto igitur sibi uniuerso exercitu, & uniuersis Aegyptijs uiribus, qualis Aegyptiaca diœcesis in optimo statu constituta tunc poterat ministrare, ascendit in Syriā, in spiritu uehementi, & intolerabili fastu, propositum habens populum nostrum delere, ne eius extaret memoria. Sed Domino uisum est aliter, qui est terribilis in consilijs super filios hominum. Veniens igitur cum equitatu magnifico, & ingentibus copijs, ante Ascalonam castrametatus est. Denicp associauerant se eorum expeditionibus ex uniuersa Arabia, & finibus Damascenis ingentes copiæ. Et licet Turci prius non satis bene cum Aegyptijs conuenirent, sed suspectas mutuò suas haberent uires, & æmulum contra se alternatim dilatare satagerent imperium: tamen nostrorum metu, etsi non ob gratiam, quam haberent mutuam, conuenerunt adinuicem, ut in nostrorum qui de nouo aduenerant supplantationem molirentur aliquid: satius arbitrati, suorum pati fastus æmulorum, & iugum etiam portare, quàm barbarorum duros & feroces nimium gladios experiri. Sic igitur Aegyptiorum, Arabum, & Turcorum congregatis in unum innumerabilibus copijs, in agro (ut prædiximus) Ascalonitano castra contulerant, inde Hierosolymam profecturi: nec enim arbitrabantur, quod tantæ multitudini noster occurrere præsumeret exercitus.

Dux è diuerso completis apud Hierosolymam Letanijs & orationibus, circa Ramulam congregatis principibus, expeditiones colligit.

Caput XI.

QVo audito, congregati adinuicem nostri principes, episcopi, clerus, & populus uniuersus, arma bàiulantes spiritualia, & ante sepulchrum Domini cum gemitu & lachrymis, corde contriti & humiliato prostrati orabant, postulantes à Domino, ut populum suum clementer ab imminentibus liberaret periculis, quem usq; in præsens misericorditer sibi conseruauerat uictorem: & qui locū sanctificationis suę mundari uoluerat, eum ulterius contaminari propter gloriam nominis sui non pateretur. Inde etiam nudis pedibus cum hymnis & canticis spiritualibus ad templum Domini eodem deuotionis feruore accedentes, effusis coram Domino præcordijs, orabant dicentes: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam gentibus in perditionem. Quibus de more completis, præcepta ab episcopis benedictione, & ordinatis qui medio tempore urbi præessent ad custodiam uiris prudentibus, Dux cum Comite Flandrensium ex urbe profectus, in campestria descendit Ramulensia, cæteris principibus in urbe relictis. Porrò uiri illustres, dominus Eustachius, Ducis frater, et dominus Tancredus, euocati à ciuibus Neapolitanis, ut urbem sine molestia reciperent, illuc de mandato

Ducis erant profecti. ubi moram facientes, tum propter loci opulentiam, tum ut urbi ſufficientem deſignarent cuſtodiam, horum quæ ſic dicebantur erant ignari: ſed euocati à domino Duce, ſine dilatione redeunt, reliquis principibus aſſociati. Dux uerò & Flandrenſium Comes, peruenientes Ramulam, ubi de facto plenius ſunt edocti, certum habentes quòd prædictus Eumerius cum ſuis copijs ante Aſcalonam conſediſſet, miſſo omni celeritate nuncio, reliquos principes, qui rei expectantes certitudinem in urbe remanſerant, cœpit euocare.

Committitur prælium, & noſtris diuinitus confertur uictoria, receptis diuitijs innumerabilibus. Caput XII.

AT uerò Comes Toloſanus, & alij Deo deuoti principes cognito per Ducis nuncium, quòd in tam graui multitudine hoſtes aduenerant, quodq; tam in uicino caſtra locauerant, inuocato de ſuperius auxilio, collectis quas pro tempore & loco habere poterant uiribus, in campeſtria Philiſtijm ad eum locum qui hodie dicitur Ybelim, ubi dominū Ducem eſſe cognouerant, deſcenderunt. Erant autem eis equitum mille ducenti, peditum uerò circa nouem millia. Cumq; ibi per diem noſter quieuiſſet exercitus, circa horam undecimam apparuit eis in campeſtribus, quaſi de remoto, multitudo ingens: quam rati hoſtilem eſſe exercitum, præmiſſis ducentis leuioris armaturæ, qui de eorum ſtatu & numero reliquos inſtruerent, ipſi ſe ad arma præparant: cumq; accederent propius qui præmiſſi fuerant, cognouerunt armenta eſſe boum, equorum, camelorumq; phalanges. Erant tamen ibi animalibus curam præſtantes equites, paſtorum uice armētis cuſtodiam intendentes. Ad quos cum perueniſſet noſter exercitus, non expectato congreſſu, fugerunt tam paſtores, quàm qui paſtoribus præerant equites, gregibus & armentis ſine cuſtode relictis. Capti ſunt tamen quidam ex eis, quorum relatione de hoſtium ſtatu, & propoſito plenius edocti, cognouerunt quòd prædictus princeps iuxta eos, quaſi ad miliaria ſeptem caſtra locauerat, propoſitum habens poſt biduum accedere, & noſtrum delere exercitum. At uerò noſtri certi de prælio acies inſtruunt nouem, quarum tres prçponunt, tres locant in medio, tres præcipiunt ſubſequi, ut undecunq; ad eos hoſtium fiat acceſſus, triplicem ibi reperiant acierum ordinē ſibi obiectum. de hoſtium uerò numero nullus poterat habere certitudinem. nam & infinita erat eorum multitudo, & ſingulis diebus incrementi aliquid eorum accedebat uiribus. Sic igitur obtenta ſine contradictione præda, quæ præ nimia multitudine numerum excedebat, noctem illam tranſegerunt gaudētes, more tamen prudentum, & quibus diſciplinæ militaris plena erat experientia, curam circa ſe peruigilem, & debitas obſeruantes excubias. Mane autem facto, uoce præconia bellū indicitur, & inſtructis ordinibus Domino rei commendantes exitum, in hoſtes unanimiter properant, uictoriæ ſpem in eo collocantes, cui facile eſt cum paucis multos ſuperare. Porrò Aegyptij & qui eis adhæſerant de partibus Syriæ noſtrorum uidentes inſtantiam, & animoſitatem importunam, longè aliter ſapientes quàm prius cœperunt de uiribus diffidere, & in ſua numeroſitate ſpei minus, & minus habere fiduciæ, arbitrantes omnem illam quæ occurrebat multitudinem hominum eſſe cohortes.

hortes. Nostrorum sane ut dictum est, modicus erat numerus, sed præda, de qua iam superius fecimus mentionem, casu, nemine ducente, nostris legionibus se applicuerat, ita ut nostris iter figentibus non procederet, & eisdem proficiscentibus continuo sine duce sequeretur. arbitrati ergo nostrorum infinitum esse numerum, uiresq; incomparabiles, fugerūt nemine persequente, uix etiam in fuga salutem inuenire posse sperantes. Amissus est ergo illa die, casu incognito, scandalorum fomes, auctor seditionum Maturanensis episcopus, ignorantibus cunctis eius exitum: quocunque tamen casu id acciderit, rebus humanis exemptus desijt comparere. Dicitur tamen quòd à domino Duce ad uocandos principes qui in urbe remanserant missus, dum rediret, captus sit ab hostibus, & occisus, aut carceri perpetuo mancipatus. Collata igitur de superius uictoria, in hostium castra noster peruenit exercitus. Vbi tantam uariæ supellectilis & peregrinarum copiam inuenit diuitiarum, ut usque ad nauseam satiati, mella fastidirent, & placentas: & pusillus & abiectus dicere posset, Inopem me copia fecit. Sic igitur fugientibus aduersarijs, palma sine labore nobis concessa, cum ingentibus gratiarum actionibus reuersi sunt Hierosolymam, tam principes quàm uniuersus Christianus exercitus, onerati manubijs, & prædam inauditam secum trahentes, gaudentes & exultantes in Domino, tanquam uictores capta præda quando diuidunt spolia.

Discedunt principes ab inuicem: Normannus & Flandrensis repatriant, Tolosanus redit Constantinopolim, Tancredus urbi præficitur Tiberiadensi. Caput XIII.

HIs ita gestis Deo amabiles, Deoq; deuoti principes domini Normannorum Flandrensiumq; Comites, consummato fœliciter assumptæ sibi peregrinationis itinerario, ad propria redire disponunt: inde iter arripientes, nauigio Constantinopolim ad dominum Imperatorem Alexium peruenerunt. à quo benignè tractati, & cum honestis dimissi muneribus, auctore Domino, sani & incolumes in suam se patriam receperunt. Quorum alter, Normannorum uidelicet Comes, domum rediens, rerum statum, ab eo quem reliquerat, peregrè proficiscens, secus à uoto, longè inuenit mutatum: nam dum in expeditione Domino militaret, frater eius primogenitus Vuilhelmus, qui cognominabatur Ruffus, rex Anglorum, uita functus, sine liberis discessit: cumq; ei successionis ius & regni primitiua meritò competerent, frater eius Henricus natu se posterior, persuadens regni principibus, quòd frater suus Hierosolymis rex constitutus, redeundi animum non haberet, regnum Angliæ hac fraude obtinuit. Reuersus ergo frater, ab eo cœpit (sicut & de iure poterat) regnum instanter reposcere. cumq; ille id negaret penitus, classe parata, & cōuocatis copijs in Angliā ingressus est uiolenter. ubi cum omni regni illius robore frater occurreus, paratus erat cum fratre cōgredi: sed intercedētibus pacis mediatoribus, pax inter eos reformata ea conditione, quòd rex fratri suo primogenito certam pecuniæ summam singulis annis daret nomine census. Quo facto, Dux in terrā suam reuersus est pacificus. postmodum uerò, cum quædā castella quæ Rex in Normānia

etiam antequam in regem promoueret, possidebat, Dux ab eo reposceret, & ille reddere negaret, obsedit ea ut uiolenter cōprehenderet. Quo audito, Rex in Normanniā cū ingentibus copijs trāsfretauit: & cū fratre dimicans, cepit eū, & perpetuo carceri mancipauit. ubi et defunctus est, fratre postmodū eidē in uniuersum succedente. Dominus quoque sancti Aegidij usque Laodiceā Syriæ reuersus, uxore ibi dimissa, ad eā in proximo rediturus, iterū Cōstantinopolim, ad eundem D. Imperatorē, cum honesto comitatu profectus est: ubi ab Imperatore susceptus magnificè, benignè tractatus, & ingentibus donis & ampla remissus munificentia, in Syriam ad uxorem & familiam post biennium, ut in sequentibus dicetur, sospes reuersus est. Dux uerò detento secum inclyto et nobili uiro domino Tancredo, Comite quoque Gernerio de Grez, & alijs quibusdam nobilibus, commissum sibi à domino regnum prudenter strennueque administrabat. Concessit autem, & solita liberalitate donauit iure hæreditario in perpetuum possidendam, urbem Tiberiadensem supra lacum Genezar sitam, cum uniuerso principatu Galilææ, simul & Caipham, quæ alio nomine dicitur Porfina, urbem maritimā cum suis pertinentijs prædicto domino Tancredo. In quo principatu ita Deo placidè & laudabiliter se habuit, quòd usque in præsentem diem memoria eius in benedictione est apud illius homines prouinciæ. Sed & ecclesias eiusdem dioecesios ingenti fundauit sollicitudine, & amplis dotauit patrimonijs, Nazarenam uidelicet & Tiberiadensem, Seir montis Thabor, & insuper ecclesiastica contulit ornamenta. Quorum portionem non modicam per fraudem & calumnias subsequentium principum prædicta amiserunt loca uenerabilia. Tamen usque hodie de residuo necessaria sibi procurant, pro illius orantes anima, qui tam pia liberalitate, & tantæ charitatis uisceribus erga Dei ecclesias abundauit. Et quia in modico fuit fidelis, supra multum constitutus est à Domino, & intrauit in gaudiū patrisfamilias, pro uniuersis quæ dederat, centuplum accipiens. Nam mox infra biennium meritis exigentibus, ad principatum uocatus Antiochenum, illam quoque à temporibus Apostolorū gloriosam, & nobilem magis & magis plurima largiendo nobilitauit ecclesiam. Sed & principatum pluribus subiugatis urbibus, & præsidijs mancipatis, longè lateque promotis finibus ampliauit, sicuti in sequentibus dicetur.

Boamundus Antiochenorum princeps, & Balduinus Comes Edissanorum, Hierosolymam ueniunt, natiuitatem Dominicam ibi celebrantes. Caput XIIII.

DVm hæc in regno sic aguntur, dominus Boamundus Antiochiæ princeps, dominus quoque Balduinus prædicti domini Ducis frater, Comes Edissanus, multorū relatione habētes compertum, quòd reliqui eorum fratres & tantæ consortes peregrinationis, prosequente eos fauore diuino, urbem sanctā sibi uendicauerant, & uiæ caussam consummauerant fœliciter, condicunt inter se diem certum, quo paratis ad iter necessarijs, illuc auctore Domino proficiscantur, ut laborū suorum caussam, uota Domino soluētes, cōpleant, et ut D. Duci, domino quoque Tancredo, et alijs principibus fraternum impendant solatiū. Remanserāt enim hi duo illustres & magnifici uiri, alter apud Antiochiā, ut principatum cōseruaret: alter apud Edissam, ut ab

irruen-

irruentibus hostibus protegeret comitatū. Ita enim ab initio statim post captam Antiochiam, de communi prouidentia fuerat ordinatū, ut uterque concessas sibi diuinitus Dei cultrices urbes non desererent, sed curam ad earum tuitionem impenderent peruigilem, ne fortè irruentibus hostibus, & reparatis copijs, rediuiua pararentur bella, & sic in uacuum cucurrissent. Licet ergo uterque negotiosus esset plurimū, tamen consummandæ peregrinationis gratia propositum urgerent, & die præfixa iter arripiunt. Dominus itaque Boamundus, assumptis secum eis qui eiusdem peregrinationis desiderio trahebantur, & ingentibus tam equitum quàm peditum copijs, iam usque Valeriam urbem maritimam, quæ est sub castrum Margath, peruenerat, ubi fixerat inuitis ciuibus sua tentoria. Porrò dominus Balduinus, cum è uestigio sequens, apud prædictam urbem eundem repperit, coniunctis agminibus cœpto insistunt itineri. Applicauerant autem per eosdem dies, apud Laodiceam Syriæ, homines de Italia: inter quos erat uir literatus & prudēs, religiosus quoque ualde et honestatis amicus, dominus Dabertus Pisanorum Archiepiscopus, quidam quoque de Apulia Episcopus Arianensis. hi etiam castris prædictorum se adiunxerant. unde & numerus factus est maior, ita ut sexus promiscui, tam equitū quàm peditum, decernetur esse multitudo ad uiginti quinque millia. Iter ergo aggressi, & oram secuti maritimam, non nisi hostium reperiunt urbes, unde cum maxima difficultate, & alimētorum inopia, uiam poterant inceptam conficere: cum enim non haberent commercia, & uenalia non reperirēt, defecerat uiaticulum in eorum cistarcijs. Sed & algoris uehementia, & imbrium intemperies, multos ad supremum compulit desertum: hyems enim erat, mensis Decemb. Soli enim Tripolitani & Cæsarienses, in tam prolixo itinere, transeuntibus obtulerunt uenalia, & tamen cum multo alimentorum defectu, & famis angustia procedebant, non habentes iumenta & aptæ sarcinis deuehendis animalia. Tandem protegente eos diuina clementia, peruenerunt Hierosolymam, ubi à domino Duce, & ab uniuerso clero & populo deuotè suscepti, loca sancta corde contrito & in spiritu humilitatis perlustrantes, fide discunt oculata, quod uerbo & doctrina prius comprehenderant. Celebrato sanè in Bethleem Dominicæ natiuitatis die, præsepe uident, & speluncam admirabilem, ubi pia Dei genitrix, salutis porta, mundi reparatorem pannis inuoluit, & lacte pauit uagientem.

Dabertus ecclesiæ Pisanæ Episcopus, Hierosolymitanæ ecclesiæ præficitur Patriarcha. Caput XV.

CVm igitur usque ad illum diem, quasi per menses quinque Hierosolymitana uacasset ecclesia, proprium non habens antistitem, conuenerunt qui præsentes principes erant, ut in ea parte ecclesiæ Dei prouiderēt. Demū post multa deliberationum libramina, prædictum uenerabilē uirum dominum Dabertum, de communi omniū consilio in sedem collocant Patriarchalem: nam quod de Arnulpho prius factum fuisse diximus, sicuti imprudenter factum fuerat, ita & subitò & facilè dissolutum est. Prædicto ergo uiro Dei in sede collocato, tam dominus Dux Godefridus, quàm dominus princeps Boamundus, hic regni ille principatus humiliter ab eo susceperunt inuestituram,

stituram, ei arbitrantes se honorem impendere, cuius tanquam minister ille in terris uicem gerere credebatur. Quo facto, assignatę sunt domino Patriarchæ possessiones, tam illæ quas tempore gentilium à diebus Græcorũ, Græcus habuerat Patriarcha, quàm quædam erogatæ de nouo, ut haberet unde honestè sustentari posset domus Patriarchalis. His ita ritè completis, sumpta à domino Duce licentia, dominus Boamundus, dominus quoque Balduinus, in fines suos reuersuri, ad Iordanem descenderunt. inde per uallem illustrem, eiusdem fluminis ripam sequentes, Scythopolim transeuntes, usque Tiberiadem peruenerũt. Vbi assumptis sibi necessarijs ad iter alimentis, secus mare Galilææ uiam carpẽtes, Phœnicem Lybanicã ingressi, Paneadem, quæ est Cæsarea Philippi, à dextris prætereuntes, Itureã ingredientes, usque ad locum cui nomen Heliopolis, quæ alio nomine dicit̃ Malbec, accesserũt. Inde ad oram maritimam redeuntes Antiochiam, protegente eos diuina clementia, sani & incolumes attigerunt.

Studio malignorum inter Ducem & Patriarcham, graues consimiliter suscitantur quæstiones, super turri Dauid, & quarta parte ciuitatis. Caput XVI.

INterea Hierosolymis studia et opera quorundã malignorum, quibus semper cordi est scandalum serere, & aliorũ inuidere tranquillitati, suscitata est quæstio, inter dominum Patriarcham, & dominum Ducem, domino Patriarcha reposcente ab eo ciuitatem sanctam Deo ascriptam, & eiusdem ciuitatis præsidium: simulque urbem Ioppensem, cum suis pertinentijs. Cumque aliquandiu agitata esset præsens quæstio, Dux, sicuti uir humilis erat, & mansuetus, ac timens sermones Domini, in die Purificationis beatæ Mariæ uirginis, præsente clero & populo uniuerso, Ecclesiæ sanctæ resurrectionis, quartam partem Ioppe resignauit. Postea die sancto subsequentis Paschæ, in præsentia cleri & populi, qui ad idem festum conuenerant, urbem Hierosolymam cum turri Dauid, & uniuersis eius pertinentijs, in manu domini Patriarchæ resignauit: ea tamen conditione, ut prædictis urbibus cum territorijs suis ipse interim frueret̃, quousque captis ex alijs urbibus una uel duabus, regnum Dominus permitteret ampliari. Quod si medio tempore Dux absque legitimo defungeretur hærede, prædicta omnia absque difficultate, omni contradictione remota, in ditionem domini Patriarchæ cederent. Hæc omnia etsi relatione aliorum cõperta, et etiam quorundam opera scripto mandata, præsenti interseruimus narrationi: miratur tamen, quibus rationibus motus dominus Patriarcha, hãc aduersus Ducem suscitauerit quæstionem, cum nec uspiam legerimus, aut à uiris fide dignis audierimus, ea conditione domino Duci, regnũ authoribus Principibus fuisse traditum, ut alicui personæ, alicuius præstationis animæ, uel perpetuæ uinculo se sciret obligatum. Nec pro crassa & supina nostra ducenda est ignorantia, cum quolibet mortalium amplius harum rerum ueritatem, diligenter inuestigauerimus, ad hoc specialiter studiosè, ut ea præsenti scripto mandaremus, sicuti longè antè, in nostro fuit proposito.

Qua ra-

Qua ratione quarta pars ciuitatis in ius & potestatem domini Patriarchæ cesserit. Caput XVII.

VEruntamen quartam partem ciuitatis ab introitu Latinorum, & etiam à multis retro temporibus, Hierosolymorum Patriarcham certum est tanquam propriam possedisse. Quod qualiter acciderit, & unde initiũ possidendi habuerit, & caussam, breuiter aperiendũ est. nam nos studiosius hoc inuestigantes, frequenti inquisitione tandem ad huius rei peruenimus indaginem. Habent ueterum traditiones, dum ciuitas illa ab infidelibus detineretur, nunquam pacem continuam, uel ad tempus modicum habuisse: sed frequentibus bellis, et crebris obsidionibus, finitimis principibus eam sibi uendicare uolentibus, perpetuò fuisse fatigatam. Vnde eius & turres & mœnia tum uetustate, tum obsidentium opera, in ruinam collapsa, hostiũ insidijs locum latè patêre cogebant. Cum igitur ea tempestate Aegyptiorum regnum uiribus & diuitijs, sed & prudentia seculari, cæteris quę uel in Oriente uel in Austro erant regnis esset pręstantius, uolens Aegyptius Calipha imperij sui fines porrigere, & suam longè lateq; propagare ditionẽ, missis exercitibus, uniuersam Syriam usq; Laodiceã, quæ Antiochiæ cõtermina, Cœles Syriæ limes est, uiolenter occupauit: designatisq; præsidibus, qui urbibus tam maritimis quàm mediterraneis præessent, uectigalia constituit, & uniuersam regionem sibi fecit tributariam: præcipiens singulorum ciuibus locorum, ciuitatis suæ muros reędificare, & turres ualidas per circuitum erigere. Hac communi lege procurator qui Hierosolymis præerat, eiusdem loci compulit habitatores legibus parêre cõmunibus, & mœnia cum turribus in statum reformare priorẽ. Quibus cum partes futuri designarentur operis, contigit ex malitia magis quàm ex opum comparatione, quod quarta pars structuræ illius, miseris Christianis qui in urbe degebant, designaretur. Erãt autem prædicti fideles, tot angarijs & perangarijs, tributis & uectigalibus, & aliorum sordidorum munerum præstatione attenuati adeò, quòd omnium opes uix sufficerẽt, ut una uel duæ de prædictis turribus resarcirentur. Videntes ergo quòd occasiones quærerent aduersus eos, non habentes aliud refugium, ad Præsidem accedunt, cum lachrymis supplicant, orantes, ut iuxta eorũ possibilitatem onus eis imponatur: nam quod iniunctum eis fuerat, omnino insufficientes erant portare. Qui cum à sua præsentia eos excludi præcepisset, sub graui interminatione dixit: Edicta summi principis, sacrilegium est uiolare: aut ergo opus iniunctum consummabitis, aut ultoribus gladijs, tanq; læsæ maiestatis reos, uos oportet succumbere. Tandẽ multiplicatis intercessoribus, & munerum interuentu, apud Præsidem ferias obtinent, quousque missis legationibus, ad D. Cõstantinopolitanum Imperatorem, eius ad peragendum opus prædictum, implorent eleemosynam.

Item de eodem: & quæ loca uenerabilis sæpe dicta pars infra se contineat. Cap. XVIII.

DEstinati ergo nuncij ad prædictum principem, & lachrymas fidelis populi non sine suspirijs audientium, quantum possunt exprimunt diligentius: pandentes ex ordine, sputa, colaphos, uincula, carceres, bonorum direptiones, cruces, supplicia quæ miser ille populus pro Christi nominẽ incessanter pateretur, et nunc quas de nouo aduersus hanc plebeculam ad perden-

perdendum eos quęrerent occasiones. Porrò tunc agebat in sceptris, uir prudens & magnificus D. Constantinus, qui cognominatus est Monomachus, Constantinopolitanū Imperium strennuè & uiriliter administrans. Is lachrymosis Christi fidelium petitionibus gratuitum impendens assensum, pecuniam promittit, unde opus iniunctum possit absolui, eorū molestijs & continuis afflictionibus plena charitate compatiens. Adijcit tamē conditionem, quod ea lege sit eam pecuniam eis largiturus, si apud regionis dominum id obtinere possint, ut intra prædictum muri ambitum, quem de Imperialibus eleemosynis erigere proposuissent, nulli nisi Christiano habitare liceret. Scribit igitur ad Cyprios, ut si Hierosolymitæ fideles id possent impetrare, de uectigalibus & fisco debitis tantam eis pecuniam ministrarent, quæ prædicto operi sufficere possit. Illi uerò ad propria reuersi, domino Patriarchæ & plebi quomodo egerint, pandunt seriatim. qui gaudētes uerbum amplexi sunt, & ad implendam legem pactorum, quàm dominus adiecerat Imperator, omni studio fideliter elaborant. Missis igitur nuncijs ad magnum & supremum eorum principem, Aegyptium uidelicet Calypham, prosequente eos diuino fauore, apud eundem prædictam impetrāt postulationem, & munimentum, eius subscriptione & sigillo corroboratum, insuper obtinent. Tandem fęliciter consummato negocio, ad propria reuersi, designatam muri partem, autore Domino, compleuerūt: anno ab incarnatione Domini M.lxiij. Regnante apud Aegyptios, & id fieri permittēte Bomensor Elmonstensab, anno tricesimo sexto ante urbis liberationem. Habitauerunt sanè usque in illum diem, promiscuè cum fidelibus, Sarraceni: sed ab ea hora, audita iussione Principali, ad alias ciuitatis partes de necessitate se cōtulerunt, quarta prędicta fidelibus sine contradictione dimissa. Vnde conditionem suam uidentur fecisse longè meliorem. nam de cohabitatione uirorum Belial, multo sepius oriebantur scandala, & multiplices eis accedebant molestię: tandem seorsum habitantes, sine admixtione zizaniorum degebant quietius: si quas habebant quæstiones, ad cognitionem referebant ecclesiæ, & mediante domini Patriarchæ (qui pro tunc erat) arbitrio, controuersias inter se decidebant. Sic ergo ab ea die, & ea ratione qua prædiximus, prædicta pars ciuitatis quarta, alium non habebat, nec habuit iudicem, nisi Patriarcham, & eam quasi propriam ecclesia sibi perpetuò uendicauit. Distinguitur etiam quarta prædicta hoc modo: à porta Occidentali, quæ dicitur Dauid: per turrim angularem, quæ cognominatur Tancredi: usq; ad portam Septentrionalem, quæ dicitur Protomartyris Stephani: est ambitus muri exterioris. Interius uerò limes est uia publica, quæ ab eadem porta usq; ad mensas numulariorum directè protenditur, & inde iterum ad portam occidentalem. Continet autem intra se uenerabilem locū Dominicæ passionis & resurrectionis, Domum hospitalis, utrunque monasterium, uidelicet uirorum & sanctimonialium, quorum utrunq; cognominatur De Latina: domum etiam Patriarchalem, & Canonicorum Dominici sepulchri claustrum, cum suis pertinentijs.

Quis

Quis esset status regni per illa tempora: & quomodo Dux urbem maritimam Arsur obsedit: & qua de causa eandem soluerit obsidionem. Caput XIX.

EOdem tempore, cum iam ferè omnes principes qui in expeditione uenerant, essent ad propria reuersi, ita quòd Dux solus, cui regnum erat commissum, & dominus Tancredus, qui in partē solicitudinis à domino Duce tanquam uir strenuus, & prudens, & felix, erat detentus: tam modicæ erant nostrorum facultates, & militantium copiæ, ut omnibus conuocatis, & certatim concurrentibus, uix inuenirentur equitum trecenti, & peditū duo millia. Vrbes autē qui in nostram uenerant ditionē, paucæ admodum erant: & locis hostilibus interiectis, interpolatæ, ita ut summo periculo, cum necessitas id exposcebat, de una ad aliam ueniret. Suburbana aūt etiam in nostrorū finibus uniuersa ab infidelibus & Saracenis incolebant: qui licet sçuiores hostes nostro non essent populo, eoq̃ peiores quo & domestici: nulla enim pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Hi nō solum incautè gradiētes uijs publicis obtruncabant, & hominum mancipabant seruituti, uerumetiam agrorum culturam denegabant, ut fame nostros affligerēt, malentes ipsi esuriem pati, quàm nostris, quos hostes reputabant, aliquam ministrarent commoditatem. Nec solum urbibus egressi, suspectas habebant semitas, uerùm & in domibus intra urbium mœnia constitutis, propter inhabitantium raritatē, & patulas hostibus murorū ruinas, uix tutus inueniebatur ad quiescendū locus. Nocturni enim fures, urbes uacuas, & raro habitatore cultas, clandestinis irruptionibus effringebāt, in proprijs domicilijs multos opprimentes: unde nonnulli clàm, multi etiam manifestè possessiones quas acquisierant deserentes, reuertebant ad propria, arbitrantes quod una die hi qui patriam tueri nitebantur, ab hostibus opprimerent, & non esset qui eos ab imminentibus cladibus posset eruere. Hi causam edicto dederunt, ut annua præscriptio locum haberet, & eorum foueret partes, qui in tribulatione perseuerantes per annum & diem tranquillè & sine quæstione aliquid possiderent. Quod introductū est, ut prędiximus, odio illorum qui timoris causa suas reliquerant possessiones, ne post annum redeuntes, ad earum admitterentur uendicationem. Cumq̃ tanta regnum laboraret inopia, adiecit tamen uir Deū timens, Deoq̃ amabilis, autore Domino, regni fines ampliare: conuocatisq̃ militaribus auxilijs, & populo regionis, urbem maritimam, Ioppensi conterminam, quæ olim dicta est Antipatrida, nūc uerò uulgari appellatione dicit Arsur, obsidet. Sed cū in ea essent uiri fortes, & strennui armis, uictualibus & cæteris ad hos usus necessarijs abundātes, Dux uerò exterius grauem sustineret inopiam, & maximè quia naues nō habebat, quibus obsessis introitum negaret & exitum, necessitate compulsus, prædictam soluit obsidionem, expectans ut tempore procedente, magis opportuna sibi ad id complendum cōcessa, diuinitus eidem se offerret occasio: sed morte pręuentus immatura, ad optatum propositum nō peruenit.

Factum memoria dignum, quod Duci in eadem obsidione accidit. Caput XX.

ACcidit autem in eadem obsidione dignum memoria quoddam, quod pręsenti lectioni curauimus inserere. De montibus Samarię, in quibus urbs Neapolitana sita est, quorundam suburbanorum reguli deferentes se-

cum xenia panis & uini, caricarumq́ue, & uuæ passæ, ad prędictam descenderunt obsidionem, magis (ut credimus) ut nostrorũ explorarent uires & multitudinẽ, & de statu eorũ plenius edocerent, quàm ut Duci deferrẽt munera. Hi, postq̃ in exercitũ peruenerunt, ut ante Ducem introducerent, cœperunt instanter postulare. in cuius constituti pręsentia, obtulerunt donaria quæ secum attulerant. Dux aũt, sicut uir humilis erat, & seculi pompã omnino declinans, super saccum stramine plenũ, hum: positũ, residebat, suos expectans quos pabulatum emiserat. Quod intuentes illi, admiratione stupidi, quæsierunt, cur tantus princeps, & tam admirabilis dominus, qui ab Occidente uenerat, totum concusserat Orientẽ, & regnũ maximũ in manu ualida occupauerat, ita sederet inglorius, ut neq; tapetia, neq; holoserica circa se more haberet regio: nec stipatus satellitibus armatis, formidabilem se præberet accedentibus. Quibus ita percũctantib. quæsiuit Dux quid loquerent. quo cognito, respondit: Quod homini mortali sufficere meritò terra pro sede tẽporali poterat, cui post mortem perpetuũ domiciliũ est pręstitura. Quod audiẽtes qui gratia tentandi accesserãt, admirantes uiri responsum, humilitatẽ & prudentiam, abierunt dicẽtes: Quia uerè hic est, qui uniuersas regiones debeat expugnare, & cui repositum est de uitæ merito, populis & nationibus principari. Mirabanẽ & timebant pariter finitimarũ habitatores regionum, peregrini uirtutẽ, & successum populi, eoq; in maiorẽ rapiebantur admirationẽ et metum, quo hæc suorum relatione, quibus amplius credere tenebantur, cognouerant. & usq; ad Orientis ulteriora factum hoc tam mirabile diuulgabaẽ.

Boamundus Antiochenorum princeps apud urbem Meloteniam capitur. Caput XXI.

DVm hæc ita in regno Hierosolymorum aguntur, accidit quod quidam Gabriel nomine, Armenius natione, qui urbi Melotenię, trans Euphratem in Mesopotamia sitæ præerat, Persarum timens incursum, & eorum nõ ualens sustinere molestias, legatos misit ad D. Boamundũ Antiochenorum principẽ, inuitans ut ad se uenire nõ differat, prædictã urbem quibusdã conditionibus interpositis, ilicò recepturus. Quod audiens uir magnificus D. Boamundus, uocationẽ uiri impigrè secutus, assumpto sibi solito comitatu, transito Euphrate, Mesopotamiã ingressus, penè iam ad urbem prædictam peruenerat, cum ecce Turcorũ quidam potentissimus satrapa, Dasmam nomine, eius aduẽtu præcognito, ex improuiso in eius comitatũ irruit: & incautos opprimens, quosdã in ore gladij peremit, reliquos uerò multitudinẽ hostium ferre nõ ualentes, adegit in fugam. Ipse uerò D. Boamundus, peccatis exigentibus, captus est ab hostibus, & eorum uinculis mancipatus. Quo successu elatus, de multitudine exercitus, quem secũ trahebat copiosum, præsumens, eandem urbem obsidione uallat, in proximo sperans se eam habiturã. At uerò qui de prædicto periculo euaserant, Edissam peruenientes, Comiti ex ordine pandunt casum, qui D. principi & eis acciderat. Quod intelligens uir strenuus, domino principi tanq; fratri uterino compatiens, & periculoso rei euentu cõmotus, interim militares cum omni celeritate conuocat copias: & sumptis ad iter necessarijs, ad partes uelox accelerat. Distare autẽ dicitur prædicta ciuitas ab Edissa itinere dierum trium. quod subito & maturè conficiens, iam proximus urbi aderat: sed audiens prædictus Dasmam Comitis aduen-

aduentum, obsidione soluta, secum ducens D. Boamundum, quem tenebat in uinculis, in partes regni sui, prælium declinans, secessit ulteriores. At uerò comes audiens, quod prędictus Damasma eius formidans aduētum, ab obsidione discesserat, insectatus est triduo fugientem: uidens quod non proficeret, Meleceniam reuersus est, ubi à prędicto Gabriele magnificè, cum ingenti copia ac gloria susceptus, tractatus optimè, ciuitatem eisdem conditionibus, quibus domino Boamundo prædictus Gabriel obtulerat habendam, recepit. Hisq; peractis, ad propria reuersus est.

Dux inuadit incautius se habentes, & inde cum preda maxima reuertitur. Arabum quidam regulus, uidens uirtutem Ducis, cum eo pacificitur. Caput XXII.

INterea dum uir insignis dominus Dux, & sui, qui cum eo (alijs discedentibus) ut regnum conseruarent, Hierosolymis remanserāt, tanta laborarēt inopia, tanta affligerentur paupertate, quantam uix aliquis uerbo posset exprimere: accidit, quod per exploratores, quibus merito fides erat adhibēda, nunciatum est, quod in partibus Arabiæ trans Iordanē, in regione Ammonitarum quidā Arabes incautius se haberent: unde si super eos repentè irrueretur, ingentia possent lucra reportari. Quibus uir illustris persuasus, conuocatis secretius, tam equitū q̃ peditū copijs, quales regnum recens ministrare poterat, transitò Iordane, hostiū fines ingressus est: ubi feliciter consummato negocio, dum cum ingenti præda gregum & armentorū, & infinitis mancipijs reuerteret, nobilis quidam, & populo suo pręclarus princeps, de gente Arabum industrius, & disciplinę militaris feruentissimus amator, impetrata pace per internuncios, ad eum cum honesto nobiliū eiusdē gentis accessit comitatu. Audierat enī multorū relatione, de populi huius uiribus, & gloria, qui ab Occidente descendens, per tot terrarū spacia, & tantā laborū multiplicitatē uniuersum sibi Orientē subiecerat: & præcipuè de Ducis uirtute singulari, & strenuitate pręcipua, unde studio feruentissimo eum uidere gestiebat. Accedens igitur, & exhibita reuerētia, cum debitæ salutationis affatu, multa precum Ducem rogauit instantia, ut in conspectu eius, gladio suo, camelum maximū, quem pręsentē ad eum usum exhibuerat, ferire dignaret, ut & ipse posset uirtutis eius alijs testimoniū perhibere. Cui dux, quoniā ad uidendū eum de remoto aduenerat, acquieuit: & euaginato gladio, cameli præsentis caput amputauit ita facilè, tanquā si rem fragilē iussus esset præscindere. quo uiso, obstupuit Arabs uirtutis immensitatē: sed in mente sua multum id ascribebat ensis acumini. Vnde impetrata licentia, ut confidentius loqueret, quęsiuit, utrum cum alterius gladio simile quid posset operari. Dux uerò subridens, eiusdē nobilis uiri sibi dari pręcepit gladiū: quo arrepto, aliud sibi eiusdem generis animal iussit præsentari: quo percusso, caput eius uno ictu sine difficultate præcidit. Hic uerò primum sæpe dictus uir nobilis admirari cœpit cum stupore uehementi, & ictus uehementiam, non ex ferri acie, sed ex robore uiri cognouit procedere. Quodq; de uiri uirtute audierat, uerum esse comperit: unde oblatis muneribus in auro & argento, & in equis, domini Ducis sibi conciliauit gratiā. & reuersus ad propria, uirtutis, quam in Duce uiderat, pręco factus est, ad quoscunq; loquebatur. Dux uerò cum pręda & manubijs Hierosolymam reuersus est.

Obitus ducis, & eiusdem sepultura. Caput XXIII.

EOdem mense, Iulio uidelicet, idem dominus Godefridus, regni Hierosolymorum egregius moderator, ualida & incurabili correptus ægritudine, ægrotare cœpit ad mortem. Tandem inualescente morbo, nec exaudiente remedia, assumpto salutis nostræ uiatico, deuotè pœnitēs, et uerus Christi confessor, uiam uniuersæ carnis ingressus est, centuplum accepturus, & cum beatis spiritibus uitam possessurus æternam. Obijt autē decimo quinto Cal. Augusti: anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo. Sepultus est uerò in ecclesia Dominici sepulchri, sub loco Caluariæ, ubi passus est Dominus. Vbi & successoribus eius usq; in præsentem diem pro sepultura deputatus est locus.

LIBER DECIMVS.

Dominus Balduinus Edissanus comes, defuncto fratri succedit in regno. Caput I.


Ecedente ab hac luce, sed tamen lucem meliorem consecuto, inclytæ & piæ in Domino recordationis, domino duce Godefrido, primo ex Latinis regni Hierosolymorū moderatore insigni, uacauit regnum mensibus tribus. Tandē uerò, siue de supremo domini ducis iudicio, siue de cōmuni principū, qui pauci erant, consilio, citatus est dominus Balduinus Edissanus comes, domini prędicti ducis ex utroq; parente frater, ut in regnum accederet, iure sibi debitum hęreditario, & fratri succederet in eadem cura. Hic in adolescentia sua, liberalibus disciplinis conuenienter imbutus, clericus, ut dicitur, factus est, & in Remensi, Cameracensi, Leodiensi ecclesijs beneficia, quę uulgò Præbendæ dicūtur, gratia generositatis, qua singulariter præeminebat, obtinuit: tandem ex causis nobis occultis, arma capessens militaria, deposito clerici habitu, miles effectus est. Demumq; procedente tempore, uxorem ex Anglia duxit illustrem & nobilem, dominam Gutueram nomine, quam secum deducens, dominum ducem Godefridum, dominū Eustachium fratres suos, uiros uirtutum & immortalis memoriæ, in expeditionem illam primam faustam & felicem secutus est. Prædicta uerò eius uxor, antequam Antiochiam fidelis perueniret exercitus, longo fatigata dolore, apud Maresiam optimo fine uita decessit, ibiq; sepulta est, ut prædiximus. Ipse autem postmodum ab Edissano duce uocatus, & ab eo adoptatus in filium, & post eius mortē Comitatū cum suis pertinentijs consecutus, sicut diligenter præmissum est: uxorem duxit cuiusdam nobilis & egregij Armeniorum principis, Tafroc nomine: qui cum fratre Constantino circa Taurum montem præsidia habebāt inexpugnabilia, multasq; uirorum fortium copias: unde & propter diuitiarum & uirium immensitatē, gentis illius reges habebantur. De sementina autem eius secundum carnem originē, & de progenitorum excellentia, uel natiuitatis loco, non multū est necessarium repetitos edere tractatus: nam dum superius domini Ducis gesta conscriberemus, sufficienter de illa quæ communis est ambobus, edisseruimus ingenuitate.

De corpo

De corporis habitudine, & qualitate morum eiusdem domini Balduini. Caput II.

Dicitur autem fuisse corpore ualde procerus, ita ut, sicut de Saul dicitur, altior esset uniuerso populo ab humeris supra capillũ, & barbã fuscus, carne tamen mediocriter niueus: naso aquilino, & prominente pusillũ labro superiore, cum subiecto dentium ordine aliquantulum depresso: non tamen eatenus, quod usque ad uicium ei posset imputari. Grauis in incessu, habitu & uerbo serius, chlamydem semper deportans ab humeris, ita ut ignotis grauitate (quam & uerbo prætẽdebat, & habitu) episcopus magis quàm secularis persona uideretur. Veruntamen ut uiciatæ propaginis, & primæ maledictionis hęredem se non dubitaret, carnis dicitur lubrico impatienter laborasse: ita tamen cautè quæ ad illum defectum respiciunt, negocia procurare satagebat, ut nemini scandalum, nulli uis maior, nulli enormis infligeretur iniuria: quodque rarum est in huiusmodi, uix ad paucos ex cubicularijs eius, huius rei poterat peruenire notitia: tamen si more peccatorum ad excusandas excusationes in peccatis eius fautor quærit descendere, uidetur aliquantulum apud homines, & si non apud districtum iudicem, excusationẽ habere de hoc peccato, sicut in sequentibus dicetur. Fuit autem nec multum distentus pinguedine, nec immoderata macie tenuis, sed media quadã corporis habitudine, promptus ad arma, ad equum agilis, impiger & solicitus: quoties eum uocabant regni negocia. Porrò magnificentiam, animositatem, & disciplinæ militaris experientiam, et cæteras animi benè dispositi dotes egregias, quas uelut iure hęreditario à progenitoribus in se transfusas, tam ipse quàm fratres eius perpetuò possederunt, superfluum uidetur in eo commendare, præsertim cum domini Ducis ita extiterit expressus æmulator, ut crimen sibi reputaret ab eius uestigijs declinare: eo minus, quod cuiusdam Arnulphi, hominis nequam & pessimi (qui Hierosolymis erat Archidiaconus, cuius ad malum omne opus & intentio prona dicebatur: de quo superius fecimus mentionẽ, quod sedem inuaserat Patriarchalem) nimia utebatur familiaritate, & regebatur consilio, quod ei ad notam imputabatur.

Comes Garnerus, defuncto Duce, turrim occupat, prædictum Balduinum occultè citat internuncijs. Caput III.

Defuncto igitur domino Duce, & sepulturæ tradito, ut præmisimus: hi, quibus de suprema uoluntate mandauerat testamenti sui executionem, arbitrium deferentes defuncti, suam illius iudicio prætulerunt uoluntatem. nam neque arcem Dauid domino Patriarchæ Daberto tradiderunt, nec ciuitatem eius resignauerunt ditioni, sicut testamenti tabulis continebatũ, & sicut in die sancto paschæ, quod proximè præterierat, præsente clero & populo, in ecclesia Dominicæ resurrectionis, Dux in Domino piæ recordationis, pactis inter eum & dominũ Patriarcham initis, interseruerat. Huius aũt contumaciæ princeps erat quidam comes Garnerus de Grez, miles acerrimus, dominorum Ducis & Comitis consanguineus: hic confestim mortuo Duce, prędictam turrim inuadens, diligenter cõmunierat, miseratque ad dominum comitem Balduinum occultè nuncios, alijs ignorantibus, ut uelocissimus, et sine dilatione ueniret: dumque sub eo facto à domino Patriarcha sollicitaretur frequentius, ut Ducis uoluntati satisfaciens, arcis ius ecclesiæ resignaret, inne

 ctebat

ctebat ambages, moras contexens, & tempus quocunque modo quærens redimere, ut Comes citatus, interim iure suo adhuc illibato posset accedere: sperans, multum gratiæ apud sæpedictum Comitem, pro huiusmodi fidelite exhibita, se inuenturum. à qua spe delusus decidit, præter omnium opinionem. Accidit enim, quòd infra quinque dies, idem Comes, casu uita decessit, omnibus ducentibus pro miraculo, & domini Patriarchæ meritis ascribentibus, quòd hostis & persecutor ecclesiæ ita subita morte defecerat: sed neque in eius defectu ecclesiæ melior facta est conditio. Nam qui in præsidio erant, quod acciderat non magni facientes, in eadem usque ad aduentum Comitis Edissani perstiterunt. Porrò dominus Patriarcha sciens Comitem uocatum esse, & eius formidans aduentum, uolens eius promotionem quocunque modo impedire, domino Boamundo Antiochenorum principi, epistolam rei seriem plenius cōtinentem dirigit. Cuius rescriptum ad maiorem rei euidentiam, præsenti inserere curauimus lectioni.

Epistola domini Deiberti, ad principem Antiochenorum. Caput IIII.

SCis fili charissime, quoniam me ignorantem & inuitum, bonæ tamen ac sanctæ intentionis affectu, in eam quæ omnium ecclesiarum singularis est mater & gentium domina, Rectorem et Patriarcham elegeris, electumque communi tam cleri ac plebis, quàm principum assensu, in huius summæ dignitatis sedem, licet indignum, Dei præeunte gratia locaueris. In quo ergo culmine constitutus, quanta pericula, quot labores, quot persecutiones sustineam, iniurijs offensus mille, meus cognoscit animus, & ipse cognoscit omnium inspector Christus. Vix enim dux Godefridus dum adhuc uiueret, non tam propriæ uoluntatis arbitrio, quàm malorum persuasione seductus, ea reliquit ecclesiæ tenenda, quæ Turcorum temporibus, qui tunc fuerat Patriarcha, tenuerat, & sancta Ecclesia, cum amplius honorari & exaltari debuerat, tunc maiora desolationis & confusionis suæ opprobria sustinuit. Resipuit ille tamen, & per misericordiam Dei ab impietatis desistens proposito, in die purificationis Beatæ Mariæ uirginis, de Ioppe quartam partem ecclesiæ sancti Sepulchri dedit: & post in die Paschalis solennitatis, iam ultra superbè sapere, aut in seculari pompa confidere respuens, diuino nutu compunctus, cuncta quæ iuris erant Ecclesiæ, liberè reddidit: & homo sancti Sepulchri ac noster effectus, fideliter se Deo, & amodo militaturum spopondit. Reddidit itaque nostræ potestati turrim Dauid, cum tota Hierosolymitana urbe, eiusque pertinentijs, & quod in Ioppe ipse tenebat: sic tamen, ut ob rerum temporalium insufficientiam, nostra concessione, ipse hæc tam diu teneret, donec illum Deus in captione Babylonis, aut aliarum urbium amplificasset. Si autem absque hærede masculo moreretur, hæc omnia absque ulla contradictione ecclesiæ redderentur. Hæc omnia cum in præsentia totius cleri ac populi in die solenni Paschæ ante sacrosanctum Sepulchrum confirmasset, & in lecto ægritudinis de qua mortuus est, coram multis & probatis testibus ipse constituit: quo defuncto, Comes Garnerius, ut hostis contra ecclesiam Dei insurgens, fidem pactumque iustitiæ nihili pendens, turrim Dauid contra nos muniuit: & legatis suis ad Balduinum directis, mandat, uti ecclesiam Dei direpturus, resque eius uiolenter occupaturus, quantocyus

tocyus ueniat. unde iudicio Dei percussus, quarto post obitum Ducis die obijt. Hoc autem ipso mortuo, uiri ignobiles ac de plebe, adhuc eandem turrim cum tota urbe occupantes tenent, aduentum Balduini, ad ruinam ecclesiæ & totius Christianitatis interitum præstolantes. At ego, qui solius Dei clementiæ, tuæq; dilectioni, fili charissime, sum relictus, miserijs omnibus calumnijsq; insidiantium mihi malignorum circumuentus, tibi soli, quia in te solo post Deum confido, & spei meæ anchoram in tuæ dilectionis soliditate figo, tibi (inquam) soli, quas patior erumnas, imò quas ecclesia patitur, uoce flebili & anxia pietate & cogitatione refero. Tu autem si quid pietatis habes, & nisi paternæ gloriæ uis esse degener filius (qui tyrannica crudelitate, clausum ab impia manu dominum Apostolicum Gregorium de urbe Roma eripuit, unde memorabile seculis omnibus nomen emeruit) omni occasione remota, festina uenire, & terræ Regniq; tui cura in militibus tuis prudentioribus sapienter disposita, sanctæ Ecclesiæ miserabiliter laboranti, misericorditer succurre. Et certè scis ipse, quoniam auxilium tuum, consiliumq; promiseris, & debitorem sanctæ ecclesiæ ac mihi sponte tua feceris. Scribe igitur ad Balduinum literas, interdicens ei, ne sine licentia nostra & legatione (cum ille tecum in Patriarcham & Rectorem ecclesiæ Hierosolymitanæ me elegerit) sanctam Ecclesiam deuastaturus, & res eius occupaturus, ullo modo ueniat: monstrans ei (quoniam ignorabile est) tot uos pro eadem ecclesia labores sustinuisse, totq; pericula, ut illa libera fieret, non ut nunc uilis & abiecta seruire cogatur illis, quibus dominari & præesse iure materno debet. Quod si ille iustitiæ resistens, rationabilibus acquiescere noluerit, per eam quam beato Petro debes obedientiam, contestor, ut quibuscunque modis uales, aut etiam si necesse sit, armis aduentum eius impedias. Quicquid autem super ijs quæ mando, tu facturus sis, galea tua ad me sub festinatione missa, per hunc eundem, quem ad te mitto nuncium, mihi charissime manifesta.

Accedit dominus Balduinus, Hierosolymam properans, & circa fluuium Canis hostium reperit insidias. Caput V.

HAnc tamen epistolam, ad dominum Boamundum minimè credimus peruenisse. Nam eodem mense quo dominus bonæ memoriæ Dux, carne dissolutus, migrauerat ad Dominum, modico antè uel postea captus erat ab hostibus, sicut diligenter præmissum est. Dominus uerò Balduinus Edissanorum Comes, reddita sibi egregia Medorum metropoli, Meletenia, fausta fœlicitate fruebatur: & perdomitis hostibus in circuitu, admodum aliquam sibi pacem & populo suo, per Dei gratiam obtinebat: cum ecce nuncius ab Hierosolymis properans, dominum Ducem uita decessisse nunciat. cognitoq; quod amici & fideles fratris defuncti eum instanter uocabant, ut ad regni maturaret successionem, congregato sibi ducentorum equitum, & octingētorum peditum comitatu, resignata terra in manus cuiusdam consanguinei sui, uiri prudentis & egregij, domini uidelicet Balduini de Burgo, qui sicuti in illo comitatu, ita & postmodum in regno successit, vi. Nonas Octobris uersus Hierosolymam iter arripuit, mirantibus nonnullis, quod cum tam exiguo apparatu, tantū iter, per medios hostium

fines aggredi proposuisset. Cum aũt peruenisset Antiochiam, uxorem cum ancillis quæ ei famulabantur, cum onerosa supellectile & plurima parte sarcinarum præcepit ad mare descendere, ubi & nauigium iusserat præparari, quo illa honestè usque Ioppen deuehi posset. nam hæc sola ex maritimis urbibus, in nostram uenerat ditionem, reliquis omnibus adhuc ab infidelibus detentis. Hoc autem eo uidetur fecisse intuitu, ut hostium regiones transiturus, expeditior esset ad ea quæ occurrerent negotia, atque ad casus repentinos omnino paratior. Inde Laodiceam Syriæ perueniens, oram maritimam secutus, per Gabulum, Valeniam, Maracleam, Antaradon, Archim, usque Tripolim peruenit: ubi ab eiusdem ciuitatis rege, in castris extra urbem muneribus & honore præuentus, didicit eodem insinuante rege, quod Ducach Damascenorum rex, proficiscenti ei in uia præstruxerat insidias. Et procedẽs inde & Biblum pertransiens ad fluuium peruenit, qui cognominatur Canis. Est autem in eodem transitu locus periculosissimus, inter montes excelsos, rupium asperitate & ascensu arduo, nimis imperuius: & fretosum mare, uix habens latitudinis cubitos duos, longitudinis autem stadia quatuor. Has locorum angustias & callem periculosum obsederant, ut transitum impedirent, regionis incolæ, & de Turcis nonnulli: qui ut iter domini Comitis præpedirent, ad hoc de remotis conuenerant partibus. ad quem locum cum peruenisset dominus Comes, præmissis aliquot de suis qui rem prætentarẽt, cognouerunt quosdam de ijs qui locum munierant, transito flumine descendisse in planũ: quod uidentes nostri, timentes ne post se maiores reliquissent insidias, rei statum domino Comiti per unum ex ipsis indicauerunt. Qui sine mora aciebus instructis eis occurrens, ad congrediendum paratos reperit. in quos animoso irruens impetu, primo conflictu eorum soluit manipulum, pluribus ex eis interemptis, reliquis autem in fugã conuersis: sarcinisque depositis ibi ut castra locarent, præcipit: & cum locus esset arctus aliquantulum inter montes & mare, noctem duxerunt in multo discrimine peruigilem, molestias eis irrogãtibus, tam ijs qui in montibus aditus præoccupauerant, quàm qui in nauibus ab urbibus Beritensi & Biblio descenderant, sagittarum tota nocte multitudinem immittentes, & circa extrema castrorum multa nostris inferentes incommoda, & tantis exacerbantes angustijs, ut equos fessos ex itinere, & præ caloris immensitate sitibundos, ea nocte quamuis propè esset fluuius, non posset adaquare.

Vincuntur hostes, & expedito itinere Balduinus peruenit Hierosolymam. Caput VI.

POstea autem illuscente die, communicato cum suis consilio, præcepit Comes, ut compositis ad iter sarcinis redire incipiant: & præmissis debilioribus & qui ad arma non multum poterant, ipse cum robustis sequebatur, non solum à tergo, uerùm ex utroque latere irruentium sustinens impetus. id autem prudenter nimis et callidè suo more, ut hostes deciperet, adinuenerat, non de suo diffidens comitatu, sed ut eum fugientẽ insequentes, inque locis patentibus hostes reperiens, cum eis liberius cõgredi posset: plurimũ enim angustias metuebat. Dumque sic in redeundo eius laboraret exercitus, hostes arbitrati caussa formidinis eos reditum maturare, tanto instant proteruius, quanto eos amplius timore deiectos arbitrantur. Descendentes igitur de locorum

eorum angustijs, certatim per loca liberiora nostros urgentissimè cœperunt insectari, ita ut qui in nauibus erant prædam affectãtes, in terram desilirent, sperantes sine difficultate tanquam deuictis hostibus trophæum reportare. Videns aũt Comes, quod montes deseruerant, & iam plana tenentes, nostris instabãt urgentibus, indicto suis reditu, erectis uexillis, in hostes acrius instantes regreditur: eumq́ insecutæ acies, domini prætereuntis exemplo irruunt animosius. & antequam in montes more solito se possent recipere, gladijs in eos uibratis desæuiunt, usq; ad supremam interniciem nõ parcentes. Illi uerò nostrorum nõ ferentes impetum, & cædentium robur admirantes, & stupentes instantiam, nullam defensioni dant operã, sed in sola fuga spem habentes ea uia saluti consulerunt, ita ut nec qui de nauibus exierant, ad mare redire præsumerent, & qui ad montes se cõtulerant, dum incautè fugiunt, periculosa incurrentes præcipitia, improuisæ mortis mille uias inuenirent. Hostibus igitur ita prostratis, nostri uictores ad locum ubi sarcinas & impedimenta dimiserant, cum exultatione redeunt. ubi nocte quiescentes, benedixerunt Dominum, qui potentes deponit, & exaltat humiles. At uerò die sequente retrocedentes, usq; ad locum qui dicitur Vima, curam sibi, et equis debitam impendentes sollicitudinem, prædam inter se more militari diuiserunt, & capta mancipia. Mane uerò subsequente, uolens dominus Comes, comitatui suo prudenter fideliterq́ prouidere, assumptis sibi de expeditioribus equitibus nonnullis, ad locum ubi pridie conflictus fuerat, accessit intrepidus, perscrutari uolens, utrum adhuc angustias detinerent aduersarij, an locus transire uolentibus liberè pateret. Videnscq́ transitum hostibus uacuum, & sine difficultate permeabilem, suos facit euocari. qui audita optabili legatione ad locum peruenientes, sine molestia dominum Comitem consecuti, locum transeunt, quem diu habuerant suspectum, & meritò formidabilem: et accedentes ad pagum Beritensium, ante urbem castrametati sunt. inde oram sectantes maritimam, & transeuntes Sydonem, Tyrum & Ptolemaidam, usque ad locum cui nomen Cayphas peruenerunt. Comes uerò suspectum habens dominum Tancredum, propter illam enormem & nimis indebitam, quam in eum apud Tarsum Ciliciæ commiserat, iniuriam, neminem suorum in urbem prædictam permisit introire, timens ne uir magnificus, offensæ memor, uellet ei uicem rependere. Porrò dominus Tancredus aberat. ciues tamen eius, domino Comiti exeuntes obuiam, benignè multum & fraterno charitatis affectu, rerum uenalium, & maximè eorum quæ ad uictum erant necessaria, bonis conditionibus obtulerunt commercium. Inde per Cæsaream, deinde Arsur uiam legentes maritimam, usq; Ioppen peruenerunt, ubi ab uniuerso clero & populo solenniter exceptus, fauentibus uniuersis, pro Domino se gessit. Inde profectus Hierosolymam, occurrente sibi uniuerso clero & populo, tam Latinorum quàm aliarum nationum, cum hymnis & canticis spiritualibus, tanquam Regem & dominum suum introduxerunt gaudentes.

Patriarcha Dabertus, Balduini timens aduentum, in ecclesiam montis Sion, relicta domo Patriarchali se confert. Caput VII.

PEr idem tempus, Arnulphus, de quo superius fecimus mentionem, primogenitus Sathanæ, filius perditionis, uidens quod à Cathedra Iacobi, quam ausu temerario inuaserat, meritis exigentibus decidisset, molestare cœpit & turbare quietem domini Daberti, quem eadem ecclesia de communi omnium conniuentia sibi præfecerat. Statim enim post Ducis obitum, apud dominum Balduinum Comitem, eum Simoniæ accusauerat, cleri quoque partem conciliauerat aduersus eum, sicuti malitiosissimus erat, & scandalorum sator. Erat etiam potens, & in diuitijs superabundans, archidiaconatum habens eiusdem ciuitatis, & pro stipendijs Templum Domini & Caluarię locum: Sic ergo quoniam & diues erat, & prudens ut faceret malum, plurimum in clero, magis autē apud seculares poterat personas. Videns itaq; dominus Patriarcha & prædicti Arnulphi malitiam, (qui ei datus erat pro stimulo) & Comitis crudelitatem, suspectum habens eius aduentum, descendens de domo Patriarchali, in ecclesiam montis Sion se contulerat, ibiq; scandala fugiēs, priuatus lectioni & orationi uacabat: unde prædictæ domini Comitis receptioni & honori eidem à ciuibus impenso, suam non exhibuerat præsentiam.

Comes uersus Ascalonam expeditionem dirigit. Iordanem transit, terras hostium uiolenter ingreditur, tandem Hierosolymam redit. Caput VIII.

CVm igitur per dies aliquot, Comes moram fecisset in urbe, ut sibi & equis aliquam indulgeret requiem, ordinatis regni negotijs, quantum ad illud præsens uidebatur sufficere, sicuti homo laboriosus erat, & ocia fugiens, congregata expeditione, tam ex ijs quos secum eduxerat, quàm quos in regno repererat, subitus & ex improuiso ante urbem astitit Ascalonam. Vbi cum egredi ciues contra eum formidarent, uidensq; quod non multum proficeret, campestria secutus, quæ inter montes & mare media interiacent, suburbana inuenit: quorum habitatores relictis domibus, in specus subterraneos cum uxoribus & liberis, cum gregibus & armentis se contulerant. Erant autem latrunculi & prædones, uiarum effractores publicarum, qui crebris irruptionibus inter Ramulam & Hierusalem, iter reddiderant ualde periculosum, in uiatores incautos ferro hostiliter sæpius sæuientes: quo cognito, Comes instare præcepit uehementius, & igni ad ostia speluncarum adhibito, fumidam docet adhibere materiam, ut fumo inclusos molestante, ad deditionem cogeret, uel aëre suffocatorio spiritus compelleret exhalare. Factūq; est ita, quòd qui intus erant, incendiorū cauma, fauillam, fumiq; inportunitatem non ferentes, sine conditione in manus se darēt Comitis. Quibus nō parcens, iuxta id quod eorū uidebanť exigere merita, centū ex eis decollari pręcepit: sumptis uictualibus, quę tam ad usus hominū quàm iumentorū apud eos reperta sunt necessaria. Tribu Symeon decursa, ad montana inde cōscendit. ubi locū sepulturæ Patriarcharū Abrahæ Isaac & Iacob, et Lebrē, Hebron uidelicet, quę alio nomine dicitur Cariathiarbe, præte-

pretereuntes,per uineas Engaddi,ad uallem descendit illustrem, ubi est mare salsissimum. Deinde Segor, (paruulam quidem, sed tamen quæ Loth de Sodomis fugientem nouit saluare) transeuntes, fines Moabitarū ingressi, Syriam Zobal perlustrauerūt uniuersam, tentātes si quid eis occurreret, in quo gentem perfidā damnificare possent, suas uerò conditiones reddere meliores. nihil tamen illo toto itinere profecerunt, nisi quòd de bonis hostium se & equos & iumenta exhilarabant. Pręcognito enim eorum aduentu regionis incolæ, ad montes imperuios & ad consueta confugerant præsidia, ita ut uniuersam nostri deambulantes regionem, uacuā & sine cultore reperirent. Tandē uidens D. Comes quod non proficeret, & quòd Natiuitatis Dominicæ immineret solennitas, eandem uiam, qua uenerat, reuersus, xij. Cal. Ian. die festo sancti Thomæ Apostoli, Hierosolymam ingressus.

Reconciliatis adinuicem Patriarcha & Comite, Comes in Regem inungitur. Caput IX.

ANno igitur ab incarnatione Domini millesimo centesimo primo, reconciliatis adinuicem domino Patriarcha, & domino Comite Balduino per quorundam prudentum cōmendabilem interuentum, in die sancto Natiuitatis Dominicæ, in ecclesia Bethleemitica, astantibus clero & populo, ecclesiarū quoque prælatis & regni principibus, consecratus est in Regem, inunctus per manum D. Daberti memorati Patriarchæ dominus Balduinus, & regio diademate solenniter laureatus.

Tancredus ueteris memor iniuriæ, ab eo discedit ab Antiochenis uocatus. Caput X.

DOmino itaque Balduino, ut prædictum est, regni solium obtinente, & in regno constituto, dominus Tancredus inclytę recordationis, & piæ in Christo memoriæ, iniurię memor, quam ab eodem domino Balduino apud Tarsum Ciliciæ, præter merita passus fuerat, sicuti uir religiosus erat, & propriæ conscientiæ, timens ei aliquo fidelitatis uinculo obligari, quem non poterat pura charitate diligere, urbem Tiberiadensem simul & Caypham, quæ illustris memoriæ dominus Godefridus ob insignia eius merita ei liberaliter concesserat, in manus domini Regis resignauit: sumptaque licentia, discessum eius molestè ferentibus uniuersis, ad partes secessit Antiochiæ. Sæpe enim & sępius ab eiusdem regionis principibus euocatus fuerat, ut usque ad reditum domini Boamundi, si quando eum Dominus de carcere educere dignaretur, principatus curam gereret & sollicitudinem, tanquam is ad quem de iure hæreditario, si domino Boamundo redire non daretur, uniuersa deuolueretur hæreditas. Peruenienti igitur Antiochiam, populus & maiores generalem & liberam statim contulerunt administrationem. Rex uerò resignatam sibi Tiberiadem cuidam Hugoni de sancto Aldemaro, uiro nobili & in armis strennuo, iure concessit hæreditario possidendam. Quieuit regnum quatuor mensibus.

Rex Iordane transito, de hostium finibus prædam trahit innumeram, & factum eius plurimum commendabile describitur. Caput XI.

COntigit autem per eosdem dies, suggerentibus uiris quibusdā, quibus idipsum officium erat, regionum finitimarum statum et hostium explo

rare

rare infirma. quod rerum conuocata secretius ingenti militia, Iordanem transiens, fines Arabum ingressus est: et pertrãsiens usque ad interiora solitudinis, quam prædictus populus solet inhabitare, ad locum peruenit destinatũ. ubi noctu & subitò super incautos irruens, in ipsis eorum tabernaculis de uiris nonnullos, uxores uerò cum paruulis uniuersis, & omnem eorum substantiam sibi fecerunt in prædam, trahẽtes secum spolia infinita, camelorũ quoque & asinorum multitudinem inauditam. Viri autem ex plurima parte, de remoto sentientes nostrorum aduentum, equorũ uelocitate rapti, ad ulteriora deserti fuga salutem quærentes, se contulerunt: tentoria, uxores, & liberos simul, & omnem substantiam suam hostibus exponẽtes. Accidit autem quod dum in redeundo armenta & mancipia ante se trahẽtes proficiscerent, quædam illustris fœmina, cuiusdam magni & potentis principis uxor, in eadem transmigratione casibus inuoluta cõmunibus, inciderat. huic prægnanti partus imminebat dies, ita ut in ipso itinere, præ doloris angustia, qualis solet esse parturientis, deficiens, partum ediderit. Quod audiens Rex, præcepit eam de camelo cui insidebat deponi, & de spolijs in terra lectum parari commodum pro tempore, datoque cibo & utribus aquæ duobus, et ei secundũ quod oportuit, ancilla, & duabus camelis, de quorum lacte nutriretur, designatis, mantello suo, quo erat indutus, eam inuoluẽs, dimisit, & cũ exercitu suo profectus est. Eadem uero die, uel sequenti, magnus ille Arabum satrapa, cum multo suorum comitatu, exercitus nostri de more gentis suæ sequens uestigia, dolens & tristis admodum, quod uxorem, nobilem matronã, & in proximo parituram amiserat, reliqua omnia quasi pro nihilo ducens, casu in uxorem sic iacentem incidit. uidensque & stupens humanitatem, qua erga eam dominus Rex abundauerat, cœpit usque ad sidera Latinorum nomen, & maximè domini Regis clementiam extollere, & eidem de cætero quantum poterat esse fidelis, sicut postmodum in multo necessitatis articulo, euidenti significauit argumento.

Principes Occidentales iterum ad iter se accingunt, & cum ingentibus copijs perueniunt Constantinopolim. Caput XII.

DVm hæc in Oriente gerunt, audientes Occidentales principes mirabilia magna, quæ per seruos suos, qui peregrinationem ingressi fuerant, operatus est Dominus, quomodo per tot terrarũ spacia, per tot uarios multiplicesque casus exercitum suum in terram traduxerat promissionis, & quomodo ante faciem eorum subiecerat gentes, regna humiliauerat, læti de fratrum successu, sed hoc ægrè ferentes, quòd eorũ fœlicibus actibus digni non fuerunt interesse. Apponunt qui relicti fuerant, & ex cõpromisso apud se firmiter cõcipiunt expeditionem innouare. Horum maximus erat uir illustris & magnificus Pictauiensium Comes Vuilhelmus, idemque Aquitaniæ Dux. Dominus quoque Hugo magnus Philippi regis Francorum frater, Comes Viromandensium, qui primam expeditionem secutus, capta Antiochia, inopia rei familiaris tractus in patriam redierat. Dominus quoque Stephanus Carnotensium, & Blesensium Comes, uir prudens & magni consilij, qui capta Antiochia, futurum prælium formidãs, cum probro & ignominia consortes deseruit, & turpi fuga perpetuam infamiam emit. hic priorẽ defectum

quærens

querens redimere, & abolere meritā prius infamiam, ad iter se præparat, honestum sibi asciscens comitatum. Dominus quoque Stephanus Burgundiæ comes, uir inclytus, & multa nobilitate insignis, ad idem iter accingitur: & multi alij nobiles, qui suis regionibus, uita, genere & armis præclari, eodem accensi desiderio, ad proficiscendum se præparant, expectantes, ut die constituta, maiores principes accipiant, secúmque eorū associent legionibus. Factum est autē, ut die præfixa, tempore opportuno ordinatis ad iter necessarijs, consortibus accitis, iter arriperent, primæque expeditionis uestigia: etsi non deuotionem secuti, Constantinopolim peruenerunt: ubi ab Alexio Imperatore satis honorificè suscepti, dominum comitem Tolosanum, qui in prima expeditione tantus princeps, tamque cōmendabilis extiterat, repererunt. Hic (ut præ diximus) uxore & familia ex plura parte, apud Laodiceam relicta, ad dominum Imperatorem redierat, opem imploraturus, quatenus in Syriā redire, & unam uel plures ex urbibus eius sibi uendicare posset. Proposuerat enim incepta semel peregrinatione perseuerare perpetuò, & nunquam ad propria redire. Hunc ergo tanquam uirum industrium & prudentem gaudentes reperisse, sumpta licētia à domino Imperatore, donis ab eo cumulati, dominū Comitē quasi pro Duce habentes, transito Hellesponto, cum suis legionibus apud Niceam Bithyniæ, prioris exercitus uestigia sequentes, peruenerūt.

Imperator Alexius, more solito eis per Turcos molitur insidias: prosternuntur ex parte plurima peregrini: & qui residui sunt, Antiochiam perueneruut, comitem Tolosanum secuti. Caput XIII.

At uerò idem Imperator, uetusto Græcorum more, nostrorum successibus inuidens, quamuis eos (ut prædiximus) apud se satis benignè habuisset, occultè inde per internuncios frequentes, in eorum perniciem hostes solicitabat, & de eorum aduentu crebris epistolis, & nunciorum discursibus reddebat instructiores, eos præmonens, ne tantū populū suo periculo liberè transire patiant̄. Vicem scorpionis agens, cui cum nō sit in facie quod formides, prudenter feceris, si caudæ posterioris declinare poteris maleficium. Per eum igitur & suos, nostrorum cognito aduētu, ex uniuerso Orientali tractu uires conuocāt, & tam precio quàm precibus militaria colligūt auxilia, eorū iter impedire uolentes, quos transeundi propositum habere cognouerant. Nostri autem siue ex industria, siue casu diuisi sunt ab inuicem, & uarijs cœperunt partibus incedere, facti quasi ex industria arena sine calce, & nullum inter se habentes uinculum charitatis: & illam quam prior exercitus obseruauerat disciplinam, omnino contemnentes. Suscitatus est eis ergò, exigētibus eorum meritis, potens aduersarius, & dati sunt in manus hostium, ita quod ex eis una die in ore gladij ceciderint plus quàm quinquaginta milia promiscui sexus. Quibus autē concessum erat diuinitus, hostium manus effugere, hi nudi uacuique, amissis sarcinis, & omnimoda supellectile perdita, salutem quocunque modo inuenerunt: tandemque casu magis quàm industria, in Ciliciam peruenientes, apud Tharsum eiusdem prouinciæ metropolim, dominum Hugonem Magnum, fatali sublatum necessitate, amiserunt. quo in ecclesia Doctoris gentium, qui ex eadem oriundus fuit ciuitate, magnificè sepulto, refocillati per dies aliquot, resumpto itinere, Antiochiam peruenerūt.

impedire, infecto reuersus est negocio. Cum igitur præsidium, locatis in gyrum agminibus, circumdedissent, castellum præcipit ex magnis trabibus fabricari: quo composito, & artificum solicitudine mœnibus applicato, præ ascendentium multitudine, cum minus quàm expediret, in se haberet soliditatis, ad terram confractim decidit. Quo casu de nostris quasi centum grauiter læsi sunt, quidam etiam capti ab hostibus, quos in nostrorum præsentia affixerunt patibulis: quo uiso, indignatione noster motus est exercitus uehementi, & instantes animosius hostes intra urbem cohibent, tanta captos formidine, ut iam de sui defensione nec etiam cogitare uiderentur. Nostris uerò applicatis ad murum scalis, iam turres & mœnia uidebantur occupasse: cum ecce oppidani de uita desperantes, per intercessores apud dominum regem obtinent, ut resignato municipio, ipsi cum liberis & uxoribus, mobilia sua deferentes, liberum & tranquillum habeant exitum, & usque Ascalonam securum ducatum. Captum ergò præsidium, relictis ibi custodibus, qui locum prouidè tuerentur, Cæsareā confestim adijt, eam sine dilatione obsessurus.

Idem rex Cæsaream obsidet, urbem maritimam, & obsessam impugnat. Caput XV.

EAdem Cæsarea urbs in maritimis constituta, cuius priscum nomen est Turris Stratonis. Hanc (ut ueteres habent historię) Herodes senior ampliauit, & nobilibus ædificijs insignitam, in honorem Cæsaris Augusti, Cæsaream appellauit, secundæ Palæstinæ Romani principis autoritate metropolim constituens. Est autem locus, aquarum fluentium, & hortorum irriguorum habens plurimam cōmoditatem, portu carens. quamuis de eodem Herode legit̃, quod multis sumptibus, & cura diligentiore, inutiliter tamen, elaborauerat, ut tutam ibi aliquam nauibus præberet stationem. Ad quam cum peruenisset rex cum suo exercitu, classe eum per mare æquis passibus prosequente, obsidionē locant in circuitu, & machinis iaculatorijs congruis stationibus depositis, urbem impugnant animosius, & crebris congressionibus circa portas ciuitatis irrogant formidinem, magnorumq; molarium immissionibus turres & mœnia debilitant, & domicilia interius confringentes, obsessis requiem negant. Paratur interea miræ altitudinis machina turribus multo sublimior, unde nostris esset facultas amplior urbē impugnādi liberius. Cum ergo quasi diebus quindecim tam ciues quàm noster exercitus in eo perseuerassent negocio, ut hi totis uiribus inferre, illi autem non dissimili studio propulsare conarētur molestias, in conflictibus assiduis animosius decertarent: intelligentes nostri, ciues molles ocio, & longa quiete delicatos, armorum usum non habentes, tantis impares laboribus, singulis diebus agere remissius, & bellorum ponderibus f[illegible]ati, moram inuicem arguunt, & se mutuò cohortantes, non expectan[illegible]u: erigatur quæ fiebat machina, sed facto unanimiter impetu, solito acerbius instant: & ciuibus uiolenter intra mœnia illatis, tantum ingerunt terrorem, ut de uita diffidentes, nec muros ad tuitionem communirent, nec defensioni ullam darēt operam. Quod intelligentes nostri, scalas ad muros applicāt, & subitò certatim ascendentes, turres occupant & mœnia: quorundam quoq; studio reseratis aditibus, rex cum suis ingreditur, ciuitate uiolenter effracta. Hi iam passim discurrentes armati, & quæ sibi ciues tuta putabant præsidia, domos effrin-

gentes,patribusfamiliâs occisis, uasa, domos, & quælibet desiderabilia eius rapientes,cæsa familia,atria possidebant.nam de his qui per uicos & plateas ciuitatis casu nostris obuiam se dabāt,superfluū est differere:cum hi etiā, qui diuerticula studiosè quærebant & latebras,stragem declinare non poterant. Multi autē ipsi sibi, quibus fortasse aliàs indultū esset, mortis causas acciuerunt, qui aureos, & lapides preciosos deglutientes, in suum exitium,talium cupidos prouocabant eatenus, ut sectis eis per medium, intus in uisceribus deposita rimarentur.

In Oratorio ciuitatis,ciuium multitudo perimitur infinita: & urbi captæ assignatur Archiepiscopus. Caput XVI.

ERat aūt in parte ciuitatis,in loco edito, ubi olim ab Herode ad honorem Augusti Cæsaris,miro opere dicitē fabricatū templum, publicū ciuitatis Oratorium:illuc uniuersus penè ciuitatis populus,quoniam orationis locus erat,spe consequendę salutis confugerat: quo effracto,tanta eorū qui intrò se contulerant,facta est strages, ut occidentium de cruore occisorū bases tingerentur,& horror esset, funerum multitudinē intueri. In hoc eodē Oratorio, repertum est uas coloris uiridissimi,in modum parobsidis formatum,quod prędicti Ianuenses smaragdū reputantes, pro multa summa pecuniæ in sortem recipientes,ecclesiæ suæ pro excellenti obtulerunt ornatu. Vnde & usq; hodie transeuntibus per eos magnatibus, uas idem quasi pro miraculo solēt ostēdere, persuadētes quod uerè sit id quod color esse indicat smaragdinus. Occisis autem per loca uaria omnibus penè ciuibus adultis, uirgunculis uix parcitur,& pueris impuberibus.Hic dabaē uerè ad literam intueri quod scriptum est in Propheta: Tradidit Dominus in captiuitatem uirtutem eorum, & fortitudinem eorum in manus inimici.Igitur cessante gladio, & strage populi consummata,comportatis in unum spolijs et supellectile uniuersa,iuxta tenorem pactorum tertia pars designatur Ianuensibus, reliquis duabus domino regi & suis in sortem cedētibus.Hic primùm noster populus,qui attritis in expeditione rebus, pauper & inops ingressus fuerat, & eadē tenuitate usq; ad illum laborauerat diem, onerati spolijs, & ditati pecunia, cœperunt fieri locupletiores,pinguiore supellectile sibi constituta. Adducti sunt autem coram domino rege, sedente pro tribunali,procurator ciuitatis, qui lingua eorum dicitur Emir: & Iuridicus, qui iuridicendo præerat, qui etiam lingua eorum dicitur Cadius. his duobus spe futurę redemptionis studiosè indulta est uita: compedibus tamen mancipati, traditi sunt custodibus deputatis. Porrò nō habens rex moram ibi faciendi diuturniorem, ferias liberas,reuocantibus eum alijs negocijs, electo ibi Archiepiscopo quodā Balduino, qui cum domino duce Godefrido in expeditione uenerat,relictis ad custodiā ciuitatis de exercitu nonnullis,ipse cum cæteris Ramulam festinat.

Rex Ramulam ueniens,hostium qui aduenire dicebatur,expectat exercitum: cumq; eis pugnans, obtinet uictoriam. Caput XVII.

ERat autem Ramula ciuitas in campestribus sita, iuxta Liddam, quæ est Diospolis. huius antiquū nomen nō reperi, sed neq; ipsam priscis fuisse temporibus,frequēs habet opinio. quē post tēpora seductoris Mahumeth, eius successores Arabum principes, ueteres tradunt historiæ, fundasse. Erat

autem

quando Christianorum exercitus in partes Syriæ primitus appulit, ciuitas celebris, quæ multo populorum frequentabatur accessu, turribus & muro circundata ualido. Verùm postquam nostrorum partibus illis se insuderũt legiones, quia nec antemurali cingebatur, nec uallo, urbe relicta, Ascalonam fugerunt omnes, propter ampliorem illius urbis munitionem, eius habitatores. Nostri uerò, ut prædiximus, reperta uacua quadam parte eius, castrum muris & uallo cõmunierant, difficile arbitrãtes, tantum murorũ ambitum, cum paucis habitatoribus occupare. Rumor itaq; insonuerat, non multum à uero discrepans, quod Aegyptius Calypha, quendam militiæ suæ principem, cum ingẽti multitudine, ad partes direxerat Ascalonitas: more suo præcipiens, ut absq; dilatione proficiscens, populum illum inopem & mendicũ, qui fines eius ingredi pręsumpserat, & quietem eius turbare non uerebatur, aut gladijs deleret funditus, aut uinctum ad se perduceret in Aegyptum. Dicebantur autem esse qui aduenirent, prædictum principem secuti, undecim equitum milia, peditum uerò in uiginti milibus dicebatur summa consistere. Hæc dominum regem fama à Cæsarea maturare compulerat, timentẽ ne de multitudine sua præsumentes, periculosas in regnum irruptiones molirentũ: quò perueniens, quasi per mensem expectans, uidens quod non procederẽt, Ioppen reuersus est. Tandem mẽse tertio Aegyptiorum legiones (de quibus præmisimus) timentes domini sui præterire mandatum: & super eo quod distulerant, indignationem metuentes & offensam, de necessitate facientes uirtutem, animos erigunt, reparant uires, & ordinatis agminibus fines nostros ingredi, & nobiscum pugnare contendunt. Quod ubi domino regi nunciatum est, collectis regni modicis copijs, quia maiores possessionum angustiæ ministrari nõ poterant, exercitum circa Liddam & Ramulam colligit quantum potest. Erat autem numerus equitũ ducenti sexaginta, pedites uerò nongenti. Vbi autem constitit quod hostes accederent, rex illis procedẽs obuiam, acies sex numero præcipit ordinari. quibus ordine dispositis, præuio ligno crucis Dominicæ, quod quidam Abbas religiosus cum multo Dei timore gestabat in manibus, hostium acies contuentur. quibus intuitis, inuocato de superius auxilio, erectis in coelum luminibus, eorum multitudinem non uerentes, hostibus animosè se ingerunt, gladijs instantes uiriliter, scientes quia res pro capite ageretur. Hostes nihilo minus è diuerso, uxoribus & liberis, possessionibus & prædijs, quas in Aegypto dimiserant, nisi uictores redirent metuentes, resistunt totis uiribus, & pro modo suo laborãt iniurias propulsare. Factum est autem, ut prima hostium acies in unam ex nostris irruentes, et ingenti multitudine illam dissoluentes, adegerint in fugam: quam insectantes & perurgentes atrocius, penè usq; ad supremum interitum deleuerunt. At uerò reliquæ nostræ acies hostibus resistentes, & instantes etiam atrocius, stragem mirabilem & inauditam exercebant, domino rege, prout decebat tantum principem, nunc hos nunc illos uerbo & exemplo animãte: & cum acie, cui præerat, oppressis & deficientibus ministrante, uires & animositatem suggerente. Accidit autem, ut post diu ancipitem belli euentũ, nostris diuinitus concessa uictoria, hostes in fugam uersi sint, eorum principe destituti, qui in agone decertans uiriliter, gladijs confossus interierat. Vidẽs

ergo dominus Rex hostiũ agmina dissoluta, cohortes partim gladio cecidisse, partim irreuocabiliter in ipse fugam, præcipit sub mortis periculo, ut occupandis spolijs nemo prorsus audeat inhiare, sed hostes insectãdo nõ parcant gladijs, sed omnes interimãt, quousq; uel unus possit inueniri. Ipse quoq; primus hostes insecutus, tam equitũ quàm agilium peditũ turmas trahẽs secũ, usq; Ascalonã, quasi per miliaria octo, hostes cædere, & stragẽ operari multam, nõ destitit, quousq; nocte irruente, cõsortibus cornu admonitis, in campum redijt certaminis: ubi tanq; uictor, nocte illa quieuit, spolijs iuxta militarem disciplinã inter suos diuisis. Dicunt de hostibus cæsa ibi quasi quinq; milia: de nostris uerò, recensito numero, inuẽti sunt abesse equites septuaginta: de peditibus uerò nõ multo plures, quorũ tamen certus nõ habet numerus.

Rex inde Ioppen transit, & consternatos eiusdem ciues confortat. Cap. XVIII.

AT uerò, qui nostram hesterno conflictu fugauerant aciem, usq; Ioppen fugientes insectati, deficientium arma, loricas, scuta simul & galeas, sibi aptantes, ante urbem intrepidi astiterunt, ciuibus intonantes, dominum Regem simul & uniuersum Christianum exercitum in prælio corruisse: & hoc cis pro euidenti esse argumento significabant, quod familiarium & domesticorũ arma, eis notissima, intueri poterant et agnoscere. Quo audito, ciues & regina quæ in urbe erat, uerum esse quod dicebatur arbitrantes, in lamenta se tradiderunt. initoq; consilio cum senioribus natu, & qui sensus habebant magis exercitatos, unicum credunt esse remedium, ut missa legatione ad dominum Tancredum Antiochenorũ principem, ut regno periclitanti & Rectore destituto, subuenire festinet, quia uniuersa fidelis populi, post Deum spes sit in eo constituta. Rex autem nocte illa in campestribus transacta, luce terris restituta, uictrices reuocans acies, uersus Ioppen iter dirigit. Accidit autem quod dum essent in proficiscendo hi, nostros habuerunt obuiam, qui nocte proximè præterita relatione infausta urbem deterruerant. hi nostros cõtuentes, arbitrati sunt suorum esse agmina: nam nostrũ exercitum hesterna die cecidisse penitus, quasi certum habebant. quo fiducialius accedentes, nostris penè se infuderant agminibus: cum D. Rex suos exhortans: & primus in eos irruens, secum præcipitem equitum traxit numerum. Qui omnes unanimiter pro animabus decertantes, hostibus instant uiriliter, & acrius deprehensos, gladijs comminus rem agentes, nusquam permittunt euadere. Interfectis igitur ex eis quampluribus, reliquis etiam præ timore mortis conuersis in fugam, læti & gratias Domino persoluentes, onerati spolijs, & de rebus hostium facti locupletiores, iter cœptum conficiunt, Ioppen uersus contendentes. At uerò Ioppitæ consternati animo, pro ijs quæ audierant, ubi nostra redire conspiciunt agmina, quasi de graui somno expergefacti, fusis præ gaudio lachrymis, portas aperiunt, eis exeunt obuiam, significantes quàm tristia de ipsis audierant, & in quantum deciderant desperationis profundum. Ingressi igitur in urbem, lætum & celebrem egerunt diem, recensentes adinuicem quantam fecerat cum illis Dominus misericordiam. Vt uerò dominus Rex cognouit, quomodo Regina & qui circa eam erãt in illo mentis excessu, quem præ timoris angustia passi fuerant, domino Tancredo scripserãt, misso nuncio, eundẽ egregium principem pro regni casu sollicitum,

& iam

& iam accinctum ad iter de suo mirabili successu literis certificat. Qui suscepto nuncio, & de uictoria domini Regis lętabundus & gaudēs, gratias Creatori persoluit immensas.

Principes qui de nouo aduenerant, Hierosolymam properant. Rex eis usq; Berythum obuiam egreditur. Caput XIX.

INterim principes illi, de quibus prius feceramus mentionem, qui in partibus Romaniæ, miserabili casu tantum amiserant exercitum (ut prædiximus) Antiochiam peruenerant: & inde progressi, urbem Tortosam, sicut præmissum est, ab hostibus expeditam, Raymundo domino Comiti Tolosano tradiderant. Quibus Hierosolymā properantibus, ne fortè ad fluuium Canis, eorum iter prępediretur, Rex assumpta secum occurrens militia, transitus angustias præoccupauit: nec fuit leue quod eorum gratia tentarat. nam iuxta hostium urbes quatuor, nobiles & populosas, Ptolemaidā uidelicet, Tyrum, Sydonē & Berythum, eum oportuit transire, priusq; perueniret ad locum prædictū. Domino igitur Rege cum suis transitus difficultatem obtinēte, adsunt illustres uiri, dominus uidelicet Vuilhelmus Comes Pictauiensium, Aquitaniæ dux idem: D. Stephanus Comes Blesensiū: D. Stephanus Comes Burgundiæ: D. Gaufridus Comes Vindoniensium: D. Hugo Lisimarensi domini Raymundi Comitis Tolosani frater, & alij nobiles multi, læti plurimum & gaudentes, quia transitum quem tanq; periculosum nimis diu antè suspectum habuerāt, inuenerunt expeditū: tum quia dominum regem sibi obuiā repererunt. Conuenientes igit adinuicē, in mutuos irruunt amplexus, & alterni salutationis affatu deprehenso, pacis iungūt oscula, uicarijs cōfabulationibus se recreantes. adeò ut iam & laborū & damnorū uiderenē immemores, tanq; sinistrū nihil pertulissent. quibus secum assumptis, et legibus humanitatis, & charitate plena, benignè tractatis, Rex Hierosolymā perduxit. Et quoniā propè erat Paschalis solennitas, transcursis ibi diebus festis, Ioppen quasi in patriā redituri peruenerūt: ubi D. Comes Pictauiensiū, qui multa premebaē indigentia, nauē ingressus, prosperè satis ad suā peruenit regionē. Vterq; uerò Stephanus nauē similiter ingressi, postq; diu et multū fatigati sunt in æquore, cōtrarijs acti flatibus, Ioppen redire coacti sunt.

Aegyptij cum infinitis copijs fines ingrediuntur nostros. Rex illis occurrit, incautius pugnat cum eis, & uincitur. Caput XX.

DVmq; omnes isti pariter ibi moram facerent, Ascalonitæ adiunctis sibi ex ijs qui de prædicto pręlio euaserant Aegyptijs, & ingenti militia congregata, quę ad numerū uiginti milium dicebaē accedere, fines nostros circa Liddā, Sauronā & Ramulam ingressi sunt: quod ut domino Regi nunciatū est, pręter morē se habens minus prouidè, nō cōuocatis ex finitimis urbibus militaribus copijs, sed de sua uirtute præsumens, nō exspectatis etiā ijs qui secum erāt in urbe, properus nimis, imò præceps, uix secū ducētos habēs equites urbē egressus est. Porrò illi nobiles sumptis equis mutuo ab amicis & cognatis, ignominiosum sibi reputātes, si tanta ingruēte necessitate ipsi fruerenē ocio, nec fratrū laboribus cōmunicarent, egressi sunt pariter, D. Regē sequētes. Rex uerò qui alios nimis incautè pręcesserat, ubi hostiū contēplatus est legiones, admirās multitudinem, facti cœpit pœnitere, reputans apud se uetus

dictum illud, Male cuncta ministrat impetus. optaret non uenisse se: uerùm adeò hostiũ cohortibus se immiserat, ut iam nec pudor, nec mortis periculũ reditum suaderent. At uerò qui in exercitu hostium erant prudentiores, et in re militari maiorem habebant experientiam, uidẽtes nostros præter morem absq; peditum manipulis, equitum turmas, prætermisso ordine militari confusas accedere, cœperunt apud se maiorem de uictoria spem habere, unde facti animosiores, digestis in ordinem aciebus, uno impetu in nostros irruũt, tanto instantes animosius, quãto eos ordinem solitum magis neglexisse conspicerent. Oppressi itaq; irruentiũ uehementius ingenti multitudine, & belli pondus ferre non ualentes, cæsis pluribus in fugam uersi sunt. qui tamen in conflictu ceciderunt, cruentã hostibus de se reliquerant uictoriam: nam usq; ad supremum defectum decertãtes uiriliter, ex hostibus plurimos gladijs cominus obtruncantes, reliquos dissolutis agminibus penè in fugam conuerterant, cum ecce resumptis animis, nostrorum paucitatem, suorum uerò attendentes multitudinem, exhortantes se ad inuicem, iterato se ingerũt uehementius: & nostros, ut prædiximus, adegerũt in fugam. qui autẽ sani euaserunt, in oppidum Ramulam se conferentes, salutem se sperabant inuenisse. Ceciderunt in ea acie uterq; Comes, Stephanus, & alij nobiles, quorum numerum uel nomina non tenemus. Congratulandum est, ut nobis uidetur, huic uiro nobili & apud suos & sanguinis generositate, & operum magnificentia præclaro, Comiti uidelicet Carnotensium, Comiti domino Stephano. Certum est enim, quod iuxta magnam suam misericordiã egit cum eo Dominus: cui ueterem infamiæ notam, quam ab expeditione fugiens Antiochena, miserabiliter contraxerat, optimo fine abolere posse concessit. Nec enim meritò ei ad næuũ imputabitur de cætero, quod tam fausto fine redemit. nam qui pro Christi nomine decertantes, in acie fideliũ & Christiana militia dicuntur occumbere, non solum infamiæ, uerùm & peccaminum & delictorum omnimodam credimus abolitionem promereri.

Rex fugiens de prælio, in castrum Ramulensem se recipit: cuiusdam Arabis beneficio eripitur, alijs ibidem interemptis. Caput XXI.

Rex uerò, etsi de oppidi munitione non multum præsumeret, tamen ut mortis imminens declinaret dispendium, uidens quod circumfusis hostium agminibus alius non dabatur euadendi locus, cum alijs intus in municipium se recepit: dumq; de uita & salute tota nocte sollicitus, curis grauibus ureretur, ecce intempestæ noctis silentio, ab hostium se subtrahens exercitu, adfuit oppido uicinus solus absque comitatu, prædictus ille nobilis de Arabia princeps: cuius uxori dominus Rex, ut præmisimus, modico antè tempore, tantam exhibuerat humanitatem, memor sanè collati beneficij, & ingratitudinis declinans peccatum, suppressa uoce, ijs qui in muro erant, locutus est, dicens: Verba habeo ad D. Regem secretiora, quę perfero, facite ut ad eum introducar: expedit ẽm. quod postq; domino Regi nunciatũ est, uerbum admisit, & illũ pręcepit introduci: qui admissus, Regẽ quis ipse sit, edocet. Beneficiũ quod ab eo in uxore susceperat, ad memoriã reuocans, & eius se intuitu illi obligatũ perpetuò, ad refundendã uicem nõ dissimilẽ, asserens: Regẽ instruit, ut de pręsidio egrediať: consiliũ pandens hostiũ, quod summo mane

mane debeant castrum obsidione uallare, & omnes intus compræhensos in mortis præcipitare sententiam. iuxta quod dominũ Regem monet, ut secum egrediatur, spondens se auctore Domino, tanquam locorum peritum, eum in tuto sine difficultate repositurũ. tandemq; rex egressus cum eo, paucissimis comitatus, ne fortè si maiores turbas traheret, hostium in se concitaret exercitum, illum sequens ad montana conscendit: ubi prædictus nobilis ab eo digrediens, ad hostium expeditiones reuersus est, obsequium suum & promptam tempore opportuno promittens deuotionem. At uerò hostes uictoria potiti, eos qui intra oppidum se contulerant, obsidione uallantes, & undiq; impugnantes hostiliter, uiolenter compræhenderũt, compræhensosq; pro libero tractantes arbitrio, partim neci tradiderunt, partim compedibus alligantes, perpetuæ mancipauerunt seruituti. Tanta quidem nobilium uirorum & fortium strages, usque ad illum diem in regno non legitur accidisse. Confusum est penè regnum, & omnium uires eneruatæ, cordibus prudentum interius liquefactis: ita ut nisi maturè uisitasset eos misericorditer oriens ex alto, in desperationis decidentes abyssum, regnum parati erant deserere. Erat quippe nostrorum populus exiguus, nec de partibus transmarinis tutè poterant in occidentem accedere, timentes hostium urbes maritimas, quæ à dextra læuaq; erant plurimæ. Nam ut prædiximus, à Laodicea Syriæ, usque ad Aegypti fines nouissimas, non nisi duas de urbibus maritimis noster obtinebat populus, Ioppen uidelicet, & de nouo captam Cæsaream. Qui autem accedebant, completis orationibus citò reuertebantur, nostrorum uidentes debilitatem, et penè defectum, timẽtes communibus cum eis calamitatibus inuolui.

Rex per diuerticula fugiens Arsur, inde Ioppen peruenit. Conueniunt de regno uniuersi, ut regi subueniant. pugnatur cum hostibus, nostri uictores euadunt. Caput XXII.

REx ergo ad montes, ut prædiximus, fugiens, amissis uiæ consortibus, uel locis equi ereptus beneficio, & prædicti nobilis uiri ducatu, tota nocte in locis desertis trepidus latuit: mane facto, duobus socijs, quos casus obtulerat comitatus, uiarum secutus dispendia, per medias hostium insidias Arsur usq; peruenit. Vbi à suis qui in eodem oppido erant, gaudẽter exceptus, sumpto cibo, confortatus est: nam pre famis sitisq; angustia, dum[u]eniret penè defecerat. uidetur autem & diuinitus procuratum quiddam, quod ei dicitur accidisse. Nam eadem die uix unius horę interiecto spacio, ab eodem oppido maximus hostium discesserat numerus, qui sine intermissione oppidanis tota die pro foribus bellum intulerant: quos si in eodem loco perseuerantes rex accedens reppierisset, uix eorũ manus potuisset effugere. Rumor interim de rege uarius habebat. nam qui de prelio euaserant pauci, Hierosolymã uenientes, Regẽ inter cæteros cecidisse asserebãt. Episcopus uerò Liddensis, qui audita & propè conspecta eorũ qui in Ramulensi præsidio capti fuerant strage, relicta ecclesia sua Ioppen cõfugerat: de Rege interrogatus nihil omnino se scire fatebat. eos tamẽ qui in presidiũ ipsum receperãt, uitã miserabiliter finijsse, cõstãter asserebat. se quoq; fuga latẽter elapsum ut uitę cõsuleret, dicere nõ uerebat. Erat ergo per totũ regnũ ad quos sermo iste peruenerat, ubiq; luctus,

luctus,ubiq; gemitus & lachrymæ, diffidẽtibus de uita singulis,& mortem optantibus celerem, ne uiderent mala gentis suæ, & regni desolationem aspicerent. Cum ergo mœror & luctus & suspiria, regnum occupassent uniuersum, ecce Rex quasi stella matutina in medio refulgens nebulæ, ab Antipatrida egressus, Ioppe nauigio subitũ se intulit. Vbi à ciuibus cum gaudio susceptus, ex insperato, depulsis tenebris serenum intulit, sua delens præsentia quicquid sinistrum acciderat. Erat ergo sermo iste per uniuersos regni fines, & quos rumor primus deiecerat, secundus in spem bonam erexit. Interea dominus Hugo cum octoginta equitibus, usque Arsur peruenerat Regi auxilium ministraturus. quod rex audiens, assumptis secum quos apud Ioppen inuenire poterat, ei procedit obuiam, timens ne hostes per regionem liberè diffusi, eis aduenientibus insidias molirentur, aut congregatis copijs eorum manifestè iter impedire niterentur. Occurrens ergo illis, iunctis cum multa hilaritate complexibus, & agminibus sociatis, Ioppen cum multa ciuium exultatione ingressi sunt. Missis igitur nuncijs, eos qui in montibus erant, ad subueniendum ei sollicitat: qui maturè conuenientes, propter hostes qui media liberius obtinebant, uiarum secuti dispendia, infra paucos dies, apud Arsur peruenerunt. Vnde cum difficultate & uitæ periculo, hostibus inter eundum occurrentibus, Ioppen, auctore Domino peruenerunt. Erant autem qui de nouo accesserant equites promiscui, numero quasi nonaginta. Quibus receptis, dominus Rex in bonam spem erectus, quærens quas intulerant, hostibus recompensare iniurias, & mala quæ irrogauerant refundere cum usuris, instructis & iuxta rei militaris disciplinã ordinatis congruè tam equitum aciebus, quàm peditum manipulis, hostibus obuiam egreditur, eorum multitudinem de Domini fretus auxilio paruipendens. Erãt autem hostes in proximo quasi ad miliaria tria, crates, scalas, et uarij generis machinas ex electa lignorum materia cõtexentes, quibus erat propositum, & idipsum leue uidebatur, urbem inimicam impugnare, Regemq; obsessum interius, cum ciuibus uniuersis, quasi uilia captiuare mancipia. dumq; in hoc opere essent solliciti, ecce Rex cum suo iamiam præsens erat exercitu. Quod uidentes aduersarij, quod ab ijs quos uictos reputabant, ultrò prouocarentur ad prælia, correptis armis accingunt se ut occurrant, nihil timentes eos, quos iam penitus defecisse arbitrabantur. Nostris tamen irruentibus, & pro omnibus quæ acceperant paratis recompensare duplicia, more leonum, quibus raptis catulis est ira propensior, & pro uxoribus, liberis, pro libertate & patria totis uiribus decertantes, infusa desuperius uirtute, & diuina præeunte gratia hostium agmina dissoluunt gladijs, & interfectis ex eis pluribus, reliquos turpiter fugam inire compellũt. Insequi autem diutius propter eorum paucitatem, nostris non est uisum expediens. sed in castra hostium redeuntes, spolia colligunt plurima, asinos, camelos, papiliones et tentoria, uictusq; & alimentorum diuersa genera secum deferentes, Ioppen igitur cum uictoria, populo applaudente uniuerso, reuersus est.

Quieuit regnum quasi mensibus septem.

Tancredus interim urbes nobilissimas, Apamiam & Laodiceam in suam rece pit ditionem. Caput XXIII.

IGitur dum hæc in regno tam uariè multipliciterq; sic aguntur, D. Tancredus uir illustris, cōgregata de uniuersis suis subditis militia, & tam equitū quàm peditum copijs cōuocatis, nobilē sedem, Cœlesyriæ metropolim obsidet Apamiam. Vbi aliquādiu more optimi principis, debita perseuerasset instantia, singula percurrens argumenta, quibus hostium solent expugnari præsidia, nihil omittens eorum quæ obsessis molestias solent inferre grauissimas, operoso studio, & sollicitudine non pigra, præueniente eum diuina clementia, ciuitatem obtinuit, principatus fines ampliās in immensum. Inde eadem ut dicitur die, Laodiceam perueniens, quæ à græcis possidebatur, eam in suam recepit ditionem, ueteribus cōditionibus interpositis, inter se & eosdem Laodicenses, quod quocunq; die Apamiam sibi uendicaret, eadem die ei sine difficultate resignarent Laodiceam. Harum utrancp nobilissimarum urbium, Antiochus Seleuci filius fundasse legitur, & de nominibus filiarū, quarum altera Apamia, altera uerò Laodicea dicebatur, ciuitatibus dedisse nomina. Hîc autem de Laodicea Syriæ nobis est sermo: nam est & Laodicea quæ inter septem urbes Asiæ minoris numeratur, iuxta id quod in Apocalypsi Ioannis scribitur, ita: Quod uides scribe in libro, et mitte septem ecclesijs, Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Tiathyram, Sardis, Philadelphiam, & Laodiceam. Harum alteram, Laodiceā uidelicet, diuus Seuerus coloniam fecit, teste Vlpiano, qui in Digestis de ea, Tit. de Cens. ita ait: Est & Laodicea colonia in Syria, cui diuus Seuerus ius Italicum, ob belli ciuilis merita concessit. Domino igitur eius promouente negotia, opus multorum dierum uno perfecit itinere, duas simul urbes recipiens, quarū ampla lateq; diffusa cum multis oppidis & suburbanis iacebāt territoria. quippe uir Deum amans, deoq; amabilis, fide insignis, strennuitate cōspicuus, exigentibus meritis populo acceptus, & in cunctis prosperè agens.

Balduinus de Burgo Comes Edissanus, Gabrielis Ducis filiam uxorem duxit. Caput XXIIII.

DOminus etiam Balduinus Edissanorū Comes, uir magnificus, & per omnia commendabilis, qui domino regi, ut præmissum est, in Comitatu successerat, strennuè & fideliter terram sibi subditam administrabat, hostibus circumpositis suspectus plurimum & formidabilis. Cumq; sine uxore esset & liberis, cuiusdā Gabrielis Meletennę Ducis (de quo superius fecimus mentionem) filiam Morphiam nomine, uxorem duxit, magnā & ualde necessariam cum ea dotis nomine suscipiens pecuniam. Erat autem prædictus Gabriel, natione lingua & habitu Armenus, fide tamen Græcus. Accidit autem, quod dum in optimo esset statu, & optima tranquillitate frueretur Balduinus, quidam consobrinus eius, Ioscelinus uidelicet de Cortenay, uir nobilis de Francia, de regione quæ dicitur Guasconia, accessit ad eum: qui cum nō haberet terram uel possessiones aliquas, ne ad alium ignotū promerendi causa beneficij cogeret declinare, possessiones ei maximas cōtulit, omnem illam uidelicet suæ regionis partem, quæ circa Euphratem fluuium magnum sita est, in qua erant urbes Coritium & Tulupa: oppida uerò ampla & munitissima,

nitissima Turbesses, Hamptab, & Rauendes, & quædam alia. Sibi uerò regionem trans Euphratem hostibus magis uicinā detinuit, una sola urbe de decentioribus, Samosato scilicet, retenta. Erat autem uir prudentia præditus seculari, in agendis circumspectus, in cura & dispositione rei familiaris prouidus ualde, optimus paterfamiliâs, utilium prouisor, ubi necessitas exigebat liberalis, sed modicè aliàs parcus, domesticorū bonorum solertissimus, conseruator iurisiurandi, alimentis sobrius, de habitu & ornatu proprij corporis non multum habens curam. Vnde & prædictam regionis portionem, sibi à domino Comite liberaliter concessam, multa cepit industria, bonis omnibus abundans.

Boamundus à uinculis hostium solutus redit Antiochiam, & Dabertum patriarcham ad se confugientem benignè suscipit. Caput XXV.

EOdem tempore dominus Boamundus Antiochenorum princeps, uir magnificus, & per omnia commendabilis, diuina eum respiciente gratia post annos quatuor, quibus uinculis hostiū detentus fuerat, precio interueniente redemptus, Antiochiam reuersus est. Vbi à domino Patriarcha, clero & populo uniuerso, gratanter susceptus, uniuersam prouinciam & regnū nihilo minus desiderato eius lætificauit aduentu: cognitoq́ quod prudenter & fideliter dominus Tancredus, eius cōsanguineus, commissum sibi in eius absentia administrauerat principatū, captisq́ duabus eximijs urbibus eius fines strennuè dilatauerat, gratias illi agens immensas, benignè habuit, pluri mam partem regionis, sicut eius uidebātur exigere merita, sibi & hæredibus suis iure perpetuo tradidit possidendam. Nec multo pòst uniuersum ei, sicut in sequentibus dicetur, commisit principatū. Interea uerò Arnulpho, de quo suprà diximus, Hierosolymitano Archidiacono more suo inter Regē & dominum Patriarcham Dabertum scandala serente, & ministrante odium, cœpit pullulare quę prius sopita uidebatur inter eos inimicitia, adeoq́ creuerat inter eos indignatio, ut suscitato aduersus eum per eandē seductoris operam & studium clero: uir religiosus & pacis amator, iuges molestias ferre non ualens, ecclesia simul & urbe relicta, inops & pauper consilij simul & auxilij indigens, ad Dominum confugerit Boamundū. Qui aduenientem honestè suscipiēs, tanto erga eum maiore motus misericordia, quòd eius sollicitudine & opera ad Hierosolymitanam ecclesiam nouerat esse promotum. & ne apud se aliter quàm tantum uirum haberi oportebat, morā faceret, ecclesiam sancti Georgij, quæ infra Antiochenam urbem sita est, cum ingentibus prædijs et multis redditibus, consentiente domino Bernhardo, eiusdem loci Patriarcha, liberaliter assignauit: ibiq́ cum eo usq́ ad eius in Apuliā transitum, sicut in sequentibus dicetur, moram habuit continuam.

Expulso Daberto, quidam Ebremarus, Hierosolymis inordinatè preficitur. Rex Ptolemaidam obsidet, nec proficit: rediens inde letaliter sauciatur. Caput XXVI.

AT uerò Rex predicti Arnulphi seductus malitia, pretermisso Dei timore, expulso domino Patriarcha Daberto, adiecit etiam ut peius faceret. Quendam enim simplicem & religiosum circumueniens, sacerdotem Ebremarum nomine, in sedem intrusit Patriarchalem. Hic autem simplex homo, in prima uenerat expeditione, honestæ conuersationis merito cunctis acceptus: sed

ptus: sed in hoc crassam nimis & supinam inuentus est ignorantiã habuisse, quod uiuente domino Patriarcha, sedem eius licere sibi credebat usurpare. Eodem etiã anno, qui erat ab incarnatione Domini millesimus centesimus tertius, circa ueris initium, celebrata Hierosolymis Dominicę resurrectionis solennitate, conuocatis de regno uniuerso militaribus copijs, dominus Rex obsidet Ptolemaidem. Est autem Ptolemais, ciuitas maritima, prouinciæ Phœnicis, una de urbibus suffraganeis, quæ ad Tyrensem metropolim habent respectum: portum habens intra mœnia & exterius, ubi, etiam tranquillam possit nauibus prębere stationem. Est autem & satis commodè sita inter montes & mare, pingue & opimum habens latifundium, Belo flumine pręterfluente ciuitatem. Hanc frequens fama est geminos fratres Ptolemæum & Acconem, muris uallasse solidioribus, eamq; quasi per medium diuisam, suis nominibus appellasse: unde et hodie binomina est, ut Ptolemais dicatur & Accon, sicut penè omnes Syriæ ciuitates duo uel tria habent nomina. Ad hanc igitur cum suis legionibus dominus rex perueniens, quoniã naualem non habebat exercitum, nõ multum potuit ad deditionem arctare, sed cæsis in circuitu pomœrijs, interemptis ex ciuibus nonnullis, abducta etiã præda, gregibus & armentis, quæ extra ciuitatem repererunt, soluta obsidione, ad propria reuertebant: uolensq; per Cæsaream redire, accidit quod in loco qui dicitur Petra incisa, iuxta antiquum Tyrum, inter Capharnaum & Doram oppida maritima, qui locus hodie Districtum appellat, pręDones & uiarum publicarũ effractores inuenit. In quos in insidijs latentes uehemẽter irruens, pluribus interemptis, alijs elapsis fuga: unus casu in regem uibrans iaculum, à parte posteriore per cratem costarũ, cordi uicinũ, immisit telum, quo ictu eum penè morti tradidit: sed tandẽ medicorũ adhibita solicitudine, post incisiones & cauteria salutem recepit aliqualem: nam eiusdẽ uulneris, certis temporibus recrudescente dolore, perpetuò fatigabatur.

Comes Tolosanus ante urbem Tripolim castrum ædificat, cui nomen est Mons Peregrinus. Caput XXVII.

PEr idem tempus dominus Raymundus bonæ memoriæ, Tolosanus comes, obtenta ciuitate quæ uulgo dicit Tortosa (ut pręmisimus) fines suos tanq; uir egregius, magnificus, & uerus Dei cultor strenuè nimis & uiriliter dilatabat circuquaq; : anxiusq; quo modo nominis Christiani aduersarios à finibus illis propulsaret, in colle quodam ante urbem Tripolitanã, uix ab ea miliaribus distante duobus, fundauerat præsidium: cui, quoniam à peregrinis constituebatur, nomen ex re dedit, ut perpetuo diceretur Mons Peregrinus: & ita usq; hodie à fundatore nomen seruat impositum, naturali situ, artificum industria satis munitum. Vnde Triptolitanis ciuibus incessanter penè diebus singulis inferebat molestias, ita ut uniuersæ regionis incolæ, & & etiam ipsius ciuitatis habitatores annua eidem persoluerent tributa: nec minus ei obedirent in omnibus, quàm si urbẽ ipsam sine contradictore possideret. Natus est etiam ei in eodẽ loco, ex uxore propria, Deo deuota femina, filius de nomine maiorũ dictus Amphossus, qui eidẽ postea in comitatu Tolosano successit.

Rex iterum Ptolemaidam obsidet: & Ianuensium fretus auxilio, obsessam urbem occupat uiolenter. Caput XXVIII.

ANno ab incarnatione Domini millesimo cētesimo quarto, mēse Maio, idem dominus rex conuocatis uiribus & populo uniuerso, à minimo usq; ad maximū, eandem de qua suprà diximus, Ptolemaidam obsidere contendit: inde potissimū occasione sumpta, quod per eosdem dies, Ianuensium in partes Syriæ classis applicuerat, nauium rostratarum, quæ uulgo dicuntur Galeæ, septuaginta. Quo cognito, missa statim ad consules legatione, uerbis amicis inuitat eos, ut antequam ad propria redeant, Christo uelint militare: exemplum etiam familiare proponens de eorum ciuibus, quorum studio & opera, urbem Cæsaream regno uendicauerat, non sine perpetua Ianuensium gloria, & emolumento nō modico. tandemq; prudētibus interpositis uiris, & rem effectui fideliter mancipare quærentibus, responsum dederunt: Quod si reddituum & obuentionum quæ ex marino accessu in portu colligerentur, tertia pars illis in perpetuum concederet, & in ciuitate ecclesia, & in uico iurisdictio plena daretur ad capiendam prædictam urbē fideliter elaborarent. Placuerunt itaq; domino regi & principibus eius conditiones prædictæ, & fidei nexu corroboratis, utrunq; scripti beneficio perpetuæ memoriæ mandauerunt. Sic igitur die præfixa illi per mare, dominus rex cum suis per terram urbem prædictam, locatis in gyrum castris, obsidione uallāt, ciuibusq; introitu negato & exitu, molestias inferunt quales quantasq; solēt obsessis irrogari. Machinis etiam circumpositis, quales solēt argutorum hominum reperire ingenia, in hostium erigunt perniciem, turres ex eis flagrantes & mœnia, & ædificia etiam interiora, magnorum molarium immissione confringentes. Præterea crebris congressionibus tam à classe per oram maritimam, quàm ex opposita parte per regium exercitum fatigatis, plurimis ex ciuibus casibus uarijs interemptis, & obsidentium instantiam, & frequentes impetus durum uidebatur portare. Cumq; per dies uiginti continuos tam nostri oppugnando, quàm illi à se repellendo iniurias, desudassent, interpositis conditionibus, quod qui egredi optarent, cum uxoribus & liberis, & eorum mobilibus, ad quas uellent partes, haberent exitum liberum. Qui uerò in domibus suis manere, & natale solum eligerent non deserere, dum singulis annis domino regi certa præstatione satisfacerēt, bonis conditionibus uterentur. Regi ciuitatē tradiderunt. qua obtēta, Ianuensibus iuxta singulorum merita, possessiones & domicilia assignauit. Hic primùm per mare accedentibus patuit secura tranquillitas, & portu commodiore recepto, & littore ab hostibus aliquantulum expedito.

Carra Mesopotamiæ, à Tancredo, Balduino, & alijs obsidetur. Ciues fame compulsi, de tradenda urbe consilium ineunt. Caput XXIX.

EOdem anno, dominus Boamundus, cum uniuersis eiusdem prouinciæ magistratibus: dominus quoq; Tancredus, dominus nihilo minus etiā Balduinus, Edissanorum comes, unà cum domino Ioscellino eiusdem consanguineo, conuenientes adinuicem, fide media compromiserunt, quod Euphraten transeuntes, Carram urbem, Edissæ uicinam, ab infidelibus detentam, obsiderent. Iuxta quod conceptū euocantes certatim ex suis regionibus

militares

militares copias, & auxilia undecunque congregãtes, die pręfixa Euphraten transeuntes, apud Edissam peruenerunt. Interfuerunt autem eidem infaustæ expeditioni uiri uenerabiles, & Ecclesiæ præclara lumina, dominus Bernhardus, Antiochenorum patriarcha: dominus Dabertus, Hierosolymorum patriarcha, qui tunc uagus, exul, & profugus ante Antiochiam demorabatur: dominus quoq; Benedictus, Edissanorum archiepiscopus. Hi omnes apud prædictam urbem congregati, propositum effectui mancipare satagentes, cum suis legionibus ad locum perueniunt destinatum. Est autem Carra (ut ueteres tradunt historię) is locus, ad quem Thare filium suum Abraham, & ex filio Haran nepotem Loth de Vr Chaldæorum fugiens, & in terrã Chanaan properans, eduxit, & habitauit ibi, secundum quod in libro Geneseos continetur: ubi & idem mortuus est: ubi & Abraham responsum accepit à Domino, ut egrediens de terra sua, & de cognatione sua, dum sequeretur promissiones. Idemq; est locus, in quo & Romanorum dictator Crassus, aurum quod sitierat, propinantibus Parthis, bibit. Quò cum peruenissent, sicuti ab initio proposuerant, urbem claudunt obsidione: nec multum necessarium erat, urbem aliter impugnare, quàm ingressus exitusq; ciuibus prohibere, ita modicum, & penè nihil intus habebant alimentorũ. Causa autem huius erat inopiæ: Dominus Balduinus longè antè multam dabat operam, quomodo inopia illius loci frangerentur ciues, ut fame aliquando molestati, urbem ei traderent. Modus autem, quo propositum effectui mancipare satagebat, hic & eius usus erat idoneus. Inter Edissam porrò, & prædictam illam ciuitatem, quæ uix quatuordecim à seinuicem distant miliaribus: fluuius quidam discurrit medius, qui sua irrigatione, canalibus deriuatis, circum adiacentem planiciem uberem reddebat, & frugibus fœcundam, À priscis autem temporibus solum prædictam hanc habuerat limitationem, ut quod circa fluuium erat, Edissanis sine molestia cederet: quod uerò trans fluuium, Carrenses proprium possiderent. Videns autem dominus Balduinus, quod hostium ciuitati exterius nihil alimentorum accederet, sed de locis illis communibus omnem sibi uictum propagarent, maluit ipse hac commoditate defraudari, quàm ut hostes, qui non satis commodè aliunde poterant, de locis medijs alerentur. Frequentibus igitur irruptionibus diu antè prohibuerat in locis suis agriculturam exerceri, sperãs quod de regione trans Euphratem, & de ea quæ inter Edissam & eundem fluuiũ iacebat media, alimentorum posset suis ciuibus ministrare sufficientiam: Carrenses autem ea subtracta commoditate, quam de prædictis locis communibus habere consueuerant, ad intolerabilem compellerentur inopiam, sicut uerè exitus rei manifestum dabat: idq; ante annis pluribus imbuerat. Obsidentes igitur prædictam urbem (ut præmisimus) multa uictus inopia eam inuenerunt laborantem. Ciues tamen nostrorum aduentu longè antè præcognito, per nuncios & literas principes Orientis solicitauerant, significantes, quod nisi maturè subuenirent, parati erant deficere. Videntes autem, quod eis inde nullum ministrabatur subsidium, & famis angustia singulis diebus eo amplius molestaret, communicato consilio, potius eligunt urbem resignare, quàm intus fame tabescere, & præ alimentorum defectu liquefieri.

Nostri disceptantes de imperio urbis, ea excidunt. Ciues subsidia recipiunt: pugnatur ibi cominus: uincuntur nostri: fitq; casus nostris ualde periculosus. Caput XXX.

EXeuntes ergo, tradunt se in manus obsidentium, sine conditione aliqua: sed stimulante inuidia, auaritiaq;, effusa contẽtio inter principes: & dum contendunt adinuicem dominus princeps Boamundus, & dominus comes Balduinus, utri illorum tradatur ciuitas, utrius illorum prius in urbem intro ducatur uexillum, differunt usque mane urbem traditam occupare, quousq; de illa friuola quæstione plenius deliberaretur. Didicerunt itaque per rerum experientiam, quàm uerũ sit illud: Mora secum periculum trahit. & illud iterum, Nocuit differre paratis. Nam antequam dies illucesceret crastina, tanta, tamq; ingens hostium affuit multitudo, tamq; formidabilis Turcorum exercitus, ut nostri etiam de uita diffiderent. Qui autem aduenerant, alimentorum infinitas secum trahebant copias: condixerantq; adinuicem prudenter satis & callidè, ut se in duas diuiderent turmas, ut dum altera cum nostris quocunq; euentu, siue prospero siue sinistro, dimicaret, altera ciuibus inferret uictualia. Factumq; est ita. Nam statim die iam aliquantulum adulta, aduersæ partis principes instruunt agmina, ordinant acies, tanquam protinus pugnaturi: seorsim illis constitutis, quibus sarcinarum cura fuit commissa. Neque his tamen, qui se aptabant ad prælia, spes erat ulla, aut obtinendi uictoriam, aut resistendi diutius: sed id solum eis uidebatur sufficere ad propositum, si nostris circa eos occupatis, obsessi ciues oblatum sibi possent recipere uictum. Videntes igitur nostri principes hostes præparari ad prælium, ipsi quoq; aciebus & agminibus congruo digestis ordine, utroque Patriarcha sermonibus exhortatorijs, addere militibus nituntur animos: sed Domini gratia destituti, nec uerbis iuuantur, nec admonitionibus. Nam statim primo conflictu facti sunt hostes eorum in capite, & ipsi ignominiosè cedentes terga dederunt, hostibus castra deserentes, & sarcinas, fuga salutem quærentes, quam non potuerunt inuenire. Nam hostes reiectis arcubus, & eorum officio neglecto, gladijs instantes cominus, penè omnes interficiendo deleuerunt. Capti sunt ibi comes Edissanus, & dominus Ioscelinus eius consanguineus: & uinculis alligati, in terras hostium tracti sunt remotiores. Dominus autem Boamundus, cum domino Tancredo, & utroque Patriarcha, tumultui se subducentes bellico, uiarum studiosè declinantes compendia, Edissam peruenerunt incolumes. At uerò eiusdem loci Archiepiscopus, sicut uir simplex erat, turbis inuolutus prælianibus, uinctus & cathenatus, numerum auxit captiuorum. Accidit autem, quod cuiusdam Christiani deputatus custodiæ, super eum, ex quo Episcopum nouit esse, motus uisceribus charitatis, animam suam pro illius ponens anima, illæsum abire permisit: qui tandem (protegente eum Domino) infra paucos dies Edissam reuersus est, cum multa ciuium hilaritate susceptus. At uerò dominus princeps, dum adhuc Edissæ moram faceret, audiens quod peccatis exigentibus, Comes captus esset, consentientibus ciuibus, urbem domino Tancredo seruandam credidit, & regionem uniuersam, ea conditione, ut rede-

unti

unti de carcere domino Comiti, ei statim sine difficultate resignaret. Ipse autem domini Ioscelini terram in suam recepit solicitudinem. Porrò nec prius nec posterius in uniuerso Oriente, tempore Latinorum, uspiam legitur tam periculosum fuisse prælium, tantaq; strages uirorum fortium, gentisq; nostræ tam ignominiosa fuga.

LIBER VNDECIMVS.

Dominus Boamundus, Antiochenorum princeps, commisso principatu Tancredo, transfretans in Franciam properat: Francorumq; regis filiam ducit uxorem. Dabertus Hierosolymorum patriarcha Romam petit. Rex uxorem legitimam absq; causæ cognitione deserit. Caput I.

AEstate uerò transcursa, dominus Boamundus, multo æris alieni pondere fatigatus, ut ad debiti solutionem se pararet, & ut de partibus ultramarinis maiores militum secum traheret copias, principatus sui cura & administratione generali, cum plena iurisdictione dilecto suo consanguineo commissa, in Apuliam nauigauit: & cum eo dominus Dabertus, Hierosolymorum patriarcha. Qui postquam in Apuliam peruenit, modico tempore in sua regione moram faciens, assumpto de fidelibus suis honesto comitatu, alpes transiens, ad dominum Philippum illustrem Francorum regem peruenit. A quo inter cætera duas eius obtinuit filias, unam de legitimo natam matrimonio, Constantiam nomine, quam sibi fœdere coniugali copulauit in in uxorem: alteram nomine Ceciliam, quam ex Andegauensium Comitissa, (quæ spreto marito, ad eundem regem se cõtulerat) uxore adhuc uiuente, receperat: quam domino Tancredo nepoti suo, ex Apulia missam, destinauit uxorem. Completis ergò negocijs tam apud dominum regem eundẽ, quàm in alijs ultramontanis partibus, cum ingẽti equitum peditumq; transfretare uolentium multitudine, in Apuliam iterum reuersus est. At uerò dominus Dabertus, ad ecclesiam Romanam accedens, et iniuriarum quas patiebatur, modum aperiens, simul & Arnulphi malitiam nimis efficacem ordine pandens: necnon domini regis sinistram intentionem, qua ecclesiam Domini humiliare nitebatur: omnes ad sui mouit compassionem, gratiam obtinens uniuersorum. Nec solum id enorme, quod de domino Daberto patriarcha suprà memorauimus, factum esse contra disciplinam Ecclesiasticam, rex commiserat: uerumetiam uxorem, quam apud Edissam (dum ibi Comes esset) duxerat, absque causæ cognitione, non conuictam, non confessam, lege matrimoniorum neglecta, dimisit: eamq; in monasterio sanctæ Annæ, matris Dei genitricis, & semper uirginis Mariæ, monacham fieri compulit uiolenter. Est autem idem locus Hierosolymis in parte Orientali, iuxta portã quæ dicitur Iosaphat, secus lacum qui tempore antiquo Probatica piscina dicebatur: ubi ostenditur cripta, in qua Ioachim & prædictæ Annæ, ut traditiones habent ueterum, domicilia fuisse, ubi & uirgo perpetua nata esse perhibetur. Erant autem ibi tres uel quatuor pauperes mulierculæ, uitã sanctimo-

nialem professæ, quibus gratia uxoris introductæ ampliauit possessiones, & patrimonium dilatauit. Caussa autem cur ab uxore diuerterit, apud diuersos uaria ferebatur: dicētibus alijs, dominum Regem ideo dimisisse uxorem, ut ditiorem & nobiliorem ducendo, conditionem suam faceret meliorem, & paupertati, qua plurimum premebatur, sumpta dotis nomine aliunde opulentia consuleret. Alijs uerò asserentibus, Reginam improuidam, minusq́ prudentē, thori maritalis iura minus cautè obseruasse. Cumq́ prius gaudens religionis habitum uideretur assumpsisse, & primo suæ conuersionis tempore, satis honestè uideretur in eodem monasterio conuersata, tandem occasione sumpta, ex commentis fraudibus ad dominum Regem accedens, licentiam obtinet, ut pro necessitate monasterij sui, ad subleuandam eius inopiā liceret ei consanguineos suos, qui Constantinopoli erant, uisitare. sub quo prætextu de regno exiens, sordibus & immunditijs omnem cœpit dare operam: depositoq́ religionis habitu, diuaricans se ad quemlibet transeuntem, nec propriæ parcens æstimationi, nec regiam quam habuit reuerita est dignitatem.

Dominus Raymundus Tolosanus Comes moritur. Vuilhelmus Iordanis eius nepos, ei succedit. Rodan Turcorum princeps magnus fines nostros ingreditur, cui Tancredus occurrit, & confusum uertit in fugam. Caput II.

ANno sequente, qui erat ab incarnatione Domini millesimus centesimus quintus, dominus Raymūdus bonæ memoriæ Comes Tolosanus, uir religiosus & timens Deum, uir per omnia commendabilis, cuius actus admirabiles, & uita uirtutibus insignis speciales desiderāt tractatus, in oppido suo, quod ipse fundauerat ante urbem Tripolitanam, cui nomen Mons Peregrinus, uiam uniuersæ carnis, uerus Christi confessor, ingressus est, pridie cal. Martij. Cui successit nepos eius Vuilhelmus Iordanis, in eadem obsidionis sollicitudine: in quo opere usq́ ad aduētum Comitis Bertrandi, satis strennuè uiriliterq́ desudauit, quousq́ super eadem re quæstionem passus, aliquantulum ab opere destitit, ut in sequentibus dicetur. Admirandam sanè huius uenerabilis uiri, & tam præsentibus quàm futuris cōmendabilem insignis animi credimus constantiam, qui semel pro Christo initam, usq́ ad supremum exitum non fastidiuit patienter ferre peregrinationem. Et cum in patria tanquam uir illustris & præpotens, amplissimum habens patrimonium, potuisset omnibus bonis abundare pro uoto, elegit potius abiectus esse in obsequijs Domini, egressus de terra & cognatione sua, quàm in tabernaculis apud suos abundare peccatorum. Cæteri enim principes eiusdem peregrinationis professores, urbe sancta restituta libertati, quasi uotorum potiti cōsummatione, reuersi sunt ad propria: hic autem semel assumptam crucem ueritus est deponere. cumq́ à suis familiaribus & domesticis illi cū multo suggereretur studio, ut uoti compos, desideratæ patriæ se restitueret, maluit se in holocaustum Domino dare, quàm illecebris se reddere secularibus: magistrum imitatus, cui cum diceretur: Descende de cruce, maluit consummata passione, alienis deponi de cruce manibus, quàm ab incepto nostræ salutis deficere proposito. Eodem etiam anno, Rodoan quidā uir præpotens,

Alapiæ

Alapiæ dominus, de adiacentibus regionibus tam prece quàm precio, conuocatis auxilijs, in graui multitudine Antiochenorum fines ingressus, regionem totam incursibus deterrebat, & incendijs molestabat frequentibus. Quod audiens dominus Tancredus, conuocatis uiribus, tam equitũ quàm peditum militaribus copijs, illuc procedit ei obuiã, ubi eum suas habere copias fama celebriore compererat. Egressus igitur ab Antiochia, uersus Artasiam exercitus dirigit: quò perueniens, hostium ingentem multitudinem, ut ei nunciatum fuerat, reperit. in quos, inuocato de superius auxilio, & pro meritis impetrato, uiriliter irruens, primò resistere tentantes, sed mox in dissolutionem datos, in fugam adegit. Cæsis autem innumeris, captiuati sunt ex eis plurimi, retento uexillo prædicti Rodoan: qui ut uitæ consuleret, fugam primus inierat. quodq; nostris multo fuit solatio, in recompensationem eorum qui in similibus negotijs amiserãt sæpius, equos optimos, quos ab hostibus deiectis eorũ sessoribus abstulerãt uiolenter, sibi multos uendicauerunt.

Aegyptij cum ingentibus copijs regno se infundunt: quibus Rex occurrens, captis nonnullis, pluribus interemptis, reliquos in fugam adegit. Caput III.

EOdem anno, accesserunt ad Aegyptium Calypham quidam de principus eius, dicẽtes: Populus ille peregrinorum, qui hoc nouissimo tempore regnum tuum uiolenter ingressi sunt, & animarum prodigi suarum, hactenus principibus à te missis restiterunt, de multitudine confisi quam prior introduxerat exercitus, hanc sibi comparauerant audaciam. Nunc autem illis ex maxima parte reuersis ad propria, & aduentantum peregrinorum solatio destituti, facti sunt rariores, frequẽtibus expeditionibus facultatibus eorum omnino consumptis. Vnde nobis uidetur opportunũ, si tuæ idipsum uisum fuerit Maiestati, ut electum unum de magnatibus tuis, ad partes illas dirigas, qui regionem illam ab illo infœlici populo occupatam, expediat. Placuit sermo, quia optimus uisus est in cõspectu Calyphę: & præcipiens ingentem conuocari exercitum, & classem parari maximam, designatis principibus, unicuiq; exercitũ seorsum adiungit, eos in Syriã dirigẽs: qui peruenientes Ascalonam, magnam uniuerso regno intulerũt formidinẽ. quod audiens Rex, cum uniuersis regni uiribus celer Ioppen peruenit, lege edictali præcipiens, ut omnes illuc de singulis urbibus sine mora conueniant. Adfuerunt igitur sub omni celeritate qui euocati fuerant, inter quos & D. Ebremarus Hierosolymorũ patriarcha, uiuificæ crucis lignum salutare secum deferens, nihilominus affuit. Quibus receptis, recensito nostrorum numero, inuenti sunt habere equites quingentos, peditum duo milia. Hostiũ uerò dicebatur esse numerus ad quindecim milia, exceptis illis qui in classe militabant. Qui ab Ascalona discedentes, classem præceperunt uersus Ioppen properare: ipsi autẽ Azotũ transeuntes, in duas se turmas diuidunt, ordinantes, ut altera illarum uersus Ramulam præcedat, D. Regem ad pugnã prouocans: altera Ioppen properet, ut rege cõtra alterã occupato, illa urbem impugnet, cõuocatis ijs qui in classe illuc iam aduenerant. Iuxta ergo prædictũ cõsilium, bipertito agmine, pars Ramulenses fines ingressa, instructis aciebus aduentus sui tubarum crepitu, et strepitu tympanorum euidens dederunt argumentũ. Hoc autem de industria fiebat, ut dominũ Regem cum suis expeditionibus in se

prouocantes, pars altera oram maritimam secuta, Ioppen tuta posset peruenire: sed euanuerunt in cogitationibus suis. nam cum Regem cum suis expeditionibus appropinquantem intuerentur, contabuerunt corda eorum prae timoris angustia: & alteram partem reuocantes, uix adhuc putabant se sufficientem habere multitudinem, ut eius possent manus euadere. Factum est ergo, quod conuenientibus contra se mutuò legionibus, Rex cum suis in hostes irruens instat animosius, uerbo simul & exemplo suorum exhortans acies, uires ingeminat. Dominus quoque Patriarcha, uiuificae crucis lignum praeliaturis ingerens, & percurrens agmina, monet & hortatur ut eius meminerint, qui nobis peccatoribus in eodem ligno salutem operari uoluit. praecipit etiam, ut in remissionem peccatorum circa hostes nominis & fidei Christianae decertarent uiriliter: ab eodem mercedem expectantes, qui suis solet centuplum retribuere. Sic ergo nostri facti animosiores, hostibus uehementius instant, & implorato de coelis auxilio, perempta ex eis infinita multitudine, reliquos in fugam conuertunt. Cecidit autem in eodem conflictu, praeses Ascalonitanus, sed uniuersi exercitus procurator euasit fugiens. Dicuntur caesa illa die, de hostibus quasi quatuor milia, de nostris uerò sexaginta inter mortuos reperti sunt. Obtinuerunt ergo nostri praeuia Domini misericordia hostium castra, & infinitas camelorum phalanges: sed et asinos & equos innumerabiles, cum optimis spolijs & pluribus mancipijs secum trahentes, Ioppen cum laetitia & exultatione redierunt. Captus est etiam illa die quidam nobilis, qui aliquando fuerat procurator in ciuitate Acconensi, pro quo Rex postmodum uiginti millia dicitur habuisse aureorum. Classis tamen hostium nihilominus adhuc in portu Ioppensi morabatur: sed cognito suorum interitu, Austro flatus ministrante necessarios, in portum se Tyrensium receperunt. Vnde postmodum in Aegyptum redire cupientes, orta repente in mari procella, ui turbinis ab inuicem diuisi, uiginti quinque naues ex eis fretum non sustinere ualentes, in nostra littora impegerunt. ex quarum remigibus et nautis, exceptis mortuis, nostri in uincula coniecerūt plus quàm duo millia.

Dabertus Patriarcha, cum executione Apostolicarum literarum rediens, apud urbem Messanam Siciliae moritur. Ebremarus sedis illius incubator, Romam contendit. Legatus Arelatensium Archiepiscopus Gibelinus mittitur, postmodum in Patriarcham substituitur. Cap. IIII.

INterea dominus Dabertus Hierosolymorum patriarcha, post longam expectationem, qua eum detinuerat dominus Paschalis papa, & ecclesia Romana, uolens plenius edoceri, utrum Rex Hierosolymorum, & qui eum expulerant, uellent contra eum aliquid allegare, unde hoc uideri possent de iure fecisse: postquam nemo comparuit, qui contra eum aliquid diceret, nec in eius facto aliquid aliud notari poterat, nisi quod Regia expulsus esse uiolentia, cum plenitudine gratiae, & Apostolicarum literarum prosecutione, uisus est ad propria redire & sedem recipere debere, ex qua fuit indebitè deturbatus. Qui tandem in Siciliam ueniens, & apud Messanam moram faciens necessariam, transitum expectans, graui correptus aegritudine, XVI. Calend. Iulij, uiam uniuersae carnis ingressus est. Sedit autem in pace annis quatuor, in exilio uerò tribus. Ebremarus uerò eiusdē sedis incubator, audiens

quòd

quod prædictus dominus Dabertus, cum plenitudine gratiæ reuertebatur, sedem suam recepturus, antequã de obitu eius instrueretur, ad eandem Romanam transfretare Ecclesiam decreuit, allegaturus de sua innocentia, quomodo in uitum & renitentem in eandem sedem illum locauerãt. Quò perueniens nihil impetrare potuit, quàm ut cum eo dirigerẽt legatus, qui de caussa eius, Hierosolymis constitutus, plenius posset cognoscere. Designatus est autem ad id muneris prosequendum dominus Gibelinus, uir senex & grandæuus, Arelatensis Archiepiscopus, qui de mandato domini Papæ, Hierosolymam profectus, conuocato Episcoporum regni concilio, de caussa domini Ebremari cognouit plenius. Cumq́ ei cõstitisset per testes idoneos sufficientes, & maiores omni exceptione, quod dominus Dabertus absq́ caussa legitima, Arnulphi factionibus & Regia uiolẽtia fuerat expulsus, & quod Ebremarus adhuc uiuentis Pontificis, & ecclesiæ habentis communionem sedem occupauerat, auctoritate qua præeminebat, eum à patriarchatu deposuit. Sed considerans multam uiri religionem, & simplicitatem miram Cæsariensem, quæ tunc uacabat Ecclesiam ei concessit habendam. Postmodum uerò dum de substituendo ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarcha, clerus & populus disceptaret, constituta ad hoc specialiter die, ut super eo negotio de more tractaretur, post multas hinc inde deliberationũ partes, in dominum Gibelinum Apostolicæ sedis mandatum unanimiter conueniunt, & eum in sedem locant Patriarchalem. Hoc etiam prædictus Arnulphus malitiosè dicitur construxisse, ut homo senex & decrepitus in illa sede diù uiuere nõ posset. Eodẽ anno, qui erat ab incarnatione Dñi millesimus centesimus septimus, Ascalonitę solita usi malitia in uia publica, qua ab Hierosolymis ad mare descenditur, in locis opportunis insidias locauerant, equitum quingentorum & peditum mille. Audierãt enim quòd nostrorum caterua, ab urbe Ioppensi egrediens, Hierosolymã esset profectura: uolentesq́ quod uiribus non poterant, dolis prouocare, in prædictis latebant insidijs. cum ecce nostri omniũ horum ignari, iter cœptum conficientes, in eorum inciderũt insidias. Cumq́ plurimum anxiarẽtur, dubitantes utrum cederent, aut contenderent, instantibus hostibus deliberandi spacium abstulerunt. Videtes ergo nostri quod aut ignominiosè occumbere, aut cum eis uiriliter pugnare oporteret, facientes de necessitate uirtutem, animos induunt, & quos prius habuerunt formidabiles, resumpta audacia & spiritu uehementi instantes, in mentis conuertunt stuporem: & iamiam nostrorum impetus ferre non ualentes, multis interemptis, captiuitatis etiam nõnullis, eos in fugam uersos aliquandiu prosecuti sunt. Tandem diuina opitulante gratia, uictoria potiti, tribus tantum de suo numero perditis, Hierosolymam profecti sunt.

Vir nobilis Hugo de sancto Ademaro, Tiberiadensium dominus, in montibus qui urbi præeminent Tyrensi, castrum locat, cui nomen est Toron: idemq; non multo pòst cum Damascenorum copijs confligens, letaliter cõfossus, sed tamen uictor occubuit. Ascalonitæ quoq; nostris uolẽtes prætendere insidias, in laqueum quem parauerant incidunt. Cap. V.

EOdem etiam tempore, cum Tyrensium ciuitas adhuc ab hostibus detineretur, & nostrorum modis omnibus impediret processum: uir nobilis & potens, & inclytę in Domino recordationis, dominus Hugo de sancto Abde-

cto Abdemaro, qui post dominum Tancredum urbi præfuit Tiberiadensi, quantum locorum distantia permittebat, (distant enim à se prædictæ duæ ciuitates, quasi miliaribus triginta) frequentibus & occultis irruptionibus ciues molestabat Tyrenses. Cumq; in eundo & redeundo sæpius eius periclitaretur militia, eo quod in medio prædictarum urbium nec præsidium inueniretur, nec munitionis aliquod genus, in quo se suosq; posset recipere, & subsequentium hostium declinare importunitatem: adiecit uir præclarus, in summis montibus urbi Tyrensi prominentibus, & ab eadem quasi per decem distantibus miliaria, in loco cui nomen priscum Tyberim, castrum ædificare, in monte excelso admodum & cacuminato, cui tradidit nomen Toronum. Est autem locus is inter mare & Libanum, quasi in medio constitutus, à Tyro & Paneade æque distãs, in tribu Aser, salubritate & aëris grata temperie salubris & comendabilis, solum habens opimũ, uinetis & arboribus prorsus habile, sed & frugibus & agriculturę cõmodissimum. Pręstitit ergo non solum fundatori diebus illis, ad opus prædictum commoditatem optatam, uerùm usq; hodie & libertate quàm porrigit, & multa munitione qua præeminet, et Tyrensium urbi, & regno uniuerso utilitates incomparabiles. Nec mora, post prædicti fundationẽ præsidij, idem nobilis homo cum equitibus septuaginta hostium fines ingressus, cum quatuor milibus Damascenorum prælium committens semel, & secundo eodem die ab hostibus repulsus grauiter, tertio irruens, melioribus auspicijs & animositate diuinitus collata, simul & uiribus, auctore Domino, fortioribus receptis hostes in fugam conuertit. Ipse tamen ictu sagittæ letaliter confossus, interijt prudẽs & strenuus, & exigentibus meritis Regi & regno cõmendabilis & acceptus. Cæsi sunt in eo conflictu, de hostibus ducenti, & equi totidẽ à nostris recepti. Pòst etiam eodem die uisa sunt in Oriente, signa & prodigia multa in cœlestibus. Nam per quadraginta dies, & eo amplius, Cometa circa noctis initiũ uisus est, longè comam trahere: & iterum ab ortu solis, usq; ad horam tertiam uisus est sol duos habere collaterales paris magnitudinis, sed inferiores splendore solis. Visa est & Iris circa solem, suis distincta coloribus. Quæ omnia certum erat mortalibus noua portendere.

Boamundus de Francia in Apuliam reuersus, cum ingentibus copijs Græcorum fines, eos depopulaturus, ingreditur: demumq; in Syriam uolens redire, relicto Boamundo filio, uita decedit. Caput VI.

PEr idem tempus, Alexius Constantinopolitanus Imperator, uir malicio sus & nequam, uolentibus per eius regiones Hierosolymam proficisci, multa ministrabat impedimenta. Nam & cõtra primam expeditionem, quæ ei multo fuerat emolumento, ut præmissum est, Solimannum potentissimum Turcorum principem, & Barbaras ex uniuerso Oriente sollicitabat nationes: & contra secundam, cui Pictauiensium præerat Comes, easdem nihilominus nationes, & infideles populos frequentibus concitabat legationibus, unde eius efficiente malitia posterior expeditio penè tota deperijt: nec solum semel & secundo ita in nostros malignatus fuerat, sed quotiens se offerebat opportunitas eis damna moliri, parare præcipitia pro lucro sibi reputabat: præsentibus tamen, & coram positis benigna dabat responsa,

& mu-

& munera largiebatur, ut eo falleret commodius, Græcorũ obseruans morem de quibus dicitur; Timeo Danaos & dona ferentes. Suspectum enim habens omnium Latinorum generaliter processum, nec eorum uires multiplicari, nec dilatari potestatem, ubicunque ministrare poterat impedimentum, patiebatur. Harum igitur dominus Boamundus memor iniuriarum, ab ultramontanis reuersus partibus, uniuersorum latinorum caussam prosequens, equitum habens quinque milia, peditum uerò quadraginta milia, vij. idus Octobris in terram prædicti Imperatoris nauigio peruenit: & confractis penè uniuersis urbibus maritimis, & in direptionem datis, uniuersam Epirum tam primam quàm secundam depopulatus est: tandemq; Dyrrachium obsidens, Epiri primæ metropolim, regionem circumquaq; incendijs & depopulationibus tradens, circumadiacentibus regionibus, pro libero arbitrio utebatur, paratus ad delendum Latinorum iniurias, auctore Domino, ad ulteriora imperij uiolenter procedere. Audiens igitur Imperator dominum Boamundum, ingenti militia Latinorum intra fines suos ingressum, ipse suos nihilominus colligit exercitus, & ei procedens obuiam, copias suas in uicino constituit: ubi communibus interuenientibus amicis, Imperator fœdus inijt cum eo, interpositis iuramentis, quod de cętero Christi fidelibus in Orientem transire uolentibus, bona fide, sine fraude & malo ingenio, consilium ministraret & auxilium, nec eorum iter ab ijs quos ipse cohibere posset, impedire pateretur. His ita compositis & fidei nexu interposito confirmatis, dominus quoq; Boamundus iuramento corporaliter præstito, amicitiam fidelitatemq; perpetuò cõseruandam promisit. Inde in Apuliam reuersus, dimissa peregrinorum turba, quæ uotis obligata, tenebatur iter Hierosolymitanum perficere, ipse domi, familiaribus adhuc detentus curis, remansit. Aestate uerò sequente, præparatis iam ex parte ad iter necessarijs, & congregato nauigio, dum ad iter accingeretur, copijs undecunq; conuocatis, ualida correptus ægritudine, in fata cõcessit: unico filio principatus & nominis hærede relicto, ex domina Constantia domini Philippi, illustris Francorum regis filia, suscepto. Mortuus est etiã eodem anno dominus Philippus Francorum Rex illustris, socer eius.

À finibus Orientalibus item ingentes Turcorum copiæ, partes Edissenorum occupare nituntur: sed Tancredus unà cum domino Rege resistunt uiriliter. Caput VII.

ACcidit autem per eosdem dies, dum adhuc prædicti nobiles, uidelicet Comes Balduinus, & Ioscelinus eius consanguineus, apud hostes detinerentur in uinculis, occasione sumpta ex eorum absentia, collecta est ex Orientali sinu Turcorum infinita multitudo, & innumerabiles copiæ, atq; in Mesopotamiam descendentes, circa partes Edissanas cœperunt hostiliter degrassari, præsidia quædam uiolenter occupantes, suburbana tradentes incendijs, colonos captiuantes & agriculturæ dantes operam, ita ut extra ambitum urbium muratarum tutus non reperiretur locus, & deficiente agricultura uictus omnino deficeret. Dominus autem Tancredus, cui regionis erat commissa sollicitudo, circa partes Antiochenas detinebatur occupatus: cuius curam etiam, ut præmisimus, domino Boamundo disce-

dente

dente susceperat. Audiens tamen, quod tanta hostium in partibus illis esset importunitas, uocato domino Hierosolymorum Rege, & caussa uocationis manifestata, ipse quoque quanta potest ex uniuersis urbibus & præsidijs conuocat copias. Cui sic acceleranti, & pro regione sollicito infra paucos dies Rex affuit, iunctisq; agminibus Euphratem transierunt: quo peruenientes hostes reperiũt ut eis fuerat nunciatum, per uniuersam regionem liberis discursibus euagantes: qui cognito nostrorum aduentu, cœperunt se adinuicem colligere, & illam quam prius habuerant, discurrendo minus experiri licentiam. Compertas iterum habentes sæpius nostrorum uires, cum eis pugnare formidant, nec tamen ad propria redire disposuerant: sed scientes utrumq; principem liberas ferias nõ habere, ut moram diuturnam in ea possent facere regione, tamdiu eos nitebantur protrahere, ut tædio affecti maturarent reditum, & ipsi ad consuetas recurrerent infestationes. Cognoscentes igitur nostri eorum propositum, consilium ineunt quale pro temporis angustia poterant inuenire commodius: congregati enim pręcipiunt, ex ea regione quæ est circa Euphratem, quæ frugibus copiosissimè abundabat, uniuersi generis alimentorum copias conuehere. & flumine transmisso, oneratis equis, camelis, asinis, & burdonibus uictum copiosissimum, & ad multa tempora sufficientem urbibus inferunt & præsidijs: maximè autẽ urbem Edissanam usq; ad redundantem sufficientiam communientes. Postmodum uerò de corporibus ciuitatum & præsidiorum, non multam gerentes sollicitudinem, quoniam admodum armis, uiris, & uictu erant munita, reuocantibus eos maioribus rerũ articulis, ad Euphraten reuersi sunt. Vbi dum modicis & corpore & numero fluuium transeunt nauiculis, quosdã de inferiore manu qui adhuc transitum expectabant, ulteriorem ripam tenentes, hostes nostrorum uestigia sequuti, irruunt, & ex eis quosdã interficientes, reliquos captiuos trahunt, pręsentibus domino Rege, dominoq; Tancredo, & eis subsidium ministrare non ualentibus: amnis enim medius erat, quẽ uadis transire non poterãt: neq; erat facile, paucis paruisq; nauiculis tantum exercitum reportare. Nostri uerò dolentes admodũ super illis pauperibus, quos se præsentibus occidi uiderant, & ex parte captiuari, reuersi sunt ad propria: regionem etiam cis Euphratem, præcipientes magnatibus, qui ei præerãt diligentius, communiri. Erant autem qui supra ripam Euphratis capti fuerãt & interfecti, pauperes Armenij, qui Turcorum fugientes importunitatem, in loca tutiora se conferre proposuerant.

Balduinus Comes Edissanus redit de uinculis hostium, & Ioscelinus cum eo, & aduersus Tancredum guerram excitant. Caput VIII.

SEquente anno, qui erat ab incarnatione Domini MCIX. dominus Balduinus Comes Edissanus, cum annis quinq; cõtinuis fuisset apud hostes detentus in uinculis, unà cum Ioscelino cognato suo, datis obsidibus pro certa summa pecuniæ, quam pro sua redemptione pepigerant, in suã se receperũt libertatem, redeũtes ad propria, cum quibus etiam satis misericorditer fecit Dominus. Nam obsides eorum in quodam præsidio, custodibus deputatis commissi, casu, siue somno siue mero grauatis, mortẽ intulerunt, unde postmodum ad propria clàm, & per diuerticula de nocte errabundi peruenerũt.

Accedenti

Accedenti ergo prædicto comiti ad Ediſſanã urbẽ, dominus Tancredus dicitur ei introitum denegaſſe: ſed tandem memor iuramentorum, quæ interpoſita fuerant, cum eodem Comite capto, domino Tancredo ciuitas tradita fuerat, ad cor rediens, tam ipſam urbem, quàm regionem uniuerſam eidem præcepit reſignari. Qua iniuria moti, poſtmodum bellum eidem Tancredo ambo pariter indixerunt. Ioſcelinus autem ſpecialiter, qui circa Euphraten habebat ſua præſidia, & Antiochenis uicinior erat partibus, Principem magis infeſtabat. Accidit autem quadam die, ut Turcorum multitudinẽ in ſuũ conuocans auxilium, in terram principis irruptiones moliretur. quod Princeps præſentiens, ei occurrit: commiſſoq́ꝫ inter eos prælio, prima fronte de exercitu ceciderunt uiri quaſi quingenti: ſed tandem reſumptis animis, & aciebus inſtauratis, Turcorum magnam ſtrauerũt multitudinẽ, Ioſcelinum & ſuos in fugam conuertentes. Porrò uidentes maiores regionis, & qui ſenſus habebant magis exercitatos, quod tantorum uirorum perículoſa nimis erãt odia, & quod in multum poterant Chriſtiano populo detrimentũ cedere, interpoſitis partibus ſuis, eos adinuicem reconciliauerunt.

Bertrandus comitis Toloſani filius, cum claſſe Ianuenſium in Syriam deſcendit, patri quærens ſuccedere. Vuilhelmus Iordanis contradicit. Capitur Biblium. Caput VIIII.

EOdem tempore Bertrandus domini Raymũdi bonæ memoriꝗ, comitis Toloſani filius, cum claſſe Ianuenſium circa urbem applicat Triptolitanam, ubi Vuilhelmus Iordanis eius conſanguineus urbem obſidione uallabat, ſicut et continuè fecerat à die obitus prꝗdicti uenerabilis uiri, qui in eodẽ negocio moriens defecerat. Statim autem in eius aduentu orta eſt contentio inter eos, Bertrando de patris ſucceſſione allegante, Vuilhelmus autem proprij laboris & impenſæ per quatuor annos continuos ſolicitudinis merita prætendebat. Ille in bona paterna tanquã hꝗres legitimus uolebat ſuccedere: iſte locum ſua expugnatum inſtantia ſibi nitebatur uendicare. Dumq́ꝫ iſta diu eſſet agitata cõtrouerſia, interuenientibus amicis de pace tractatur. Conuenit autem inter mediatores, quod pro bono pacis, Vuilhelmo Iordani ciuitates Archis & Tortoſa cum ſuis pertinentijs concederentur, Bertrando uerò Tripolis & Biblium & Mons peregrinus, item cum ſuis pertinentijs. Factumq́ꝫ eſt ita, & ratum habitum partis utriuſq́ꝫ conceſſu. Vnde Vuilhelmus pro parte ſibi deſignata, factus eſt homo Principis Antiocheni, fidelitate ei manualiter exhibita. Bertrandus uerò partis ſibi deſignatæ, à domino rege Hieroſolymitarum inueſtituram ſuſcepit, ei ſolenniter exhibens fidelitatem. Addictum eſt etiã in compoſitionis forma, quod ſi alter ſine liberis uita decederet, alter ei ſuccederet in uniuerſum. Quæſtione uerò prædicta per huiuſmodi ſopita tranſactionem, accidit, quod inter armigeros utriuſque familiæ ex cauſa leui orta eſt contentio, pro qua pacificanda, cum uelox in equo ſæpe dictus comes Vuilhelmus occurreret, ſagitta caſu percuſſus, interijt. Dicebatur à nonnullis, quod comitis Bertrandi dolis & machinationibus comes Vuilhelmus interierit, ſed tamen uſq́ꝫ hodie illius uulneris non comparuit certus autor: ſic igitur ſublato ꝗmulo, & prædictꝗ urbis competitore, Bertrandus ſolus in expeditione manſit. Erat autem claſſis Ianuenſium, cum qua uenerant, galearum ſeptuaginta: cui præfecti erant duo nobiles uiri Ia-

x nuenſes,

nuenses, Anſaldus & Hugo Ebriacus. Videntes ergo quod circa urbē Tripolitanam, per idem tempus operam consumerent, utile iudicant interim aliquid memoria dignum aggredi. cōmonitoq; familiarius comite Bertrando, ut cum eis præsens uelit esse per terras, ipsi classem uersus Biblium dirigunt. Est autem Biblium urbs maritima, in Phœnice constituta, una de suffraganeis urbibus, quę Tyrensi metropoli iure metropolitico intelligunť esse subiectæ, cuius memoriam Ezechiel propheta facit, dicens: Senes Biblij & prudentes eius ô Tyre, præbuerūt nautas ad ministerium uariæ supellectilis tuę. Et item in secūdo libro Regum de eadem scribitur ita: Porrò Biblij præparauerunt ligna & lapides ad ædificandū domum Domini. Dicta est aūt prisco uocabulo Eue: eamq; fundasse legitur Eueus, sextus filiorum Chanaan. Ad hanc peruenientes, & eam terra mariq; circumuallantes, ciuibus admodum territis, & de sui tuitione diffidentibus, classis præfectos prędictum Anshaldum & Hugonem Ebriacum missa legatione conueniunt, significātes, quòd si uolentibus egredi liberum cum uxoribus & liberis uellent dare exitū, nolentibus aūt sua deserere domicilia, in urbe liceret bonis cōditionibus immorari, parati essent reseratis aditibus, eos tanquā dominos admittere. Quibus conditionibus iuxta uota eorū admissis, urbē prędictis duobus tradiderunt uiris. Quorū alter, Hugo uidelicet Ebriacus, sub annua certi census præstatione fisco Ianuensium inferenda, usq; ad certū tempus eam recepit. Hic idē huius Hugonis, qui eidē hodie præest ciuitati, auus fuit, qui eius obtinet nomen et agnomen. Capta ergò prędicta ciuitate, classis iterū Tripolim est reuersa.

Rex Balduinus Tripolim properat: feruet obsidio, & capitur ciuitas. Caput X.

AVdiens igiť dominus rex, prædictā Ianuensium classem, capto Biblio, circa Tripolitanas partes moram adhuc facere, illuc properus accedit, tentaturus si eosdē Ianuenses aliquibus cōditionibus secum posset detinere, quatenus eorū fretus auxilio, unam de urbibus maritimis sibi uendicare posset. Restabant enim adhuc in nostro littore quatuor rebelles, Berythus uidelicet, Sydon, Tyrus & Ascolana, quę nostrorū nouellę plantationi multū obe rant, ad obtinendum incrementū. Illuc ergò ueniēs, omnes qui in obsidione erant, tam per mare quàm per terras, sua exhilarauit pręsentia, & in opere cœpto reddidit feruentiores. Statim eñ in eius aduentu uisi sunt, qui exterius in obsidendo laborabāt, maximum reperisse solatium, ita ut maior eis audacia accessisse uideretur, & uires non dubitarent incrementum accepisse: obsessis autem è conuerso, & desolatio se intulit solito amplior, & spes resistendi omnino succubuit eneruata: quoq; hostes uiderant solito fortiores, eò se debiliores reputāt, quicquid illis accederet, totū sibi decedere reputantes. Innouant ergo nostri quasi nouos recentesq; assultus, & hostibus omnino ubicunque locus est, proteruius instant, tanquam obsidionem, quam continuo penè septennio multo labore protraxerant, tunc primitus inchoassent. Videntes ergò ciues nostrorum singulis diebus uires inualescere, eorum uerò uice uersa minui, diuturnis laboribus fatigati, spem subsidij nullam habentes, communicato inter se consilio, tractant quomodo tantis malis possent finem imponere. Missis igitur legationibus tam ad dominum regem, quàm ad dominū comitem, sub conditione spondent eis urbem se resignaturos, si egredi uolentibus

tibus, liberè, & sine difficultate liceret, & familias suas cum omni supellectile ad loca optata transferre possent: nolentibus autē exire, si sub certa pensione domino Comiti annuatim persoluēda, tutè tranquilleq; in domibus suis manere, & possessiones suas colere concedatur. Auditis igitur ciuium postulationibus, rex cum Comite & alijs magnatibus, cōsilio cōmunicato, utile iudicant, eorum admissis desiderijs, urbem sine dilatione recipere. Placuit igitur sermo iste omnibus, & præstita conniuentia, euocatis ante se ciuibus, eorum admittunt petitiones. Præstitisq; iuramentis, quod prædictæ conuentiones eis sine fraude & malo dolo, sed bona fide cōseruandæ essent, urbē recipiunt, introire uolentibus aditibus reseratis. Capta est prædicta ciuitas, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo nono, mense Iunio, decima die mensis. Factus est autē ibidem comes Bertrandus, fidelitate manualiter exhibita, domini regis Homoligius. unde & eius successores, usq; in præsentē diem, regi Hierosolymorum idipsum tenentur exhibere.

Balduinus Comes Edissenus, ad socerum Gabrielem Meleteniam descendens, ubi factum eius extat memorabile. Caput XI.

ACcidit autem per eosdem dies, quod à uinculis hostium absolutus dominus Balduinus Edissanorū comes, cum multos haberet equites, nec haberet unde eis exhibitæ militiæ & impensi fideliter officij persolueret stipendia, arguto habito satis & acuto cōsilio, destinat cum eisdem suis cōmilitonibus socerum, qui ualdè pecuniosus erat, apud Meleteniam urbē uisitare, præstructo & præordinato solerter, ut priusquam uentum esset ad eius præsentiam, quid fieri oporteret. Compositis igitur ad iter necessarijs, illuc peruenit, ubi ex more deprehenso mutuæ salutationis affatu, & pacis signo cū mutuis amplexib. plena charitate alternatim præbito, magnificè nimis & supra hospitalitatis leges tanquā domesticus, & affectione filius, susceptus est à socero. Cum igit̃ per dies aliquot ibi dominus Comes moram fecisset, & simul confabulationibus fortè necessarijs, hinc socer, inde gener diei partē aliquam protraxissent, accesserunt (sicut inter eos prius condictum fuerat) & eis colloquentibus, ingesserunt se milites eius. Tunc unus ex eis, quasi omnium autoritate, factus uerbi patronus, Comitem alloquitur, dicens: Nosti Comes, & nemo te melius, quàm fideliter, & quàm strenuè, turba hæc militū, quæ præsens est, tibi iam multo tempore, fidem tuam & promissionem secuta, militauerit: quantos labores, quantasq; in uigilijs, siti, fame, frigore simul & æstus importunitate pertulerit molestias, ut te & regionem tibi diuinitus commissam, ab hostium iniurijs redderet securam: & à ciuibus & reliquo populo in ea commorante, infidelium & inimicorū crucis Christi auerterent impetus, & molestias propulsarent. Te introducit pro teste hoc collegium tibi aliquando necessarium. Compertum habes, quātum iam effluxerit temporis, ex quo sine stipendijs tibi militauerimus, quoties nobis persolui necessitate compulsi postulauerimus. Quoties petitas inducias tibi compatientes indulserimus, de die in diem æquanimiter sustinentes: & nunc res eò deductæ sunt nostræ, quod diutius præstolari non possumus. Paupertas inuincibilis est, quæ diuturniores ferias, & tempus amplius tibi iterum dari negat. Elige tibi unum: aut debitū persolue, inopię nostrę subueniens: aut pignus quod obli-

gasti, iuxta pactum exhibe. Miratus est Gabriel, quid'nam sibi uellet hęc concio, & sermo ita solennis quid portenderet. Tandemq; edoctus per interpretes rem tenuit: sed quærit cuiusmodi pignus pro pactis stipendijs dominus Comes obligasset. Cui, cũ quasi pudore prohibitus, dominus Comes respõsum nõ daret, respõdit eorum aduocatus: Quia barbã suam hypothecauerat eis, ut nisi statuta die pacta militibus soluerentur stipendia, eidem barba sine contradictione raderet. Quod audiens Gabriel, stupidus præ facti nouitate, complosis manibus supra modum admirans, anhelare cœpit, & præ angustia nimis æstuare. Mos enim est Orientalibus, tã Gręcis quàm alijs nationibus, barbas tota cura & solicitudine nutrire: probro aũt, & maiori quę unq; irrogari possit ignominia reputare, si uel unus pilus quocunque casu sibi de barba cum iniuria detrahatur. Interrogãsq; dominum Comitem, an ita esset sicut dicebatur: Respondit: Ita. Iterum fortius admirans, penè extra se factus, quærit iterum: Quare rem tanta diligentia conseruandam, argumentũ uiri, uultus gloriã, hominis pręcipuam autoritatem, ita obligasset, tanquam rem mediocrẽ, & ab homine nõ sine confusione separabilẽ: Quia (respondit Comes) non erat mihi res alia dignior, cuius interpositione, militibus proteruè instantibus, possem satisfacere. Sed nec oportet dominũ & patrem meum, multũ super hoc esse sollicitũ: nam spero de misericordia Dei, quod impetratis à militibus inducijs, postquã in Edissam rediero, militum instantiæ satisfaciens, cum mea honestate pignus luam obligatum. Milites è conuerso. statim se diuersuros ab eo, minasq; intentare (sicut edocti erãt) nisi soluat maturius, unanimiter asserebant. Quod audiens Gabriel, uir simplex, et collusionis eorum ignarus, apud se fluctuans quid faceret, elegit potius de suo soluere militibus id in quo tenebatur gener obligatus, quàm eius pati, qui reputabatur filius, tantam ignominiã. Quærit quæ sit debiti summa. Cui responsum est, Triginta milia Michaëlitarum: quoddã genus aureorũ, quod tũc in publicis cõmercijs erat celebre, à quodam imperatore Constantinopolitano, qui eam monetã sua fecit insignari imagine, à Michaële nomine sic nuncupatum. Soluere igitur spondet pro genero, conditione tali, pactam pecuniã: ut media dominus Comes fide firmiter promittat, quod de cętero nullo casu, nullo necessitatis articulo, ita quibuslibet personis se uelit obligare. Soluta igitur pecunia, sumptoq; à socero licentia, dominus Comes cum suis, tumentibus loculis, & depulsa inopia, diues ad propria reuersus est.

Bethleemitica ecclesia, per regis studium ad cathedralem erigitur dignitatem. Caput XII.

ANno sequenti, qui erat ab incarnatione Domini millesimus centesimus decimus, sollicitus rex, & curam gerens peruigilem, quomodo sibi regnum à Deo commissum posset honorare, & Deo protectori suo aliquid acceptione dignum offerre, proposuit de pio mentis feruore, ecclesiam Bethleemiticam, quę usq; ad illum diem prioratus tantum fuerat, ad cathedralẽ sublimare dignitatem. Quod qualiter gestum fuerit, ex rescripto eiusdẽ pr̃ſsimi regis super hoc edicto amplius & perfectius erit manifestum. quod sic habet: Diuina inspirante gratia gens Francorum admonita, Hierusalem ciuitatem

sanctam

sanctam, diuq; oppressione paganorũ fatigatam, ubi mors, quæ primo præuaricante parente genus hominum inuaserat, morte Saluatoris est destructa, à spurcitia prædicta liberauit. Obsessa est nanq; ciuitas hæc cultu diuino digna, septimo idus Iulij, à gẽnte præfata: & idus Iulij, Deo pugnante, est capta. Capta autem ciuitate, anno Domini millesimo centesimo, dispositione diuina suggerẽnte, placuit clero atque Raymundo sancti Egidij, Roberto Normanniæ, & Roberto Flandrensi comitibus, Tancredo, & cæteris principibus, cum uniuersa Francorum multitudine, ut pijssimus & misericordissimus dux Godefridus frater meus eidem præsideret: ipse uerò uir Deo dignus, sanctæ ciuitatis gubernator, primo principatus sui anno peracto, Deo propitio tertia die sequenti in pace quieuit. Cui ego Balduinus ab exultante clero, principibus & populo, primus rex Francorum, nutu diuino, excellentiam Bethleemiticæ ecclesiæ, natiuitatem Domini nostri Iesu Christi præfulgida mente pertractans, in qua primùm uenerabiliter caput meum diademate effulserat, ut episcopali dignitate donaret̃, mihi per omnia placuit. Igitur quod corde casto conceperã, indesinenter excogitãs, tandẽ ad aures Arnulphi archidiaconi, uiri clarissimi, et Hierosolymitani capituli usq; perduxi, eumq; & idem capitulum, ut super hac re mihi consulerent, obnixẽ rogaui. Qui tam iustæ petitioni meæ obsequẽtes, tum pro Hierosolymitana sede, quæ antea quasi orbata parente uidebatur, tum pro hoc negotio Romam peti decreuerant. Hanc itaq; legationem Arnulphus archidiaconus, & Richardus eodem tempore decanus, suscipientes, Romam perrexerunt: & sancto spiritu cooperante, apud dominum Paschalem secundum uniuersalis ecclesiæ Pontificem, de utroque negotio honestum inuenientes consilium, Hierusalem remearunt. Dominus uerò Paschalis propter Guilelmum Arelatensem Archiepiscopum, uirum sapientiæ radijs choruscum, cumq; morum honestate fulgidum, cui id legationis Arnulpho atq; Richardo præsentibus iniunxerat, post eos Hierusalem direxit. Propterea à me clero simul & populo gaudenter susceptus, pro præcepto domini Paschalis Papæ, & in ea bona uoluntate, & assensu Hierosolymitani capituli, ac totius fauore consilij, & propria deliberatione omnia dispensante, in Bethleemitica ecclesia, Aschetinum uirum illustrem eandem gubernantem, quem Hierosolymitanũ capitulum eiusdem ecclesiæ cantorem, me cum meis proceribus & populo uolente Ascalonę elegerat atq; statuerat episcopum, obtinere primatum episcopalem decreuit: Bethleemiticæq; sedi, pro pręcepto & consideratione nostra Ascalonæ ecclesiam parrochiali iure subiugauit. Tandẽ ego Balduinus, Dei gratia rex Hierusalem, Latinorum primus, iam dicta lætus firmaui. Villam etiam Bethleem, quam ecclesiæ concesseram, pro salute animæ meæ, & misericordissimi ducis fratris mei Godefridi, atq; omnium parentum meorum: & municipiale, quod est in territorio Accon, nomine Bedar: aliud etiam quod est in territorio Neapolitano, unum uidelicet Zeophir, & aliud nomine Caicapha, cum suis pertinentijs episcopo, eiusq; successoribus firmiter ac liberẽ tenere ac possidere pręcepi, dedi atq; concessi. Pręfatã ego ecclesiam à calumnia qua Hierosolymitana ecclesia eam uexabat, cõmutatione terrarum ac uinearum quæ in circuitu Hierusalem in meo dominio erant, absolutissimam

reddidi. Statuimus autem, si quis clericus, uel laicus nephandissima cupiditate ductus, illud quod pro pensione mea de Bethleemitica ecclesia, natiuitate Domini ac Saluatoris nostri præclara, spiritu sancto iuuante, à domino Paschale Romanæ sedis summo ac uenerando pontifice, per Gibelinum eiusdem legatum Arelatensem Archiepiscopum roboratū est, post decessum meum uiolare præsumpserit, inuasionis crimine, nisi commonitus resipuerit, obligetur, ac totius regni nostri expers effectus, grauiter iudicetur. Præterea concedo, quod quicunque meorum optimatum, uel aliquis militum seu Burgensium Dei afflatus spiritu, de suis redditibus pro sua suorumq; animabus dare eidem ecclesiæ uoluerit, libera sit sibi piæ uoluntatis executio, & in perpetuum ualeat facultatum suarum donatio. Facta est autem hæc concessionis, uel confirmationis nostræ inscriptio, rerumq; gestarū designatio, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo, indictione tertia. Præsidente Romanæ ecclesiæ Papa, domino Paschale secundo. Hierosolymis uerò Gibelino Arelatensi Episcopo, sedis Apostolicæ uicario in Patriarcham electo. Sunt ergo istius assertionis testes, Arnulphus Archidiaconus, Aicardus Decanus, Eustachius Grauerius, Anshelmus turris Dauid custos, Radulphus de Foritanero, Anfredus uir religiosus, Gerardus Camerarius, & alij quamplures.

Obsidetur terra mariq; ciuitas Berythensium, & secundo capitur obsidionis mense. Caput XIII.

EOdem anno prædictus Dei cultor, & magnificus Dei gratia triumphator, idem dominus Rex curam gerens indefessam, quomodo regnum sibi à Deo commissum posset ampliare, sumpta occasione ex galeis quibusdā quæ in regno hyemauerant, mense Februario, congregata pro uiribus Christiani populi, ex uniuersi regni finibus multitudine, urbem obsidet Berythensium. Est autem Berythus ciuitas maritima, inter Biblium & Sydonem in Phœnicia sita, una de suffraganeis urbibus, quæ Tyrensi metropoli intelliguntur subiectę, Romanis quondam acceptissima, ita ut iure Quiritium ciuibus concesso, inter colonias reputaretur: de qua ita Vlpianus testatur in Digestis, tit. de Censib. loquens de Phœnice prouincia: Est & Berythensis colonia, in eadem prouincia, Augusti beneficijs gratiosa. Et ut diuus Hadrianus in quadam oratione ait: Augustiana colonia, quæ ius Italicum habet. Nec solum ius Italicum, uerùm etiam & docendi ius Romanorum, quod raris concessum fuit urbibus, ab eiusdem Augusti potestate obtinuit: sicut in primo Codicis, ea constitutione quæ sic inscribitur, Cordi nobis est, habetur, in qua ita legitur: Et Berythensium Doctorem Dorotheum. Dicta autem creditur prisca appellatione Geris, quam Gerseus quintus filiorum Chanaan fundasse legitur. Ad hanc perueniens, accito sibi domino Bertrando Tripolitano Comite, urbem cœpit studio uehementi arctare. Aduenerant autem, ut eidem urbi ministrarent subsidium, ex Tyro & Sydone naues quædam, uiris fortibus & bellicosis refertæ. Quæ si liberum introitum & exitum habere potuissent, inutiliter operam consumerent, qui obsi-

obsidioni eius incubuerāt. Sed adueniente classe, de quarū ope confisus rex, opus præsens assumpserat, timētes se mari cōmittere, protinus intra portū se receperunt, ut ciuibus omnino per mare & introitus negaret & exitus. Erat eidem ciuitati pinea sylua uicina, quæ multā & idoneam obsidētibus ad componendum scalas & quaslibet machinas, abundè præstabat materiam. Ex hac igitur erigentes sibi turres ligneas, & machinas iaculatorias componentes, & quæ aduersus huiusmodi solent esse necessaria fabricantes argumenta, urbem continuis impugnant assultibus, ita ut nec horæ spacio interdiu, uel nocte obsessis requies indulgeretur. Alternatim enim & per uices mutuas sibi succedentes adinuicem, labore intolerabili ciues fatigabant. Cum autem per menses duos continuos cœpto opere desudassent, arguentes moram adinuicem, quadam die dum solito uehementius urbem in pluribus locis, congressionibus molestarent, quidam de turribus ligneis, quæ mœnibus fuerant uiolenter applicatæ, saltu super murum se intulerunt. quos alij cum eodem modo, tum per scalas ascendentes, secuti, in urbem descendentes, portam ciuitatis uiolenter aperuerunt. Ingressus igitur sine difficultate noster exercitus, ciuibus ad mare confugientibus, urbem occupant uniuersam. Qui autem in nauibus erant, audientes quod Rex cum suis urbem effregerat, prosilientes & ipsi de nauibus, portum occupant, & ciues qui illuc gratia salutis confugerant, gladijs repellentes, in hostes redire compulerunt: sicq; ciues miseri, inter hostium cohortes geminas infœliciter angustiati, nunc ijs nunc illis instantibus gladijs in medio depereunt: quousq; Rex stragem immoderatam conspiciens, eis qui residui erāt, misericordiam implorantibus, uoce præconia finem cædis indixit, & uictis uitam indulgeri præcepit. Capta est autem prædicta ciuitas, anno ab incarnatione Domini M. C. X I. mense Aprili, uicesima tertia die mensis.

Danorum & Noruegiorum classis descendit in Syriam: quorum opera Rex Sydonem obsidet, & capit: narraturq; casus circa regem mirabilis. Caput XIIII.

EOdem anno quidam populus de insulis occidentalibus egressus, maximeq; de ea Occidentis parte quæ Noruegia dicitur, audientes quod à Christi fidelibus capta esset ciuitas sancta Hierosolyma, uolentes illuc deuotionis gratia properare, classem sibi parauerunt opportunam. Quam ascendentes, aura flante secunda, mare Britannicum nauigantes, dein Calpen & Athlanta, angustias huius mediterraneæ influxionis ingressi, nostrum hoc mare pertranseuntes, apud Ioppen applicauerant. Erat autem prædictæ classis Primicerius, & præceptor supremus, quidam iuuenis, procerus corpore, & forma decorus, Noruegiæ Regis frater. Qui postquam portum Ioppensem attigerunt, propositum iter aggredientes, Hierosolymam, cuius gratia uenerant, adierunt. Rex igitur cognito eorum aduentu, illuc cum omni celeritate properat: & cum illo prædicto nobili uiro, benignè & familiariter locutus, tentare cœpit & diligenter inquirere, utrum naualis ille exercitus, moram uellet in regno facere, &

operas suas ad tempus Christo dedicare, ut una de infidelium urbibus per eorum studium, fideli populo posset accrescere. Qui communicato consilio ad inuicem, responderunt, quod ad id uenerant, & ea intentione ferebantur, quod Christi seruitio se manciparent. Iuxta quod propositum parati erant, ut quamcunque de urbibus maritimis obsidere uellet cum suo exercitu, illuc itinere marino cum omni celeritate contendere, nihil præter uictum pro stipendijs exigentes. Rex igitur deuotissime uerbum amplectens, congregans regni robur uniuersum, & militiam quantam poterat, Sydonem peruenit. Classis quoque nihilominus à portu Acconensi egressa, illuc directè peruenerat, ita ut penè eodem momento uterque exercitus ante urbem conueniret. Est autem Sydon ciuitas maritima inter Berythum & Tyrensem metropolim sita, prouinciæ Phœnicis portio non modica, commodissimum habens situm, cuius tam Veteris quàm Noui instrumenti textus frequentem habet memoriam. De ea quippe in secundo Regum libro, ita Salomon ad Hiram Tyriorum regem scribit: Præcipe igitur, ut præcidant mihi cedros de Libano, & serui mei sint cum tuis, mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quamcunque petieris. Scis enim quod non est in populo meo, qui nouit ligna cædere sicut Sydonij. In Euangelio quoque eius facit Dominus mentionem, dicens: Amen dico uobis, si hæc facta essent in Tyro & Sydone. Et alibi: Egressus Iesus, uenit in partes Tyri & Sydonis. Hanc Sydon Chanaan fundasse legitur: unde & usque in præsentem diem nomen tenet auctoris. Est aūt una de urbibus suffraganeis Tyrensis metropolis. Hanc igitur noster exercitus, ex utraque parte obsidione uallans, ciuibus magnam intulit formidinem: uidentesque quod uiribus nequaquam possent resistere, & ab imminentibus se tueri periculis, quod uirtute nequeunt, dolis perficere machinantur. Erat porrò in domini Regis comitatu, eius familiaris & quasi cubicularius, quidam Balduinus, aliquando gentilis, quem dominus Rex pietatis intuitu accedentem ad baptismatis lauacrum, de sacro fonte susceperat. hunc nobiles de ciuitate uiri, quocunque modo se uolentes expedire, clàm per internuncios conueniunt, infinitam promittentes pecuniam, & in ciuitate possessiones amplissimas, si à tantis calamitatibus eos, Regem interficiendo, absoluat. Erat autem hic idem domino Regi adeò familiaris & charus, ut etiam ad loca secretiora quibus naturæ, se purgare uolentis, satisfit necessitatibus, Regem solus plerunque comitaretur. Verbum itaque oblatum ille gaudens suscepit, & eorum postulationes effectui mancipare promittens, totus in hoc erat intentus, ut tempus ad complendum facinus exspectaret opportunum. Interea quidam fideles de ciuitate, ad quos uerbi huius peruenit notitia, timentes, ne per domini Regis incuriam uerbum hoc tam detestabile posset effectum sortiri, literas scribunt, sine certi auctoris titulo, easque cum sagitta in exercitum nostrorum dirigunt, rei seriem ordine pandentes: quę casu ad dominum Regem peruenientes, animum eius, nec immeritò, plurimum affecerūt. Qui cōuocans principes, & quid eum facere oporteret deliberatione habita, uocatus est ille, & crimen confessus, principibus in eum dictantibus sententiam, suspendio uitam finiuit. Videntes ergo ciues

commenta

commenta sua fœlices nõ habere successus, alia uia ceperunt ingredi, & missa legatione petunt, ut nobilibus concedatur exitus. Plebi uerò, sicuti et prius agriculturæ operam dare liceat bonis conditionibus. Quo concesso, urbem resignant cum uxoribus & liberis ad loca desiderata, sine contradictione tendentes. Quam protinus & sine dilatione, cuidam de magnatibus suis, Eustachio uidelicet Gremer, iure hæreditario possidendam liberaliter concessit. Classis uerò receptis à domino Rege donarijs, & accepta licẽtia, prosequente eos uniuersorum benedictione, ad propria reuersi sunt. Capta est autem prædicta ciuitas, anno ab incarnatione Domini M.C.XI. mense Decembri, decima nona die mensis.

Moritur Gibelinus Hierosolymorum Patriarcha. succedit ei uir impius & nequam Arnulphus. Cap. XV.

PEr idem tempus mortuus est Gibelinus, bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarcha: cui substitutus est inuita (ut credimus) Diuinitate, Arnulphus, de quo sæpissimam in superioribus fecimus mentionem, Hierosolymitanus Archidiaconus, qui cognominatus est Mala corona. Sed propter peccata populi patitur Deus regnare hypocritam. Hic, sicuti & primus seipsum continuans, multa pessima gessit opera. Nam inter cætera neptem suam, apud dominũ Eustachium Gromer, unum de maioribus regni principibus, nobilium duarum urbium dominum, Sydonis uidelicet & Cæsareæ, nuptui collocauit, cum ea conferens illi Ecclesiastici patrimonij optimas portiones, Hiericho uidelicet, cum omnibus pertinentijs suis, cuius hodie redditus annualis quinque milium dicitur esse aureorum. Fuit autem & in suo pontificatu conuersationis immundæ, ita ut uulgo patêret eius ignominia. Cui rei colorem quærens, ordinem de liberatione in ecclesia Hierosolymitana instituerat, * Regulares Canonicos introducendo commutauit. Regem etiam ad hoc impulit, ut uiuente adhuc uxore, aliam duceret, sicut in sequentibus dicetur.

Iterum ab Oriente Turcorum ingentes magnæ & innumerabiles copiæ finibus se infundunt Antiochenis: sed Tancredus unà cum Tripolitano Comite Bertrando, restitit uiriliter. Caput XVI.

NEc mora interposita diuturniore, post Sydonem captam, collecta est in Perside equitũ manus infinita: qui ut proprias experirentur uires, ut super eo aliquando possent gloriari, in regiones nostras ascenderũt. À primo enim Latinorũ introitu, usque ad annũ regni eorũ quasi quadragesimũ, non defuit nostris pestis illa, sæuior hydra, recens, & damno capitũ facta locupletior. Annis quippe penè singulis de illo sinu Persico, tanta erũpebat illius populi multitudo detestabilis, ut penè uniuersam terræ superficiẽ sua numerositate operirẽt. Sed miserante nostros labores Diuina clementia, suscitauit Persarum insolentiæ, & regno nimis de se præsumenti, æmulum Imperiũ gentis Hiberorum: quo per gratiã Dei incrementũ suscipiente, & uires acquirente, per successus continuos contrita est Persarũ superbia: & qui prius prædicto populo suspecti erãt & formidabiles, facti sunt uersa uice, eis & uiribus & armorum experientia longè inferiores: quiq; regnis, exteris etiã nationibus cõsueuerant inferre sollicitudinem, nunc sibi sufficere reputant, si intra fines suos

tranquil-

tranquillitatem reperiant uel ad tempus. Erat autem Hiberia regio in plaga septentrionali constituta, quæ alio nomine dicitur Moscouia Anesguya, Persis contermina, homines habens corpore proceros, robustos uiribus, multa strennuitate commendabiles. Hi bellis frequentibus & congressionibus assiduis Persarũ copias attriuerunt, ut iam nec se pares reputent, & pro statu solliciti aliorũ prouincias uexare destiterunt. Prædicta ergo multitudo à finibus illis egressa, Mesopotamiam discurrens, transmisso Euphrate fluuio magno, regionem circa fluuium pro arbitrio tractantes, optimum regionis præsidium Turbessel obsident: cumq; per mensem continuum ibidem operam consumpsissent, uidentes quod non proficerent, ad partes Alapienses se contulerunt, de sua multitudine confisi, machinantes ut dominum Tancredum incautè & cum impetu prouocent ad prælium. Dominus autem Tancredus, sicuti uir prudens erat, & in agendis circumspectus, dominum Regem literis euocat & nuncijs, ut maturè subsidium conferat. Qui sine mora conuocata ingenti multitudine, assumpto sibi domino Bertrando Comite Tripolitano, cum suis item copijs ad partes illas se cõtulit. Qui cum peruenissent ad oppidum Rugiam, ibi dominum Tancredum cum suis expeditionibus inuenerunt: unde in hostes progressi, ante urbem Cæsaream, quæ uulgo appellatur Cæsarea, ubi hostes castrametati fuerant, ordinatis agminibus peruenerunt. Vbi cum se mutuò uterq; cõspexisset exercitus, Turcis declinantibus prælium, à regione discesserunt, nostri ab inuicem sumpta licentia, ad propria reuersi sunt.

Tyrus obsidetur: sed resistentibus potenter ciuibus, obsidentium deluditur intentio. Caput XVII.

CONsequẽter autem eodem anno, cum Tyrus sola de urbibus maritimis quæ sunt à Laodicea Syriæ usq; Ascalonam, quæ est regni ciuitas, infidelitatis iugum pateretur: adiecit dominus Rex, qui aliàs auctore Domino expedierat, illam regno uindicare. Congregatis ergo ex uniuersa ora maritima quotquot inuenire poterat naues, classem ordinat qualem qualem: cui præcipit, ut illuc sub omni celeritate maturaret. & ipse conuocatis Regni uiribus, & populo undiq; accito uniuerso, prædictã urbem, locatis in gyrũ copijs, obsidione uallat. Est autem Tyrus ciuitas maritima, in corde maris sita, in modum insulæ circumscripta pelago, caput metropolis prouinciç Phœnicis: quç à riuo Valeniensi, usque ad petram incisam, Doræ conterminã, protenditur infra sui ambitum, urbes suffraganeas continens quatuordecim. De situ & cõmoditatibus huius ciuitatis, in inferioribus dicetur larius: ubi de eius obsidione nouissima, & captione concessa diuinitus authore Domino tractabitur. Obsessa igitur prædicta ciuitate, sicut princeps erat ualde sollicitus, omnem dabat operam, omne studium impendebat, quo multipliciter grauatis ciuibus, eos ad deditionem compelleret: percurrensq; argumenta singula, quibus obsessis urbibus solent irrogari molestiæ, omnia diligenter impendebat, ut ciuitas in suam transiret ditionem. Nam crebris assultibus, continuis penè congressionibus, murorum & turrium flagellatione, & uiolentis ictibus, telorumq; & sagittarum immissione perpetua, affligebat obsessos. Tandemq; ad malorum cumulum duas præcepit erigi ex lignea

lignea materia turres, lapideis ædificiis multo sublimiores, unde & urbem esset quasi subiectã inspicere, & bellum ciuibus quasi de superioribus ineuitabiliter inferre. Ciues autem è cõuerso uiri prudentes & strennui, & huiusmodi uersutiarum non omnino expertes, argumentis obiiciunt argumenta, & moribus paribus quibus eis inferebantur iniuriæ, repellere satagebãt. Duas siquidem turres, comportatis lapidibus, & cõgesto ad multam quantitatem cemento, quę machinis nostrorum uidebãtur oppositæ, ascendentes, superædificare cœperunt, ita ut subito & intra paucos dies ligneis machinis quæ exterius erant oppositæ, multo altiores inuenirentur. Vnde in subiectas machinas ignem iaculantes, omnia sine difficultate parati erãt incendere. uidens ergo Rex, quod ars arte deluderetur, longis laboribus, & expensis nõ modicis, quas per quatuor menses & amplius ibidem cõsumpserat grauatus plurimum, ab incepto destitit, spe frustratus: solutaq́ obsidione, ipso Ptolemaidam reuerso, reliqui certatim ad propria redierunt.

Moritur dominus Tancredus: relicto principatu Rogerio, Richardi filio. Cap. XVIII.

PEr idem tempus dominus Tancredus, illustris memoriæ, & piæ in Domino recordationis, cuius eleemosynas & pietatis opera, in perpetuum narrabit omnis ecclesia sanctorum, letale debitum persoluit. Hic dum in lecto ægritudinis decubaret, circa se in sui obsequio adolescentem Pontium, domini Bertrandi Comitis Tripolitani filium habebat: uidensq́ sibi mortis imminere diem, uxore sua coram se posita, Cæcilia, quæ ut superius præmisimus, domini Philippi Francorum regis filia erat, et prędicto iuuene, consuluisse dicitur ambobus, ut post eius obitum iure conuenirent maritali. Factumq́ est ita, ut post eius ex hac luce decessum, mortuo etiã domino Bertrando Comite Tripolitano, eiusdem patre, prædictus Pontius, eandem dominam, prædicti domini Tancredi uiduã, uxorem duxerit. Successit autem ei in eodem principatu, de eius supremo iudicio, quidam eius consanguineus, Rogerius Richardi filius, ea conditione, ut quandocunq; D. Boamundus iunior, domini Boamundi senioris filius, Antiochiã cum suis pertinentiis quasi hæreditatem propriam reposceret, eam sibi sine molestia & cõtradictione restitueret. Sepultus est autem idem uir illustris in porticu ecclesiæ principis Apostolorum, anno ab incarnatione Domini M. C. XII.

Menduc Turcorum princeps potentissimus, iterum cum ingentibus copiis regnum ingreditur. Rex ei occurrens, conficitur. supra uires uniuersa regio fatigatur. Caput XIX.

ANno ab incarnatione Domini millesimo centesimo, decimo tertio, æstate subsecuta, iterũ de Perside, quæ mala semper consueuit efficere germina, ex qua tanquam ex fonte pernicioso, aquæ solent pestilẽtes deriuare, multitudo nephanda prorupit sub principe potentissimo, & titulis generositatis præclaro, Menduc nomine: tantam secum trahẽs numerositatem, ut eorum numerus necq; certus esset, necq; eius finis. Hi mediis transcursis regionibus, ad Euphratem peruenerunt, nouis utentes consiliis. Nam qui eos de eodem populo præcesserant, sæpius circa partes Antiochenas uires suas consueuerant primùm experiri: his autem, sicut ex pòst facto patuit, longè alia mens, & pro-

& propositum erat dissimile: nam omnem Cœlesyriā per transeuntes, relicta à sinistris Damasco, inter Libanum & oram maritimam Tiberiadem prætereuntes, circa pontem sub quo Iordanis defluit, castrametati sunt. Quod audiens Rex, cognito quod de infinita multitudine præsumerēt, dominum Rogerium Antiochenorū principem, Comitemq́ Tripolitanū in suum euocat auxilium; tamen antequam illi cōuenirent, ipse cum suis expeditionibus in uicino eis loco castra posuerat. quod hostibus ut innotuit, emissis de exercitu equitum duobus milibus, intelligentes magis opus esse industria q̄ uiribus, mille quingētos ex eis occultāt: reliquos uero, procedere iubēt longius, & quasi incautè se habētes, Regem cum suis ad se insequendo irritare. Quod non longè ab eorum proposito certum est accidisse. Nam prædictos quingentos quasi incautius se habentes, & progressos longius, rex cōsiderans, & impetuosè suos conuocans, illis procedit obuiam, & uersos in fugam prosequens, imprudentius in eorum decidit insidias: quibus ex suis latebris egredientibus, facta est hostium ingens multitudo, collectisq́ & ad se reuocatis quingentis prioribus in nostros irruūt, impetu uehementi. Quibus cum nostri tentarent resistere, & gladijs à se propulsare proteruius instantes, oppressi multitudine, fugam inire compelluntur, quam nec etiam tutam reperiunt: nam fugiētium facta est strages maxima, ita ut Rex ipse relicto uexillo quod gestabat in manibus, & Arnulphus patriarcha, qui cum eo erat, & alij regni principes, relictis castris & impedimentis omnibus, uix euaserint. Obtinuerunt ergo hostes nostrorū castra, et facta est peccatis nostris exigentibus confusio multa in populo Dei. idq́ totum domino Regi ascribebatur, quod impetuosè nimis de sua uirtute plus æquo confidens, cōuocata noluerit auxilia præstolari. Nam dominus Rogerius princeps Antiochenus, & Tripolitanus Comes, in proximo erant, die sequente uel tertia procul omni dubio uenturi. Ceciderunt illa die, de equitibus nostris triginta, de peditibus uerò mille ducenti. His ita gestis, affuerunt prædicti duo magni potentesq́ uiri: cognitoq́ casu qui acciderat, Regem arguunt tanquam nimis præcipitem. tandemq́ redeuntes in unum, in montibus uicinis castra locāt, unde erat inferius in ualle hostium exercitus contueri. Illi autem scientes reliquas regni partes militia uacare, missis de suo exercitu ad uarias partes, terrā uniuersam cœperūt percursitare, cædes passim per uias publicas operari, incendia procurare, effringere suburbana, captiuare colonos, ita liberè per uniuersam se habere regionem, tanquam sibi omnia subiecissent. Recesserant etiam à nobis per illos dies, nostri domestici, & suburbanorum nostrorum, quę casalia dicuntur, habitatores: Sarraceni, & hostium cōiuncti cohortibus, alios erudiebant in nostrā perniciē, qui tanto id melius facere poterant, quanto status nostri pleniorem habebant scientiā. Nulla enim pestis efficacior ad nocendū quàm familiaris inimicus. His ergo ducibus hostes freti & eorum fortiores facti solatio, uillas circuibant & castella, prædas, & mancipia secū trahentes.

Tantusq́ horror regnum occupauerat uniuersum, ut extra mœnia nemo prorsus auderet comparere.

Ascalonitæ impugnant Hierosolymam: sed tandem hostium dissoluuntur acies, & redeunt ad propria. Caput XX.

Acceſſerat præterea ad timoris & ærumnæ cumulum, quod Aſcalonitę tanquã uermes inquieti, ſciẽtes quod Rex cum omnibus regni uiribus, circa partes Tiberiadenſes detineretur occupatus, hoſtes quoque regionem penè totam obtinuerant, egreſſi cum ingenti multitudine, ad montana conſcendunt, & Hieroſolymam militaribus deſtitutam copijs obſident: nonnullos, quos extra urbem reperiunt, aut capiunt, aut interficiunt. Meſſes aridas, quas agricolæ in areas congeſſerant, tradunt incendijs. Tandem cum per aliquot dies ibi conſediſſent, uidentes quod nullus ad eos egrederet̃, ſed omnes intra mœnia ſe cautius haberent, timentes regis aduentũ, reuerſi ſunt ad propria. At uerò æſtate iam in autumnum declinante, iuxta conſuetudinem peregrinorum cœperunt applicari naues: qui uerò in eis aduecti erant, audientes quod Rex & populus Chriſtianus tantis laborarent anguſtijs, illuc cum omni celeritate tam equites quàm pedites certatim properant. ita ut euidentibus incrementis noſter per ſingulos dies multiplicaret̃ exercitus: quod intelligentes hoſtium principes, timẽtes ne multiplicatis uiribus, ad ulciſcendum ſuas ſe pararent iniurias, in fines Damaſcenorum ſe recipiunt: noſtri uerò ab inuicem diſcedentes, reuerſi ſunt ad propria. At uerò hoſtium exercituũ princeps, qui regnum ita potenter afflixerat, Damaſcũ perueniens, conſentiente, ut dicit̃, Damaſcenorũ rege Boldequino, à quibuſdã ſicarijs interfectus eſt. ſuſpectam enim eius dicebatur habere potentiam, ne eum regno priuaret.

Comitiſſa Siciliæ, regis uxor futura, in portu applicat Acconenſium. Caput XXI.

Diuiſo igitur ab inuicem exercitu, & ſingulis ad propria remeantibus, aſfuit nuncius, domino regi ſignificans, quod comitiſſa Siciliæ, apud urbem Acconenſem applicuerat. Fuerat prædicta Comitiſſa, domini Rogerij comitis, qui cognominatus eſt Burſa, qui frater fuit domini Roberti Guiſcardi, uxor nobilis, & potens matrona. Ad hãc anno proximo præterito, quoſdam nobiles de regno ſuo rex direxerat, inuitans eam, & cum inſtãtia poſtulans, ut cum eo lege coniugali uellet conuenire. Quod uerbum filio communicãs, domino uidelicet Rogerio, qui poſtea fuit rex Siciliæ, cœpit cum eodẽ de uerbo illo deliberare: & tandẽ uiſum eſt ambobus, quod ſi D. rex ſub certis cõditionibus prędictũ uerbum uellet confirmare, ipſi petitioni eius parati erant acquieſcere. Forma aũt conditionum hęc erat: Quod ſi rex ex prædicta Comitiſſa prolẽ ſuſciperet, ei poſt regis obitũ ſine contradictione et moleſtia regnum concederet̃: quod ſi abſq; hęrede ex eadẽ Comitiſſa ſuſcepto defungeretur, comes Rogerius filius eius, hęres exiſteret, & in regno ſine contradictione & moleſtia rex futurus, ſuccederet. Rex aũt abeuntib. legatis in mandatis dederat, ut quibuſcũq; petitionibus parentes, eam ſecũ modis omnib. deducere laborarẽt. Audierat eñ, & uerè ſcierat, quod mulier locuples erat, & filio accepta, bonis omnib. abundabat. Ipſe uerò uice uerſa, pauper erat & tenuis, uix ad neceſſitates quotidianas & equitum ſtipendia ſibi poterat ſuffi cere: unde & illius redundantia ſuę ſitiebat inopię ſubueniri. Miſſi igit̃ legati, cõditiones prędictas gratãter ſuſcipiũt: & interpoſitis iuramẽtis, prout exigebãtur, quod his pactis à D. rege & ſuis principibus, bona fide, ſine fraude &

dolo malo staretur. Comitissa filio uniuersa necessaria suggerente, se accingit ad iter, & oneratis nauibus frumento, uino & oleo, & salsis carnibus, armis preterea et equitatibus egregijs, assumẽs secũ infinitã pecuniã, omnibus eam prosequẽtibus copijs, in nostrã, ut prędictũ est, appulit regionẽ. Huc autẽ, ut prædictũ est, Arnulphi patriarchę machinabaẽ malicia, ut illa nobilis & honesta deciperetẽ femina. deceptã quippe negare nõ possumus eam, quæ in simplicitate uiarũ suarum regem putabat idoneã gerere personã, ad hoc ut ei nuberet legitimè. Erat autẽ longè secus: nam uxor quam ipse apud Edissam legitimè duxerat, adhuc agebat in rebus humanis. Postquã ergò applicuit dicta Comitissa, præsente D. rege, Patriarcha, & regni principibus innouata sunt iuramenta, iuxta eandẽ formam, qua prius in Sicilia fuerant exhibita. Et quia intentione sinistra, & oculo nõ simplici hæc fuerant inchoata, respiciens Dominus ad eorum intentionẽ, nec solitam mulieri, licet innocenti, in regno concessit fœcunditatẽ, et extrema huius gaudij luctus occupauit, ut in sequentib. dicetẽ. Difficile est enim, ut bono claudanẽ exitu, quæ malo principio sunt inchoata. Interim tamen tot & tantas adueniens regno intulit cõmoditates, ut meritò minimus dicere posset: Et nos de plenitudine eius accepimus omnes.

In regione Edissana fames oritur ualida. Balduinus Ioscelinum consanguineum suum capit, & ab uniuersa regione uiolenter exire compellit. Caput XXII.

Accidit autẽ illis diebus, quod in finibus Edissanis suborta est fames ualidissima, tum propter terrę & aëris intemperiẽ, tum quia in medio hostium regio illa sita erat, & inimicis undiq; uallata, nec locorũ incolę hostilitatis metu liberã agriculturę poterant dare operã: ita quod ciues illius urbis simul & suburbani nihilominus ordeaceũ panem, & etiã glande mixtũ, edere præ inopia cogerenẽ. Terra autẽ D. Ioscelini in tuto cis Euphratẽ collocata, frugibus & alimentorũ copia plenius abundabat. Verũ ita licet bonis omnibus afflueret eius prouincia, prædictus Ioscelinus, in hac parte minus sapiẽs, & ingrato similis, domino & consanguineo suo, qui ei hęc eadẽ uniuersa contulerat, de sua plenitudine & liberalitate stipendia nihilo minus porrigebat, licet dominum suum Comitẽ, suosq; extremam pati nõ dubitaret inopiam. Factum est autẽ, ut pro quibusdã negocijs D. Comes Balduinus, ad D. Rogerium, filiũ Richari Antiochenorũ principẽ, cui etiam quondã sororẽ suam in uxorẽ contulerat, nuncios destinaret. Hi abeuntes, Euphrate transito, per terram D. Ioscelini iter habentes, euntes redeuntesq;, ab eo sunt satis hospitaliter & humanè tractati. Tandẽ (sicut mos est imprudentibus) quidam de familia D. Ioscelini, nuncios D. Comitis uerbis lacessentes, exprobrare cœperunt D. Comitis paupertatẽ, domini uerò sui immensas è conuerso extollere copias, frumenti & alimentorũ redundantiam, auri argentiq; immensa pondera, militũ peditumq; numerositatẽ: adijcientes etiã, sicut lingua pruriens, incautè plerunq; loquiẽ, quod nõ erat regioni illi, cui præerat Comes, cõmodius aliquid, neq; consultius facere ille posset, q̃ si comitatum suum Ioscelino uenderet: & recepta innumera pecunia, remearet in Franciam. Quę uerba in pectus nunciorũ (etsi dissimulare uiderenẽ) altius descenderunt. & licet à leuibus personis essent dicta, tamen domini mentem redolere uidebantur: sumptaq; licentia, ad D. Comitẽ redierunt. Quò peruenientes, omnia quæ in uia

accIderant,

acciderāt,simul & uerba,quę in domo domini Ioscelini audierāt,ordine pandūt. Quibus auditis iratus D.Comes, et multo libramine ponderans apud se uerba quæ audierat,intellexit quod à domino Ioscelino hæc omnia ortum habuerant: & indignatus plurimum,quòd ille,cui tantas contulerat copias, cum de sua opulentia merito teneretur suam releuare inopiam, cōtra bonos mores paupertatem tanquā uitium exprobaret:in quam tamen non leuibus actibus,sed necessitate descēderat ineuitabili, sibiq; idipsum unde ille gloriabatur,liberaliter detraxerat,ut in eum conferret: cœpit æstuare indignatione plenius. Simulat ergo ægritudinem,& lecto decubans,mandat domino Ioscelino, ut absq; mora ad se uenire properet. quo cōperto, festinat dominus Ioscelinus,nihil ueritus,in nullo uiam habēs suspectam. tandē Edissam perueniens,inuenit Comitem in præsidio ciuitatis,& in ea eius parte,quę Ramgulat dicitur,in interiori conclaui decubantem. ad quem ingrediens,dependo debitæ salutationis affatu,quæsiuit à domino Comite,quomodo ei esset? Cui ille respondit:multo melius per gratiam Dei,quàm tu uelis. Et iterū uerbum continuans,intulit:Iosceline,habes'ne aliquid,quod ego tibi non dederim? Cui ille,Domine nihil. unde ergo est, quod es ingratus,et meorū beneficiorū immemor? de meo sic abundans et dilatatus? et mihi benefactori tuo indigenti,non ex temeritate,sed ex ea caussa,quam nullus sapiens,nullus peritus declinare posset,quia non est consilium contra Dominum,non compateris,portionem eius quod totū dedi non retribuis. Insuper & tenuitatem diuinitus collatam,quasi pro uitio exprobrās, & pro crimine obijcis. Sum'ne ego tam inutilis,ut uendā tibi quod mihi cōtulit Dominus,et fugiā,ut dicis? Resigna quod dedi,& redde uniuersa quæ tibi cōtuli,quia indignū te fecisti. His uerbis dictis,pręcepit eū captū uinculis mancipari, afflixitq; eum mirabiliter nō minus & miserabiliter,& multimodis quęstionibus & tormentis, quousq; abiurata uniuersa regione, cuncta quę ab eodē Comite dono susceperat,resignaret. Exiens ergo de finibus illis,bonis omnibus spoliatus,ad dominum Balduinū Hierosolymorū regem primus accessit, cunctisq; quæ ei acciderant ordine manifestans, propositū aperit, quòd in patriā redire dispo suerat. Quo audito,D.Rex uidens eum regno maximè necessarium, dedit ei urbem Tiberiadensem,cum finibus suis iure perpetuo possidendā, ut tanti uiri solatio se muniret. Quam urbem strennuè & prudenter cum omnibus suis pertinentijs,quàm diù in ea mansit, rexisse,& fines ampliasse pręstantissimè:cumq; adhuc Tyrus ab infidelibus detineretur, exemplo prædecessoris sui,multas eidem ciuitati dicitur intulisse molestias. Et licet aliquātulum montibus interpositis,ab eis uideretur esse remotior, sæpe tamen eorum fines ingrediebatur,eis damna collaturus.

Terræmotus ingens partes concutit Antiochenas. Borsequinus quoq; Turcorum Satrapa potentissimus,in eadem desæuit regione. Caput XXIII.

ANno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo quarto,tantus uniuersam Syriā terræmotus concussit, ut multas urbes & oppida infinita dirueret funditus: maximè aūt circa Ciliciam, Isauriā, & Cœlesyriā. Nam in Cilicia Mamistrā cum multis oppidis solotenus prostrauit, Maresiamq; deiecit cum suburbanis suis, ita ut quorundā uix etiā restarent uesti-

gia. quatiebantur turres & mœnia, maioribus ædificijs periculosius ruentibus, fiebat populorum strages infinita, & ciuitates amplissimæ quasi agger lapidum constitutę, tumulus erant oppressorum, & contritis habitatoribus uicem prestabāt sepulchri. Fugiebat plebs mente consternata, habitationem urbium, domiciliorū ruinam formidantes: & dum sub diuo requiem sperāt, timore concussi, somnos interrumpunt, oppressiones quas uigilantes timuerant, in somnis perpessi. Nec erat hoc tam ingens, in una tantū regione periculū: sed usq; ad extremos Orientis fines, hęc pestis latè se diffuderat. Anno quoq; sequēti, iuxta morē solitū, Borsequinus Turcorū potentiss. congregata gētis eiusdē multitudine infinita, regioni Antiochenæ hostiliter se infudit, pertransiensq; totam illā prouinciā, inter Alapiā & Damascū castrametatus est, expectans ut opportunitate concessa, inde in partes nostras uel illas irruptiones molirent. Porrò Doldequinus Damascenorū rex, illorum expeditiones habens nimis suspectas, timensq;, ne magis ea intentione illuc conuenissent, ut sibi & regno suo detrimenta molirent, q̃ ut cōtra Christianos, quorū uires sępius erant experti, dimicaturi aduenissent, factus est sollicitus. Imputabatur ei mors prędicti nobilis uiri, qui apud Damascum fuerat interemptus, quasi de eius cōsciētia talis illius interitus processisset. Audito ergò Turcorū aduentu, & eorū intētione plenius cognita, missis legationib. cum ingēti munerū magnificentia, tam ad D. regem, q̃ ad principē Antiochenū, pacē petit ad certū tempus, et implorat: iuramēta pręstans et obsides, quod toto cōcessi temporis fœdere, Christianis tam ex regno q̃ ex principatu fidelē debeat societatē obseruare. Interea princeps Antiochenus, uidēs eos suis partibus uiciniores: & quorundā edoctus relatione, quod in terrā suā impetus molirent, D. regē in suum subsidiū euocat. Doldequinū nihilominus iure fœderis obligatū, ut cum suis adesse procuret, ac uerbis pijs inuitat. Rex autē pro salute regionis sollicitus plurimū, congregata militia, & honesto stipatus comitatu, illuc impiger contendit: assumptoq; secum Tripolitano comite Pontio, intra paucos dies ad eum locum, ubi D. Princeps suas collegerat copias, peruenit. Porrò Doldequinus, sicut & uicinior erat, ita & D. Regis præuenerat exercitum, nostrorū castris, tanquā socius se adiungens. Collectis ergò omnibus in unum copijs ante urbem Cæsareā, ubi hostes adesse prius audierant, unanimiter constiterunt: quo hostibus cognito, uidentes quod nisi cum graui periculo nō possent nostros sustinere, simulant recessum, tanquam de cætero nō redituri. Vnde nostri abinuicem separati, reuersi sunt ad propria.

Ascalonitæ urbem Ioppensem obsident, sed regis aduentum formidantes, infecto negotio recedunt ad propria. Caput XXIIII.

INterea dum rex ita circa partes Antiochenas detineretur occupatus, Ascalonitæ ea freti fiducia, quod rex absens erat, secumq; maiores regni uires contraxerat, sumpta opportunitate ex tempore, urbem Ioppēsem obsident. Modico siquidē antè tempore, septuaginta nauium classis in eorū subsidium ex Aegypto ascenderat, quā ante se pręire, & Ioppensiū littus occupare præcipiūt. ipsi uerò subsecuti in multis milibus, erectis uexillis, subitò ante urbē cōstiterunt. Qui uerò in classe erāt, cognito suorum per terras aduentu, è nauibus certatim prosiliunt, ciuitatem cominus impugnaturi. Sic ergò dispositis in gyrum ordinibus, urbē ex omni parte ambiunt, et signo dato impugnant,

undiq;

undique instantes animosius. Ciues autem, etsi pauci essent numero, & uiribus longè impares, pro uxoribus & liberis, pro libertate & patria, pro qua quiuis egregius honestum mori reputat, resistunt uiriliter, turresq́ ac mœnia pro uiribus communientes, arcubus & balistis, iactu quoque pugillarium lapidum hostes à se propellunt longius, nec ad murũ patiunt̃ accedere. Contigit autẽ Ascalonitis longè secus à spe q̃ conceperant: nam urbem arbitrantes uacuam reperire, scalas fabricauerant & altitudine & numero sufficientes, per quas sine contradictione intra mœnia irrumpere posse nõ diffidebant. Resistentibus igit̃ uiriliter obsessis, nõ dabat̃ eis scalas mœnibus applicare: quibus uix licitũ erat ad eos, qui in turribus erãt, aliquid iaculari. Tantã enim ciuibus Dñs cõtulerat gratiã, ut circumstantẽ multitudinẽ, diuino freti auxilio, nõ formidarent. Erant autẽ portæ ciuitatis ligneæ, nullum ex ære uel ferro habentes operimentum. Has ignem artificiosè contorquendo ex parte combusserunt, nõ tamen eatenus, ut per eas maior uis ciuibus, aut maior inferri posset molestia. Videntes ergo post dies aliquot Ascalonitæ, quod non proficerent, timentesq́ ne regionis populus ad obsessorũ conueniret subsidiũ, soluta obsidione domũ reuersi sunt. Classis uerò secundis usa flatibus, in portum Tyrensium se recepit. Euoluto autẽ decem dierum spacio, tentare uolentes, utrum Ioppitas incautos aliquando reperire possent, Ascalona secretius egressi, congregata suorũ ingenti multitudine, subitò & sine strepitu, iterato ante Ioppen astiterunt. Ciues autẽ in talibus assueti semper erant in excubijs, continuas noctibus per successiones agentes uigilias, ut semper ad resistendum inuenirent̃ parati. Vidẽtes ergò hostium reuersas legiones, & bella sibi recidiua parari, certatim turres conscendũt & mœnia: tantoq́ acrius contendunt resistere, quanto uires hostium minores conspiciunt, & numerũ uiderunt imminutũ. Nã classem quæ alia uice multa ciuibus intulerat discrimina, abesse conspiciunt, non facilè redituram. Augebat etiam nihilominus obsessis fiduciã, quod Rex in proximo dicebatur uenturus. Vnde facti animosiores, confidentius uarijs casibus, multos de hostium exercitu proteruius instantes peremerunt. Cum ergo quasi per septem horas continuas urbem impugnassent, uidentes quod inutiliter consumerent operã, reuocatis agminibus, hostes Ascalonam reuersi sunt.

Borsequinus iterum Antiochenorum uexat fines: sed occurrente sibi principe Rogerio cum suis auxilijs, confusus, in fugam uertitur, legionibus dissolutis. Caput XXV.

DVm igit̃ hęc in regno gerunt̃, Borsequinus (de quo superius diximus) qui ad aduentum D. Regis & aliorum nobilium, qui cõtra eum conuenerãt, fugam & discessum à partibus Antiochenis simulauerat, uidens quod rex & princeps Antiochenus, Doldequinusq́ discesserant abinuicem, & curis tracti domesticis redierant ad propria, arbitratus quod non facilè denuò possent conuenire, rursum partes infestat Antiochenas: & percurrens regionem uniuersam, uillas incendit, concremat suburbana, & quicquid extra munita præsidia reperire poterant, sibi dabant in direptionem & prædam: diuersis etiam cateruatim agminibus ad uarias dirigebant partes, ut stragem passim operarentur, & incautis occurrentes, siue per agros iter agentes, aut captiuos secum traherent, aut gladijs obtruncarent. Nec solum uillas absque

muro suis effringebāt irruptionibus, uerumetiam & murata municipia uio lenter occupabant. Marram siquidem & Cafardam, cōprehensis intus habitatoribus, partim peremptis gladio, partim cum peditibus mancipatis, ad solum usq; deiecerant, & obtinentes regionē totam, undiq; prędam, undiq; Christiana mancipia singulis diebus cōtrahebant. Quod ut principi nunciatum est, accito sibi domino Comite Edissano, duodecima mensis septēbris Antiochia egressus, ante oppidum Rugiā cum suis expeditionibus impiger astitit. Missisq; statim exploratoribus qui de hostiū statu certificarent & proposito, ipse acies instruit iuxta, componit agmina, ad pugnam uiriliter se accingens: circa quæ, dum rei militaris disciplinam à domino Comite fideliter adiutus desudaret, ecce nuncius cum omni celeritate properās, hostes in ualle Sarinati castrametatos asserit. Quo audito, exhilaratus est admodum uniuersus exercitus, quasi spe uictorię iam concepta. Ipse etiam Borsequinus, audito nostrorum aduentu, suos armari pręcipit, & instructis agminibus ad agendum strennuè cōmilitones inuitat. Volens tamen suæ prouidere saluti, cum fratre & quibusdam familiaribus, montem uicinū nomine Danim, antequam nostri accedant, occupat, unde suos possit prælïantes intueri, & de belli ordine necessarios suos plenius instruere. Factū est ergo, ut dum circa hæc esset occupatus, ecce nostrorum acies, erectis uexillis cœperunt comparere: uisisq; hostibus, spreta eorū multitudine, D. Balduinus Edissanus Comes, qui cum sua cohorte cæteros præcedebat, in eos animosius irruens, impetu uehementi totum eorum concussit exercitum. Quem pari exemplo reliquæ acies consecutæ, in medios hostiū cuneos se immergunt, ensibus & gladijs instantes cominus, iniurias parati refundere, quas uillanis et pauperibus nimis licenter intulerant. Hostes itaq; primis cōgressionibus resistendi spem habentes, proteruè nimis à se nostros tentabant propulsare: sed tandem nostrorum uires, impetus, et admirabilem stupentes constantiam, dissolutis penitus eorum agminibus in fugā uersi sunt. Borsequinus uerò de montis culmine suorum uidens defectum, nostros uerò inualescere, cum fratre & familiaribus quos in mōte collegerat, relicto uexillo, castris et sarcinis omnibus, fuga elapsus, uitæ consuluit. Dissolutas itaq; acies & in fugam uersas, nostri persequuntur instantius, & gladijs obtruncātes fugitiuos, quasi per duo miliaria stragē infinitam operati sunt. Princeps aūt cum parte suorū, tanquam uictor, in campo certaminis biduo moram faciens, suos operiebatur, qui ad partes diuersas hostes fuerant insecuti. Quibus receptis, et comportatis antè se spolijs omnibus, portiones congruas uictorię pręstat consortibus. Castra enim deferentes omnibus referta commoditatibus, & ingentibus diuitijs redundantia, usq; ad supremum omnium eorum immemores fugam inierāt. Sed & prædam & manubias, quasi de locis diuersis cōtraxerant: simul & captiuos nostros, quos in uincula cōiecerant, receperunt nostri, & gaudentes cum suis animalibus, uxoribus, & liberis remiserūt ad propria. Dicuntur autem in eo cōflictu cecidisse de hostibus plusquā tria millia. His peractis, princeps equis, mulis, & captiuorum ante se præmissa multitudine, diuitiarum quoq; omnimoda uarietate antecedente, Antiochiam, cum ingenti plausu & populorum lætitia uictor ingressus est.

Arnulphus Hierosolymorum Patriarcha super multis accusatur. Romam proficiscitur. Rex in Syria Sobal trans Iordanem castrũ, cui nomen mons Regalis est, edificat. Cap. XXVI.

EOdem tempore D. Papa auditis enormitatibus Arnulphi patriarchæ, & de eius immunda cõuersatione plenius edoctus, legatũ dirigit ad partes Syriæ, quendã uirum uenerabilem, & multa religione conspicuũ, Auraficensem episcopum, qui ad partes nostras perueniens, conuocato uniuersi Regni episcoporũ concilio, prædictum Arnulphũ coram se astare præcepit: tandemq́ meritis exigẽtibus, auctoritate sedis Apostolicę ab officio pontificali deposuit. Ille uerò adhuc fiduciã habẽs in suis pręstigiis, quibus penè uniuersorũ subuertebat animos, trãsfretare coactus ad Romanã perrexit ecclesiã: ubi dñi Papæ & totius ecclesiæ, blandis uerbis, et larga munerũ profusione, religionẽ circumueniẽs, cũ gratia sedis Apostolicæ remeauit ad propria, sedem obtinens Hierosolymitanã, eadẽ uiuendi licentia qua prius meruerat depositionem. Per idem tempus, dum adhuc Christianus populus ultra Iordanẽ non haberet ullũ præsidiũ, cupiens Rex in partibus illis regni fines dilatare, proposuit auctore Dño, in tertia Arabia, quę alio nomine Syria Sobal dicit̃, castrũ ædificare, cuius habitatores terrã subiectã, et regno tributariã ab hostium irruptionibus possent protegere. Volẽs igit̃ proposito satisfacere, cõuocatis regni uiribus mare transit mortuũ: & transcursa Arabia secunda, cuius metropolis est Petra, ad tertiã peruenit. Vbi incolæ ad eius propositũ loco satis idoneo præsidiũ fundãt, situ naturali & artificioso ualde munitũ, in quo post operis consummationẽ tam equites q̃ pedites, ampla illis cõferens prędia, habitatores locat, oppidoq́ muro, turribus, antemurali & uallo, armis, uictu & machinis diligẽter cõmunito, nomẽ ex regia dignitate deductũ ei imposuit, montẽq́ Regalem, eo quod regem haberet fundatorẽ, appellari præcepit. Est aũt prędictus locus cõmoditates habẽs foecundi soli, frumenti, uini & olei copias uberes ministrantis, salubritate simul & amoenitate præcipua singulariter cõmendabilis, totã adiacentẽ regionẽ suæ uendicãs ditioni.

Rex uidens urbem sanctam habitatoribus uacuam, Syros fideles ex Arabia deducit: quibus conferens domicilium, urbis eos constituit habitatores. Caput XXVII.

EO tẽporis articulo uidens Rex, & super eo ualde sollicitus, urbẽ sanctã et Deo amabilem habitatoribus uacuã, ita ut eo ad cætera regni negotia de necessitate populus, qui saltẽ ad protegendos ciuitatis introitus, & turres & moenia, cõtra repẽtinos hostiũ irruptiones munienda sufficeret, anxius cogitabat, apud se deliberãs, & ab aliis percunctabat̃ frequẽtius, quomodo fidelib. populis & Dei cultorib. incolis eã posset replere. Gentiles eñ qui fuerãt eius habitatores, urbe uiolẽter effracta, penè omnes in gladio ceciderãt: si qui autem casu euaserant, iis nõ est datus locus intra urbem ad manendũ. Instar enim sacrilegii uidebat̃ Deo deuotis principibus, si aliquos, qui in Christiana non censerent̃ possessione, in tã uenerabili loco esse permitterent habitatores. Nostrates uerò adeò pauci & inopes erant, ut uix unum de uicis possent incolere. Syriani autem, qui ab initio urbis ciues extiterãt, tempore hostilitatis per multas tribulationes, et infinitas molestias adeò rari erant, ut quasi nullus eorum esset numerus. Ab introitu siquidem Latinorũ in Syriã, maximè autem postq́ Antiochia capta, uersus Hierosolymã tendere coepit exercitus,

adeò prædictos Dei famulos conciues eorũ cœperunt affligere, ut pro quolibet leui uerbo multos ex eis occiderent, ætati non parcentes, aut cõditioni: suspectos eos habentes, quod Occidentales principes, qui dicebãtur aduenire in eorum perniciẽ, ipsi literis & nuncijs euocassent. Sic ergo pro eius desolatione curam gerens debitã, sciscitabatᷣ diligentius, unde illic ciues posset euocare. tandemq́ didicit, quod trans Iordanem in Arabia multi fideles in uillis habitarent, qui sub grauibus conditionibus hostibus seruiebant in tributo. Hos euocans D. Rex, & meliores promittens conditiones, tractos tum locorum reuerentia, tum nostrorum dilectione, et amore libertatis, intra modicum tempus multos cum uxoribus & liberis, cũ gregibus & armẽtis & uniuersa familia recepit. Multi etiã sine uocatione duræ seruitutis iugũ declinantes, ut urbẽ Deo dignã incolerent, cõuenerunt. Quibus Rex eas ciuitatis partes, quę magis hoc solatio uidebantᷣ indigere, cõferẽs, eis domicilia repleuit.

Rex cleri suggestione à D. Papa postulat, ut quascũq; urbes subegerit, Hierosolymitanæ subdantur ecclesiæ. Subijciuntur uariarũ epistolarum exempla. Caput XXVIII.

INterea decidit in mentem domino Regi (fortasse cleri suggestione ad hoc deuenit) ut missis nuncijs ad ecclesiam Romanã, D. Papæ petitiones porrigeret: quarum tenor erat, ut quascũq; prouincias sudoribus bellicis & regia sollicitudine, autore Domino, sibi posset uendicare, & de potestate hostium uiolẽter eripere, omnes ditioni & regimini Hierosolymitanæ ecclesiæ subiaceret. super quo rescriptũ à sede Apostolica impetrauit, cuius tenorẽ præsenti narrationi inserere dignũ duximus. Paschalis seruus seruorũ Dei, glorioso Hierosolymitano regi Balduino salutẽ, & Apostolicã benedictionẽ. Ecclesiarum quę in uestris partibus fuerunt, uel sunt, terminos atq; possessiones, diutina infideliũ possessio tyrannisq́ cõfudit: cũ itaq; certos eius fines assignare deliberatione nequeamus, tuis precibus non immeritò duximus annuendũ, ut quia pro Hierosolymitanæ ecclesiæ sublimatione personã tuam extremis periculis exponere deuouisti, quascunq; infideliũ urbes ceperis, uel cepisti, eiusdẽ ecclesiæ regimini subiaceant. Porrò earundẽ ciuitatũ episcopi, Patriarchæ, tanq; metropolitano, obedientiã exhibere procurent, quatenus & ipse illorũ fultus suffragijs, et ipsi adinuicẽ ipsius unanimitatis auxilio uegetati, sic in Hierosolymitanæ ecclesiæ exaltatione proficiant, ut de illorũ profectibus Omnipotẽs Deus glorietᷣ. Data Laterani v. Idus Iunij. Ad petitionẽ quoq; eiusdem D. Regis, idem D. Paschalis, domino Patriarchæ Gibelino, & successoribus eius in perpetuũ super eodẽ articulo priuilegiũ indulserat, cuius rescriptum huic præsenti narrationi interserere curauimus, cuius uerba sunt hæc. Paschalis Episcopus, seruus seruorũ Dei, reuerendissimo fratri, Hierosolymitano Patriarchæ Gibelino, et successoribus eius in perpetuũ canonicẽ promouendis. Secundũ mutationes temporũ, transferuntᷣ etiam regna terrarũ: unde etiã ecclesiasticarũ Parrochiarũ fines, in plerisq; prouincijs mutari expedit, & transferri. Asianarũ siquidem ecclesiarum fines, antiquis fuerunt definitionibus distributi: quas distributiones, diuersarũ diuersæ fidei gentiũ confudit irruptio. Gratias aũt Deo, quod nostris temporibus & Antiochiæ & Hierosolymę ciuitates cum suburbanis suis, et adiacentibus prouincijs, in Christianorum principũ redactæ sunt potestatẽ. Vnde oportet nos diuinæ

muta-

mutationi & translationi manum apponere, & secundum tempus, quę sunt disponẽda, disponere. & Hierosolymitanæ ecclesiæ, urbes illas & prouincias cõcedamus, quæ gloriosi regis Balduini, ac exercituũ eum sequẽtium sanguine, per Dei gratiã acquisitę sunt. Pręsentis itaq; Decreti pagina, tibi frater charissime, & coëpiscopo Gibelino, eiusq; successoribus, & per nos sanctæ Hierosolymitanæ ecclesiæ Patriarchali, siue Metropolitano iure regendas dispo nendasq; sancimus: ciuitates omnes atq; prouincias, quas supradicti regis ditione aut iam restituit, aut in futurũ restituere gratia diuina dignabat. Dignũ est enim, ut sepulchri Dominici ecclesia, secundũ fidelium militum desideria cõpetentem honorẽ obtineat, & Turcorũ seu Sarracenorum iugo libera in Christianorũ manu abundãtius exaltet. Super qua exauditione, D. Bernhardus, uir uitæ uenerabilis, Antiochenorũ Patriarcha, quoniã in læsionẽ ecclesiæ suæ redundare uidebat, indignatus est plurimum, ita ut missis nuncijs ad Romanã ecclesiã, super eo facto plurimũ conquereret: & de illata sibi & ecclesiæ suæ manifesta iniuria, D. Papam & ecclesiam totam literis suis argueret. Cuius D. Papa indignationem mitigare cupiens, in hæc uerba rescripsit. Paschalis Episcopus, Seruus seruorũ Dei, uenerabili fratri Bernhardo, Antiocheno Patriarchæ, salutẽ & Apostolicam benedictionem. Quãuis inter cęteras sedes Apostolica illa sedes emineat, quã Petri apostoli morte in corpore dignatio superna clarificauit, inter Romanũ tamẽ & Antiochenũ episcopos tanta quondam legit charitas extitisse, ut nulla inter eos diuersitas uideretur. Eadẽ Petri persona utrasq; illustrauit ecclesias: multa post hãc tempora transierunt, quibus infideliũ dominatio unitatem hanc in personis pręsidentium impediuit. Gratias aũt Deo, quod temporibus nostris Christianorũ principatũ in Antiochena ciuitate restituit. Dignũ est igit charissime frater, ut eiusdẽ charitatis unitas firma permaneat, nec de nobis menti tuæ opinio ulla surrepat, quod Antiochenam ecclesiam deprimere, aut inhonorare uelimus. Si quid ergo uel Antiochenę, uel Hierosolymitanę ecclesiæ aliter fortasse quàm oportuit de Parrochiarũ finibus scripsimus, nec lenitati est nec malitiæ ascribendũ, nec propter hoc apud nos est scandalũ concitandũ, quoniã et locorũ longinqua prolixitas, & antiquorũ nominũ cõmutatio, quæ ciuitatibus uel prouincijs accidit, magnã nobis ambiguitatẽ uel ignorantiã intulerunt. Cęterum & optauimus, & optamus nõ scandali, sed pacis fomitem fratribus ministrare, suum ius & honorẽ quibusq; ecclesijs cõseruare. Data Laterani vi. Idus Augusti. Volens autem D. Papa mentẽ suam interprętari, & qua intentione D. Regi, & ecclesię Hierosolymorũ id cõcesserat, quod in eius rescriptis continebat, eidẽ Patriarchę Bernhardo in hũc modũ rescripsit. Paschalis episcopus, seruus seruorum Dei, Coëpiscopo Bernhardo, Antiocheno Patriarchæ, Salutẽ & Apostolicã benedictionẽ. Sicut alijs literis fraternitati tuę scripsimus, nos et personã tuã, et ecclesiã tibi cõmissam plena charitate diligimus, nec ullo modo uolumus honorẽ uestrę dignitatis imminui, quin Antiocheni Patriarchatus prælatio, sicut pręteritis tẽporib. conseruata est, ita etiã in futurũ integra, pręstãte Dño, cõseruet. Illud aũt quod filio nostro Bernhardo, Hierosolymitano regi, per nuncios suos intercedẽti, cõcessimus, charitatẽ uestrã omnino cõturbare nõ debet. Sic enĩ in eis scriptũ est: Ecclesiarũ

quæ

quæ illis in partibus fuerunt, uel sunt, terminos atque possessiones diutina infidelium possessio tyrannisque confudit. Cum itaque certos eius fines assignare præsenti deliberatione nequeamus, tuis nō immeritò precibus duximus annuendum, ut quia pro Hierosolymitanę ecclesię sublimatione personā tuam extremis periculis exponere deuouisti, quascunque infidelium urbes cœperis, uel cœpisti, eiusdem ecclesiæ regimini dignitatique subiaceāt. Eodē sensu etiam illa uerba discutienda sunt, quæ fœlicis memoriæ Gibelino Hierosolymitano Patriarchæ, de ciuitatibus atque prouinciis scripsimus, quæ supradicti Balduini regis prudentia, exercituū eum sequētium sanguine, per Dei gratiam, acquisitæ sunt. Siquidem ecclesias illas, quibus certi fines assignari possunt, quarum termini ac possessiones diutina possessione ac tyrannide cōfusi non sunt, & ipsarum ecclesiarū urbes, illi uolumus ecclesiæ subiacere, ad quam ex antiqua sciunt iusticia pertinere. Non enim uolumus aut propter principum potentiam, ecclesiasticam minui dignitatē, aut pro ecclesiastica dignitate principum potētiam mutilari. Data Beneuēti, decimo quinto Cal. Aprilis. Sed & domino Regi eodem modo scripsit, exponens qua intentione prędictis illius petitionibus assensum præbuerat, & significans quod ecclesiā Antiochenam in nullo uellet indebitè grauare. Et in hæc uerba: Paschalis Episcopus, seruus seruorum Dei, charissimo Balduino, illustri Hierosolymitanorū regi salutem & Apostolicam benedictionem. Concessio illa quam nos petitioni tuæ accōmodauimus, ut quascunque infideliū urbes cæperis, uel cæpisti, Hierosolymitanæ ecclesiæ regimini dignitatique subiaceant, non parum cum fratrem nostrū Bernhardū Patriarcham, tum uniuersam Antiochenam turbauit ecclesiā. Cum enim nos cōcessionem illi super illis ecclesiis indulserimus, quarū terminos ac possessiones, diutina infideliū possessio tyrannis cōfudit, illi eas ecclesias à Hierosolymitano Patriarcha, te conniuente inuasas cōqueruntur: de quibus ambiguitas nulla sit, quin eas etiā Turcorū uel Sarracenorū temporibus sedes Antiochena possederit: & eorū episcopi, etiā infideliū oppressi tyrannide, Antiochenorū Patriarchę obedientiā exhibeāt. Porrò nos literis ad supradictū Patriarchā missis, Antiocheni Patriarchatus prælationem, sicut ab antiquis patribus distributa, & præteritis temporibus cōseruata est, ita etiam in infinitū integram conseruari sanxeramus. Tuā igitur strennuitatem monemus, et monentes præcipimus, ne à te inuasiones huiusmodi fieri (ut manifesta est ueritas) permittant, sed unaquæque ecclesia, iustitiæ suæ limitibus perfruatur. Nec enim possumus manifestè sanctis patrum nostrorum cōstitutionibus obuiare: nec omnino uolumus, aut pro principum potentia, ecclesiasticam minui dignitatem, aut pro ecclesiastica dignitate principum potentiam mutilari, ne apud nos occasione alterutra pax (quod absit) turbetur ecclesiæ. Clericis quoque Hierosolymitanis per præsentia scripta præcipimus, quandoquidē paternas possessiones, & patriam pro ecclesiæ (ut creditur) exaltatione, pro religionis obseruantia reliquerunt, ut Hierosolymitana ecclesia sint contenti, nec iniustè aut procaciter ea usurpare cōtendant, quę certò sciuntur ad ius Antiochenę ecclesiæ pertinere. Omnipotēs Dominus, sua te in omnibus dextera protegat, de hostibus ecclesiæ triumphare concedat. Data Laterani, decimo quinto Cal. Aprilis.

Rex ad mare rubrum deſcendit, regionē perluſtrat. Comitiſſam Siciliæ, quam uxorem duxerat, remittit ad propria, ægritudine fatigatus. Caput XXIX.

ANno ſequente, ut adiacentium regionum Rex pleniorem haberet experientiam, & de ſitu prouinciarū magis edoceretur, aſſumptis ſecum locorum peritis, & comitatu, qui ſibi ad propoſitum ſufficere uidebatur, tranſiens Iordanem, & tranſcurſa Syria Sobal, per uaſtitatē ſolitudinis ad mare rubrum deſcēdit, ingreſſus Helim ciuitatem antiquiſſimā, populo Iſraëlitico, aliquando familiarē: ubi legunť fontes duodecim fuiſſe, & Palmę ſeptuaginta. Ad quam cum perueniſſet, loci illius incolæ domini Regis aduentu præcognito, nauiculam ingrediētes, in mare uicinū, mortem effugere cupientes, ſe contulerunt. Vbi D. Rex locis notatis & conſideratis eadem qua uenerat reuerſus uia, ad montem Regalē, caſtrum uidelicet, quod de nouo fundauerat, reuerſus eſt. Inde Hieroſolymam rediēs, graui ex inſperato correptus eſt ægritudine. qua cum ſupra uires defatigaretur & timeret deficere, læſam habens cōſcientiam, ſuper eo quod legitima uxore iniuſtè abiecta, aliam ſuperduxerat: corde cōpunctus & facti pœnitens, uiris religioſis & Deum timentibus aperiens conſcientiā, reatum confeſſus eſt, ſatisfactionem promittens. cui cum pro conſilio dareť, ut Reginam quam ſuperduxerat, à ſe dimitteret, abiectam uerò, ad Regiam unde deciderat reuocaret dignitatē, acquieuit: & quod ita facturus eſſet, ſi uita ei concederetur productior, uoto ſe obligauit. Vnde factū eſt, ut euocata ad ſe Regina ordine rem aperuerit: quæ licet ſuper eodem facto aliquantulū eſſet inſtructa, nā idipſum aliquando à pluribus audierat, tamē uiſa eſt ægrè ferre, quod ita temerè fuiſſet euocata, et fraude principum regionis, qui ad eam citandā miſſi fuerant circumuenta. Dolēs igitur et triſtis tam de illata cōtumelia, quàm de opibus inutiliter conſumptis, ad reditum ſe præparat, poſt tertium annū, quo ad D. Regem uenerat, reuerſura. Qua redeunte ad propria, turbatus ſupra modū filius, & apud ſe odium concepit aduerſus regnū & eius habitatores, immortale. Nam cū reliqui fideles diuerſi orbis principes, aut in proprijs perſonis, aut in immenſis liberalitatibus regnum noſtrū, quaſi plantā recentē promouere et ampliare ſatagerent, hic & eius hæredes uſqꝫ in præſentē diem, nec etiā uerbo amico nos ſibi conciliauerunt: cū quouis tamē alio principe longè cōmodius, faciliusqꝫ noſtris neceſſitatibus cōſilia poſſent & auxilia miniſtrare. Videnť ergo iniuriæ perpetuò memores, & delictū perſonæ iniuſtè in populū refundūt uniuerſum.

Ante urbem Tyrenſem caſtrum Alexandrinum, quod uulgari appellatione Scandalium nuncupatur, ædificatur. Cap. XXX.

EOdem anno poſtquā Rex de prædicta cōualuit ægritudine, anxius quo modo urbem Tyrenſiū, quæ ſola de urbibus maritimis ab hoſtibus detinebatur, ſuo mancipare poſſet imperio, inter Ptolemaidā & prædictū Tyrum caſtrum ædificat: in eodem loco ubi Alexander Macedo, ad expugnandam eandem urbem, olim dicitur fundaſſe idem præſidium, & de ſuo nomine Alexandrium uocaſſe. Eſt autem locus fontibus irriguis, uix quinqꝫ milia ribus à Tyro diſtans, in littore maris conſtitutus. Hoc autem ea reædificauit intentione, ut Tyrenſibus eſſet pro ſtimulo, & unde eis frequens irrogaretur iniuria. Hunc locum hodie appellatione corrupta populares appellant

Scanda-

Scandalium. Arabicè enim Alexander, Scandar dicitur:& Alexandrium, Scandarium:uulgares uerò R in L conuersa, dicunt Scandalium.

Rex in Aegyptum descendens, Pharamiam occupat: inq; ægritudinẽ incidit, qua fatigatus in eodem itinere uita decedit: Hierosolymis iuxta fratrem sepelitur. Cap. XXXI.

ANno sequente, ut Aegyptijs uicem refunderet pro ijs quæ in regno sæpius commiserant, cum ingentibus copijs descẽdit Rex in Aegyptum, & urbem antiquissimam Pharamiam nomine confregit uiolenter, et confractæ copias suis commilitonibus dedit in prędam. Est autem Pharamia urbs antiqua, ut diximus, in littore maris sita, non longe ab ostio Nili, quod Carabeix dicitur: super quod iterũ Ramesses urbs antiquissima, & signorũ, quæ Dominus per Moysen seruum suum coram Pharaone operatus est, familiaris. Capta igitur urbe, egressus Rex ad prædictũ ostium Nili, admiratus est aquarũ quæ prius non uiderat fluenta, eoq; maximè, quod Nilus, cuius portionem alueus ille usq; in mare deducit, unum de quatuor Paradisi fluminibus dicitur esse, & creditur. Captis igitur de piscibus, quorũ illic maxima est copia, in urbem quam occupauerant redeunt, & parato prandio refecti sunt ex eis: cumq; Rex surrexisset à cœna, sensit se dolore plurimo interius pręgrauari, & recrudescẽte antiqui uulneris molestia, cœpit laborare uehementius, ita ut de uita periclitans desperaret. Indicto igitur legionibus per uocem præconiam reditu, domino Rege, ægritudine inualescẽte, eatenus debilitato, ut equitare non posset, lecticam insternunt, eumq; in ea, anxiè laborantem collocant. Sicq; continuatis itineribus, transcursa ex parte solitudine, quæ inter Aegyptum & Syriam media diffunditur, Laris antiqua eiusdem solitudinis urbem perueniũt maritimam. Vbi morbo superatus Rex, ad extremum ueniens in fata concessit: unde lugẽtibus, & præ doloris angustia deficientibus legionibus, Hierosolymã deportatus est. Et ea dominica quæ dicitur in Ramis palmarum, per uallem Iosaphat, ubi de more populus ad diem festũ conuenerat, in urbem introductus, & iuxta fratrẽ sub Caluaria, in loco qui dicitur Golgotha, regia magnificentia sepultus est. Mortuus est autem anno ab incarnatione Domini M. C. XVIII. Regni eius octauo decimo.

LIBER DVODECIMVS

Dominus Balduinus Comes Edissanus, sublimatur ad regnum. Describiturq; quis, & unde fuerit. Caput I.



SEcundus Hierosolymorum rex, ex Latinis fuit dominus Balduinus de Burgo, qui cognominatus est Aculeus, uir religiosus, ac timens Deum, fide cõspicuus, in re militari exercitatus plurimum. Hic fuit natione Frãcus, de episcopatu Remensi, filius domini Hugonis de Retest, & Millisendis præclarę comitissæ, quæ tot sorores dicitur habuisse, unde tanta multitudo filiorum & filiarum dicitur procreata, quantum ij numerãt qui principum Genealogias sollicita inuestigant diligentia. Hic uiuente adhuc patre cum alijs nobilibus, qui iter Hierosolymitanum arripuerant, in comitatu domini Ducis Godefridi, cuius erat consanguineus, eandem uiam, ea deuotione qua alij ingressus est, re-

est,relinquens domi apud patrem iam grandæuum,fratres duos, & sorores totidem,quorum ipse omnium primogenitus erat. Nomen alterius fratrum Geruasius,qui postea fuit electus ad ecclesiā Remensem: alterius Manasses. Sororem autē alteram habuit Castellanus de Vitriaco, nomine Mathildē: alterā dominus Herbrandus de Hergetz, uir nobilis & potens, nomine Hodiernam:ex qua natus est Manasse de Hergetz,quem nos postmodum tempore dominæ Mellisendis reginæ, regium uidimus constabularium. Porrò patre huius domini Balduini regis defuncto, Manasses filius eius, quia dominum Balduinum, qui primogenitus erat, regni occupatio detinebat, successit:quo etiam sine liberis decedente, Geruasius frater eorum, dimisso Remensi Archiepiscopatu, uxorem contra instituta ecclesiastica ducēs,eiusdem Comitatum iure possedit hæreditario. Susceptam autem ex uxore unicam filiam cuidam nobili uiro in Normannia,matrimonio copulauit. Quo defuncto,sororis illorum filius, Mathildis uidelicet,quę Castellano Vitriacensi nupserat,Iterius nomine,in eodem Comitatu successit. Sed de his hactenus.

Qua de causa profectus est Hierosolymam,quando electus est in regem. Caput II.

DOmino igitur Balduino, domini ducis piæ & illustris memoriæ Godefridi fratre,post fratris obitum ad regnum Hierosolymorum uocato,et in regni solio solenniter collocato, hic (de quo nobis in præsentia est sermo) tradēte domino rege,qui consanguineus eius erat,in comitatu Edissano successit,quem annis decem & octo, & aliquid amplius, strenuè & feliciter administrauit. Anno igitur sui Comitatus decimo octauo,regione sua in tranquillitate locata, proposuit Hierosolymorum regem, dominum consanguineum & benefactorem suum,& loca sancta deuotionis gratia uisitare. Ordinatis igitur ad iter necessarijs, commissaq; fidelibus suis, de quorum fide & industria plenius confidebat,regione,municipijs in tuto dispositis,tanquam uir prouidus & plenè circumspectus, uiam destinatā, adiuncto sibi honesto comitatu,aggredit̃. Dumq; iter prosequeret̃ inceptum, ecce nuncius occurrit,denuncians quòd dominus rex in Aegypto,sicut & uerum erat,ultimum fato clauserat diem. Quo audito,plurimū de morte domini & consanguinei sui,sicut nec mirum erat,consternatus,nihil tamen ab incepto destitit itinere, sed Hierosolymam maturatis gressibus contendit. Ad quam cum peruenisset,accidit casu,quod in die festo, qui dicitur Ramispalmarum, cum de more populus uniuersus in uallem Iosaphat conuenisset, ad solennē tantę diei processionem, subitò comes ex una parte cum suis ingredit̃: & è regione altera, domini regis funus, cum exequijs importatur, uniuersa militia,quæ cum eo in Aegyptum descenderat,domini sui funus de more prosequente.

Modus electionis aperitur: & memorabile factum domini comitis Bolonensium Eustachij describitur. Caput III.

INtroducto igitur funere regio in sanctam ciuitatē, & in ecclesia Dominici sepulchri iuxta fratrem, ante locum qui dicitur Golgatha, sub monte Caluariæ,honorificè sepulto,conuenerunt qui aberant de maioribus regni, episcopi,archiepiscopi,& alij ecclesiarum prælati cum domino Arnulpho patriarcha:& de laicis principibus nōnulli, inter quos erat uir industrius,cuius superius fecimus mentionem,Ioscelinus,potens in opere et sermone, Tyberia-

densis dn̄s. Habitaq́ꝫ deliberatione de instanti negocio, uarias proponūt sententias: dicentib. alijs, expectandum esse D. Eustachiū comitē, nec interrumpendam hęreditariæ successionis antiquissimā legem: specialiter, cum bonæ memorię fratres eius cōgruo, & cunctis placato moderamine regnū feliciter administrassent. Alijs dicentibus, negocia regni, et continuam necessitatē nō posse pati has dilationes, nec indulgere tantas ferias, sed maturandū esse, ut regioni citius cōsulaꝰ, ne fortè si incubuerit necessitas, nō sit qui exercitus educat atq́ꝫ reducat, & regni procuret negocia, & præ ducis inopia regni status periclitet̄. Hanc partium fluctuationē & uotorum repugnantiam, pertentata D. patriarchæ, & ad se inclinata mente, prędictus Ioscelinus, qui maximę erat in regno autoritatis, illorū iuuans partē, qui dicebant regem statim esse ordinandum, decreuit dicens: Pręsentē esse D. comitē Edissanum, uirum iustū & timoratum, D. regis consanguineum, armis strenuum, per omnia cōmendabilē, quo meliorē nulla nobis regio, nulla prouincia posset ministrare. Commodius esse ipsum in regem assumere, q̄ꝫ casus periculosiores expectare. Erāt itaq́ꝫ multi, qui de synceritate fidei arbitrabanꝰ D. Ioscelini uerba procedere, scientes quomodo nō multo antè D. comes, ut prædiximus, tractasset eum: & illud reputantes, quod prouerbialiter dici solet, Omnis laus uera est ab hoste: nescientes quod aliò properaret intentio, fidem uerbis eius habentes, pręstabant conniuentiam. Ipse autē, ut dicebatur, aliter affectus erat. nam spe futuræ in Comitatum successionis, D. Comitem in regnum introducere nitebatur. Domino igitur Arnulpho patriarcha, & D. Ioscellino hanc opinionē amplectentibus, & reliqui in eandem inducti sunt sententiam: & pari uoto, & unanimi consensu, eum in regem eligentes, in die sanctæ Resurrectionis, quæ proximè secuta est, solenniter, & ex more inunctus & consecratus est, & diadema insigne regium suscepit. Quæcunq́ꝫ aūt domini Patriarche, aut domini Ioscelini in eo facto fuerit intentio, Dominus rei euentum misericorditer conuertit in bonum. Nam uirum iustum, pium, ac timentem Deum, diuina eū præueniente gratia, se exhibuit: eratq́ꝫ uir in cunctis prosperè agēs. uidetur tamen minus regularē habuisse introitum, legitimumq́ꝫ regni hæredem certum est à debita successione fraudulēter exclusisse, illos qui hunc pro mouerunt. Mortuo nanq́ꝫ domino rege, siue de eius supremo iudicio, siue de cōmuni principum regni consilio (quia neutrum pro certo cōpertum habemus) missi erant quidam nobiles et magni uiri, qui ad regni successionē communi edicto crearent comitē Bolonensium D. Eustachium, dominorū Godefridi ducis eximij, & D. Balduini regis fratrem. Qui ad eum peruenientes, inuitum & renitenē, causas honestissimas prætendentes, quare eum uenire oporteret, usq́ꝫ in Apuliā traxerunt. Vbi audiens prædictus uir uenerabilis, religiosus, ac timens Deum, uerè tantorū uirorum imitator & frater, & in uirtutibus et honestis meritis successor, quod Hierosolymis medio tempore D. Balduinus, & Edissanus comes, eius consanguineus, rex fuerat ordinatus, instantibus nuncijs qui eò missi fuerant, & allegantibus ut nihilominus procederet, quia quod factum erat, contra ius & fas, & cōtra hęreditariæ successionis legem antiquissimā, nullo modo stare posset. respōdisse dicit̄ uir Deo plenus: Absit hoc à me, ut per me in regnū Domini ingrediaꝰ scandalū, per cuius

cuius sanguinem, pacem Christi recepit, & pro cuius tranquillitate uiri uirtutum, & immortalis memoriæ fratres mei egregias animas cœlis intulerunt. Compositisq́ iterum sarcinis, & comitatu recollecto, inuitis ijs qui cum ad regnum trahere nitebantur, ad propria remeauit.

De habitudine corporis, & moribus, & conuersatione eiusdem regis. Caput IIII.

DIcitur autem forma fuisse cõspicuus, corpore procerus, facie uenusta, capillo raro, flauo, canis mixto, barbam habens raram, sed tamen usq; in pectus demissam, colore uiuido, & quantũ ætas illa patiebaẽ roseo. Habilis ad usum armorum, et equis regendis aptissimus. Rei militaris multã habens experientiã. In agendis suis prouidus, in expeditionibus fœlix, in operibus pius, clemens & misericors, religiosus et timẽs Deũ: in orationibus iugis, ita ut callos in manibus haberet & genibus, piæ afflictionis & genu flexionis frequẽtia. impiger, licet senior, quotiens eũ uocabãt regni negotia. Adeptus ergo regni soliũ, sollicitus de comitatu Edissano, quẽ sine Duce dimiserat, Ioscelinũ consanguineũ suum uocat, ut quod in eum prius deliquerat, gratuita plenaq; satisfactione corrigeret, eiq; tanq; qui Regiã illam plenius nouerat, comitatũ donat: sumptaq; fidelitate, per uexillũ inuestit, & inducit in possessionem: & cõuocans inde uxorẽ & filias et familias, per operã & studiũ eiusdem domini Ioscelini, in proximo cum sospitate recepit uniuersa. Erat autem uxor eius Morfia nomine, cuiusdã nobilis Græci, Gabrielis nomine, de quo suprà diximus, filia: quam dum Comes esset, cũ pecunia infinita, quæ dotis nomine donabaẽ, duxit in uxorẽ. ex qua susceperat tres filias, Mellisendũ uidelicet, Halim, & Hodiernã: nam quartam, cui nomẽ Meta erat, postquã regnũ adeptus est, uxor ei peperit. Coronatus aũt & consecratus est, anno ab incarnatione Domini M. C. XVIII. mense Aprili, secũda die mensis, pręsidente sanctæ Romanæ ecclesiæ dño Gelasio Papa secũdo: Antiochenę uerò, Bernhardo Latinorũ in eadẽ ciuitate Patriarcha primo: Sanctę Hierosolymitanę ecclesiæ dño Arnulpho, ex Latinis in eadẽ ciuitate Patriarcha quarto.

Alexius Constantinopolitanus Imperator, dominus quoq; Paschalis Papa, sed & Comitissa Siciliæ, quæ Hierosolymorum Regina fuerat, moriuntur. Caput V.

PEr idem tempus Constãtinopolitanus Imperator Alexius, Latinorum maximus persecutor, rebus humanis exemptus est: cui successit Ioannes, filius eius, patre multo humanior, et meritis exigẽtibus, populo nostro patre longè acceptior. qui etiã non omnino syncerus erga Latinos Orientales extitit, sicut docebũt sequentia. Dominus quoq; Paschalis Romanus pontifex uiam uniuersæ carnis ingressus est, Pontificatus eius anno sexto decimo: cui successit D. Gelasius, qui & Ioannes Gaietanus dictus est, sanctæ Romanæ ecclesię Cancellarius. Mortua nihilominus est et dña Adelesia, Sicilię Comitissa, quæ prædicti dñi regis Balduini, de facto, etsi nõ de iure, uxor fuerat.

Aegyptiorum exercitus tam naualis quàm per terras, in regnũ ingrediuntur. Rex cum suis occurrit, sed non conueniunt. Arnulphus Hierosolymorum Patriarcha moritur, substituitur ei Guarimundus. Caput VI.

EOdẽ anno æstate proximè subsecuta, princeps Aegyptius, qui tunc erat pro tempore, cõgregata ex uniuersis Aegypti finibus tam equitũ quàm peditum multitudine infinita, tam per terras quàm nauali exercitu, in regnũ nostrũ proponit uiolenter introire, facile putans, tam modicũ populum aut

consumere gladio, aut à cunctis Syriæ finibus fugientes eliminare. Transcursa igitur solitudinis uastitate, quæ inter nos & Aegyptũ media interiacet, cum equitatu uniuerso & peditum iaculis instructorum infinita multitudine ante Ascalonã castrametatus est. At uerò Doldequinus, Damascenorũ rex, cognito Aegyptiorũ aduentu, siue sponte, siue ab eis inuitatus, congregata iterũ ingẽti militia, de uia securus, ne fortè noster ei obueniret exercitus, transito Iordane, castris se eorũ associat, & uires augere nitit̃, in nostrã læsionem. Nauium aũt quædam apud Ascalonã applicuerunt, quędã uerò usqꝫ Tyrũ, quoniã ciuitas erat munitissima, & portũ habens cõmodum, profectæ sunt: expectantes ut de Dñi arbitrio, & de uoluntate eius qui classi præerat, eis aliquid præcipiat̃. Rex autẽ multo ante tempore eorum aduentu præcognito, tam ex Antiochenis qꝫ ex Tripolitanis partibus, conuocatis militaribus auxilijs, suísqꝫ in unum congregatis, in campestria Philistijm illis descẽdit in occursum: transitoqꝫ eo loco, qui olim Azotus dictus est, ubi una de quinqꝫ ciuitatibus Philistinorũ fuisse dinoscit̃, de uicino Aegyptiorum castrametatus est, ita ut utriusqꝫ partibus darent̃ mutuò hostium castra singulis dieb. intueri. Cumqꝫ iam per menses quasi tres, se inuicem lacessere formidarẽt, nostris tantam multitudinẽ in se temerè irritare timentibus, illis uerò nostrorũ uires, audaciam, et in prę́lijs experientiã formidantibus, placuit Aegyptio principi tutius esse, cum incolumitate domũ redire, qꝫ in se & in suos imprudenter bellorũ insidias experiri. sicqꝫ redeuntib. in Aegyptũ expeditionib. postquã de eorũ subito regressu nulla nostros mouebat suspicio, nostri quoqꝫ sumpta à D. rege licẽtia, ad propria cũ gaudio reuersi sunt. Per eosdẽ dies, mortuo Arnulpho Hierosolymorũ patriarcha, uiro iniquiss. & officij sui sanctimoniam negligẽte, substitutus est ei uir simplex, ac Deũ timens, D. Guarimundus, natione Francus, de episcopatu Ambianensi, de oppido Pinqueniaco. Huius diebus & meritis, etiã ut credit̃ multa magnificè ad regni cõsolationẽ & incrementũ operari dignatus est Dñs: sicut in sequentib. pręsens narrabit historia.

Ordo militiæ Templi Hierosolymis instituitur. Caput VII.

EOdem anno, quidam nobiles uiri de equestri ordine, Deo deuoti, religiosi, & timentes Deum, in manu D. patriarchæ, Christi seruitio se mancipantes, more Canonicorum regulariũ, in castitate & obedientia, & sine proprio uelle perpetuò uiuere professi sunt. Inter quos primi & præcipui fuerũt, uiri uenerabiles, Hugo de Paganis, & Ganfredus de sancto Aldemaro. Quibus, quoniam neqꝫ ecclesia erat, neque certum habebant domicilium, rex in palatio suo, quod secus templum Domini, ad Australem habet portam, eis ad tempus cõcessit habitaculum. Canonici Templi Domini, plateam quam circa prędictum habebant palatium, ad opus officinarũ certis quibusdã conditionibus concesserunt. Dñs autẽ rex cum suis proceribus, dñs quoqꝫ patriarcha cum prælatis ecclesiarũ, de proprijs Dominicalibus certa eis pro uictu & amictu beneficia quædã ad tẽpus, quędã in perpetuũ contulerunt. Prima autẽ eorum professio, quodqꝫ eis à D. patriarcha, & reliquis episcopis in remissionẽ peccatorum iniunctum est, ut uias & itinera, maximè ad salutẽ peregrinorum cõtra latronũ & incursantium insidias pro uirib. conseruarẽt. Nouem autẽ annis post eorum institutionẽ in habitu fuerũt seculari, talib. utẽtes

uestimen

uestimentis,quales pro remedio animarum suarum populus largiebat. Tandem anno nono, Concilio in Francia apud Cretas habito, cui interfuerūt dominus Remensis, & dominus Senonensis Archiepiscopi, cum suffraganeis suis: Albanensis quoq; episcopus, Apostolicæ sedis legatus: Abbates quoq; Cistercienſis, & Clareuallensis, cum alijs pluribus, instituta est eis regula, & habitus assignatus, albus uidelicet, de mandato domini Honorij papæ, & domini Stephani Hierosolymitani patriarchæ. Cumq; iam annis nouem in eo fuissent proposito (nō nisi nouem erant) ex tunc cœpit eorū numerus augeri, & possessiones multiplicabant. Postmodum uerò tempore domini Eugenij papæ, ut dicitur, cruces de panno rubeo, ut inter cæteros essent notabiliores, mantellis suis cœperunt assuere, tam equites quàm eorum fratres inferiores, qui dicuntur Seruientes: quorum res adeò creuit in immensum, ut hodie trecentos plus minus ue in conuentu habeant equites, albis chlamydibus indutos: exceptis alijs fratribus, quorum penè infinitus est numerus. Possessiones autem tam ultra, quàm citra mare adeò dicuntur habere, ut iam non sit in orbe Christiano prouincia, quæ prædictis fratribus bonorum suorum portionem nō contulerit, & regijs opulentijs pares hodie dicunt habere copias. Qui, quoniā iuxta templū Domini, ut prędiximus, in palatio regio mansionem haberent, Fratres Militiæ Templi dicuntur. Qui cum diu in honesto se conseruassent proposito, professioni suę satis prudenter satisfacientes, neglecta humilitate (quæ omnium uirtutū custos esse dinoscitur, & in imo sponte sedens, nō habet unde casum patiat) domino Patriarchæ Hierosolymitano, à quo & ordinis institutionē, & prima beneficia susceperunt, se subtraxerūt, obedientiam ei, quam eorum prædecessores eidem exhibuerant, denegātes: sed & ecclesijs Dei, eis decimas & primitias subtrahentes, & eorum indebitè turbando possessiones, facti sunt ualde molesti.

Papa Gelasius defungitur: cui Calixtus succedit. *Caput VIII.*

ANno sequenti mortuus est dominus Gelasius papa secūdus, domini Paschalis successor, qui & Ioannes Gaietanus dictus, uir literatus: qui fugiens domini Henrici imperatoris persecutionē, & æmuli sui Antipapę, qui cognominatus est Burdinus, declinans uiolentiā, in regnū Francorū se conferens, apud Cluniacum diem clausit extremum, ibidē etiam sepultus. Cui successit D. Guido, secundum carnem nobilis, Viennensis Archiepiscopus, qui postea in Papatum assumptus, Calixtus appellatus est. Hic postmodū D. imperatoris Henrici, cuius consanguineus erat, consecutus gratiā, et eius fretus auxilio, in Italiam cum Cardinalibus, & uniuersa curia discedens, apud Sutriam, urbē Romæ conterminā, & Mulim & hæresiarcham Burdinū uiolenter cepit: insuper et camelo impositum, pelle indutum ursina, ad Canense cœnobium, quod iuxta Salernū esse dinoscitur, cum multa misit ignominia: ubi usq; ad supremum senium, uitam compulsus est, lege loci, ducere cœnobicā. Et ita sopitū est schisma, quod à tempore domini Gregorij septimi, per tempora domini Vrbani, D. Paschalis, D. quoq; Gelasij, prædecessorum eius, quasi per triginta annos ecclesiam incessanter fatigauerant, D. Imperatore Henrico quinto ad ouile ecclesiæ post multa tempora, quibus per excōmunicationis sententiam à cœtu fidelium præcisus fuerat, reuocato.

Gazi quidam Turcorum ſatrapa potentiſſimus, partibus Antiochenis, cum ingentibus ſe infundit copijs, uniuerſa depopulans. Caput IX.

EOdem anno, quidam infidelium potentiſſimus princeps, & apud ſuos ualde formidabilis, infœlicis populi & perfidæ plebis, uidelicet Turcomannorũ dominus Gazi nomine, cui ſe adiunxerãt Doldequinus Damaſcenorum Rex, & Debeis Arabum, ſatrapa potentiſſimus, cum ingentibus copijs partes Antiochenas, in graui ſuorũ multitudine ingreſſus erat, circa Alapiam caſtrametatus. Cuius aduentu prœcognito D. Rogerius Antiochenus princeps, domini Regis ſororius, circumpoſitis mandat principibus, domino uidelicet Ioſcelino Ediſſanorum Comiti, domino quoq; Pontio Comiti Tripolitano, dño nihilominus Regi, & ſignificat inſtãtem neceſſitatem, monens & obnixius poſtulans, ut cũ omni celeritate, contra inſtantia pericula, opem laturi uenire non morarent. Rex ergo aſſumptis ſibi, quas tam ſubitò colligere poterat, militaribus copijs, Tripolim uſq; maturatis itineribus peruenit, ubi D. Comitem, ad iter peræquè ſuccinctũ, ſecum aſſociãs cœpto inſtatitineri. At uerò dominus Princeps, interim moræ impatiens de cõmuni lege mortalium, futurorũ neſcius, egreſſus ab Antiochia, circa Artaſiã oppidum caſtrametatus fuerat. erat aũt is locus alẽdis exercitibus ſatis cõmodus. nam ex noſtris finibus erat uolẽtibus ad exercitũ accedere liber & facilis acceſſus: unde in expeditione neceſſariorũ erat libertas maxima, & quanta in urbibus ſolet eſſe optata cõmoditas. Vbi cum per dies aliquot dñi Regis & Comitis expectaſſet aduentũ, prohibente domino Patriarcha, qui illuc uſq; eum fuerat proſecutus, renitẽtibus etiã de proceribus nõnullis, exercitũ iter iubet arripere, fortiter conteſtans, ſe nullius deinceps præſtolaturũ aduentũ. Erat autem quidã de nobilibus regionis, qui ad hoc eum impellebant, nõ ut conditiones exercitus facerẽt meliores, ſed ut terras ſuas, quas hoſtiũ caſtris in uicino habebant, præſente exercitu, in tuto collocarent. Horum ergo conſilium ſecutus, in ſuam ſuorũq; cladem præceps, ab eo loco ubi prius fuerat diſcedens, in eum qui dicebat Campus ſanguinis caſtra iubet locari: recenſitoq; eius exercitu, inuenti ſunt equites ſeptingenti, & peditum inſtructorum tria milia, exceptis negociatoribus, qui emendi uendẽdiq; gratia caſtra ſolẽt ſequi. Hoſtes uerò cognoſcentes, caſtra principis in proximo locata, ut diſſimulantes propoſitũ conceptũ cõmodius poſſent effectui mancipare, ſolutis caſtris fingunt ſe uerſus Cerepum oppidũ acies dirigere: quò peruenientes, cum ea nocte nihil proficerent, circa partes caſtrametati ſunt. Mane autem facto, Princeps exploratores dirigit, noſſe uolens utrum ad obſidendum oppidum hoſtes ſe dirigerẽt, aut ad cõmittendum prœlium cum noſtris ad caſtra contenderẽt: dumq; ipſe cum ſuis armis ſe inſtruerent, quaſi iam bellum præſens expectantes, ecce nuncij recurrentes, uno uerbo aſſerunt, hoſtes tribus turmis ordinatis, habentibus ſingulis equitũ uicena milia, citatis greſſibus, ad noſtrum exercitum accedere. Quo cognito, princeps quatuor inſtaurat acies, & equo circumuolans, circuit diligẽter, & uerbis cõpetentibus animat inſtauratas. dumq; ijs dat operam, ecce hoſtium acies, erectis uexillis noſtro exercitui penè iungebantur. Comiſſum eſt itaq; prælium, utriſque animoſe inſtantibus: ſed peccatis noſtris exigentibus, facta eſt pars aduerſa ſuperior.

Nam

Nam acies quibus præerãt uiri nobiles & in armis strennui, Gaufridus Monachus, & Guido Fremellus, quæ primæ fuerunt ad irruendũ in hostes deputatæ, optimè & secundũ rei militaris disciplinã progressæ, maiores hostiũ cuneos & densiores cohortes, uiolenter dissolutas, penè in fugã adegerant. sed acies cui præerat Robertus de sancto Laudo, cum exemplo aliarum quæ præcesserant animosius debuisset in hostes irruere, hostibus uires resumentibus, substitit improbè: demũq; in fugã lapsi, principis aciem, quæ alijs erat ministratura subsidium, soluit per medium, & partẽ secum in fugã conuertit, ita ut de cætero reuocari non posset. Accidit in eodẽ prælio quiddam relatione dignũ. Nam dum in ipso præliandi agone, hinc inde feruentius desudarẽt, ecce turbo ab Aquilone prodiẽs immanissimus, in medio belli campo, cunctis cernentibus hæsit humi, serpendoq; longius tantũ cõgesti pulueris secũ detulit, quod utriusq; partis oculos pulueris immẽsitate ne pugnare possent perstrinxerit: seq; per gyrũ extollendo, in modũ dolij sulphureis ignibus combusti in sublime se recepit. Facti sunt itaq; hostes eodẽ casu superiores, & pars nostra corruit, nostris penè omnibus gladio interemptis.

Princeps Rogerius occumbit in acie, & noster prosternitur exercitus. Caput X.

PRinceps autem, tanquã uir in armis strennuus, cum paucis in medio hostium uiriliter dimicãs, dum suos incassum reuocare cõtendit, contra hostium maiores se dirigẽs impetus, gladijs confossus interijt. Qui autem sarcinas & impedimenta secuti erant, in montem uicinum se cõtulerant. qui uerò hostiũ arma uidebantur effugisse, bellicis se tumultibus eximentes, uidentes nostros in montis culmine conglobatos, opinantes eos uires habere ad resistendum, & cum eis posse saluari, ad illos certatim accedebant. quo cum per uenissent uniuersi, hostes eis qui in campis erãt, penitus gladio interemptis, ad illos se conuertunt: & directis illuc cohortibus, omnes in momento horę trahunt ad exterminium. Raynaldus autem mansuetus, quidam de maioribus illius regionis principibus, cum quibusdã alijs nobilibus, in turrim cuiusdã uicini oppidi, cui Sarmaton nomen, gratia salutis se contulerat. Quod postq; prædicto Turcorũ principi cõpertum est, illuc sub omni celeritate cõuolans, prędictos nobiles uiros, qui rursus se collegerãt, ad deditionem uiolenter cõpellit: sicq; factum est, quod illa die, de tot millibus qui dñm Principem secuti fuerant, culpis nostris id merentibus, uix uel unus qui nunciaret, euaserit. De hostibus uerò, uel paucis, uel nemine interfectis. Dicitur aũt hic idem princeps Rogerius, homo fuisse perditissimus, incontinens, parcus, & publicus adulter. Insuper etiam dominũ suum iuniorem Boamundũ, senioris Boamundi filium, in Apulia cum matre morãtem, ab Antiochia, quę paterna ei hæreditas erat, omni eo tempore quo principatũ tenuit, fecit alienũ. Nam ea conditione D. Tancredus bonę memoriæ, moriens ei principatum commiserat, ut reposcenti domino Boamundo, uel eius hæredibus, nõ negaret. Dicitur tamen, quod in ea expeditione qua cõfossus interijt, apud dominum Petrum, uenerabilẽ uirum, Apamiensem archiepiscopũ, qui eidem necessitatis articulo præsens fuerat, corde contrito & humiliato delicta sua coram Deo confessus fuerat, promittẽs auctore Domino, pœnitentiæ fructus condignos. & sic uerè pœnitens, prælij discrimen ingressus est.

Rex & Comes Tripolitanus Antiochiam properant, ut prædicto Gazi resistant. Caput XI.

INterea Rex & Comes Tripolitanus accedentes, ad eum locũ qui dicitur Mons Nigronis, peruenerant. quod prædictus Gazi comperiens, decem milia equitum electorum eis obuiam dirigit, qui eorum si possent, impediãt accessum. Hi uerò abeuntes, in tres turmas se diuidunt, unam ad mare uersus sancti Symeonis portum dirigẽtes, alias duas diuersis itineribus regi obuiam destinantes. Contigit autem quòd unã ex duabus turmis obuiam habuit, quam præuia Domini misericordia, pluribus interfectis & captiuitatis nonnullis, uiolenter dissolutã, in fugam conuertit. Inde per Latorum & Cassambellam Antiochiã perueniens, à domino Patriarcha, clero quoq; & populo uniuerso cum summis desiderijs est susceptus: ubi tam cum suis, quàm cum ijs qui de prædicto prælio fuerant residui, deliberationẽ ingressus, quærit, quid in eo tantæ necessitatis imminenti articulo magis expediat. Interea Gazi dimissis oppidis Ema & Artasio, Cerepum obsidet, ea magis fiducia quod Alanum eiusdem loci dominũ cum comitatu suo, à domino Rege audierat Antiochiam euocatum, quod & uerum erat. accedens ergo ad præsidium, et locum imparatum reperiens, ex diuersis partibus fossores immittit, qui collem cui prædictum insidebat municipiũ suffoderent, trabibusq; subnexum, igni postea supposito consumendis, turres suppositas & mœnia cedente aggere ad terram deijceret. Timentes ergo oppidani ne suffosso aggere totum præsidiũ in præceps rueret, interpositis conditionibus, de uitæ incolumitate, et libero ad suos reditu, locũ tradunt. Gazi uerò inde ad castrum Sardonas acies dirigens, obsidione locum uallat: quem etiam intra paucos dies, tradentibus eum loci eiusdem habitatoribus, eodem modo recepit, moræq; impatiens, eoq; maximè, quod neminem sibi resistere posse arbitrabatur, cunctam pro arbitrio tractabat regionem, ita quod nulla spes esset finitimorum locorum incolis, iugum tanti principis euadendi.

Rex cum eodem Comite, cum prædicto Gazi congrediuntur: & eo in fugam uerso, acies eius prosternunt, pluribus interemptis. Regiq; principatus cura committitur. Caput XII.

REx autem cum Comite Tripolitano, & militia quãtam habere poterat, egressus Antiochia, putans se apud Cerepum hostes inuenire, uersus Rugiam dirigit expeditiones: inde Hab pertransiens, in monte qui dicitur Dauiz castrametatus est. quod audiens Gazi, conuocatis principibus suis, sub interminatione mortis præcepit, ut noctem illam ducentes insomnem, armis & equis cum summa diligentia procurandis totum impendant: summoq; diluculo ante lucis exortũ attentius præparati, in castra regis irruant, & eos somnolentos adhuc inuenientes gladijs confodiant, ita ut nec uel uni liceat mortem effugere. at uerò longè aliter Diuina ordinauerat clementia. Rex autem cum suis non remissiore cura sollicitus, noctem eandem, ut de futuro bello tractaret necessaria, duxit peruigilem, monente atque exhortante populum uiro uenerabili Patriarcha, signo crucis Dominicæ, qui dominum Regem usque ad partes illas fuerat prosecutus. Armati igitur, & ad bellum suscipiendum accincti, uiriliter summo mane hostium exspectabant

futuros

futuros impetus. Dispositis igitur de mandato regis, iuxta rei militaris disciplinam aciebus nouem, nam septingentos in eo conflictu dicitur habuisse milites, & ordine congruo locatis, Domini præstolantur misericordiam. Præmissis igitur tribus aciebus quæ agmina uniuersa præcederent, domino quoq; Comite Tripolitano, cum suis dextrū cornu tenente, principibus uero Antiochenis in sinistro collocatis, pedestres manipulos in medio locat. Rex aūt alijs subsidiū ministraturus, cum quatuor sequitur aciebus. Dumq; sic instructi hostium aduentum expectant, ecce adsunt cum ingēti clamore, cum stridore tubarum & tympanorū strepitu, atrocissimè in nostros irruentes. Erat autem eorum maior infinita multitudine fiducia: nostris autē in presentia uictoriosissimæ crucis, & in confessione ueræ fidei spes amplior & indeficiens. Consertis igitur aciebus, & immixtis hostiliter legionibus, gladijs res cominus agitur, & spretis humanitatis legibus, tanq; in feras immanissimas ardentibus studijs, & odio insatiabili utrinq; decertatur. Cumq; manipulorum nostrorum pedestrium proteruā & periculosam nimis cognoscerent instantiam, totis uiribus ad exterminandas pedestrium turmas elaborabant. Factumq; est Domino permittente, ut ex plurima parte ea die hostium gladij deperirent. Rex autem uidens pedestres manipulos supra uires aggrauari, aciesq; præmissas subsidio indigere, cū suis qui ei adhærebant, pronus inter media ruit agmina, & gladijs instās animosius, densissimos hostiū dissipat cuneos: adhęrentibusq; ei fideliter earundē acierum consortibus, & alijs iam destitutis, uires & animos uerbis exemplo conferentibus unanimiter in hostes irruunt: & inuocato de coelis auxilio affuit Diuina clementia, & facta hostium strage infinita, reliquos resistere non ualentes in fugam uertunt. Dicuntur ibi de nostris peditibus quasi septingenti cecidisse, de equitibus uerò centum. At uerò de hostium numero usq; ad quatuor milia, exceptis saucijs letaliter, et compedibus mancipatis. Gazi uerò fugiens cum Doldequino rege Damascenorum, & Debeis Arabū principe, suos morti expositos dereliquit. Nostris autem insectantibus, et ad loca uaria progressis, Rex cum paucis campum obtinens, usq; ad primas noctis partes in eo perseuerauit. Tandem uictualiū urgente defectu, in uicinum oppidum Hab nomine, gratia refectionis sumendæ se contulit. Vnde manè facto, ad prędictum rediens campum, cum annulo proprio, in certū signum uictorię, ad sororem suam, & ad D. Patriarcham literas obsignatas dirigit, significans, diuina opitulante gratia, uictoriæ munus sibi diuinitus collatum. Ea tamen die usq; ad supremam uesperam campum non deseruit, quoad usq; rumore certo de hostibus habito, quod in dispersionem dati, redituri non erant. Tandem uerò, coadunatis sibi quotquot de suis in præsenti habere potuit, Antiochiā palma insignis, occurrente ei uniuersæ ciuitatis clero & populo, cū domino Patriarcha uictor ingressus est. Cōcessa est autem nostris diuinitus hæc uictoria, anno ab incarnatione Domini M.C.XX. Regni quoq; domini Balduini regis secundi, anno secūdo: mense Augusto, in uigilia assumptionis sanctæ Dei genitricis Mariæ. Rex uerò cum dño Cęsariensi archiepiscopo, & honesto comitatu, lignum uiuificæ crucis remisit Hierosolymam, ita ut in die exaltationis eiusdē, à clero et populo cum hymnis et canticis spiritualibus sit honorificè recepta. Ipse

pta. Ipse autem propter ingruentes regionis necessitates, in eadem prouincia morã facere cõpulsus est: ubi tam dominus Patriarcha, quàm uniuersi proceres unà cum clero & populo, consonis desiderijs & gratuito assensu principatus Antiocheni curam, & omnimodam potestatem regi tradunt, ita ut liberam, sicut in regno habebat, in principatu habeat, instituẽdi, destituendi, & omnia pro arbitrio tractandi facultatẽ. Collatis igitur liberis, uel aliorum graduum consanguineis, eorum qui in acie ceciderãt possessionibus, prout ratio uel regionis consuetudo deposcebat, uiduis quoq; apud compares & competentes meriti uiros, nuptui collocatis: præsidijs quoq;, ciuibus, ubi uidebatur necessarium, uiris, uictu, armis diligẽtius cõmunitis, sumpta ad tempus ab eis licentia, in regnum reuersus est. Vbi in ecclesia Bethleemitica, solenni natiuitatis Dominicæ die, cum uxore coronatus est.

Apud Neapolim urbem Samariæ Concilium celebratur. *Caput XIII.*

EOdem anno, qui erat ab incarnatione Domini millesimus centesimus uicesimus, cum peccatis nostris exigentibus regnum Hierosolymorũ multis uexationibus fatigaretur, & prxter eas quæ ab hostibus inferebantur molestias, locustarum intemperie & edacibus muribus, iam quasi quadriennio continuo fruges ita penitus deperissent, ut omne frumentum panis defecisse uideretur: dominus Guaremundus Hierosolymorũ Patriarcha, uir religiosus ac timens Deum, unà cum domino Rege Balduino, prælatis quoq; ecclesiarum & regni principibus, apud Neapolim urbem Samariæ conuenientes, conuentum publicum & curiam generalem ordinauerunt. Vbi sermone ad populum habito, exhortationis gratia, cum apud omnes cõstare uideretur, quod populi peccata Dominum prouocassent, de communi statuunt consilio errata corrigere, & excessus redigere in modum, ut tandem ad frugem melioris uitæ redeuntes, & pro commissis condignè satisfacientes, eum sibi redderent placabilem, qui peccatoris non uult mortem, sed magis ut conuertatur & uiuat. Deterriti ergo de cælo signis minacibus, & terræmotu frequenti, clade quoq; simul & famis angustia, & hostium proteruia nimis & penè cottidiana instantia, per opera pietatis Dominum sibi recõciliare quærentes, ad morum erigendam conseruandamq; disciplinam uiginti quinq; capitula, quasi uim legis obtinentia, de communi sanxerunt arbitrio. Quæ si quis legendi studio uidere quærit, in multarum Archiuijs ecclesiarum, ea facile reperire potest. Interfuerunt autem huic concilio: dominus Guaremundus, Hierosolymorum Patriarcha: dominus Balduinus, Hierosolymorum ex Latinis Rex secundus: Ebremarus, Cæsariensis Archiepiscopus, Bernhardus, Nazarenus episcopus: Rogerius, Liddẽsis episcopus: Ansquillinus, Bethleemitanus episcopus: Gildonius, electus Abbas sanctæ Mariæ de ualle Iosaphat: Petrus, Abbas de mõte Thabor: Achardus, prior mõtis Sion: Gerardus, prior sepulchri Domini: Paganus, regis Cancellarius: Eustachius Graniers, Vuilhelmus de Buris, Barisanus Ioppe Constabularius, Balduinus de Rames, & alij multi utriusq; ordinis. Quorum numerum, uel nomina, non tenemus.

Rursum

Rursum Gazi prædictus reuocatis expeditionibus, fines ingreditur Antiochenos, cui Rex occurrit. Gazi uerò apoplexia tactus moritur. Caput XIIII.

ANno sequente, prædictus fidei & nominis Christiani pertinax & indefessus persecutor Gazi, tanquã uermis inquietus, semper quærẽs quem lædere possit, sumpta occasione ex regis absentia, conuocatis militaribus copijs, apponit etiam quædam nostrorum præsidia obsidere: quo præcognito dominum Regem urgẽtissimè uocauit. Ille uerò impiger, assumpto sibi salutiferæ crucis ligno, equitumq; honesto comitatu, ad partes illas properat: uocato etiam domino Ioscelino Edissano Comite, sociatisq; sibi Antiochenis proceribus, cõtra prædictum potentem castra dirigit. quò cum peruenisset, sperantes in proximo bellum se habiturum, contigit quod morbo qui Apoplexia appellatur tactus, tetigit eum manus Domini. Vnde magnates qui in eius erant exercitu, principis sui destituti solatio, bellum prudẽter sanoq; consilio declinauerunt: dominumq; suum in lectica semiuiuum deferentes, Alapiam properabant. Ad quam priusquã peruenirẽt, ille æternis tradendus incendijs, infœlicem dicitur animam exhalasse. Rex quoq; facta apud Antiochiam mora, quæ uidebatur pro tempore necessaria, in regnum auctore Domino, sospes reuersus est: apud utrosque tam in regno, quàm in principatu, meritis suis id exigentibus, charus admodum & acceptus: utranq; nimirum administrationẽ fideliter deuoteq; implebat, regni uidelicet & principatus, licet multum distarent ab inuicem. Nec erat facile discernere, utrius sollicitudine magis angebatur: licet regnum eius esset proprietas, quod etiam ad successores suos iure posset transmittere, principatus uero commissus. Maioremq; etiam uidebatur pro statu Antiochenorum exhibere diligentiam, in eoq; se continuauit bona fide, usq; ad aduẽtum domini Boamundi iunioris, sicut in sequentibus dicetur.

Rex ciuibus Hierosolymitanis omnimodam dat libertatem, & suo communit Priuilegio. Caput XV.

PEr idem tempus, rege Hierosolymis existente, pia liberalitate & largitione principali, ciuibus cõtulit Hierosolymitanis, & sigillo Regio communitam eis præcepit paginam fieri, in perpetuum ualituram, libertatem cõsuetudinum, quæ à ciuibus merces inferentibus uel efferentibus solebat exigi, ita ut de cętero, omnis Latinus ingrediẽs uel egrediens, siue mercimonia inferens uel educens, omnino nihil sub pretextu alicuius consuetudinis aliquid cogatur pręstare, sed liberã prorsus uendendi & emendi habeat potestatem. Dedit etiam Surianis, Græcis & Armenis, & harum cuiuslibet nationum hominibus, Sarracenis etiam nihilo minus liberam potestatem, sine exactione aliqua inferendi in sanctam ciuitatem, triticum, hordeum, & quodlibet genus leguminis. Modij etiam & ponderis remisit mercedem consuetudinariam, in quo prædicti populi sibi conciliauit animos, & gratiam publicam sibi promeruit. In utroq; enim regio more & affectu plurimum commendabili ciuibus uidetur prouidisse, ut et ciuitas sine exactione illatis alimentis abundaret amplius, & quod tam ipse quàm eius prædecessor tota diligentia procurabat, ut urbs Deo amabilis multiplicatis & frequentioribus habitatoribus incoleretur.

Boldequi

Boldequinus Damascenorum Rex, Tyberiadensium fines depopulatur. Rex occurrit, urbem diruit Gerazam. Caput XVI.

ANno sequenti, Boldequinus perfidus & impius Damascenorum Rex, fœderato sibi Arabum principe, & eius sibi sociata militia, uidens dominum Regem pro utraque regione, uiribus suis imparem portare sollicitudinem, de eius præsumens occupationibus, regionem nostram Tyberiadi proximam, immissis legionibus, hostiliter nimis uastare cœpit. Quo audito, dominus Rex cōgregata de uniuersi regni finibus militia, illuc more suo impiger contendit. Boldequinus uerò præcognito regis aduentu, uidens eo præsente, se non posse proficere, nec cum eo conserere tutum reputans, in ulteriora regni sui se contulit. Rex autem cum suis agminibus in Austrum declinans, Gerazam peruenit. Fuit autem Geraza una de nobilibus prouinciæ Decapoleos ciuitatibus, ab Iordane paucis distans miliaribus, monti Galaad cōtermina, in tribu Manasse sita. In huius parte munitiore, quoniam reliqua ciuitas hostilitatis metu diu iacuerat desolata, castrum sibi ex quadris & magnis lapidibus, cum multis sumptibus erigi sibi fecerat anno prięterito Boldequinus, uictuq; & armis communitum, quibusdam fidelibus suis conseruandum tradiderat: quò perueniens Rex, impugnato uehementius præsidio, quadraginta milites, qui in eo ad custodiam relicti fuerant, interpositis conditionibus, quod cum salute ad suos haberent reditum, castro recepto, permisit abire incolumes, habitaq; cum suis deliberatione, utrum magis expediret dirui funditus præsidium, an Christianitati reseruari, placuit de uniuersorum consensu, municipium euerti funditus. nam sine multis sumptibus, & labore continuo, & multo periculo transeuntium, non uidebatur à nostris posse conseruari.

Balac Turcorum potentißimus, fines Antiochenos uiolenter ingreditur. Comes Ioscelinus ab eodem capitur. Rex quoq; in eius uincula decidit, captus ab eodem. Caput XVII.

CVm itaq; per gratiam Dei, se regni prosperè satis haberent negotia, inuidens pacis inimicus tranquillitati, quam spernebat, scandalū molitus est mittere. Pontius enim Tripolitanorum Comes secundus, nescitur cuius instinctu, Rege Hierosolymorum suum denegabat homagium: & seruitium, quod de iure fidelitatis tenebatur impendere, impudenter negabat. Rex autem tantam non ferens iniuriam, collectis ex uniuerso regno tam equitum quàm peditum copijs, ad partes illas peruenit, super tanta iniuria ultionē petiturus: ubi antequam aliquid damni passa esset pars alterutra, interuenientibus uiris honestis & Deo amabilibus, pax inter eos conueniens reformata est. Inde procedens propter illorum necessitates ab Antiochenis uocatus, ad partes illas descendit. Balac enim Turcorū princeps, magnificus & potens, regionem totam frequentibus irruptionibus molestabat, idq; confidentius, quia paulo antè dominum Ioscelinum, Edissanum Comitem, & dominum Galeramum eius consanguineum, ex improuiso in eos irruēs cæperat, & captos uinculis municipauerat. Sciēs ergo dominum Regem aduenisse, cæpit à suis incursionibus aliquantulum retardari, & eius declinare conflictus: audierat enim quod in prælijs esset fortunatior, & de eo cuilibet difficile esset triumphare. Circuibat tamen cum expeditiore militia quasi de remoto, si ei

daretur locus, ut nostris inferre damna posset, & circa id erat sollicitus. Rex igitur cum sua, quam secum duxerat militia, in terram comitis Edissani ut populo rectore carenti, aliquod impertiret solatium: circumiensq; regionem, quaerebat utrum munita essent praesidia, & sufficientes equitum peditumq;, armorum quoq; & alimentorum haberent copias: & ut defectus suppleret, debitam gerebat sollicitudinem. Contigit autem dum eadem cura sollicitus Edissam properaret, ab oppido Turbessel regressus, ut eadem diligentia de statu regionis trans Euphratē esset instructior, & cuncta pro posse in melius reformaret. nocte quadam iter conficiens inceptum, cum suo domestico proficiscebatur comitatu: ubi dum aliquantulum incautius, dissoluto agmine, & dormitantibus penè uniuersis, iter ageret securi: Balduc praedictus, qui regis iter praesenserat, in insidijs positus, subitò irruit, regisq; comitatum imparatū reperiens, & somno grauatum, casu in ipsum regem incidit, manus iniecit, secumq; deduxit captum, tam ijs qui praeibant, quàm qui sequebantur, ad partes uarias fuga dilapsis, & quid regi accidisset ignorantibus. Captum ergò regem, saepe dictus Balac, trans Euphraten in praesidio, cui Quartapiert nomen, uinculis facit mancipari, ubi erāt & Ioscelinus comes, & Galeranus, de quibus dictum est. Nostri autem principes, qui in regno erāt, audito casu miserabili, qui domino Regi acciderat, unà cum domino Patriarcha de statu regni ualdè solliciti, apud urbem Acconensem, cum ecclesiarū praelatis, quasi uir unus conueniunt, & ducem atq; praeceptorem sibi de cōmuni uoto constituunt dominum Eustachium Grener, uirum prouidum & discretum, & rei militaris plenam habentem experientiam: qui duas in regno, iure haereditario, suffragantibus meritis, possidebat ciuitates, Sydonem uidelicet & Caesaream, utramq; cum suis pertinentijs. Tradunt ergò ei regni curā, & administrationem generalem, quoadusq; uisitet dominum Regem oriens ex alto, & suae libertati restitutus, negocijs regijs possit praeesse. Sed interim ad ea, quae à domino Rege coeperamus, retorqueamus historiam.

Quidam Armenij, ut regem expediant, graui se exponunt periculo: castrum in quo detinebantur captiui, occupant: liberatur comes Ioscelinus. Caput XVIII.

DOmino Rege ergò apud castrum praenominatū, cum domino Comite in uinculis cōstituto, notum habentes quidam Armenij de terra Comitis, quod tanti principes nominis Christiani in eo municipio tenerentur, pro nihilo ducentes periculum, si etiam eorum artes prosperum non haberent exitum, nouas ineunt inauditi moliminis uias. Quidam tamen asserunt, hos eosdem domini Ioscelini diligentia uocatos, & spe remunerationis amplissimae, huic se exposuisse discrimini. Quinquaginta enim ex eis, qui robustiores uidebantur, fide interposita, & mutuis obligati iuramentis, apud se constituunt, ut illuc euntes, praedictos uiros magnificos quocunque periculo liberare contendant. Habitu ergò se simulant monachos, sicas sublatis uestibus portantes, ad praedictum tendunt oppidum, tanquam de negocijs monasteriorum acturi aliquid, simulant uerbo & gemitu, & faciei modificatione se à quibusdam uim iniuriamq; passos: Praefecto loci, ad cuius sollicitudinem spectabat, ne quid in locis adiacentium enormiter, & contra disciplinam temporum fieret, id se uelle cum lachrymis protestari, asserunt. Alij dicunt eos

quasi mercatores uilium mercium portatores oppidum ingressos. Admittuntur tandem, & municipium ingressi, exerunt gladios, & occurrentes sibi perimunt uniuersos. Quid plura? Obtento castro, regem soluunt & comitem, & castrum muniunt quantum possunt. Rex interim comitem Ioscelinum emittere disponit, ut sibi & socijs, quorum opera expediti uidebantur, auxilium congreget, & uelocius mittere non moraretur. Cognoscentes autem, qui in suburbanis habitabant Turci, quod hac fraude rex, & qui cum eo intus erant, castrum obtinuerant, arma corripiunt: & ad locum accedentes, procurant diligentius, ut saltem usque ad aduentum Balac domini sui, his qui in oppido erant, introitus negaretur & exitus. Comes tamen assumptis sibi tribus socijs, quorum duos comites itineris haberet, tertium ad dominum regem de statu suo significans, statim remitteret, hostium se exponens insidijs, egressus est: & Domini protectus misericordia, ignorantibus his qui castrum obsederant, cum duobus consortibus, ut præordinatum fuerat, uiam arripit, tertium remittens in oppidum: cui & annulum suum tradidit in signum, quòd cum salute hostium cuneos euaserat. Rex autem cum his quorum ope solutus erat, præsidium munire totis uiribus satagebat, tentās, si quoquo pacto usque ad aduentum subsidij, quod in proximo sperabat, conseruare id posset.

Balac iterum idem castrum uiolenter recipit, prædictis Armenijs gladio peremptis. Caput XIX.

At uerò Balac terribili uisione eadem nocte perterritus, in somnis uidebatur sibi uidere, quod comes Ioscelinus eum proprijs manibus, luminibus orbaret. Quo uisu turbatus, summo mane ad prædictum oppidum nuncios dirigit, qui dominum Ioscelinum absque mora decollarent. Qui accedentes ad castrum propius, cognoscētes eo casu, quòd in manus suorum deuenisset, reuerso itinere cum omni celeritate ad dominū redeunt, omnia quæ illic gesta fuerant, ordine pandentes. Ipse uerò conuocatis undique militaribus copijs, ad partes illas impiger contēdit, & locatis in gyrum expeditionibus, obsidione uallat eos, qui in oppidum se contulerant. Vbi per internuncios habito sermone cū domino Rege, spōdet & promittit firmius, quod si absque difficultate ei præsidium restituat, ipse sibi & suis omnibus liberum exitum & securum usque ad urbem Edissanam præstaret conductum. Rex autem de oppidi munitione confisus, sperans cum adminiculo eorum, qui ad eum ingressi fuerant, castrum posse ad aduentum subsidij uiolenter detinere, conditiones respuit oblatas, & in defensione municipij instantius perseuerat. Balac uerò spretis conditionibus iratus admodum, artifices conuocat, & machinas ordinat multiplices, quibus solent hostiū præsidia impugnari: & instans proteruius, in omne argumentum, quo nocere posset obsessis, subtiliter se attollit. Erat autem collis, supra quem situm erat oppidum, cretaceus, & ad suffodiendum facilis. Videns ergò ea parte facilius posse locum aggrauari, immissis fossoribus, scrobes pręcipit ingentes intus colle suffodi, trabibusque & lignea materia sustentari. Deinde receptis artificibus, igne immisso, succensa quæ intus erat materia, collis subsedit. & turri quæ superposita erat, cum ingenti fragore collapsa, timuit Rex, ne casu simili uniuersum pręsidium

in præceps

in præceps rueret, castrum nullis interpositis conditionibus resignauit. Qui obtento castro, domino Regi & cuidam nepoti suo, domino quoque Galerano uitam indulsit: eosq; ad Carras, ciuitatem Edissę uicinam, uinctos com pedibus præcipit deportari, & eos ibidē sub arcta conseruari custodia. Prædictos autem Armenos, uiros strennuos et fideles, qui ut Regem & dominū suum à uinculis soluerent, tantis se exposuerant periculis, uarijs affecit crucia tibus. Alios enim uiuos decoriari fecit, alios serra diuidi per medium, alios uiuentes sepeliri, alios pueris suis quasi signum ad sagittandum tradi: qui etsi coram illis tormenta passi sunt, spes tamē illorum immortalitate plena est: & in paucis tentati, in multis benè disponentur.

Comes Ioscelinus congregata ingenti militia, ut dominum Regem expediat, Antiochiam peruenit: sed iacti quod acciderat nouitate motus, acies dissolutas remittit ad propria. Caput XX.

At uerò Comes Ioscelinus, cum ijs quos assumpserat uiæ cōsortes, cum multa sollicitudine & timore continuo iter inceptum peragēs, cum uictu modico & duobus utribus, quos secum casu detulerat, usq; ad fluuium magnum Euphraten peruenit. Vbi habita cum periculorum consortibus, quomodo fluuium magnum transire possent deliberatione, impletis uento utribus, eisq; fune circumpositis, regentibus eum à dextra lęuaq; filijs, quibus multum erat in natando exercitiū, auctore Domino, ulteriorem ripam sanus & incolumis attigit. Inde non minore periculo nudis pedibus, labore pressus insolito, fame & siti, & lassitudine fatigatus, tandem præuia Domini misericordia, apud insigne oppidum eius Turbessel peruenit: inde iniuncti uerbi plenam gerēs sollicitudinem, aptato sibi pro tempore necessario comitatu, Antiochiā, deinde cum consilio Patriarchę Bernhardi Hierosolymam profectus, rem domino Patriarchæ, & Regni principibus ordine pandit, casum qui acciderat seriatim aperit, ad subsidium sine dilatione inuitat: asserēs Regis negotium dilationes non posse capere, sed opus esse maturo consilio & indilato. factumq; est ita, ut ad eius exhortationem congregatus sit regni uniuersus populus, quasi uir unus: et assumpta sibi cruce Dominica de singulis urbibus, quæ erant uiribus medię, auxilia sibi coniungentes, Antiochiam peruenerint: ubi adiunctis sibi eiusdem ciuitatis tam plebe quàm patribus, præuio Comite, Turbessel peruenerunt. Vbi quid circa Regem medio tempore accidisset, plenius cognito, comperto quòd ulterius procedere nō esset fructuosum, ordinatum est, ut singuli redirent ad propria. tamen ne omnino nihil fecisse uiderentur, ordinant apud se, ut apud Alapiam transeuntes, experiantur, utrū aliquid damni aut iniuriæ hostibus inferre possint: quod secundum propositum factum est. Nam ante urbem prædictam habentes transitum, ciues eiusdem loci, contra eos quasi ad pugnandum, egressos in urbem regredi uiolenter compulerunt: diebus quatuor cōtinuis, inuitis ciuibus moram ibi facientes. Qui autem de regno erant ab alijs diuisi, in regnū redeuntes, circa partes Scythopolitanas, transito Iordane, terras hostium subitò ingrediuntur, & imparatos reperientes, irruūt super eos, pluribusq; ex eis gladio peremptis, captiuatis etiam infinitis, tam uiris quàm mulieribus, cum ingenti præda & opimis spolijs læti ouantesq; ad propria reuersi sunt.

Iterum Aegyptij cum ingentibus copijs regnum ingressi sunt: sed occurrentibus nostris manu ualida, mirabiliter prosternuntur. Caput XXI.

INterea princeps Aegyptius de regis captiuitate arbitrans sibi multam opportunitatem emersisse, ut regnum Hierosolymorũ sibi meritò suspectissimum, aliqua ex parte posset opprimere, ex omnibus Aegypti finibus militaria praecepit auxilia conuocari, urbibusq; maritimis mandat, praefectis operum specialiter ad hoc deputatis, galeas praeparari, armari classem, & caetera quae ad usum naualis exercitus possint esse necessaria, sine dilatione praecepit ordinari. Paratis igitur septuaginta galeis, cum infinita pedestris exercitus multitudine, transcursa solitudine, apud Ascalonam castrametatus, cum suis resedit legionibus: classis autem usq; Ioppen progressa, ibi ante urbem se locauit, egressiq; de nauibus in multitudine, urbem coeperunt ex omni parte per gyrum continuatis congressionibus hostiliter impugnare, ita ut prae inopia defendentium, securi ad murum suffodiendum accederent, et in locis pluribus debilitarent. Quod si liberas ferias urbẽ impugnandi per diem sequentem habuissent, effractis moenibus procul omni dubio, uiolẽter occupassent ciuitatem: pauci enim erant intus, qui eorum congressionibus repugnarent. Interea dominus Patriarcha, dominus quoq; Eustachius Grener, regni constabularius, cum alijs principibus, congregata omni ea quam tunc habere potuerunt militia, in campestribus Caesareae, in loco cui Caco nomen, conuenerunt: inde uersus Ioppen ordinatis agminibus descendentes, dirigunt legiones. Quo audito, qui urbem impugnabant, in classem se certatim recipiunt, nostrorum aduentum formidantes. Classe autem instructa, remis incumbunt, expectantes quid suis, quos hostibus uicinos esse cognouerant, accideret. Nostri uerò interea, praeuia cruce Dominica, fide armati, & cooperante Domini gratia, in uictoriae spem erecti, compositis aciebus, & in congruum redactis ordinem, iuxta eum locum qui dicitur Ibelim, hostes reperiunt. Qui etiam iuxta morem eorum cohortibus dispositis affecti, ut cum nostris proculdubio pugnarent, aduenerunt. sed uiso nostrorum apparatu, & animositate certis argumentis intellecta, qui quasi leones accesserant, lepores, & leporibus timidiores, bellum detrectare cupiunt, magis tamen cupientes non incepisse. Nostris porrò populi promiscui, & plebis omnimodae dicebantur esse quasi septem milia. Hostium uerò expeditorum ad praelium sedecim milia dicebatur esse numerus, exceptis his qui classi deseruientes, dicebantur esse in nauibus. Irruentes igitur nostri super eos in spiritu uehementi, corde contrito, & in timore Domini, auxilio desuperius inuocato, instant gladijs atrocius, & cominus irrogato mortis periculo, respirandi etiam negant facultatem. Mirantur tandem Aegyptij nostrorum uires & audaciam: & quod sermone audierant, plagis sentiunt impositis, & occulata fide contuentur. Parant tamen, & contendunt illatis resistere iniurijs, & nostris aequa lance respondere: sed longè impares & animis & uiribus, in proposito deficiunt, fugam ineuntes. Relictis igitur castris, omni diuitiarum genere & commoditate refectis, fuga uitae consulũt. Nostri tamen sectãtes instantius, quotquot ex eis consequi possunt, gladijs obtruncant, ita ut de tanta multitudine pauci uel uincula uel mortem euaserint. Dicuntur ea die septem ex eis milia cecidisse.

cecidisse. Nostri autem uictores in castra reuersi, gazas Aegyptias immensa auri argentiq; pondera, suppellectilem uarij generis preciosissimam, papiliones & tentoria, equos, loricas, gladios copiose reperientes, iure bellorum diuidentes spolia, supra modum locupletati, reuersi sunt ad propria. Classis uerò intellecto quid suis acciderat, ut securam sibi stationem eligerent, apud Ascalonam, quæ adhuc in eorum potestate erat, declinâtes, de suorum ruina plenius edocti sunt. Per idē tempus dominus Eustachius Grener, regni procurator, uir prouidus & discretus, uita discessit: in cuius loco substitutus est dominus Vuilhelmus de Buris, uir magnificus, & per omnia commendabilis, Tyberiadensis dominus.

Dux Venetiarum cum classe numerosa descendit in Syriam. Caput XXII.

PEr idem tempus, audita regni Orientalis necessitate, dux Venetiæ, dominus Michaëlis, unà cum maioribus eiusdem prouinciæ, composita classe, cum quadraginta galeis, gatis uigintiocto, quatuor maioribus ad deuehenda onera aptatis nauibus, iter in Syriam arripiunt: cumq; in Cyprum insulam peruenissent, denunciatum est eis, eorum iam præcognito aduentu, quod Aegyptiorum classis circa partes Syriæ in maritima Ioppensi applicuisset, & circa partes illas morem faceret, urbibus maritimis ualdè suspectā. Quo audito, dux præfatus suis egressum indicit, & ordinato exercitu, uersus littora Ioppensia cursum accelerat. Nunciatur eis interea, quod prædicta classis Aegyptiorum Ioppe relicta, in partes se contulerat Ascalonitanas. Audierant enim de suis, qui cum nostris in terra pugnauerāt, rumores sinistros: eaq; occasione ad suam se contulerant ciuitatem. Quo etiam Venetis per internuncios cognito, illuc classem dirigunt, optantes intimè hostium classem inuenire, & cum eis tentare congressum. Porrò sicut uiri prouidi, & in eo negocio exercitati, classem ordināt, secundum quod eis utilius uisum est. Erant sanè in eadem classe quædam naues rostratæ, quas galeas uocant, galeis maiores, habentes singulæ remos centenos, quibus singulis erant duo remiges necessarij. Erant autem & quatuor naues maiores, ut prædiximus, ad deportanda onera, machinas, arma, & uictui necessaria deputatæ. Has cum gatis priores ordinant, ea intentione, ut si ab hostibus fortè de remoto conspicerentur, non putarentur hostium exercitus, sed mercatorū naues. Galeæ uerò subsequebantur. Sic ergo ordinato exercitu, uersus littora proficiscuntur. Erat autem eis & auræ fauor optabilis, & maris grata tranquillitas, & hostium classis in uicino. Cumq; iam esset circa crepusculum matutinum, & aurora lucis orientis nunciaret aduentum, hostes classem sentiunt aduenire: die quoq; luminis amplius ministrante, eam conspiciunt uiciniorem. Stupefacti ergo, & plurimum timentes, remos corripiunt, & clamore & nutibus suos hortantur, ut funes rescindant, ancoras erigant, remiges ordinant, & de pugna securi arma corripiunt.

Classem hostium circa Ioppen repertam, idem Dux uiolenter effringit, & conuertit in fugam, galeis pluribus retentis. Caput XXIII.

INterea dum hæc apud hostes turbato ordine & confuso tumultu, metu confusionem inducente aguntur, ecce ex Veneticis galeis una, cui Dux inerat, alias uelocitate præcurrens, eam casu fortuito, cui partis Dux aduersæ insidebat, tanto concussit impetu, ut penè totam cum suis remigibus fluctibus inuolueret. aliæ tandem multa uelocitate sequentes, singulæ singulas penè fretis inuoluunt. fit igitur pugna grauis, & congressus utrinque ualde hostilis, tantaq; strages hominum, ut etiam (etsi fide uideatur carere) qui interfuerunt, constanter asseuerent, uictorum pedes occisorum sanguine, usque ad summum eorum cruentatos sorduisse. Mare uerò adiacens de præcipitatis corporibus, & effluente de nauibus interemptorum cruore, usq; ad passuum in circuitu duo milia, colorem sanguineum contraxisse: littora uerò cadaueribus à salo proiectis ita repleta fuisse, ut de fœtore putrefactorum funerum, circumposita regio & luem contraheret, & aëris corruptelam. Continuatur cominus pugna, & ardentibus studijs impugnant hi, illi tentant resistere: sed tandem autore Domino, facti superiores Veneti, hostes uertunt in fugam, retentis galeis quatuor, cum totidem gatis, & naui una maxima, duce eorum interempto, uictoriam obtinuerunt seculis memorabilem. Collata igit̃ nostris Diuinitus prædicta uictoria, nolẽtes tempus inutiliter consumere, præcipiente Duce, uersus Aegyptias partes usq; Laris, antiquissimã solitudinis urbẽ maritimã, peruenerũt, explorantes utrũ hostiũ naues aliquas sibi casu haberent obuiam: quod & factum est, & ita eis successit ad uotum, tanquam si aliquo certo nuncio uniuersa quę postea acciderunt, ex ordine didicissent. nam illis in eo pelago laborantibus, decem naues hostium haud longè ab eis uisæ sunt, ad quas cum omni celeritate cõtendentes, primis congressionibus eas uiolenter occupant, uiris quos in eis reperiunt partim occisis, partim compedibus mancipatis. Erant autem naues eædem, Orientalibus oneratæ mercimonijs, speciebus & pannis sericis: quæ omnia secundũ consuetudinem suam diuidentes, facti locupletiores, deductis secum prædictis nauibus, apud urbem Acconensem applicuerunt.

Regni principes cum eodem Duce conueniunt, ut Tyrus obsideatur. Caput XXIIII.

DOminus igitur Patriarcha Hierosolymorum, Guaremundus, dominus quoq; Vuilhelmus de Buris, regni Constabularius et procurator, Paganus quoq; Cancellarius, unà cum Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris regni proceribus, audientes quod Dux Venetię, cum nauali exercitu, nostris applicuisset littoribus, & de hostibus ita gloriosè triumphasset, miserũt nuncios ad eum, uiros prudentes et honestos, qui eum & populi Venetorũ primores, exercitusq; capitaneos, ex parte dñi Patriarchę, principum & populi salutent, & conceptam de eorum aduentu lætitiam significarent: inuitantes eos, ut regni commoditatibus indifferenter, tanquam ciues & domestici, frui non dubitarent: paratos se esse asserentes, humanitatis legibus & plena hospitalitatis gratia se eos uelle tractare, prout decebat, habere propositum.

Dux

Dux ergo, ut & loca sancta diu ante concepta deuotione uideret, & principibus qui se tam benigne inuitauerant loqueretur, relictis qui classi præessent uiris prudentibus, ipse cum maioribus eiusdem populi Hierosolymam uenit. Vbi honeste susceptus, & cum multa tractatus honorificentia, natale Domini celebrauit. Vbi etiam à regni principibus diligenter commonitus, ut Christi seruitio & incremento regni, se ad tempus aliquod manciparet, respondit: Quod ad hoc specialiter uenerat, & ad hoc tota eius dirigebatur intentio. Factum est ergo de communi consilio, quòd præsente domino Patriarcha, & reliquis eiusdem regni principibus, conuenit inter eos quibusdam pactis interuenientibus, ut alteram de maritimis urbibus, Tyrum uidelicet, uel Ascalonam obsiderent. nam aliæ per Dei gratiam à torrente Aegypti, usq; Antiochiam omnes in nostram peruenerāt ditionem. Verùm hic dum nostrorum uoluntates ad uaria rapiuntur desideria, res in periculosam penè descendit altercationem. Nam Hierosolymitę, Ramatenses, Ioppenses, Neapolitani, & qui in finibus horum erant, magnopere nitebātur, ut ad obsidendam Ascalonam proficiscerētur: erat enim uicinior, & minus laboris & sumptuum uidebatur exigere. At uerò Acconenses, Nazareni, Sydonij, Berythenses, Tyberiadenses, Biblij, & cæterarum maritimarum urbium habitatores, uersus Tyrū dirigendos esse contendebāt exercitus: allegantes, quod cum ciuitas esset nobilis & munitissima, totis uiribus elaborandum erat, ut in nostram cederet potestatem, ne aliquando hostibus posset esse occasio, ut ad nos gratia recuperādæ regionis & totius prouincię, per eam haberent ingressum. Sic ergo per hanc uotorum dissonantiam, res in periculosas, ut diximus, penè peruenit inducias. Placuit tandem quibusdam mediātibus, sorte definiri huiusmodi controuersiam: sortis autem forma, nō multum ab honestate abhorrebat. Conscripserunt enim in membranis codicillos, alterum Tyri mentionem, alterum Ascalonæ continentes, & super altare chartulas illas locauerunt: assumentes unum de pueris innocentibus, & parentes non habentem, cui data est optio, ut quàm uelit illorum assumat: et utrius illarum urbium nomen secum attulerit, ad illum uterq; exercitus sine quæstione dirigatur. Cecidit ergo sors super Tyrum. Hoc à senioribus quibusdam audiuimus, qui constanter asserebant, se prædictis omnibus interfuisse. Confirmato ergo hoc cōsilio, dominus Patriarcha, et inclyti regionis illius, simul cum populo uniuerso in ciuitatem cōueniunt Acconensem. nam Venetorū classis in eiusdē portu ciuitatis, tuta statione locata erat. Præbitis ergo corporaliter iuramētis, quod in finitis pactorū fideliter ab utraq; parte staretur, præordinatis quæ ad huiusmodi opus solent esse necessaria, decimoquinto Cal. Martij urbem prædictam uallant obsidione.

Descriptum priuilegij, continentis consonantiam pactorum inter Venetos, & principes regni Hierosolymorum, pro Tyrensi obsidione. Caput XXV.

SEd ut nihil antiquitatis eorū quę interim occurrūt prætereamus, libet rescriptum priuilegij, consonantiam pactorum inter Venetos, et principes regni Hierosolymorum continentis, ad maiorem rerum gestarum euidentiam ponere, quod sic habet: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus Sancti. Tempore quo Calixtus papa secundus, &

quintus Henricus Romanorũ Imperator Augustus, pacem eodẽ anno inter regnum & sacerdotiũ super annuli & baculi controuersia, celebrato Romæ concilio, Deo auxiliante, parata, alter Romanam ecclesiam, alter regnum regebat. Dominus Michaëlis Venetiæ Dux, Dalmatiæ atque Croatiæ regni princeps, innumera classium militiæq; multitudine, prius tamen ante impor tuosas Ascalonis ripas, paganorũ classem regis Babyloniæ grauissima strage facta, demum in Hierusalem partes, ad necessariũ Christianorum patrocinium uictoriosus aduenit. Rex quippe Balduinus secundus, tunc temporis, peccatis nostris exigentibus, sub Balac principe Parthorum paganorum, la queo cum pluribus alijs captiuus tenebatur. Propterea nos quidem Guaremundus, gratia Dei sanctæ ciuitatis Hierusalem Patriarcha, cum nostræ ecclesiæ fratribus suffraganeis, domino Vuilhelmo de Buris Constabulario, & Pagano Cancellario, nobiscum totius regni Hierosolymitani socia Baronum militia, Acconæ, in Ecclesia sanctæ crucis conuenientes, eiusdem regis Balduini promissiones, secundum literarum suarum & nunciorum suorum prolocutiones, quas eidem Venetorum Duci per suos nuncios, usq; Venetiam, Rex ipse mandauerat, propria manu, & Episcoporum siue Cancellarij manu, pacisq; osculo, prout ordo noster exigit, datis. Omnes uerò Barones quorũ nomina subscripta sunt, super sancta Euangelia subscriptas depactionum conuentiones, sanctissimo Euangelistæ Marco, prædicto Duci suisq; successoribus, atq; genti Venetorum, simul statuentes affirmauimus, quatenus sine aliqua cõtradictione, quæ dicta & quemadmodum inferius scripta sunt, ita & rata, & in futurum illibata, sibi suæq; genti in perpetuum permaneant. Amen. In omnibus scilicet supradicti regis, eiusq; successorum sub dominio, atque omnium suorum Baronum ciuitati, ipsi Veneti, ecclesiam & integram unamq; plateam, siue balneum, nec non & furnum habeant, iure hæreditario in perpetuũ possidenda, ab omni exactione libera, sicut sunt Regis propria. Verùm in platea Hierusalem tantum ad proprium habeant, quantum Rex habere solitus est. Quod si apud Accon, furnum, molendinum, balneum, stateram, modios & buzas ad uinum, oleum, uel mel mensurandum in uico suo Veneti facere uoluerint, omnibus inibi habitatoribus absq; contradictione quæcunq; uoluerint coquere, molere, balneare, sicut ad regis propria, liberè liceat. Sed modiorum, stateræ, atq; buzæ mensuris, hoc modo uti liceat. Nam quando Veneti inter se negociẽt, cum proprijs, id est Venetorum mensuris mensurare debent: cum uerò Veneti res suas alijs gentibus uendunt, cum suis, id est Venetorum mensuris proprijs uendere debent. Quando autem Veneti ab aliquibus gentibus extraneis commer cio aliquid accipientes comparant, cum Regijs mensuris dato precio accipere licet. Ad hoc Veneti nullam dationem, uel secundum usum, uel secundum ullam rationem, nullo modo, intrando, stando, uendendo, operãdo, uel morando, aut exeundo, de nulla penitus caussa aliquam dationem persoluere debent, nisi solum quando ueniunt, aut exeunt cum suis nauibus peregrinos portantes. tunc quippè secundum regis consuetudinem, tertiam partem ipsi regi dare debent. Vnde ipse Rex Hierusalem, & nos omnes, Duci Venetorum, de fundato Tyri, ex parte regis, festo Apostolorum Petri & Pauli, tre-

centos in unoquoq; anno bizantios Sarracenatos, ex debiti conditione persoluere debemus: uobisq;, Duci Venetiæ, & uestræ genti promittimus, quod nihil pôst accipiemus ab illis gentibus, quæ uobiscum negociantur, nisi quantum soliti sunt dare, & quantum accipimus ab illis qui cum alijs negociantur gentibus. Præterea illam eiusdem plateæ, rugæq; Accon partem, unum caput in mansione Petri Zanni, aliud uerò in sancti Dimitti monasterio firmantem: & eiusdem rugæ aliam partem, unam materiariam & duas lapideas mansiones habentes, quæ quondam casulæ de cannis esse solebant, quam Rex Hierusalem Balduinus primitus beato Marco, dominoq; Duci Ordolapho suisq; successoribus in Sydonis acquisitione dedit: ipsas inquam partes, beato Marco, uobisq; domino Michaëlis, Venetiæ Duci, uestris quoq; successoribus per præsentem paginam confirmamus: uobisq; potestatē concedimus, tenendi, possidendi, & quicquid uobis inde placuerit, in perpetuum faciendi. Super eiusdem autem Rugæ alia parte, à domo Bernhardi de nouo Castello, quæ quondam Ioannis fuerat Ioliani, usque domum Guiberti de Ioppen generis Laudę, recto tramite procedente, uobis eandem quam Rex habuit potestatem penitus damus. Quin etiam nullus mercatorum in totius terræ regis, suorumq; Baronum dominio, aliquam dationē in ingrediendo, uel ibi morando, aut exeundo per ullum ingenium dare debet, sit liber sicut in ipsa Venetia sit. Si uerò aliquod placitum, uel alicuius negotij litigationem, Venetus erga Venetum habuerit, in Curia Venetorum diffiniatur. Vel si aliquis aduersus Venetum querelam aut litigationem se habere crediderit, in eadem curia Venetorum determinetur. Verùm si Venetus super quemlibet alium hominem, quàm Venetū, clamorem fecerit, in curia regis emendetur. Insuper ubi Venetus ordinatus uel inordinatus, quod nos sine lingua dicimus, obierit, res suæ in potestatem Venetorum reducantur. Si uerò aliquis Venetorum naufragium passus fuerit, nullum de suis rebus patiatur damnum. Si naufragio mortuus fuerit, suis hæredibus aut alijs Venetis res suæ manentes reddantur. Præterea, super cuius gentis Burgenses in uico et domibus Venetorum habitantes, eandem iustitiam & consuetudines quas Rex super suos, Veneti habeant. Denique duarum ciuitatum Tyri & Ascalonis tertiam partem, cum suis pertinentijs, & tertiam partem terrarum omnium sibi pertinentium, à die sancti Petri Sarracenis tantum seruientium, quæ non sunt in Francorum manibus, alteram quarum, uel si Deo auxiliante utranq; per eorum auxilium, aut aliquod ingenium in Christianorū potestatem Spiritus sanctus tradere uoluerit, illam inquā tertiam partem, sicut dictū est, liberè & regaliter, sicut Rex duas, Veneti habituri in perpetuū, sine alicuius cōtradictionis impedimēto iure hæreditario possideant. Vniuersaliter igitur supradictas conuentiones ipsum regem, Deo auxiliante, si aliquando egressurus de captiuitate est, nos Guaremundus Patriarcha confirmare per Euangelium faciemus. Si uerò alter ad Hierosolymitanum regnum, in Regem promouendus aduenerit, aut superius ordinatas promissiones antequam promoueatur, sicut antè dictū est, ipsum confirmare faciemus: alioquin ipsum nullo modo ad regnum prouehi assentiemus. Similiter easdem & eodem modo confirmationes,

Baronum

Baronum ſucceſſores,& noui futuri Barones faciant.De cauſſa uerò Antiochena,quam uobis Regem Balduinũ ſecũdum, ſub eadem cõſtitutionis depactione promiſiſſe bene ſcimus,in Antiocheno principatu ſe uobis Venetis daturum,uidelicet ſic in Antiochia,ſicut in cęteris Regis ciuitatibus,ſiquidem Antiochena Regalia promiſſionum fœdera uobis attẽdere uoluerint: nos idem Guaremundus Hieruſalẽ Patriarcha,cum noſtris Epiſcõpis,Clero,Baronibus, populoq́ Hieruſalem,conſilium & auxilium uobis dantes, quod nobis D.Papa inde ſubſcripſerit,bona ſide totum adimplere, & hæc omnia ſuperiora ad honorem Venetorum promittimus.

Ego {
GVAREMVNDVS *Dei gratia Hieroſolymorũ Patriarcha,propria manu mea ſupradicta confirmo.*
EBREMARVS *Cæſarienſis Archiepiſcopus,hæc eadem ſimiliter confirmo.*
BERNHARDVS *Nazarenus Epiſcopus ſimiliter confirmo.*
ASQVITINVS *Bethleemita Epiſcopus ſimiliter confirmo.*
ROGERIVS *Liddenſis ſancti Georgij epiſcopus ſimiliter confirmo.*
GIDOINVS *Abbas ſanctæ Annæ,uallis Ioſaphat,ſimiliter confirmo.*
GERARDVS *Prior ſancti Sepulchri ſimiliter confirmo.*
ANALDVS *Prior templi Domini ſimiliter confirmo.*
VVILHELMVS *de* EVRIS,*regis Conſtabularius,ſimiliter confirmo.*
}

Data apud Accon,per manus Pagani,Regis Hieruſalẽ Cancellarij,anno milleſimo centeſimo uiceſimo tertio,Indictione ſecunda.

LIBER TREDECIMVS.

Deſcribitur Tyri antiquitas,& nobilitas ſimul. Caput I.



EST autem Tyrus ciuitas antiquiſſima, ſecundũ quod Vlpianus uir prudens Iuriſconſultus,ex eadem urbe trahens originem,in Digeſtis,Tit.de Cenſ.aſſerit dicẽs:Sciendum eſt,eſſe quaſdam colonias iuris Italici, ut eſt in Syria Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum colonia,unde mihi origo eſt,nobilis regionis Syriæ, ſeculorum antiquiſſima,armipotens, fœderis quod cum Romanis percuſſit tenaciſſima. Huic enim Diuus Seuerus Imperator noſter, ob egregiã in Remp.Imperiumq́ Romanũ inſignem fidẽ, ius Italicum conceſſit.Ex hac urbe, ſi ad ueteres recurramus hiſtorias, Agenor Rex fuit,& filij eius,Europa,Cadmus & Phœnix.à quorũ altero tota regio, ut Phœnice diceretur,nomen accepit.Alter uerò Thebanæ conditor urbis, & Græcarũ inuentor literarum,celebrem poſteris de ſe reliquit memoriam. Tertia uerò eiuſdem Regis filia,orbis terrarum parti tertiæ nomen dedit,ut Europa diceretur.Huius quoq; ciues excellẽti mentis acumine, & ingenij uiuacitate pręclara,indiuidua uocum elementa,conuenientibus deſignare apicibus,primi tentauerunt,& memoriæ theſauros ædificantes, mortalium primi ſcribendi prudentiam,& mentis interpretem ſermonem,characteribus deſignãdi formam poſteris tradiderunt:id & ueterũ habent hiſtorię, & belli Ciuilis egregius proſecutor Lucanus deſignat,dicens:

Phœnices primi (ſi famæ credimus) auſi
Manſuram rudibus uocem ſignaſſe figuris.

Hæc

Hæc & tritici, conchilij & preciosi muricis inuentrix, egregio purpurâ colore primò insigniuit: unde & precipua inter eos, etiam hodie urbis trahens nuncupationem Tyria dicitur. Ex hac etiam Sychæus, & uxor eius Elisa Dido fuisse legũtur: qui in Aphricana dioecesi, ciuitatem illam admirabilem & Romani æmulam imperij, Carthaginem uidelicet, condiderunt, regnumq; illud Punicum quasi Phoenicum, à regione unde exierant denominantes, appellauerũt. sed etiam et originis memores, perpetuò se Tyrios, Carthaginenses uoluerunt appellari. Vnde illud Maronis in primo,

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni. Et illud,

Tros Tyriusq; mihi nullo discrimine habetur.

¶ Fuit autem ab initio binomia. nam & Sor Hebraicè dicitur, quod nomen hodie usitatius tenet, & Tyrus: quod posterius licet Græcam uideatur redolere eloquentiam (interpretatur enim Angustia) tamen à conditore certũ est, eam huiusmodi contraxisse uocabulum. Certum est enim iuxta ueterum traditiones, quod Tyrus septimus filiorum Iaphet, filij Noë, hanc urbem condiderit, & à suo sumptum uocabulo nomen eidem tradiderit. Quanta huius ciuitatis priscis temporibus gloria fuerit, ex uerbis Ezechielis prophetę manifestè est colligere, cui à Domino dicitur: Et tu fili hominis assume super Tyrum planctum, & dic Tyro qui habitat in introitu maris, negotiatio populorum ad insulas multas, Tu dixisti, perfectio decoris, ego sum in corde maris sita: finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum, abietibus de Sauir, & exstruxerunt te in omnibus tabulatis maris. Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum: quercus de Basan dolauerunt in remos tuos, transtra tua fecerũt ex ebore Indico, & prætoriola de insulis Italię. Byssus uaria de Aegypto texta est tibi in uelum, ut poneretur in malo. Iacynthus & purpura de insulis Elisę, facta sunt operimentũ tuum. Et Esaias: Trãsite maria, ululate qui habitatis in Insula. Nunquid non hæc nostra est, quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longè ad peregrinandum. Quis cogitauit super hoc? Tyrum quondam coronatam, cuius negociatores principes, institores eius inclyti terræ. Ex hac etiam & Hyram, Salomonis cooperator ad ædificiũ latè templi Domini, Rex fuit. Et Apollonius, gesta cuius celebrem habẽt & latè uulgatã historiam. Ex hac nihilominus urbe fuit Abdunus adolescens, Abdæmonis filius, qui Salomonis omnia sophismata, & uerba parabolarum ænigmatica, quæ Hyram regi Tyriorum soluenda mittebat, mira soluebat subtilitate. de quo ita legitur in Iosepho Antiquitatum libro octauo: Meminit horum duorum Regum, Menander, qui ex Phoenica lingua Antiquitates Tyriorum, in uocem conuertit Helladicam, ita dicens: Moriente Abibalo, successit in eius regnum filius eius Hyram: qui cum uixisset annis quinquaginta tribus, regnauit triginta quatuor. Huius temporibus erat Abdunus, Abdæmonis filius, in uinculis, qui semper propositiones quas imperasset Hierosolymorum Rex, emittebat. Et iterum infra: Adiecit ad hoc, Regem Hierosolymorum Salomonem misisse ad Hyram Tyri regem, figuras quasdam, & petisse ab eo solutionem, ita ut si nõ posset discernere, soluenti pecunias daret, cumq; fateretur Hyram, se non posse illas soluere, multaq; forct pecuniarum detri-

detrimenta passurus, per Abdunum quendam Tyrium quæ proposita fuerant, sunt absoluta, & alia ab eo proposita, quæ si Salomon non solueret regi Hyram multas pecunias daret. Et hic fortasse est, quē fabulosè popularium narrationes Marcolphum uocāt, de quo dicitur quod Salomonis soluebat ænigmata, & ei respondebat æquipollenter, iterū soluenda proponens. Hęc eadem & Origenis corpus occultat, sicut oculata fide etiam hodie licet inspicere. Et Hieronymus Pammachio & Occearano scribens in ea epistola quæ sic incipit, Scedulę quas misistis, hoc ipsum asserit dicens: Centū et quinquaginta anni propè sunt hodie, ex quo Origenes Tyri mortuus est. Sed si ad Euangelicam recurramus historiam, hæc eadem nihilominus & illam admirabilem genuit Chananeā, cuius pro filia, quæ malè à dæmonio uexabatur, supplicātis magnitudinem fidei commendat Saluator dicēs: Mulier magna est fides tua. quæ cum ciuium filiabus admirandæ fidei, & cōmendabilis patientiæ monumenta relinquens, prima docuit, ut in muneribus fidei, charitatis & spei, Christum Saluatorē deprecarenť, iuxta uerbum Prophetę, dicentis: Filiæ Tyri, muneribus uultū tuum deprecabunť. Est aūt Phœnicis uniuersæ metropolis: quæ inter Syrię prouincias & bonorū penè omniū commoditate, & incolarum frequentia, primum semper obtinuit locum.

Quantum protendatur, & quas partes habeat Syria. Caput II.

POrrò aduertendum est, quod hoc nomen Syria aliquando largius, ut sit nomen totius, aliquando strictius, ut parti tantum conueniat, accipitur: sed aliquando cum adiectione dicitur, & notat partes, sicuti manifestius dicetur. Syria ergo maior, multas prouincias infra suum cōtinet ambitum: à Tygride enim habens initium, usq; in Aegyptum protenditur, & à Cilicia usq; in mare Rubrum. cuius ab inferiori parte, quæ est inter Tygridē & Euphratem, prima eius partium Mesopotamia est: quæ quia inter duo flumina sita est, Mesopotamia dicitur: quasi quę inter duo flumina iaceat. potamos enim Græcè, Latinè fluuius dicitur. Quæ quia Syriæ pars est, ideirco frequēter in scripturis Mesopotamia, Syria dicitur. Post hanc uerò eiusdem Syriæ, Cœlesyria regio, maxima portio est, in qua Antiochia ciuitas illa nobilis cū suis suffraganeis urbibus sita est. Cui quasi à septentrione utraq; Cilicia cōterminα est, quæ eiusdem Syriæ sunt partes. ab Austro uerò Phœnici statim coniungitur, inter partes eius præcipua, quæ olim per multa tempora simplex fuit & uniformis: nunc autem in duas diuisa est, quarum prima maritima dicitur, cuius metropolis est Tyrus, unde nobis est sermo, urbes habens quatuordecim suffraganeas, à riuo Valanię, qui est sub castro Margath, habens initium, finem autem ad lapidē incisum, qui hodie dicitur districtum, iuxta uetustissimam urbem quæ dicitur Tyrus antiqua. Vrbes autem quæ intra hanc prouinciam continenť, sunt hæ: ab Austro nouissima Porphyria, quæ alio nomine dicitur Helpha, uulgari uerò appellatione Cayphas: secunda Ptolomais, quæ alio nomine etiā dicitur Accon: tertia ab Oriente Paneas, quæ est Cæsarea Philippi: quarta à Septentrione, Sarepta quinta Sydon, sexta Berythum, septima Biblium, octaua Botriū, nona Tripolis, decima Artusiæ, undecima Archis, duodecima Arados, tredecima Antarados, decimaquarta Maraclea. Altera uerò Phœnice dicitur Libanica, cuius metropolis

est Damascus: quæ etiam aliquando dicitur Syria. ut ibi: Caput Syriæ Damascus. Hæc iterum Phoenice postea diuisa est in duas portiones: quarum altera dicitur Damascena, altera uerò Emisena. Sunt etiam & Syriæ partes utraq; Arabia. prima, cuius metropolis est Bostrum: secunda, cuius metropolis est Petra deserti. Sed & Syria Sobal, eiusdem Syriæ maioris pars est, cuius est metropolis Sobal. Nihilominus & tres Palæstinæ, eiusdem Syriæ partes sunt. prima, cuius metropolis est Hierosolyma, quæ propriè appellat Iudæa: secunda, cuius metropolis Cęsarea maritima: tertia, cuius metropolis est Scythopolis, quæ alio nomine dicitur Bethsam, cuius hodie locum tenet Nazareth. Idumæa quoq; huius eiusdem Syriæ maioris pars est nouissima, ad Aegyptum respiciens.

Descriptio regionis eidem urbi adiacentis, & commoditatum quas præstat. Caput III.

ERat autem prædicta ciuitas non solum munitissima, ut prædiximus, sed etiam fertilitate pręcipua, & amoenitate quasi singularis. nam licet in ipso mari sita est, & in modum insulæ tota fluctibus ambiatur: habet tamen pro foribus latifundium per omnia commendabile, & planiciem sibi continuam diuitis glebæ & opimi soli, multas ciuibus ministrans commoditates. Quæ licet modica uideatur, respectu aliarum regionum, exiguitatem suam multa redimit ubertate, & infinita iugera multiplici foecunditate compensat. Nec tamen tantis arctatur angustijs. protenditur enim in Austrum, uersus Ptolemaidam, usq; ad eum locum qui hodie uulgò dicitur Districtum Scandarionis, miliaribus quatuor aut quinq;. è regione in septentrionem, uersus Sareptam & Sydonem iterum porrigitur totidem miliaribus. In latitudinem uerò, ubi minimum, ad duo: ubi plurimum, ad tria habens miliaria. In hac eadem fontes sunt plurimi, qui perspicuas & salubres emanant aquas, & grata temperie contra immoderatos æstus præstant refrigerium. Inter quos pręstantissimus, & famæ titulis celeberrimus, de quo etiam & Salomon in Canticis cecinisse dicitur: Fons hortorum, puteus aquarũ uiuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Hic licet in humiliore totius regionis parte, fluentorum suorum habeat originem, & nõ ex montibus, sicut alij plerũq; fontes, sed ex ipsis abyssi cataractis scaturire uideatur: tamen cura & manu artifice in superas elatus auras, totam circumquaq; regionem affluenter irrigat, & suæ uisitationis beneficio ad usus multiplices reddit foecundam. Erectus est ergò, & in sublime deductus miro opere lapideo, ferri duritiem imitante, ad altitudinem cubitorũ decem. in imo enim, situ naturali non multũ poterat esse utilis: itaq; artificio cõtra naturam obtinente factus sublimior, uniuersæ regioni se gratum pręstat, & ad prouentus fructuarios aquas porrigit affluenter. Accedentibus igitur, & facti miraculũ uolentibus intueri, turris exterius uidetur eminentior, nec fontis aliquam prætendit effigiem. Vbi uerò ad eius peruentum est fastigium, collectarum est uidere quasi cumulum aquarũ, quæ inde per aquæductus eiusdem altitudinis, sed & miræ soliditatis, ad circumiacentem se transferunt regionem. Pręparata sunt nihilominus ad eius summũ ascendere cupientibus, ascensoria per gradus eadẽ soliditate lapidea, quibus etiam equites sine difficultate possint prouehi ad eius superiora. Procuratur autẽ adiacenti regioni ex eius beneficio miranda cõmoditas, ita ut nõ solum

hortos, & lignis fructiferis insita, & amœnitate præcipua, nutriat pomœria: uerùm & canamellas, unde preciosissima usibus & saluti mortalium necessaria maximè, conficiuntur zuchara. unde per institores ad ultimas orbis partes deportatur. Sed & uitri genus elegantissimũ, & in eodem rerum genere facilè obtinens principatum, de arena quæ in eadem planicie colligitur, mirabiliter cõficitur, quod inde ad remotas etiam delatum prouincias, aptam uasis mirabilibus, & perspicua sinceritate præcipuis materiam præbet: unde & nomen urbis longè ad exteras nationes porrigitur celebre, & multiplici fœnore lucrum accrescit institoribus. Nec solum his commoditatibus, uerùm & munitione incomparabili prædicta erat ciuitas, sicut in sequentibus dicet. unde ob id quod munitissima erat, tantisq; commoditatibus abundans, Aegyptiorum principi, omnium ferè potentissimo, qui omnem regionẽ à Laodicea Syriæ usq; in arentem Lydiam libero possidebat imperio, grata erat et accepta, & eam quasi regnorum suorum robur & domicilium suum reputans, uictu, armis, & uiris armipotentibus diligenter communierat, arbitrãs reliqui corporis in tuto partes consistere, si capitis salutem intemeratam posset conseruare.

Quod sæpe priscis temporibus obsessa fuerit. Caput IIII.

IGitur decimoquinto Cal. Martij, ut prædiximus, uterque noster exercitus ad prędictam applicuit ciuitatem, & eam quantum potuit obsidione uallauit. Sita aũt est hęc eadem ciuitas in corde maris, iuxtam uerbum Prophetę, ita ut pelago undiq; ambiatur, nisi in modico spacio, quantũ arcus sagittam iaculari potest. Tradunt seniores, eam aliquando insulam, & à solida terra omnino separatam fuisse: sed obsidens eam aliquando Assyriorum potentissimus princeps Nabuchodonosor, uolens eam cõtinuare, opus tamẽ nõ consummauit. huiusq; obsidionis Ezechiel propheta memoriam facit, dicens: Ecce ego adducã ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis & curribus & equitibus, & cœtu populoq; magno: filias tuas quæ sunt in agro, gladio interficiet, & circundabit te munitionibus, & comportabit in gyro, & leuabit contra te clypeum & linceã, & cętera. Huius obsidionis in decimo Antiquitatum Iosephus memoriã facit, dicens: Sed etiam Diocles in secundo Coloniarum libro meminit huius regis. Et Philostratus in Indicis et Phœnicibus histotijs dicit: Quia rex iste obsedit Tyrum annis tribus, & mensibus decem, cum illo tempore in Tyro regnabat Ioatalabas. Post cum Alexander Macedo, & continuauit eam solo, & continuatam uiolenter occupauit. Cuius obsidionis item Iosephus in undecimo libro Antiquitatũ memoriam facit, dicens: Alexander autem ad Syriam ueniens, Damascum cepit, & subiugata Sydone, Tyrum obsidebat. Et infra: Quapropter in obsidione intentius perseuerans, expugnauit: cũq; eam cepisset, ad ciuitatem Gazam peruenit. Et infra: Septem autem mensibus in obsidione transactis, & duobus in Gaza, Sanabula mortuus est. Obsederat autem & eam prius Salmanassar, & inuaserat Phœnicen uniuersam. De hoc autem memoriam facit Iosephus in nono libro Antiquitatum, dicens: Pugnauit enim aduersus Tyrum, cum in ea regnaret Heliseus. de quibus testatur & Menander, qui temporum facta conscripsit, & Tyriorum antiqui-

tatem

tatem in Græcam linguam conuertens sic ait: Helisæus nomine, regnauit annis triginta sex. hic recedentibus Cuthęis nauigans reduxit eos, contra quos denuò Salmanassar Assyriorum rex insurgēs, cunctam Phœnicem bellis inuasit: qui facta pace cum omnibus, post terga sua reuersus est. Recessit autem à Tyro ciuitas Sydon, & Arche, & antiqua Tyrus, et multę aliæ urbes, quas Phœnices ipsi Assyriorum regi tradiderunt: quapropter Tyrijs non subiectis, denuò Rex aduersus eos egressus est, Phœnicibus exhibētibus ei naues sexaginta, & remiges octoginta: contra quos Tyrij nauigātes in duodecim nauibus, dispersis hostiū nauibus, cœpere captiuos uiros quingentos, unde honor Tyriorum creuit eximiè. reuerens autem Assyriorum Rex, disposuit custodias super fluuiū & aquæductus ciuiū, ut Tyrios haurire pocula prohiberet. Et dum hoc quinq; annis fuisset factum, tulerunt de effossis puteis bibentes aquā. Hæc in archiuijs Tyriorū de Salmanassar rege scripta sunt.

Situs urbis cum portu eius & monumentis describitur. Caput V.

SIc ergo, ut diximus, quasi insula est præfata ciuitas, procellosum circum se habens mare, latentibus scopulis & nimia inæquitate periculosum: ita ut peregrinis & ignaris locorum, ad urbem nauigantibus periculosum sit accedere: & nisi ducem habeant, qui adiacentis maris habeat notitiam, non nisi cum naufragio urbi possunt appropinquare. Erat autem ex parte maritima per circuitum muro clausa gemino, turres habens altitudinis congruæ proportionaliter distantes. Ab oriente uerò, unde est per terras accessus, muro clausa trip ici, cum turribus mirę altitudinis, densis admodū, & se propè con tingentibus. Præterea uallum latè patens, per quod facilè eius ciues possent mare introducere in alterutrum. A parte uero septētrionali portus ciuitatis interior, inter turres geminas habet ostiū, infra mœnia tamē receptus: nam exterius insula fluctibus obiecta, æstuantis pelagi primos frangēs impetus, inter se & solum tutam nauibus præbet stationem, uentis inaccessam, soli tamen obnoxiam Aquiloni. Classe uerò in eam partem inducta, & in tranquillo locata, exercituq; pomeria urbi uicina tenente, castrisq; per circuitum collocatis, introitus exitusq; ciuibus negant, & solis mœnibus cogunt esse contentos. Erat autem prædicta ciuitas duos habens dominos. nam Aegyptius Calypha tanquā maior dominus, duas habebat eius portiones: Damasceno rum uerò regi, qui uicinior erat, ne eam molestaret, dein etiam ut in necessitatibus ciuium eis auxilij sui ministraret suffragia, tertiam cōcessit. Erāt autem in ea ciues nobiles & pecuniosi ualdè, quippè qui continuis nauigationibus uniuersas penè mediterraneo mari adiacētes prouincias, gratia commerciorum, peregrinis mercibus & multiplicibus diuitijs urbem repleuerant. confugerant ad eam præterea, intuitu munitionis eius, de Cæsarea, Ptolemaia, Sydone, Bibliō, Tripoli, & alijs maritimis urbibus, quæ in nostram iam deuenerant potestatē, ciues inclyti & locupletes, ibiq; domicilia multa sibi pretio comparauerant: impossibile penitus arbitrantes, quòd urbs tam munita in nostrorum deditionem, aliquo casu posset descendere. Vnicum enim & singulare totius regionis, sicuti etiam est hodie, uidebatur esse præsidium, & robur incomparabile.

Locatur obsidio, & principibus in ea partes designantur: & ciuitas hostiliter impugnatur. Caput VI.

COmpositis ergò sarcinis, et rebus ad quandam cõmoditatem locatis, iuxta portũ naues uniuersas educunt ad siccũ, excepta una galea, quae semper ad suspectos casus, qui emergere poterant, erat parata: quo facto, ducto uallo profundo cõuenienter à mari superiori ad inferius, uniuersum claudũt exercitum. Tunc sumpta de nauibus conueniente materia, unde secum Veneti multam detulerant copiam: conuocatis artificibus, uarij generis erigunt machinas. Dominus sanè patriarcha cum regni principibus, uicem domini regis obtinens, lignorum caesores, & architecturę peritos conuocans, subiecta pro uotis materia, castellũ aedificari praecipit multę altitudinis: unde cum his qui in turribus erant, pugnari posset quasi cominus, & urbem totã licentius intueri. Machinas nihilominus iaculatorias fabricari praecepit, quibus magnis molaribus turres & moenia concutiantur, & ciuibus terror inferatur. Dux enim cum suis partem regiam aemulans, eiusdem generis erigũt machinas, locisq; competẽtibus componũt erectas. Instant ergò coepto, cum omni sollicitudine, operi, & propositum urgent, nõ deficientes ab incepto, sed magis & magis accensi, ciues arctant, & de machinis urbi molestias inferunt incessanter. Assultibus quoq; & congressionibus assiduis obsessis requiem negant. Ciues nihilominus ut se tueantur solliciti, cuncta discutiunt, ut à se nostrorum propulsent iniurias, & hostibus damna inferant. Erigunt ergò ipsi deintus è regione machinas, & saxis ingentibus earum iactu libratis, castella nostra sine intermissione ceduint; & circà eam regionem timore molarium emissorũ ita sibi uendicãt propriã, ut nemo de nostris ibi auderet immorari. Sed & eos quibus conseruandi machinas sors dederat necessitatẽ, ut non nisi cum cursu celerrimo ad eas auderent accedere, nec in eis nisi cum maximo discrimine commorari. Qui autem in excelsis turribus erant cõstituti, arcubus & balistis tantam inferebant his, qui in castellis & circa machinas eos impugnabant, iaculorum & sagittarum multitudinem, tantoq; instabãt saxorum pugillarium iactu, ut uix etiam manus auderent exerere. Nostri etiam qui in castellis erãt, aequipollenter uniuscuiusq; ictus ictibus recõpensantes, uim ui repellentes, tantã his qui in turribus erant & supra muros positi, ingerebant laboris necessitatem, ut sępius inde permutati, belli pondus sustinere nõ possent. Qui autem in machinis erant decentibus, his qui iaculandi peritiam habebant, tantis uiribus, tantoq; conamine ingentia torquebant saxa, ut muris illisis, uel turribus, uniuersa concuterent, & penè traherent in ruinam. Excitabatur de collisis lapidibus & cemento dissoluto, puluis tam immẽsus, ut his qui in moenibus & supra turres erant, quasi nubes interposita, nostrorum negaret aspectum. Si qui aũt de missis lapidibus turres ac moenia praeteribant, in urbem cum impetu lapsi, aedificia magna cum habitatoribus in minuta redigebant fragmenta. qui autem in campo, tam pedites quàm equites praeliabantur, animosè uiriliterq; singulis penè diebus cum his, qui de urbe ad pugnam egrediebantur, conserebant, nostris plerunq; inferiores, ad committendum irritantibus ciuibus: nonnunquam spontè etiam in obsidentes facientes irruptiones.

Damasceni

Damasceni qui in ciuitate erant, resistunt animosius ciuibus aliquantulum remissis. Cap. VII.

CVm igitur ita diebus singulis ancipiti marte, nostri nunc de machinis, nunc circa portam cum ciuibus experirentur, & quanta poterant instantia sese mutuò prouocarent: uocatus à regni principibus cum honesto comitatu affuit dominus Pontius Tripolitanus comes: in cuius aduentu nostrorũ uisę sunt uires quasi geminatæ, multiplicata audacia: hostibus è cõuerso illata formido, & quasi desperatio resistendi. Erant autem in eadem ciuitate de Damascenis equites septingenti, qui ciuibus nobilibus, mollibus & delicatis, & in re militari non multum exercitatis, sui exemplo animos ad resistendũ ministrabant, & in seipsis prompto animo suffragia debita largiebantur. Tamen hi etiam uidentes nostrorũ uires & conatus singulis diebus in melius proficere, opes uerò ciuium sensim comminui, uires quotidie periclitari, fieri coeperunt tepidiores, & onus quod portare nõ poterant, sapienter declinare: ita tamen, ut nec ciuibus deditionem persuaderent, nec multum de uiribus prędsumendum esse hortarentur. Porrò in ciuitatem, sicut hodie etiam est, unicus erat introitus, & porta singularis. nàm, ut prædiximus, ciuitas tota quasi insula, foras undiq; ambitur: excepto loco quodã angusto, per quẽ est accessus ad portam, in quo sine intermissione tam equitum quàm peditum erant conflictus uarij, sicut in huiusmodi solet contingere plerunq; euentu.

Ascalonitæ Hierosolymam accedunt, ut urbem impugnent: sed in reditu à ciuibus male tractantur. Caput VIII.

INterea dum hæc apud Tyrum aguntur, Ascalonitæ uidentes regnum militia in urbibus desolatum, omneq; robur regionis apud Tyrum in obsidione detineri, sumpta occasione ex tempore, cum uniuersa militia trãscursa planicie, quę media iacet ad montes, in quibus Hierosolyma sita est, festinanter properant, arbitrantes prædictam urbem felicissimam uacuam reperire, & de eius habitatoribus aliquos incautius egredientes, secum posse trahere captiuos. Accedentes ergò ex improuiso nimis, quosdã de ciuibus per agros & uineas improuidè se habentes, ceciderunt circiter octo. Ciues autem, etsi pauci numero, tamen fide feruentes, zelo iustissimo, pro patria, pro liberis & uxoribus succẽsi, armis correptis, urbem egrediuntur, unanimiter hostibus occurrentes. Et cum trium horarũ spacio se mutuo conspexissent, nostris nõ audentibus in eos irruere, cum non nisi pedites haberent: uidentes Ascalonitæ, quòd ibi non possent absq; periculo moram trahere, nec erat tutũ cum gente obstinata, atq; ad resistendum animosius præparata, iuxta urbem congredi, parant reditum cum uelocitate. Nostri autẽ eos cautius aliquantulum insecuti, retẽtis ex hostium equis decem & septem, de militibus quatuor, quadraginta duos ex eis interficiũt. consummatoq; negocio, feliciter cum plena sospitate domum reuersi sunt.

Rex Damascenorum Doldequinus, ut soluat obsidionem accedit. nostri occurrunt: ille territus, à proposito discedit. Caput IX.

ET Tyrenses interea crebris assiduisq; uigilijs, & labore cõtinuo fatigati, rarius accedunt ad prælia, remissius occurrunt officijs sibi deputatis: stupentes supra modum, quod ciuitas, quæ singulis penè diebus cùm terrestrium tum marino populorũ frequentabatur accessu, cõsueuerat cumulari, in tam

arcto sederet posita, ut neq; ciuibus, neq; exteris introitus pateret aut exitus: quodq; uictus deficeret, & alimoniarum iam penè nihil esset residuū. habito consilio ad Aegyptium Calypham, & Damascenorum regem scribunt epistolas, monentes & deprecantes anxiè, quatenus rebus eorum iam penè desperatis, maturè subueniant: instantiā significant hostium, uires et animos singulis diebus ampliores, suorum defectum, alimētorum inopiam, angustias importabiles. Quo facto, spe erecti aliquantulum, prædictorū principū præstolantes subsidia, ad resistendum pro more solito se inuitāt. Et licet ex eis plures lætaliter saucij, pugnare ipsi non possent, alios tamen uerbis quibus possunt ad resistendum hortātur. Nunciatur interea, quod Damascenorū Rex Doldequinus obsessorum epistolis & legatione motus, cum innumera Turcorū manu, & copiosissimo equitatu à finibus Damascenis egressus, in Diocesi Tyria, secus fluuium castrametatus fuerat. Erat autem idem fluuius à ciuitate Tyrensi, uix quatuor distans miliaribus. dicebaē etiā, quod classis Aegyptia, maior solito, & armatis instructior, ciuibus deferens & subsidia militum, & uictui necessaria, intra triduum esset affutura. Asserebatur etiam nihilominus, Damascenorum regem, & militum maiora præstolari suffragia, & ad hoc fluminis transitum, & cum nostris cōgressum prudenter differre, donec classis ueniat, ut eo nobiscum dimicante, classis liberū & sine difficultate ad urbē habeat accessum. Quo audito, nostri cōmunicato cōsilio & partibus prouida deliberatione libratis, optimū ducunt, uniuersum exercitū in tres partes diuidere, ita ut equites omnes & stipendiarij pedites, unà cum domino Comite Tripolitano, & dño Vuilhelmo de Buris, regio Constabulario, & regni negotiorū procuratore, de castris egrediant̄, & cum opus fuerit Damasceno occurrant, cum eo auctore Domino pugnaturi; Dux autē cum suis galeas conscendāt, & classi aduenienti occurrentes, cum eis belli tentent fortunam, & tanq; uiri strennui, gladijs uiriliter experiantur. Ciues autē, qui de uniuersis regni urbibus ad eandem obsidionē cōuenerant, cum parte Venetorum maxima, machinas & castella uigilāter seruent: & ita efficiant, ut & de castellis non remittatur manus pugnantiū, nec machinæ desinant solitos impulsus importunius inferre, & ante portā indeficiens habeatur cōflictus. Placuit uerbū uniuersis, & statim sicuti uidebaē expedire, effectui mancipatur. Egressi sunt eñ Comes Tripolitanus, Regius Cōstabularius, cū uniuersa militia hostibus obuiā: & cum processissent quasi ad duo miliaria, hostes nullatenus ausi sunt cōparere. Certum tamen erat, quod secus fluuium prædictum castra locauerat Doldequinus, ab initio cor gerens et animum transeundi: sed audiens nostros, quorundā relatione, tam prudenti usos consilio, periculosum ducit cum uiris tam prudentibus, tamq; strennuis temerè dimicare, sed tubis clangentibus suos conuocat, imperat ad propria regressum. Dux autem classe instructa & parata, usq; Alexandriam descēdit, qui locus à prædicta ciuitate quasi sex distat miliaribus, qui hodie uulgari appellatione dicitur Scandarium. Cognoscētes autem, quod Rex Damascenorum ad propria remeasset, & quod classis exspectatæ nullum comparebat signū, iterum repositis in littore galeis, omnes in castra se recipiunt, & ciuiū impugnationi uehementius instant.

Ciues in nostras machinas ignem adhibent, nostri resistunt viriliter. Ab Antiochia quidam iaculandi habens peritiam, à nostris euocatur. Caput X.

FActum est autem una die, quod quidã iuuenes de ciuitate, ut se in populo commendabiliores redderent, & perennem sibi acquirerent apud posteros gloriam, mutuò se obligantes compromiserunt, quod clàm ad nostra castra egredientes, machinas & nostra castella succenderent. Quod uerbum effectui mancipantes, clàm ab urbe egrediẽtes, incendium machinæ quæ nobis utilior erat, supposuerunt. Quod uidentes nostri ad arma conuolant, & aquis copiosè ministratis, ignibus tentãt resistere: factumq́; est ibi quiddam relatione & admiratione dignum. Quidam enim iuuenis probitatis eximiæ & admirandæ uirtutis, uidens machinam succensam, constanter ascendit super eam, & aquas porrectas desuper infundebat. Quod uidentes qui in turribus erant, arcus habentes & balistas, omnes in eum manus dirigunt, iacientesq́; certatim in eum, qui positus erat quasi signum ad sagittam, operam consumpserunt. Nam tota illa die in propria carne nullam sensit pœnitus læsionem. qui autem ignem subiecerant, à nostris comprehensi, omnes ultore gladio confossi, suis cernẽtibus interierunt. Porrò uidentes nostri, quod machina interior lapides magnæ quantitatis, in castella nostra ita directè iacularetur: & quod utrunq; ex magna parte læserat, quodq́; nõ esset in castris qui dirigendi machinas, torquendi lapides, plenam haberet peritiam, uocantes quendam de Antiochia, Armenum natione, Hanedic nomine, qui in ea facultate dicebatur instructissimus, subitò receperunt eum. qui tanta arte in dirigendo machinas, & ex eis missos molares contorquendo utebať, ut quicquid ei pro signo deputareť, uel statim sine difficultate contereret. Qui postquam ad exercitũ peruenit, designatum est ei honestũ de publico salarium, unde se pro modo suo magnificè poterat exhibere: tantaq́; deinceps operi ad quod uocatus est institit diligentia, tantaq́; arte usus est in facto, ut non solum ciuibus cõtinuatum, sed de nouo uideretur bellum illatum, & molestiæ quidem duplicatæ iu eius aduentu.

Balac apud Hierapolim occiditur: quo rumore audito, noster exercitus fit hilarior, & ad impugnandam urbem insistunt animosius. Caput XI.

DVm hæc Tyri aguntur, Balac, potentissimus Turcorũ satrapa, in cuius uinculis dominus Rex tenebatur, ciuitatem Hierapolim obsidet. dumq́; in obsidione perseueraret, uocauit ad se eiusdem ciuitatis dominum, uerbis pacificis in dolo: qui simplex & nimium credulus, uerbis illius fidem habens, suam statim exhibuit præsentiam. quem ante se constitutum, Balac statim præcepit decollari. Audiens ergo Ioscelinus, senior Comes Edissanus, quod Balac ciuitatem sibi uicinam obsideret, timensq́; ne priore domino expulso, durior ei pararetur aduersarius, conuocata tum ex partibus Antiochenis, tum ex suis ingenti militia, ei obuiam uenire festinat: inuentoq́; eius exercitu, agminibus suis in acies ordinatis, repentè irruit super eum, conuersoq́; in fugam eius exercitu, ipsum casu obuiam habuit. quem gladio transuerberans, ad terram deiecit, deiectoq́; caput amputauit, nesciens tamen quod hic esset Princeps exercitus. Hic planè manifestam habuit eiusdem Balac somnium, interpretationem. nam uerè oculos dici potest

quis illi eruisse, cuius caput amputans, uiuendi uidendiq; finem indicit. Statimq; sicut uir circumspectissimus erat, & cui nihil ad plenam deerat experientiam, eiusdem principis caput, ut nostros de sua prosperitate exhilaresceret, per quendam adolescentem dirigit, & per Antiochiam, ut nec hos nec illos tanti successus fineret esse expertes, ad nostrum exercitum præcipit festinare: qui adueniens corda satiauit uniuersorum, & in supremam erexit lætitiam. Dominus uerò Comes Tripolitanus Pontius, qui in ea expeditione cum suis domino Patriarchæ, & alijs principibus tanquam unus de uernaculis obediens semper extitit, & ad publica negotia humiliter expeditus, ob reuerentiam domini Comitis, qui eum miserat, & tantæ legationis dignitatem, ad equestrem promouit ordinē, arma ei conferens militaria. Hæc postquam nostris qui in expeditione erant, comperta sunt, erectis in cœlum manibus, cœperunt laudare, benedicere & glorificare Deum, qui terribilis est in consilijs super filios hominum. Tunc demum zelo maiore accensus noster exercitus, quasi reparatis uiribus, receptoq; denuò spiritu, ad opus inceptum feruentius accingitur, crebrisq; congressionibus obsessis omnem negant requiem. Ciues autem alimentis iam penitus consumptis, fame periculosissime laborantes, cum iam nulla spe subsidij fouerentur, remissius se habebant. Accidit autem semel, quod quidam iuuenes de ciuitate, natandi habilitatem habentes, de portu egressi interiore, in exteriorem natando, peruenientes ad galeam illam, quam superius diximus in mari semper esse paratam, fune quem secum deportauerāt, eidem firmiter allegato, eisq; incisis, in quibus galea tenebatur defixa, redeuntes in urbem secum cœperunt trahere quam firmiter alligauerunt: quod uidentes qui in castellis erant ad speculam deputati, clamare cœperunt. quo clamore nostri excitati, ad littus conuolant: sed antequam de remedio plenius deliberarent, præfati iuuenes eam intra urbem iam receperant. cum autem in ea quinq; uiri essent, qui ad eius erant custodiā deputati, uno occiso, reliqui quatuor se in mare præcipites dederunt: unde enatando, ad littus peruenerunt incolumes.

Ascalonitæ iterum, dum noster in obsidione adhuc retinetur exercitus, partes uastant Hierosolymitanas. Caput XII.

PОrrò Ascalonitæ uelut culices inquieti, in nocendo proposito perseuerantes, uidentes regni robur circa Tyrum in obsidione detineri, regionem uniuersam militia uacuam, irruptionibus expositam, collectis uiribus iterum ad montana Iudææ unanimiter conscendunt, ibiq; iuxta Hierosolymam locum à septentrione positum, ab eadem Hierosolyma quinq; aut sex miliaribus distantem, Bilin dictum, qui hodie celebriori uocabulo Mahomena appellatur, subitò inuadunt, & occupant uiolenter: eiusq; incolis pro maxima parte interemptis gladio, senes cū mulieribus & paruulis in turrim se recipientes, mortis euaserunt discrimen. Illi uerò totam adiacentem regionem liberis discursibus peragrantes, nemine contradicente, quoscunq; obuiam reperiunt, aut uinculis mancipiant, aut obtruncant gladijs, in prouinciales pro libero arbitrio debacchantes.

Cives famis importunitate laborant, & ad deditionem se preparant. Doldequinus in eorum subsidiũ properat, sed incassum: nostris ciuitas resignatur. Caput XIII.

INterea Tyrij famis importunitate solito uehementius laborãtes, alias ingrediuntur uias. & iam per cõuenticula coëuntes tractare incipiunt, quomodo ijs molestijs quas patiuntur, finem imponãt: cõmodius esse dicentes, urbe hostibus tradita, ad alias liberè suę gentis ciuitates posse transire, quàm fame tabescere, quàm uxores cum liberis, ipsis cernentibus, nec opẽ ferre ualentibus, inopia liquefieri. Tandẽ post huiusmodi per turbas tractatus, uerbum de cõmuni cõsensu ad maiores natu, & urbis moderatores & ad publicum deferũ. Congregataq; ciuitate uniuersa, uerbũ in publico auditorio proponitur & tractatur diligentius. Stat omnibus sententia, tantis malis finem imponere, et quocunq; casu, quibuscunq; conditionibus ad obtinendam pacem peruenire. Porrò Damascenorum Rex, ciuium calamitate permotus, & quòd supremo defectu laborarent audiens, eorum compassus molestijs, ad mare descendit, conuocatis undiq; militaribus copijs, ubi et prius fuerat, circa fluuiũ urbi prædictæ uicinũ castrametaẽ. quod audientes nostri, suspectũ habentes eius aduentũ, iterum se instruũt, quasi prælũ pro foribus expectantes: urbi tamẽ, propositũ nihilominus nõ deserẽtes, instant incessanter. Rex interim Damascenorũ legatos, cũ uerbis pacificis, ad nostri capitaneos exercitus, ad dñm uidelicet Patriarchã, ad dñm Ducẽ Venetiæ, ad D. Vuilhelmũ de Buris, & ad reliquos regni proceres, dirigit, uiros prudentes & discretos, qui uiã pacis prætentarẽt. Tandẽ post multas altercationes, parti placuit utriq;, ut concesso ciuibus cum uxoribus & liberis, & omni substantia egressu libero ciuitas Christianis tradaẽ. Si qui aũt de ciuibus in eadẽ ciuitate magis optarent cõmorari, ijs saluis possessionibus et domicilijs libera cõmorandi licentia concedaẽ. Populus sanè & secundę classis homines, intelligẽtes quod ciuitas ijs conditionibus traderẽ, quod uiolenter effracta eis ad manubias & prædã non patẽret, operas unanimiter bellicis necessitatibus subtrahere decreuerunt, parati à principibus omnino dissentire: præualuit tamen maiorũ mens, ut sanior: et urbe recepta, data est ciuibus libera egrediendi (sicuti pactis cõuenerat) facultas. In signũ ergo uictoriæ super eam turrim, quę portæ ciuitatis imminet, positũ est dñi Regis uexillum. super eam autẽ quæ dicitur uiridis, dñi Ducis Venetiæ. super eam autem quæ dicitur turris Tanariæ, domini Comitis Tripolitani, cum multa gloria sunt collocata uexilla. Porrò priusquàm ciuitas caperẽ, aut obsideretur, maxima pars eius dioecesos in nostrorum deuenerat potestatem: ita quod omnia montana quę urbi adiacent, tam in castris quàm in suburbijs, penè usq; ad Libanũ quidã nobilis & potens homo, qui in montibus habitat, Henfredus uidelicet de Toro, nò, iunioris Henfredi, qui postea factus est regni Cõstabularius, pater, usq; penè ad quartum uel quintum ab urbe lapidem quietè possidebat, castrũ habẽns in eisdem montibus naturali situ & artificio munitissimum, unde prędictis ciuibus frequentes & subitas inferebat molestias: sed & Vuilhelmus Tyberiadensis, dominus Vuilhelmus de Buris, regius constabularius, & ante eum dominus Ioscelinus, Comes Edissanus, qui prædictæ ciuitatis dominus fuerat, in eisdem montibus possessiones habebant amplissimas. unde & frequen-

frequentius, & ex improuiso urbi prædictæ periculosas moliebantur insidias: nihilominus & ab Austro D. Rex Balduinus, bonæ memoriæ, prædecessor istius, in littore maris iuxta fontem salubrem & perspicuum, castrum fundauerat, Alexandrum nomine, ab urbe Tyrensi sex aut septem distans miliaribus. Quibus molestijs urbs prædicta, multo ante tempore crebrius fatigata, maiorem in se oppugnandi, eam obsidentibus præstitit facultatem. Dicitur autem in eadē expeditione uita decessisse, uir uenerabilis Vdo nomine, qui ad titulum eiusdem ecclesiæ, urbe adhuc ab hostibus detenta, ordinatus fuerat Metropolitanus, & à Patriarcha Hierosolymitano cōsecratus dicebatur.

Vrbe capta in castra egrediuntur ciues: nostri quoq; urbem occupant. Caput XIIII.

EGressi ergo ciues longa obsidione fatigati, subleuandi gratia tædij ad castra nostra deproperant, cōsiderantes diligētius, quis nam esset populus iste tam ferreus, tā laboris patiens, tam in usu armorū edoctus, qui tam egregiam ciuitatem, & tam munitā urbem intra menses paucos, ad supremā redegisset inopiā & extremas cōditiones subire cōpulisset: intueri libet machinarum formā, castellorū proceritatem, armorū genus, castrorū positionē, principū etiā nomina diligentius inuestigare, cunctaq; cū sollicitudine percunctari, ut inde posteris fide plenas certa relatione texere possent historias. Nostri quoq; ciuitatē ingressi, urbis munitionē, ædificiorū robur, turriū eminentiā, murorū soliditatem, portus elegantiā, introitus difficultatē admirātes, ciuiū etiā cōmendant constantiā, qui in tanta famis necessitate positi, & tanta laborantes inedia, deditionē eò usq; pertraxerāt. nā ciuitate à nostris recepta, non nisi quinq; modij frumenti in ciuitate reperti sunt: et licet prima facie durum plebeis uisum foret, quod prædictis cōuentionibus ciuitas in nostrā deuenerat potestatē, consequēter tamen placere incipit. cōmendat labor impensus, & perpetē dignū memoria opus credūt, quod eorū laboribus & sumptibus est cōsummatū. Tripartita ergo ciuitate, duabus dño Regi, tertia Venetis secundū pactū prius insertū assignata, cum multa lætitia & plena iocunditate, singuli ad propria remearunt. Capta est aūt eadē ciuitas, & nomini restituta Christiano, tertio Cal. Iulij, anno ab incarnatione dñi M.CXXIIII. Regni uerò domini Balduini, regis Hierosolymorum secundi, anno sexto.

Rex à uinculis soluitur. Alapiam obsidet. sed occurrentibus hostibus soluitur obsidio. Rex Hierosolymam reuertitur. Calixtus papa moritur. Substituitur ei Honorius. Caput XV.

EOdem anno quarto Cal. Septēbris, D. Rex Hierosolymorū Balduinus, cum quasi mensibus decē et octo, uel amplius aliquid, apud hostes detentus fuisset in uinculis, pacta pro se pecunia, obsidibus datis, libertatē precio interueniente consecutus, auctore Domino Antiochiam reuersus est. Dicitur autem summa pro se pecuniæ fuisse centū milia Michaëlitarū, quòd moneta illa, in regionibus illis, in publicis cōmercijs & rerum uenaliū principatum tenebat. Reuersus igit Antiochiā, anxius quomodo soluere posset pecuniā, et suos ad se reuocare obsides, cū prudentiorib. deliberat, quid ad suū expedimentū facere posset. Igit persuasum est ei, ut Alapiā alimētorum inopia laborantē & penè uacuam obsideat, eaq; uia facilè obtinere posse, ut ciuibus obsidione angustiatis, aut obsides sibi restituant, aut pecuniam conferentes tantam summam tribuant, quanta pro sui liberatione ab initio pepegerat.

Conue-

Conuenit ergo apud eum publicè coniurata uniuersa de toto principatu militia, urbemq́ prędictā obsidet, & legionibus ut mos est per gyrum collocatis, ciuibus introitus negat & exitus, modicosq́ cibos secū ponere ciues uiolenter cōpellit. Illi uerò Orientalibus, & maximè qui trans Euphraten erant, crebris de sua necessitate epistolis significant, nisi maturè subueniant, urbem in proximo ruituram. Habentes ergo illi principes pro urbe amica sollicitudinem, certatim uires conuocant, & de communi ministrato auxilio militares congregant copias: tandemq́ Euphrate transmisso accelerant, omnem dantes operam, ut prædictam urbem liberent obsidionis molestia. Erant autem qui in subsidium uenerant, obsessorum equitum septem milia, exceptis ijs qui sarcinarum & impedimentorum curam gerebant, & uernaculis, qui maioribus dominis debitum impendebant obsequium. Rex uerò et qui in expeditione secum erant, intelligentes quod tanta esset hostium multitudo aduenientiū, arbitrati conuenientius esse retrocedendo, in tuto se & suas expeditiones locare, quàm temerè cum hostium turbis ualidioribus congredi: antequam uenirent ad urbem, eorum expeditiones nostri in quoddam castrum suum munitum, Ceperum nomine, se receperāt, unde Antiochiā conuenientes, diuisi sunt ab inuicem, domino Rege cum familiari comitatu suo Hierosolymam reuerso: ubi ab uniuerso clero & populo, tanquam diu desideratus, cum multa susceptus honorificentia, plebi & patribus, quasi post actum biennium, acceptabilem suam intulit præsentiam. Eodem anno dominus Calixtus, bonæ memoriæ Papa secūdus, uita decessit, cui substitutus est quidā Lambertus, patria Bononiensis, Hostiensis episcopus, qui dictus est Honorius. Hic electus est sub contentione, cum quodā Theobaldo presbytero Cardinali, tituli sanctæ Anastasiæ. & quia electio ipsius Honorij minus canonicè processerat, post duodecim dies in conspectu fratrum, mitram & mantū sponte refutauit, atq́ deposuit. Fratres uerò tam episcopi, quàm presbyteri & diaconi cardinales, uidentes ipsius humilitatem, & prospicientes in posterum, ne in Romanam ecclesiam aliquā inducerent nouitatem, quod perperam factum fuerat, in melius reformarunt, & eundem Honorium denuò autorizantes, ad eius uestigia prociderunt, & tanquā pastori suo & uniuersali Papæ, consuetam sibi obedientiam exhibuêre.

Borsequinus Turcorum princeps fines Antiochenos depopulatur. Rex occurrit, & cum eo congreditur, hostium prosternitur exercitus. Caput XVI.

INterea dño Rege Hierosolymis existente, crebris nunciatur legationibus, quendā inter Orientales principes potentissimū, Borsequinū nomine, congregata ex finibus orientalibus ingēti militia, trāsito Euphrate, in partes peruenisse Antiochenas. Hic regionem pro arbitrio, nemine prohibēte, discurrēs, quicquid extra urbes & munita poterat reperire pręsidia, tradebat incendijs, & suis ad prædā exposuerat uniuersa. Huic cū proceres Antiocheni resistere sæpius frustra uires experti attentassent, uidentes quod non proficerēt, dño Regi, cui multo ante principatus curā cōmiserant, id ipsum significant, orantes instātius, ut dilatione postposita, ad se uenire procuret. Rex aūt gemina fatigatus cura, regni uidelicet & principatus, Regno, cui multo amplius obligatus fuerat, minus impendebat sollicitudinis. Principatus eñi molestijs

sæpius

sepius euocatus, omnes penè iam per decennium ibi & opes & operam con sumpserat, ita quod in negotijs eorũ uersatus, in propria persona captus fuerat, per biennium penè continuum indignè satis hostium uincula passus, & carceres. nam in regno protegente eum manu diuina, nihil ei prorsus sinistri acciderat, sed omnia prospere & fœliciter in manu eius dirigebat electorum Regum consolator Dominus: tamen propositũ eum omni reuerẽtia uolens obseruare, collecta quãtam habere potuit militia, ad partes illas festinus accessit. Prædictus uerò Borsequinus, sicuti uir potẽs erat, & in armis multam habens experientiam, adiuncto sibi Damascenorum rege Doldequino, ante regis aduẽtum, quem ab Antiochenis citatum nouerat, castrum obsidet nomine Caphardam, & obsessos intus multis compulsos molestijs, ad deditionem, conditionibus de salute conseruanda interpositis, cõpulit. Inde minorẽ Syriam pertransiens, sperans similibus abundare successibus, Sardanum oppidum obsidione uallat. Sed cum per dies aliquot operam ibi cõsumpsisset, uidens se nõ posse proficere, insigne oppidum Hasart nomine, minus tamen munitũ, apponit possidere: dumq; ibi machinas erigit & bellicos instruit apparatus, uires in damnum obsessorum experiens, ecce Rex, & Comes cum eo Tripolitanus, nec nõ & Edissanus, cum ingẽtibus copijs adsunt, obsessis autore Domino opem in proximo collaturi. Qui postquam ad hostes inceperunt accedere, tres ex se ordinauerunt acies. in prima, quarum quæ in dextro erat cornu, Antiochenos locat proceres: in secunda uerò, quæ in sinistro erat ordinata latere, utrunq; cum suis constituit Comitem. In medio uerò, dominum Regem. Erant autem eis equites mille & centum, peditum autem duo millia. Borsequinus uerò nostrorum uidens aduentum, & pro certo sciens, quod ad congrediendum statim more prudentium erant parati, uidens quod honestè bellum declinare non posset, instruit & ipse acies uiginti: dicebantur enim equitũ esse quindecim milia. Ordinatis ergo hinc inde suis cohortibus, & in ordinẽ dispositis, & contra se mutuò accedentibus, irruunt in se hostiũ more uehementius, & armis proteruo studio uicissim illatis stragem inferunt, mortem pluribus modis irrogantes: solet enim in huiusmodi conflictibus odiorum incentiuum & inimicitiarũ fomitem dare maiorem, sacrilegij & legis cõtemptæ dolor. aliter enim & demissius solet inter consortes eiusdẽ legis & fidei pugna cõmitti, aliter inter discolores et cõtradictorias habentes traditiones. hoc enim sufficit ad materiam iugis scandali, & perpetuorum iurgiorum, quod in eiusdem fidei articulis non communicant, & si nulla alia sit odiorum materia. Congredientes ergo prædictæ acies instant proteruius in alterutrum: sed diuina præsente clementia, cui non est difficile cũ paucis multos superare (cuius sermo est de suis: Vnus mille, & duo fugabunt decem millia) præualuit pars nostra, & hostibus in fugam conuersis, uictoria de cœlis concessa, gloriosissimè potiti sunt. Dicũtur autem in eo conflictu hostium cecidisse duo milia, de nostris uerò uiginti quatuor. Borsequinus autem uidens, quod longè aliter quàm ratus fuerat, ei accidisset, confusione indutus & uerecundia, iam nõ ambulans in mirabilibus super se, transito Euphrate, ad propria reuersus est. Rex autem tum ex hostiũ spolijs, tum ex fidelium & amicorum suorum liberalitate, collecta pecunia, filiam suam

quin-

quinquennem, quã pro se obsidẽ dederat, soluta pecunia recepit: sumptaq́ ab Antiochenis ad tempus licẽtia, sospes uictorq́ Hierosolymã reuersus est. Eodem anno rex super urbem Berythensem in montanis castrum unum, cui mons Glamanus nomen, fundauit.

Rex Ascalonitas prosternit: & simul Aegyptios, qui ad eorum subsidium conuenerant. Caput XVII.

PEr idem tempus elapso pacis temporalis & initi fœderis spacio, quod inter dominum regem & Doldequinum, interuentu pecuniæ prius conuenerat, sociata sibi de uniuerso regno militia, in terram Damascenorũ Rex ingreditur. ubi regionem liberis peragrans discursibus, suburbana quędam diruit, habitatores secum deducens, prædam maximam & spolia de hostibus referens uberrima, sospes & incolumis in sua se recepit. Necdum dissolutis cohortibus nunciatur, uix elapso triduo, Aegyptiorũ exercitum cum ingẽti apparatu ad urbem Ascalonam accessisse. erat enim Aegyptijs consuetudo per annos singulos quater ad eandem ciuitatẽ nouas expeditiones dirigere, ut uiribus cõtinuè reparatis, sustinere possent assiduos nostrorũ conflictus, & penè continuas quæ sæpius irrogantur iniurias. His autẽ qui noui recentesq́ uenerant, mos erat & consuetudo, ut nostrorum plurimum affectarent congressus, experiri cupientes nostrorum uires, & de sua probitate certa ciuibus dare argumenta: unde & frequẽtius in bellicis congressionibus ex eis plures & capi consueuerant, & gladijs interire, tanquam regionis ignari, & armorum plenam nõ assecuti experientiam, ueteranis ciuibus, nostrorũ prudentius declinantibus occursum, & remissius insectantibus aliquando fugientes. Quod postquam domino Regi nunciatum est, magis cõtinuata quàm renouata expeditione, illuc celerrimè contendit. quò cum peruenisset, ipse cũ fortioribus & magis strenuis loco ad id congruo se locat in insidijs, leuis armaturæ præmissis militibus, qui discursionibus uagis urbanorum irritarent animos, & prouocent ad insectandum. At uerò ciues uidentes liberis discursionibus per loca urbi continua nostros euagari, indignè ferẽtes nimium eorum tantam audaciam: certatim arma corripiunt, & egressi imprudenter, seorsum per manipulos, nostros spontè terga dantes, in fugam uertunt. Fugientes quoq; sequentes imprudentius usq; ad locum, ubi Rex cum electa militia latebat in insidijs, peruenerunt. Rex autem opportunitatem non respuens oblatam, & qui cum eo erant ei fideliter adhærentes, hostes ad urbem redire uolentes præueniunt, cum eisq́ cominus conferentes gladijs instant animosius: & antequam se in urbem recipiant, quadraginta ex eis passim obtruncant, cæteris in urbẽ cõfugientibus, & uix intra mœnia saluari se putantibus. Qui aũt ceciderũt, strenuos fuisse, & de nobilioribus, ciuium lamenta & eiulatus in ciuitate solito amplior, docuerũt. Rex aũt tubis clangentib. & tympanorũ strepitu suos ad se reuocans, cũ ingẽti lętitia prope urbẽ castrametatus, tota nocte ibidem uictor quieuit, inde sospes Hierosolymam reuersus est.

Rex fines Damascenorum ingreditur, occurrit ei Doldequinus: pugna committitur: uictor redit noster exercitus. Caput XVIII.

SEquenti uerò anno, qui erat ab incarnatione Domini millesimus centesimus uicesimus sextus: regni uerò eiusdẽ domini Balduini octauus, mense Ianuario, congregatus est de mandato domini Regis & principum, uniuersi

regni populus, à maximo usque ad minimum, uoce præconia per singulas urbes: & infra paucos dies, collectum est uniuersi regni robur, quasi uir unus, iuxta urbem Tyberiadensem, quasi in fines Damascenorum ex condicto ingressuri. Quò peruenientes, signis commoniti militaribus, compositis sarcinis & agminibus, ordine incedentibus, peragrata Decapoli regione, terras hostium ingrediunt: inde uallem angustam, quæ dicitur Canea Roob, usque ad campestria Medan transierunt. est autē planicies longè latèque patens, prospectibus libera, per quam fluuius, Dan nomine, transiens, inter Tyberiadē & Scythopolim, quæ olim dicta est Bersan, Iordanem influit. Arbitrantur autem quidam, qui & nominis iuuantur argumēto, quod iste sit fluuius, qui Iordani præstat ultimam nominis partem. nam quicquid in mare descendit Galileæ, & inde egreditur, usque ad istius fluminis influentiam Ior dicunt: reliquum uerò quod exinde defluit, Iordanem esse dicunt, quasi Ior et Dan commixtus. Beda tamen, & quidam nostri alij doctores, autoritatis præcipuæ, utrunque fontem iuxta Cęsaream Philippi, ad radices Libani sitam, originem dicunt habere: quorū alter Ior, alter Dan dicatur. ex quibus Iordanis fluenta contrahens, totus inde in stagnum Genesar, quod est mare Galileæ, descendit: & inde totus egrediēs, per miliaria penè centū, in lacum Asphaltitis, qui alio nomine dicitur Mare salsissimum, uallem sulcans illustrem, se infudit. Prędicta ergò campestria noster pertransiens exercitus, usque ad uicū, cui nomen Solome, peruenit. Erat autem locus is, sicut et hodie est, Christianis deputatus habitatoribus. unde nostri loco parcentes, habitatoribus eius quasi fratribus usi, ad locum cui nomen Mergisafar, ordinatis cohortibus, & militia locis congruis deputata contendunt. Dicitur autē idem esse locus, in quo Saulus, lupus rapax, ecclesiæ persecutor, uocem audiuit dicētis: Saule Saule, quid me persequeris? & cętera. Videtur autem diuinitus procuratū, ut in eo loco, in quo hæc acciderant, eadem die qua hæc eadē accidisse dicebant, ut ex persecutore fieret uas electionis, fidelium exercitus illuc perueniret. Illic ergò congregati, per biduum sustinentes, castra Damascenorū contra se posita nō longius intuent. Tertia demū die conuenientes adinuicē, ordinato hinc inde & diligentius instructo pręliandi apparatu, arma conferūt ex utraque parte nimis hostiliter: & paribus quasi congressibus incedentes, ancipitem diu de uictoria protraxerunt sententiā. Rex tamen more solito hostibus instans atrocius, strenuorum quemque uocat ex nomine, & uerbis simul & exemplo commonens, ad stragem inuitat, & uictoriam pollicet. Illi uerò stricto gladio hostibus incumbentes, Regē quoad possunt, strenuè nimis imitari nituntur, & fidei zelum habentes, diuinam simul & suas ulcisci nituntur iniurias. At uerò Doldequinus suos nihilominus dictis animat, & ad pugnā promissis incendit, asserens eos iustum bellum gerere pro uxoribus & liberis, & pro libertate, quod maius est, proque patrio solo cū prædonibus certare. His & similibus insistunt non inferiore spiritu, uiribus non imparibus. Porrò pedestres manipuli, domini Regis & equitū exemplis edocti, in ipsas hostium acies se ingerunt, & insistunt animosius: si quos de hostibus lapsos uel saucios repe riunt, gladijs obtruncant, euadendi uias intercludunt, nostros uerò deiectos erigunt, & constituunt ad conflictum, saucios uerò remittunt ad sarcinas, ut

sui cu-

sui curam possint habere: quodque amplius hostilibus turbis illa die damnosum fuisse creditur, quidam equis sauciandis omnem dabant operam, eorumque sessores subsequentibus socijs parabāt ad uictimam. Rex uerò in condensis hostium cuneis, strennuis quibusdam & illustribus comitatus, quasi leo fulminat, & à dextris læuaque stragem operans ipsis uictoribus miserabilem. non legitur apud nos usque ad illum diem, tam periculoso & ancipiti certamine desudatum esse. nam cum ab hora diei tertia, usque in decimam protractum esset prælium, uix hora undecima discerni poterat, utra pars meliorem esset reportatura calculum. Tandem opitulāte diuina clemētia, & intercedente pro eis Doctore gentium egregio, hostes in fugā uersi sunt, stragem perpessi seculis memorabilem. Dicuntur ex eis cecidisse illa die plusquā duo milia: de nostris uerò recensito tam equitum quàm peditum numero, inuentum est, de equitibus uiginti quatuor cecidisse, de peditibus uerò octoginta. Sic ergo nostris diuinitus collata uictoria, Rex uictor agonis campum obtinuit. Vnde cum lætitia & gratiarum actionibus educens exercitum, ad propria cœpit habere regressum. Dumque in itinere esset, turrim habēs obuiā, in qua nonaginta sex de hostibus gratia salutis se receperāt, eam uiolēter impugnant, & hostes cōprehensos gladijs uitam finire cōpellunt. Inde etiā procedentes, aliam nihilominus turrim occupāt uiolenter, uiginti de hostibus, qui ad eam conseruandā erant deputati, indulgentes uitam, eò quod nostris turrim prædictā sine difficultate tradiderant: quam celerius suffodientes, cū ingenti strepitu ad terrā deijciunt penitus dissolutam. Vnde multiplici & seculis memoranda potiti uictoria, ad propria cum gaudio remearunt.

Comes Tripolitanus urbem Raphaniam occupat. Henricus Romanorum Imperator moritur. Lotharius ei substituitur. Caput XIX.

PEridem tempus dominus Pontius Tripolitanus Comes, urbē Raphaneam finibus suis conterminam, uidens propositum effectui mancipabile, obsidere proponit. sed ut facilius conceptū assequatur, dn̄m Regem Hierosolymorū, ut & præsentiam suam exhibeat, & opem cōferat, & literis sollicitat, et frequentibus nuncijs hortat. Rex aūt ut impiger erat, & populi Christiani cōmunibus fideliter obtemperās negotijs, assumpto sibi honesto comitatu, illuc sine dilatione properat. quò perueniens, Comitē ad prædictū opus reperit succinctūm. de machinas & quæ ad impugnandam urbem poterant esse necessaria, uiaticumque ad dies aliquot sufficientem assumentes, præmissis pedestribus alijs ad partes destinatas expeditiones suas dirigūt. Quò peruenientes, urbem iuxta propositum obsidione uallāt, primo statim eorum aduentu ciuibus introitum negantes & exitum. Erat autē ciuitas situ naturali, tum etiam inhabitantium paupertate munita modicū, multisque fatigata molestijs diu resistere non poterat. Nā idem Comes in monte quodā illi contermino præsidiū ædificauerat, cuius incolæ ciuitatem prædictā, continuis opprimentes angustijs, usque ad supremū penè defectū eos cōpulerant. Cum ergo diebus decem & octo eam uehementius impugnassent, ciues ad deditionem cōpulerunt, indulto prius sibi & uxoribus & liberis libero exitu, & indemnitate promissa. Est aūt prędicta Raphanea in prouincia Apamiēsi, una de suffraganeis eius. capta est autē ultimo Martij die. Rex uerò Hierosolymā

 reuersus,

reuersus est, ibi paschales cũ multa deuotione celebrauit dies. Per idẽ tempus D. Henricus Romanorũ imperator ultimũ fato clausit diem. cui substitutus est uir per omnia cõmendabilis, Saxonię dux Lotharius: qui postmodum in Apuliam cum infinito descendens exercitu, uniuersam usq; ad Pharam regionem uiolenter occupauit, ducem in Apulia constituens, prouidũ uirum & discretum, Reynonem nomine: Rogerium autem comitem, qui terram illam uiolenter occupauerat, in Siciliam fugere compulit, quam postmodum discedente Imperatore recuperãs, pugnauit cũ prędicto Reinone: coq; defuncto, ducatũ obtinuit, postmodũ etiã Sicilię & uniuersę prouincię rex effectus est.

Iterum Borsequinus fines Antiochenos ingreditur: tandem à suis confossus interijt. Classis Aegyptia in Syriam ascendit: sed infecto negocio, damnum perpessa, reuertitur. Caput XX.

PORrò domino rege apud Tyrũ morã faciẽte, ecce nuncius ab Antiochia properans, literis & uiua uoce astruit, immanissimũ nostrę fidei persecutorẽ Borsequinũ cum ingẽti apparatu in partes Cœlesyrię descẽdisse, oppida obsidere, suburbana nemine prohibẽte, passim & sine delectu incẽdere, eorũ habitatores trahere captiuos, uxores uerò & liberos mancipare seruituti. Quod Rex audiens, quamuis Aegyptios suspectos haberet, & cum ingenti classe quã parauerãt, in proximo uẽturos nõ dubitaret: tamen more prudentis medici, qui ut uiolentiorẽ instantiam morbi sentit, illic properat aptare remedia: neglectis alijs, maiori occurrit necessitati, ad partes illas celerius contendit. Quod audiens Borsequinus, obsidionẽ quam circa Cerepum nobile oppidũ cum ingenti cura locauerat, continuò soluit, in ulteriores fines hostiũ retrocedens: priusq; tamen Rex adueniret, municipiũ quoddã nõ magni nominis uiolẽter ceperat, in quo mulierculas quasdam cum liberis suis captiuauerat. nam uiri qui in eodẽ obsessi fuerant, cum multa difficultate & periculis eorũ manus euaserant, malentes soli salutẽ fuga reperire, q̃ cum uxorib. & liberis eodẽ captiuitatis iugo miserabiliter inuolui. Postmodũ autẽ prędictus impius & maledictionis hęres Borsequinus à domesticis et familiaribus suis gladijs confossus, interijt, nequitiarũ suarum semina simul & fructus impietatis opere suo recolligens. At uerò dum hæc geruntur in partibus Antiochenis, classis Aegyptia, sicut et pręnunciatũ fuerat, galeis uigintiquatuor uniuersam oram maritimã perlustrantes, usq; ad urbẽ Berythensem descẽderunt, explorantes sollicitè, si quid in aliqua nostrarum urbium damni possent irrogare: aut si quos fortè incautos prętereuntes, uel accedentes in Syriã ex improuiso, quasi de insidijs egressi possent occupare. tandẽ uerò potus inopia laborãtes, sitis necessitate compulsi, ut aquas hauriant, ad terram secus fluenta descenderunt. quibus occurrens populus ciuitatis cum quibusdã alijs, qui de finitimis urbibus ad eorũ conuenerant subsidium, ab aquis eos uiolenter repulerunt, aquę usum omnino contradicẽtes: sed et armis instantes animosius, in naues eos uiolẽter cõpulerunt redire, centum & triginta ex eis gladio peremptis.

Boamundus iunior Antiochiam peruenit: Rex ei terram suam restituit: filia sua, Halim nomine, in uxorem data. Caput XXI.

AVtumno sequente, D. Boamundus iunior, domini Boamundi senioris filius, princeps Tarentinus, inito pacto & cõposito fœdere cum D. Guillhelmo duce Apuliæ patruo suo, de futura successione, uidelicet tali, ut uter

ut uter eorũ prior uita decederet, alter ei ſuccederet in uniuerſum: paratis nauibus, galeis uidelicet decẽ, & duodecim alijs ad ſarcinas & impedimẽta deuehendi, & arma ſimul & uictualia transferenda opportunis, iter in Syriã dirigit, de domini regis fide præſumens, ut ei aduenienti & paternã repoſcenti hæreditatem non negaret aditum. Aduenięti igitur, & intra fauces Orontis claſſe iam in tuto recepta, poſtquam domino regi compertũ eſt, cum magna tibus regionis ei proceſſit obuiam: & Antiochiam ingreſſo, urbẽ & regionẽ benigne ei reſtituit uniuerſam, cuius cura peruigil & anxia nimis ſollicitudo cum per annos macerauerat octo. Reſtituto igitur principatu, uniuerſi proceres & magnates regionis præſente domino rege, & monente, fidelitatem legitimã in palatio ſuo illi exhibuerũt. Poſtmodum interuẽtu quorundã utriq; parti familiarium factum eſt, quod dominus rex unam de filiabus ſuis Halim nomine, natu ſecundã, placitis utrinq; conditionibus ei cõcederet uxorẽ, ut amplior inter eos gratia & amica proportio intercederet. Erat autẽ dominus Boamundus adoleſcens quaſi annorum decẽ & octo, formæ uenuſtate conſpicuus, procerus admodum, crine flauo, uultu fauorabili, & qui uerè principem etiam ignorantibus indicaret: ſermone gratus, & qui uerbo audientiũ animos facilè ſibi conciliaret: liberalis plurimum, & more patris uerè magnificus: quippe cui Boamundus ſenior, domini Roberti Guiſcardi illuſtris & per ſecula uiri memorabilis filius pater erat: mater uerò, ſpectabilis & nobiliſſima inter illuſtres Conſtãtia, excellentis regis Francorũ Philippi filia. Celebratis igit̃ de more nuptijs, & filia apud dominũ principẽ lege coniugali ſolenniter collocata: rex Hieroſolymã, oneris maxima parte depoſita, ſoſpes et incolumis reuerſus eſt. Dñs uerò Boamundus uere ſequẽti oppidũ Caphardan, quod aliquot antè annis, hoſtes in manu forti ſibi uiolenter ſubiugauerant, uocatis ex uniuerſo principatu militaribus coprjs, & machinis ad impugnationem præſidiorũ neceſſarijs per operam artificũ fabrefactis, caſtrũ obſidet, & modico temporis interuallo uiolenter expugnatum recepit, nulli parcens eorũ quos intus comprehendit, quamuis precio uitam tentarent emere, & pecuniæ interuentu obtinere ſalutem. Has dedit primitias, inclytus & nobilis, ſuæ adoleſcentiæ princeps, & bonæ indolis argumenta prima.

Inter eundem Boamundum & Ioſcelinum comitem Ediſſanum, graues oriuntur inimicitiæ: ſed Rex celer aduolat, & componit. Aphricani urbem Siciliæ Syracuſam uiolenter effringunt. Caput XXII.

NEc mora, cauſis interuenientibus occultis, quãtum ad nos, Deo tamen nodibilibus, ortæ ſunt graues inimicitiæ inter eundem principẽ, & comitem Ediſſanum Ioſcelinum ſeniorem: ita quod contra bonos mores, & noſtrorum diſciplinã temporũ pernicioſum poſteris relinquens exemplũ, Turcos & infideliũ turmas in ſuum conuocaſſet ſubſidiũ: & eorũ fretus auxilio, regionẽ Antiochenã incendijs traderet, & eius habitatoribus Chriſti ſeruis indebitę iugũ induceret ſeruitutis: quodq; notabilius, & diuina animaduerſione dignius credit̃, abſente principe, & hoc penitus ignorante, dum in ſeruitio Chriſti hoſtes impugnando deſudat, hęc omnia cõmiſſa dicunt̃. Vnde prędictus Ioſcelinus eorum omniũ, ad quos ſermo iſte peruenit, odiũ incurrens & indignationẽ, omniũ maledictiones merebatur. Rex uerò fama deſẽrente hoc audiens, ſolicitus primũm, ne illius occaſione ſciſſuræ, maior in noſtram confuſionẽ hoſtibus pateret introitus, quia regnũ in ſeipſum diuiſum,

iuxta uerbum Domini desolabitur: consequenter autem, secundum carnem uterque illi erat proximus. alter enim cōsobrinus matertere filius, alter uerò gener, & cui recenter desponsauerat filiam: uelox ad partes illas aduolat, dñoque Antiochenorū Patriarcha Bernhardo, fidelem & deuotū cooperatorem se exhibente, pacē optimam inter eos reformauit: eo maximè opportunitatem prestante, quod medio tempore Comes grauem incurrerat ægritudinē, qua periculosissimè laborans, & facti pœnitēs, Domino se uotis obligauit, quod si uitam indulgeret ei & salutē, dño principi satisfaceret, & ei debitam fidelitatem impendens reconciliaretur: quod factū est. Nam postquam plenam adeptus est cōualescentiam, presentibus dño Rege, domino quoque Patriarcha, reconciliatis eis adinuicē, & plena intercedente gratia, fidelitatē ei manualiter exhibuit, eam deinceps debito tenore cōseruans. Rex aūt pace cōposita, Hierosolymam reuersus est. Per idē tempus, Comes Siciliæ Rogerius classem galearū quadraginta multo studio paratā, ad partes Aphricæ dicit direxisse: ubi earū aduentu præcognito, prouinciales premoniti, prouidè se habentes, nullam hostibus nocendi sibi præbuerūt opportunitatē: imò è conuerso Galeas quas penes se habebāt, studio nō inferiore armantes, predictos malefactores suos, infecto negotio abeuntes, cursu celerrimo prosequētes, usque in Siciliam deuecti sunt. quò peruenientes, cum galeis octoginta urbem Syracusanā nobilem & antiquā, longa pace desidē, securam, et nihil tale uerentem, aggrediuntur subitò, & protinus occupant uiolenter. Impugnata autem urbe, ciues obtruncant gladijs, nemini parcentes sexus intuitu uel ætatis. quibus autem parcebatur, omni morte durior seruitus parabat. Porrò Episcopus loci cum paucis ecclesiæ clericis ad suburbana fugiens, uix euasit.

Tyri primus Latinorum constituitur Archiepiscopus. Caput XXIII.

VEre demum proximè subsecuto, quarto anno postquā ciuitas fidei restituta est Christianæ, Rex cum domino Patriarcha, & maioribus regni principibus apud Tyrum conuenientes, de pontifice eidem ecclesie ordinando cœperunt habere tractatum: tandemque dñm Vuilhelmum, uirum uenerabilem, ecclesiæ Dominici sepulchri priorem, natione Anglicū, uita & moribus cōmendabilem, eidem urbi præficiunt. Hic iam, nouit Dñs, non possumus fletus gemitus cohibere. nā sicut prouerbialiter dici solet, ubi amor, ibi oculus: ubi dolor, ibi manus: hæc nos premunt altius, & inflicto dolore, præcordia nō sinūt quiescere. Admirātes eñ illius tēporis prudentiā, hæremus in nobis ipsis quasi temeritatē reputantes. Nā qui biennio antequā prædicta ciuitas Christianæ restitueretur libertati, Episcopū sibi cōsecrauerant, ibi postmodū supina & crassa prudētia usque in quartū annū distulerunt eidē Antistitē prouidere, ut interim distractis ecclesijs, & Cathedrali ecclesia mēbris mutilata proprijs, qui primus accederet curā habēs regiminis, cū maledicto homine partē deteriorē acciperet. scriptū est eñ: Maledictus homo, qui partem suam deteriorē facit. Prædecessor tamen ille noster, & qui postea usque ad nos subsecuti sunt, illius maledicti merito declinātes effectū, qui nō ipsi nobis partes fecimus deteriores, sed deteriores factas ab alijs de necessitate suscepimus conditiones: parcat eis Dñs, & ad gehennā non imputet, qui ecclesiā ita tractauerunt. Porrò prædictus bonæ memoriæ predecessor noster D. Vuilhelmus, suscepto cōsecrationis suæ munere, à dño Hierosolymitano Patriarcha

ut pal-

ut pallium reciperet, inuito et renitente suo eodem consecratore Romã profe ctus est: ubi à dño Papa Honorio secundo benigne susceptus, quod petebat obtinuit, cum multa honorificentia: & de Apostolicarũ prosecutione literarum remissus ad propria, quarũ hic erat tenor. Honorius episcopus, seruus seruorũ Dei, uenerabilibus fratribus suffraganeis, episcopis, clero & populo Tyri, salutẽ & Apostolicã benedictionẽ. Venientẽ ad nos charissimũ fratrẽ nostrum Vuilhelmũ, Archiepiscopũ uestrũ, debita charitate recepimus: & quẽ canonice electũ, & à uenerabili fratre nostro Guaremũdo, Hierosolymitano Patriarcha consecratũ accepimus, pallij dignitate, plenitudine uidelicet pontificalis officij decorauimus. Quia uerò de persona sua maximũ fructum matri ecclesiæ uestræ Tyri, Diuina suffragãte misericordia credimus prouenturũ, ipsum cũ gratia sedis Apostolicæ, & nostrarũ literarũ prosecutione, ad uos duximus remittendũ. Vniuersitati ergò uestræ mandando præcipimus, quatenus eũ benigne recipiatis, & tanq̃ proprio Metropolitano, & animarum uestrarũ episcopo, subiectionẽ, obedientiã & reuerentiã humiliter deferatis. Honorius episcopus, seruus seruorũ Dei, uenerabili fratri Guaremundo Hierosolymitano Patriarchæ, salutẽ & Apostolicã benedictionem. Suscepti s fraternitatis tuæ literis, fratrẽ nostrum Guilhelmũ, quem in ecclesia Tyri cõsecrasti Archiepiscopũ, benigne suscepimus, & eum dignitate pallij, plenitudine uidelicet pontificalis officij, decorauimus. Suffraganeis etiã ecclesiæ suæ præcipimus, quatenus ei tanq̃ proprio Metropolitano, subiectionem et obedientiam deferant. Data in territorio Barensi, octauo Idus Iulij. Misit etiam & cum eodẽ Archiepiscopo, dñm Egidium Tusculanum episcopum, Apostolicæ sedis legatum (uirum eloquentẽ et literatũ admodum, cuius usq; hodie extant ad Antiochenos epistolæ ualde celebres) per quẽ Antiocheno Patriarchæ Bernhardo epistolam scripsit, mouẽs ut dño Tyrensi suos, quos detinebat, restitueret suffraganeos. ait eñ inter cætera: Vnde per Apostolica scripta, & per uenerabilem fratrẽ nostrum Egidium, Tusculanũ episcopum, apostolicæ sedis legatum tibi mandamus, quatenus suffraganeos Tyrensis ecclesiæ sibi restituas: quod nisi infra quadraginta dies, post earũ inspectionẽ literarum, quas ad eos direximus, debitã ei subiectionẽ exhibuerint, nos ex tunc eos ab officio episcopi suspendimus. Quid autẽ in caussa extiterit quod à Hierosolymitano cõsecratus & ei obediens fuerit, cum à tempore Apostolorum usq; ad eum diem Tyrensis ecclesia Antiochenæ sedi subdita dinoscatur, sequens competenti loco subiunctus edocebit tractatus.

Fulco Andegauensium Comes uocatus accedit, eiq; Melisendis primogenita Regis filia in uxorem datur. Caput XXIIII.

ANno sequenti circa ueris medium, uir illustris & magnificus, D. Fulco Andegauiensium Comes, pro quo Rex de communi tam ecclesiasticorum q̃ secularium principũ cõsilio miserat, ad hoc ut ei dominã Melisendã primogenitã suam uxorẽ daret, apud Acconensem urbẽ applicuit cũ honesto nobilium comitatu, & apparatu opes regias excedente. Venit etiã et cum eo D. Vuilhelmus de Buris, Regius Constabularius, qui statim à dño Rege, de hostium uinculis educto, ad citandum prædictũ Comitem, cum quibusdam alijs nobilibus directus fuerat. Fuerat autem abeunti datum in mandatis, ut

in animam Regis & regni principum cōfidenter iuraret, quod ex quo regnū sospes attingeret, intra quinquaginta dies, ei primogenita Regis filia cū spe regni post eius obitū, traderetur: cui postq; applicuit, statim sine dilatione, iuxta leges pactorū, ante sanctam Pentecostes in proximo suutræ celebritatē, prædictam filiam suā lege tradidit maritali, eisq; urbes geminas Tyrum & Ptolemaidam, in uita sua tradidit possidēdas, quas usq; ad eiusdē Regis obitum possederunt. Astitit autem prędictus Comes tanquam uir prouidus, & discretus, domino Regi in uita sua, fideliter in negotijs regni ingrediens et egrediens, filij deuotē implens officium: & ea quibus solent comparari amici merita, in obsequijs domini Regis, in eo non fuerunt ociosa.

Guaremundus Hierosolymorum Patriarcha moritur. Stephanus ei substituitur. Inter Regem & Patriarcham quæstiones oriuntur difficiles. Caput XXV.

EOdem anno D. Guaremundus bonæ memoriæ Hierosolymitanus Patriarcha, dum in pago Sydoniensi pręsidiū quoddā, cui Helhacer nomē, obsideretur, quòd à quibusdā detinebat pędonibus, mortis caussa collecta, ægritudine correptus ualida, Sydonē deportatus est: ubi inualescēte ægritudine, conditioni mortaliū satisfaciens, uiā uniuersæ carnis ingressus est, cum Hierosolymitanæ quasi annos decem præfuisset ecclesiæ. Cui substitutus est uir quidā secundum carnem nobilis, sed uita et moribus multo nobilior, Stephanus nomine, Abbas sancti Ioānis de Valea, qui locus in urbe Carnotensi habetur. Erat aūt ipse Carnotensis genere, dñi Regis Balduini consanguineus. Hic eiusdem ciuitatis, ante conuersionē suam, in equestri ordine & habitu fuerat Vicedñs: postmodū seculo renunciās, habitum religionis in prædicto claustro suscepit: demū suffragātibus meritis, ad regimen ecclesiæ eiusdem promotus est. In adolescentia liberalibus disciplinis cōuenienter instructus. Qui cum orationis gratia & deuotionis intuitu Hierosolymā uenisset, ibiq; transitū expectans, morā faceret, contigit quòd post exequias domini Guaremundi Patriarchæ, dū clerus & populus de substituendo pastore tractarēt, cōmuni omniū uoto electus est. Postq; ergo consecratus est, cœpit aduersus Regē quæstiones mouere difficiles, allegās, Ioppensem ciuitatē ad ius suū & ecclesiæ Dominicæ resurrectionis pertinere: ipsamq; sanctā ciuitatem post captam Ascalonā eodem modo ecclesiæ cessurā, de iure cōfirmans. Erat aūt homo magnificus, in proposito cōstans, honestæ conuersationis, iuris sui sollicitus persecutor. Vnde inter eum & dñm Regem graues exortæ sunt inimicitiæ: quarū tamen, mors immatura finem dicitur fecisse. nam non completo biennio, in fata concessit. Opinantur nonnulli, eum ueneno dato interijsse: sed nos pro certo id cōpertum non habemus. Tradit tamen, quòd dum in lecto supremę decubaret ægritudinis, & Rex ad eum uisitandum esset ingressus, & ab eodem de eius statu quæreret, ita responderit: Sic est nobis in præsenti, domine Rex, sicuti uultis.

Rex, Princeps Antiochenus, Comes Tripolitanus, fines Damascenorum ingrediuntur: sed confusi, exercitus parte amissa, redeunt. moritur Stephanus Patriarcha. Vuilhelmus ei substituitur. Caput XXVI.

ANno sequenti Hugo de Paganis, Magister militiæ Templi primus, & quidā alij uiri religiosi, qui à domino Rege, & alijs Regni principibus missi

missi fuerant ad occidẽtales principes, ut in nostrum subsidium populos excitarent, & ad obsidionem Damascenæ urbis, potẽtes specialiter inuitarent, reuersi sunt: plurimaq́ nobilium uirorum turba, uerborum illorum fidem secuti, in regnum uenerant, unde de eorum confisi uiribus & opera, ex condicto conuenerunt omnes Orientis principes Christiani, dominus uidelicet Rex Balduinus, D. Fulco, Comes Andegauẽsium, dominus Comes Tripolitanus, D. Boamundus iunior princeps Antiochenus, D. Ioscelinus senior Comes Edissanus: hi omnes cõmunicato cõsilio, collectis undiq́ copijs militaribus & subsidijs cõuocatis, instructis agminibus certatim properant, ut egregiam & nobilem Damascenorũ ciuitatẽ obsideant, atq́ uiolenter ad deditionem compellant, aut armis cõminus expugnẽt. Sed tantis conatibus ex occulto (iusto tamen iudicio) diuina occurrit prouidentia. nã cum fines Damascenorũ prosperis, Deo duce, adhuc successibus attigissent, peruenientes ad locum, qui dicitur Megesaphar, separauerũt se ab exercitu, inferioris manus homines, quibus in castris id solet esse officij, ut pro uictualibus necessarijs q́ tam ad usum hominum quàm iumentorũ alimentis, suburbana longè lateq́ uagantes se porrigerent. quibus ad custodiã datus est D. Vuilhelmus de Buris, cum equitibus mille. Porrò illi, sicut in talibus solet esse cõsuetudo, separati ab inuicem, omnem cœperũt regionem temerè perlustrare, studiosè seorsum & sine consortibus incedentes, ut quod quisq́ reperiret cæteris non cõmunicans, sibi propriũ uendicaret. dumq́ circa hęc detinerent̃ occupati, & suburbana effringẽtes spolia ad suos cõportare nituntur, imprudenter nimis cœperunt se habere, & militarẽ transgredi disciplinã. Quod audiens Damascenorũ princeps Doldequinus, sperans sicuti accidit, incautos eos, & locorũ ignaros, si subito cum suis irrueret, posse conficere, assumptis sibi ex omni numero suorũ expeditissimis, & re militari prudentioribus, subita congressione nostros qui pabulatũ, ut prædiximus, incautè processerãt, adorit̃: et imparatos, alijsq́ studijs dantes operã, facile uertit in fugã: dispersos sparsim per agros, obtruncat: nec insequi desistit, donec tam uulgus quàm robur egregiorum, qui eis ad custodiam deputati fuerant, in fugam cõuertit, plurĩbus ex eis interemptis. Quo cõperto, nostri qui in exercitu erant, ad tantam propulsandam iniuriam, & ad ultionem prosequendam parati, arma corripiunt, hostibus obuiam, uiriliter, obstinatis animis & indignatione nimia accensis, ire parant: cũ subitò uirtus Diuina (qua inuita, hominũ nõ satis promouẽtur negotia) tantã imbrium misit intemperiem, tantam aëris caliginẽ, tantam uiarũ, propter aquarũ abundantiam, difficultatẽ, ut uix de uita cuiquam (insolita aëris inclementia perurgente) sperare liceret. Caliginosus eñ aër & imbrium densitas, uentorum etiam irregularis concursus, tonitrua & coruscationes, idipsum multo antè significauerant. Sed ignara futuri mens hominum cæca, reuocantem non exaudiuit Diuinam longanimitatem: sed ea inuita, quod impossibile est, procedere nititur. Vidẽtesq́ pro peccatis eorum immissam aëris intemperiem, reuocant de necessitate propositum: & mutatis conditionibus, qui hostibus primum terribiles, nimiumq́ suspecti aduenerant, nunc hoste quieto & etiam superiore facto, sibi ipsis oneri erant, & ad propria redire uictoriam reputabant immensam. Igitur octauo Idus Decembris,

Decembris, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo tricesimo, regni domini Balduini duodecimo. accidit hoc, in eodem ferè loco, ubi quadriennio prius insignem & cunctis memorabilem de eisdem hostibus idem Rex obtinuerat palmam. Mirabile est, & uerè mirabile, & supra opiniones hominũ, quòd de sua uirtute præsumentes humilias æterne Saluator: & qui in homine confidunt, & carnem ponunt brachium suum, iaculo tuæ maledictionis meritis exigentibus confodis: adiutorẽ non quęrensn, ec gloriæ comparticipem. Tu enim dixisti, benedicte Domine: Gloriam meam alteri non dabo, mihi uindictam & ego retribuam. Percutiam & sanabo, & ego uiuere faciã, & non est qui de manu mea possit eruere. Et uerè Domine. nam dum Rex solis regni sui uiribus, & propria usus militia, superabundanti Diuinæ gratiæ se cõmisit totum, de hostibus sæpe insperatos reportauit triumphos: ubi uerò multitudine confidens, hominis opera se sublimari posse præsumpsit, multiplicatis auxilijs de mortalium cœpit uirtute cõfidere, gratiam subtrahens, eum suis conditionibus reliquisti. Abijt enim in multitudine confusus, qui in paucitate, Domini fretus auxilio, de hostibus facilè consueuerat triumphare. Sic ergo temporis diuinitus immissa abacti intemperie, & cœlis contra eos impugnantibus, nec de suis qui hostium gladijs reciderant sumpta est ultio, nec propositum effectui mancipare potuerunt. His ita gestis, nostri principes ab alterutro diuisi, impossibile credẽtes quod inceptum prius opus facilè posset de cætero continuari, ad propria sunt reuersi. Mortuus est interim piæ memoriæ dominus Stephanus, Patriarcha Hierosolymorum: cui successit dominus Vuilhelmus, prior ecclesiæ Dominici sepulchri, uir simplex, modicè literatus, forma decorus, moralitate commendabilis, Flamingus natione, de eo loco qui dicitur Mechlinia, Regi, regniq́ principibus & populo uniuerso multum acceptus.

Bosmundus Antiochenorum princeps, in Cilicia circa Mamistram occiditur: Rex Antiochiam properat. Bosmundi uxor patrem aduenientem tentat repellere: sed ciuium opera Regi traditur ciuitas, expulsa principissa. Caput XXVII.

POstquam igitur dominus Boamundus, regis gener, princeps Antiochenus, ab ea expeditione rediens in suam se recepit prouinciam, Rodoam maledictionis filius Alapię princeps, Turcorum dominator potentissimus, fines Antiochenorum ingressus est. Cui cùm dominus Princeps, uolẽs eum à suis arcere finibus, obuiam properasset, in Ciliciam descẽdit, alijs etiam tractus caussis, quæ domesticam & familiarem habebant rationem. Vbi cum in loco qui dicitur Pratum palliorum, in campestribus latè patentibus castrametatus est, hostium irruente subitò multitudine, suis eum destituẽtibus gladijs, cõfossus interijt. Magnus Princeps, & Deo si uixisset amabilis, nisi mors immatura et sors inuida humanis eum subtraxisset rebus: quo casu populus Antiochenus mente plurimũ consternatus, qui sub illius regimine tutum per longa tempora se arbitrabatur posse cõseruari, & de eius adolescentia supra id quàm expediret pręsumebat, in recidiuas iterum incidentes querimonias, ut sine principis officio iterum hostibus præda fierent, communicato consilio regem Hierosolymorum uocant. Quod postq; dño Regi nunciatum est, facti nouitate permotus, timẽs ne præ ducis defectu prædictæ regioni

gioni deterius aliquid contingeret, dimissis proprijs cœpit aliena curare nil reputans à se alienum, quod Christianis principibus accidisset: dignū etiam existimans sua sollicitudine, quicquid populo Christiano per labores suos posse uideretur accedere, citatis gressibus Antiochiā properat. Interea eius filia morte mariti cognita, nequam agitata spiritu, rem cōcipit nephariā, antequam quicquam de aduentu patris præsentisceret. Vt statum sibi præpararet tranquilliorem, & effectui manciparet propositum, ad quendam Turcorum potentissimum Ducem, nomine Sanginū, nuncios dirigit, eius opera sperans inuitis patribus & uniuersa plebe Antiochiam sibi in perpetuum uendicare posse. Erat autem eidem ex domino Boamundo bonę memoriæ, unica filia, cuius non multa apud matrem uidebatur esse gratia: illuc enim tota matris properabat intentio, ut uel in uiduitate cōsistens, uel ad secunda uota demigrans, principatum exhæredata filia, perpetuò possideret. Miserat autem & prædicto nobili uiro, per quendam familiarem suum, palefredum albissimum, argento ferratum, freno & cæteris argenteis phaleris redimitum, exametho coopertum albissimo, ut in omnibus candor niueus consonaret: qui nuncius in itinere casu interceptus, & in domini Regis constitutus præsentia, facti seriem confessus, uiarum suarum fructus colligens, supremo supplicio uitam finiuit. Rex Antiochiam ob prædicta quæ acciderant infortunia properans, illucq; perueniens in ciuitatē, filia prohibente, non est admissus. cauteriatam enim timens conscientiam, etiam patris arbitriū uerebatur. suis ergo complicibus, & quos pecunia corruperat ciuitatem tradens, omnino resistere moliebatur, & tyrannidem suam liberius exercere. Sed accidit longè secus à proposito. nam in eadem ciuitate erant uiri timentes Deum, insanientis fœminę contemnentes proteruiam: quorum unus erat Petrus Latinator, monachus sancti Pauli, & Vuilhelmus de Aduersa. Hi consortibus alijs, dominum Regem occultis uocant internuncijs, et ex condicto dominū Fulconem, Andegauensium Comitem, in porta Ducis locant: dominum uerò Comitem Ioscelinū, in porta sancti Pauli. deinde adytis reseratis, Regem introducūt. Quo cognito, principissa in arcem cōtendit, unde postmodum à prudentioribus & quibus plenam fidem habebat euocata, ante patris præsentiam se constituit, eius arbitrio paritura. Pater uerò, licet pro cōmisso grauiorem aduersus eam indignationis motum conceperat, tamen interuenientium prece deuictus, & paterno non destitutus affectu, recepta Antiochia, ne filia simile aliquando attentaret, Laodiceam & Gabulum urbes maritimas ei concessit, quas tamē maritus supremo iudicio ei ob donationem propter nuptias destinauerat. Ordinatis igit̄ illius ciuitatis negotijs & cura principibus concessa, reuocante eum domestica sollicitudine, Hierosolymam reuersus est: sumptis tamē prius, tam maiorum quàm minorum fidelitatibus, & corporaliter iuramentis: quod uel eo uiuente, uel post eius obitum Antiochiam cum suis pertinentijs, Constantiæ pupillæ, domini Boamundi iunioris filiæ, fideliter conseruarent. Verebatur enim propriæ filiæ suæ malitiam, ne prædictam pupillam tentaret, sicut & prius fecerat, exhæredem facere.

Rex Hierosolymam reuertitur, ualida correptus ægritudine moritur, cum alijs regibus in ecclesia Dominici sepulchri tumulatur. Caput XXVIII.

REuersus ergo Hierosolymam, decidit in grauem nimis ægritudinem, uidensq; sibi mortis imminere diem, egressus de proprio palatio, supplex & humilis in conspectu Domini, Regio statu deposito, in domū domini Patriarchæ, quia loco Dominicæ resurrectionis erat uicinior, se trāsferri præcepit: spem habens in eo, qui mortem ibi deuicerat, quod suæ resurrectionis faceret eum participem. Ibiq; accitis filia & genero, puéroq; Balduino iam bimulo, coram positis domino Patriarcha, & ecclesiarum prælatis, & de principibus nonnullis, qui forte aderant, regni curam & plenam eis tradidit potestatem, more pij principis paterna ei benedictione indulta. Ipse uerò Christi uerus confessor, habitum religionis assumens, et uitam regularem professus, si uiueret, ei qui spirituum pater est, tradidit spiritum: cum pijs principibus, auctore Domino, premia percepturus. Mortuus est autē anno ab incarnatione Domini, millesimo centesimo tricesimo primo, regni uerò eius tertio decimo, mense Augusto, uicesima prima die mensis. sepultus est autē inter predecessores suos piè recordationis reges, sub monte Caluarię, ante locum qui dicitur Golgotha, multa suorum cura & solennibus obsequijs, regia dignis magnificentia. Cuius usq; in præsentem diem ab egregiam fidem & opera insignia, memoria est in benedictione apud omnes.

LIBER DECIMVSQVARTVS.

Quibus moribus & quibus maioribus editus dominus Fulco, tertius Hierosolymorum Rex. Caput I.



Ocato igitur ex hac luce domino Balduino, Hierosolymorū & Latino rege secundo, qui cognominatus est de Burgo, successit in regno dominus Fulco gener eius, Comes Turonensium, Cænomannensium & Andegauensium, cui prędictus dominus Rex filiam suam primogenitā Melisendam nomine dederat uxorem, ut præmisimus. Erat autem idem Fulco uir ruffus, sed instar Dauid, quem inuenit Dominus iuxta cor suum, fidelis, mansuetus, & contra leges illius coloris affabilis, benignus, & misericors. in operibus pietatis et eleemosynarum largitione liberalis admodū, secundum carnem princeps potens & apud suos fœlicissimus: priusquam etiam ad regni uocaretur gubernacula, rei experientissimus, & in bellicis sudoribus patiens & prouidus plurimum, statura mediocri, sed iam grandæuus, & plus quàm sexagesimum agens annum. Inter alios quos lege mortalitatis patiebatur defectus, fluidam & labilem habebat memoriā, ut suorum domesticorum etiam nō teneret nomina, nec uultus nisi paucorū agnosceret, ita ut de eo cui paulo antè supremum impenderat honorem, & familiaritatis gratiam, diligēter postmodum quęreret, quis nam esset, si ex improuiso se præsentem daret. Vnde multos de eius familiaritate præsumentes, ad confusionem cōpulit, cum ipsi alijs se defensores dare proposuerant, & ipsi patrono apud eum indigerent. Pater huius, Turonensium & Andegauensium Comes, Fulco etiam dictus est, &

est,& cognominatus Rechin, qui uxorem duxit sororē domini Amalrici de Numsait,nomine Berteleam: unde duos suscepit filios, Fulconem istum, de quo nobis est sermo, & Ganfredū Martel: & filiam unam, Hermingerdam nomine,quę prius fuit uxor Pictauiensium comitis Vuilhelmi:à quo spreta, & contra matrimonij leges abiecta,ad comitem Britanniæ se cōtulit,eiq; affectione adhæsit maritali: ex quibus natus est Conanus, eiusdem Britanniæ comes,qui cognominatus est Grossus. His ergo tribus liberis apud prædictum Fulconem seniorem editis,mater spreto marito, ad regem Francorum Philippum se cōtulit:qui etiam abiecta uxore sua legitima,eam suscepit thori participem,curarum sociam, & eam affectione postea tractans maritali,contra leges ecclesiasticas, inuitis, & multum renitentibus regni eius episcopis, simul & principibus,apud se detinuit. ex eaq; suscepit filios Florum, Philippum,& Ceciliam,de qua superius fecimus mentionem: quę prius Tancredi Antiochenorum principis uxor fuit, postmodum eo defuncto, D. Pontio Tripolitano Comiti,uotis usa secundis,adhæsit. Præfatus uerò Fulco,senioris Fulconis filius, patre iam defuncto, uxorem duxit filiam comitis Conomannensium Helię,Guiburgem nomine:ex qua suscepit duos filios,& filias totidē. Huius autē matrimonij fuit causa mater. nam dum ibi adolescens in curia comitis Pictauiensium domini sui pincernæ fungeretur officio,audita fratris primogeniti morte,ab eodem comite captus est,& uinculis mancipatus, occasione quorundā castellorum,quę ab eo contēdebat uiolēter eripere, quę pater eius & frater in finibus prædicti comitis iure hęreditario, sed de feudo prędicti comitis diu possederāt. Quod audiens mater,quę iam ab eius patre multo antè diuerterat,& ad D. Francorum regē se cōtulerat, maternis mota uisceribus,apud D.regem supplex implorauit & obtinuit, quod filius eius à uinculis absolutus,paternę restitueretur hæreditati.insuper etiā effecit,ut suprà nominati comitis Helię unicā filiam,cum eius omni hęreditate,D.rex eius filio uxorē concederet:ex qua,ut prędiximus,duos filios genuit,& filias in eodem numero.Primogeniti nomen fuit Ganfredus,qui patri successit in eodē Comitatu:cui senior Henricus, rex Anglorū potētissimus,filiam unicā Mahaldam nomine, D. Henrici Romanorum imperatoris uiduā, uxorē dedit. ex qua idem Ganfredus tres suscepit filios: Henricum,qui nūc Anglię regnū prudenter administrat: & Gaufridum,qui cognominatus est Plantagenest: & Guillhelmum, qui dictus est cognomento Longaspata. Nomen uerò secundi,eiusdem D.Fulconis filij,materni aui nomen referentis,Helias:cui Totaldus Comes Bergensis filiam suam unicam uxorem dedit, spōdens, quod si de cætero uxorē non duceret,omnem hæreditatē suam cum omni integritate in eum moriens translaturus esset. Pactorū tamē immemor,& promissorum prodigus,duxit uxorem, sororē Comitis Patritij, nobilis de Anglia uiri.ex qua plures suscepit liberos:unde prædictus Helias ab eius hæreditate contra spem factus est alienus.Nomina autem filiarum alterius:Sibylla, quę inclito & nobili uiro D.Theoderico Flandrensiū Comiti nupsit, ex quibus ortus est Philippus,qui hodie Flandrensium procurat comitatum. Nomen secundæ Mathildis, quæ prædicti Anglorum regis Henrici filio desponsata fuerat:sed antequam conuenirent,sponsus in Angliam nauigans, naufragiū

D passus

passus, pelago submersus est. Eius uerò sponsa, perpetuum uouens cœlibatum, in claustro puellarum religioso admodum, apud Fontem Ebrandi, sanctimonialem perpetuò uitam duxit.

Quod antequam uocaretur à domino Balduino rege, causa peregrinationis Hierosolymam uenerat: & de eius in regem promotione. Caput II.

PRædictus igitur Fulco uxore defuncta, Hierosolymā deuotionis gratia, priusq̃ à D. rege uocaret, petierat: ubi magnificè plurimū in Dei seruitio se habens, populi uniuersi gratiā & domini Regis, & uniuersorū principum familiaritatē plurimā, meritis exigētibus acquisiuit. quippe qui centum equites per annum integrū in regno suis habuit impēsis: tandē sospes ad propria regressus, filias nuptui, filios aūt matrimonio collocās, Comitatum suū optimo statu cōposuit: dumq̃ strennuè & prudēter annos aliquot post suum reditum suis incumbit negotijs, ecce D. Rex Hierosolymorum de successione sollicitus, uidelicet apud quē primogenitā suam nuptui collocaret, post multam deliberationem, de cōmuni uniuersorū principum cōsilio, sed & de populi fauore, quosdā de principibus suis, dñm uidelicet Vuilhelmū de Buris, dñm Guidonē Brisebarre, ad prædictū dirigit Comitē, inuitans eum ad filiæ nuptias & regni successionē. qui cōpositis rebus et ordinato Comitatu, data benedictione liberis suis, assumens sibi de honestis proceribus suis, iter ueniendi ad dñi Regis uocationem arripuit. cui postq̃ in regnū ingressus est, statim intra paucos dies, sicut ex pacto tenebat, primogenitā suam, ei matrimonio copulauit: conferens eidem dotis nomine, duas ciuitates maritimas, Tyrū et Ptolemaidā. quas quidē triennio possidens, continuò Comes sicut antè uocabatur. Defuncto igitur domino Rege, undecimo Cal. septembris, anno ab incarnatione Dñi, M. C X X X I. idem Comes cum prędicta uxore, octauo décimo Cal. Octobris in die exaltationis sanctæ Crucis, in ecclesia Dominici sepulchri, à domino Vuilhelmo, bonæ memoriæ Hierosolymorum patriarcha, solenniter & ex more coronatus & consecratus est.

Senior Ioscelinus Edissanorum Comes, æger in lectica hostibus occurrit, & obtenta uictoria carne soluitur: & de filio eius Ioscelino. Caput III.

PEr idem tempus D. Ioscelinus Comes Edissanus, longa ægritudine fatigatus, lecto decubans, mortis imminentem expectabat diem. Ceciderat enim anno proximè præterito circa partes Alapiæ, super eum turris ex crudis lateribus cōpacta: quam cum hostibus in ea inclusis facilius caperet, suffodi fecerat, suffossa subitò corruens, incautū oppresserat: unde eum sui cum multo labore, quasi sepultū & contritis artubus, uix eruerunt. quo languore multo tempore maceratus, adhuc egredi nitentem detinebat animam. cum ecce nuncius aduolans, Soldanum Iconiensem obsedisse quoddam eius castrum, cui nomē Cressum, nunciat. Quo audito, uir magnanimus, sicuti erat corpore debilis & prorsus impotens, sed mente ualidus, filium præcepit ad se iterum euocari, iniungēs ei, ut sumpta secum militia regionis illius uniuersa, hosti suprà nominato uiriliter occurreret, & locum patris suppleat impotentis. Ille uerò obijciens, quòd prædictus Soldanus in graui multitudine diceretur aduenire, respectu tantarum uirium paucos se habere, cœpit se excusare: unde Pater, pensata pusillanimitate filij, & ex eo uerbo qualis futurus

esset colligens, militares præcepit conuocari copias, & populū regionis uniuersum. Quibus paratis, sibi parari lecticam mandat: et in eam ascendens, hostibus occurrit, doloris oblitus & impotentiæ. in qua cum aliquantulum cum exercitu processisset, nunciat ei unus de magnatibus regionis, Ganfridus, cognomento Monachus, Soldanū audito eius aduentu, obsidionem à castro dimouisse prędicto, & iter ad reditum maturasse. Quo audito comes, lecticam qua gestabatur, ad terram deponi iussit, et erectis in cœlū manibus, & deuoto spiritu, Domino cum suspirijs & fletu gratias agens, quod in nouissimis suis eū ita benignè misericors Dominus tanta gratia uisitasset, quod semineci s, & in ipsis mortis uestibulis cōstitutus, adhuc hostibus Christianæ fidei esset formidabilis, in gratiarumactionibus ultimum cœlo tradidit spiritum, relicto filio æquiuoco suo, sed à paterna gloria degenere plurimum, & eodem uniuersorū bonorū ex asse hærede instituto. Fuit aūt idem Ioscelinus iunior, ex sorore Leuonis Armenij, uiri inter suos potētissimi, natus: pusillus statura, sed mēbris plenioribus, robustus ualde, carne & capillo niger, faciē habēs latā, sed è morbo qui uulgò uariola dicit, cicatricibus respersam: oculis tumentibus, naso prominente, uir liberalis, & militaribus actionibus cōspicuus: sed cōmessationibus & ebrietatib. supra modū deditus, uenereis operibus, & carnis deseruiens immunditijs, usq; ad infamiæ notam. Hic nobilem corpore, sed moribus nobiliorem, Vuilhelmi de Sauona uiduam, nomine Beatricem, uxorem duxit: ex qua filium tertium Ioscelinum suscepit: & filiā, quę prius uxor fuit Rainaldi de Mares, postea D. Almarici comitis Ioppensis, qui postea fuit Hierosolymorum rex. Vnde natus est Balduinus Hierosolymorum rex sextus, & Sibylla soror eius. Hic autem, ut in inferioribus dicetur, ignominia & peccatis suis exigentibus, uniuersam regionem, quam pater suus congruo rexerat moderamine, perdidit.

Rex uocatur ab Antiochenis: & malicia principissæ aperitur. Caput IIII.

ANno igitur primo domini Fulconis, cum esset tam ciuitas, quàm tota regio Antiochena principis destituta solatio (mortuus em̄ fuerat ante dominum regem dominus Boamundus iunior, unica filia hærede relicta) timentes magnates illius regionis, ne protectoris defectu prouincia illa hostiū pateret insidijs, dominum regem ad se uocant, ut partium illarum curam gereret, & omnia ad suam reuocaret sollicitudinem. Vxor enim principis prędefuncti, D. regis Balduini filia, dominæ Melissendis soror, mulier callida supra modum, & maliciosa nimis, quosdam habebat suorū cōmentorum fautores, quibus cooperantibus, circa principatum malignari studebat: uolens uniuersam regionem, filia quam ex marito susceperat, exhęrede facta, uendicare, & sic demum obtento principatu, pro arbitrio suo ad secunda uota migrare. Pater autem eius dum uiueret, statim defuncto marito, hæc eadē machinantem industriè satis præuenerat: & eam ui eiectam ab Antiochia, iusserat esse contentam eo, quod maritus nomine donationis propter nuptias in eam cōtulerat, duabus uidelicet urbibus maritimis, Gabulo & Laodicea. Illa porrò patre defuncto, putans congruam inuenisse se opportunitatem, ad prius conceptum iterum aspirabat propositum. Horum autem studiorum complices munerū largitione, & promissis amplioribus, quosdam potenti-

ores effecerat, Vuillhelmũ uidelicet de Sehunna, Garentoris fratrẽ, & Pontium comitem Tripolitanum, necnon & Iofcelinum iuniorem Ediffanũ comitem. Quod timentes regionis illius magnates, ftudio quo poterant, eius impijs moliminibus obuiam fe dare nitebantur. Vnde & dominum regem (ut præmifimus) eo citauerant intuitu, ut in his eum haberent adiutorem, & regioni rectoris folatium non deeffet.

Properante Rege Antiochiam, comes Tripolitanus fe opponit: fed à Rege deuincitur. Res Antiochena in tuto collocatur. Caput V.

AVdita igitur Antiochenorum legatione, & fuper regionis illius turba quàm periculofa nimis, metuebat: motus D. rex, uehemẽter ad illorum uocationẽ properans, ufq; Berythum peruenit. Sed comite Tripolitano per terras fuas illi tranfitum prohibẽte, affumpto fibi Anshelmo de Bria, nobili uiro, & fideli fuo, ufque ad portum fancti Symeonis nauigio peruenit: ubi ei occurrentes nobiles & potentes Antiochenorũ proceres, in urbem eum introduxerunt, eius imperio fubijcientes uniuerfam regionẽ. Comes aũt Tripolitanus, licet D. regis fororẽ haberet uxorẽ, ut fæpe dictum eft, tamen feftinus poft regem, ad partes fe contulit Antiochenas, ut gratia Principiffæ, cuius muneribus corruptus dicebaẽ, eius actibus fe exponeret. Habebat autem idem comes in partibus illis duo caftra, Arcitanũ uidelicet, & Rugiam, quæ pro uxore poffidebat. Dederat eñ ei D. Tancredus piæ in Chrifto recordationis moriens uxori, caufa donationis propter nuptias. Hæc comes armis cõmuniens & militia, cœpit inde D. regem & fuos moleftare. Quod Antiocheni ęgrè nimis ferentes, regẽ perfuafionib. impellunt, ut illi occurrens, eius fumptuofos refrenaret impetus. Qui eorum uerbis acquiefcens, memor iniuriarũ quas ueniens eo tranfitũ prohibente pertulerat, illuc cum omnib. quas habere potuit copijs, contendit. Factum eft autẽ, quod circa prænominatam Rugiã conuenientes, inftructis utrinq; aciebus, hoftiliter cõmitterent, & diu ancipiti euentu congrederenẽ adinuicẽ. Tandẽ rex factus fuperior, comitem cũ fuis in fugã uertit: & cõfectis agminib. multos de eius cepit militia, et coniectos in uincula Antiochiam perduxit: tandẽ per uiros induftrios & fideles pacis interpretes, recõciliatis adinuicẽ rege & comite: refignatis comiti quos rex ceperat de fuis militibus, regionis ftatus in meliorẽ uideẽ deueniffe conditionẽ. Timentes tamen illius prouincię prudentiores, ne D. rege ad propria uerfo, inteftinis regio cõcuteret̃ feditionib. & fic hoftib. amplior ad nocendũ patẽret occafio, regẽ profufis orãt precibus, quatenus morã apud eos faceret longiorẽ. Rex autẽ cõfiderans per Dñi mifericordiã regnũ fuum in tuto collocatum, plena tranquillitate gaudere: & eam in qua erat, rectoris plurimũ indigere patrocinio regionẽ, benignè annuit, & tam urbẽ q; adiacentia cõmuni procerũ cõfilio cõgruo moderamine difponẽs, quantã rebus proprijs & exactam magis, ut ad optimũ ftatũ cuncta proueheret, impẽdebat follicitudinẽ. Vnde omniũ gratiã ciuiũ, & etiã principũ, qui in fidelitatis perfeuerabant debito, fibi comparauerat debito cumulatiorẽ. Collocatis itaq; eorum in tuto rebus, & negocijs ordine congruo difpofitis, cum iam per tempus aliquot, prout neceffitas eorum uidebaẽ exigere, moram feciffet neceffariã, reuocãte eum domefticorum cura, reuerfus eft in regnum: cura principatus nobili & induftrio uiro Raynaldo, cognomento Manfuer, commiffa.

Iterum ab Antiochenis Rex euocatur. Sanguinus in finibus Tripolitanis castrum quoddam obsidet: Rex sororis interuentu, obsidionem soluit. Caput VI.

PRocedente autem tempore, dum idem rex in regni à Deo sibi cōmissi uiriliter desudaret necessitatibus, & Marthę more, circa frequēs ministeriū eius negocia sedula prouisione percurreret, adest nuncius ex parte Antiochenorum, referens infinitā Turcorū manū è sinu Persico, & uniuerso Orientali tractu, flumine magno Euphrate trāsmisso, circa partes Antiochenas in multitudine graui cōsedisse. Quo audito, de statu sibi cōmissi principatus, et salute in eo degentiū, plurimū anxius: coq; maximè, quia omnē spem suam in eo proscesserāt: nihilominus etiā & inde sollicitus, quod prouerbialiter dici solet,

Nunc tua res agitur, paries cum proximus ardet,

Intelligens finitimorū defectum in suū redundare periculū, decernens fratribus auxilio indigentib. subsidia ministrare, opus esse honestū: accitis sibi de regno uniuerso equitū peditumq; auxilijs, ad iter accingit, illuc cum omni celeritate contendens: dumq; in proficiscendo cum suis agminib. Sydonem usq; peruenisset, ecce soror eius, domina Cecilia Comitissa, Pontij Tripolitani comitis uxor, flebilia nunciat, dicens: Sanguinum Alapię principē, Turcorum potentissimum satrapam, in multitudine uirtutis suæ, in pręsidio quodam suo, cui Mons Ferrandus nomen, maritum suum obsedisse. Orat ergo, & urgentissima instantia, femineo more, rogat, quatenus cæteris ad tempus dilatis, quæ non tantam exigerent diligentiam, negocijs, marito in angustijs posito maturè subueniat. Cuius nimia rex motus instantia, dilato ad modicum priore cæpto, illuc dirigit acies, assumptis de comitatu nōnullis, qui relicti fuerant de comitis expeditione militibus. Audiens igit Sanguinus, D. regem ad soluendā obsidionē properare: habito cum suis consilio, quid utilius uideret, obsidionem gratis soluit, cum suis legionib. ad propria reuersus.

Rex Antiochiā properat: qui cōuenerant, in fugā uertuntur, hostiū spolijs ditantur Antiocheni. Cap. VII.

HAc itaq;, domino Comite interim expedito, Rex sollicitudine liber, ad cœptum redit opus, & Antiochiam, sicut prius proposuerat, maturatis festinat itineribus. Accidit ergò eius aduentu, quod Antiocheni ei obuiam exeuntes, cum omni gaudio tantum hospitē excipiunt, spem habentes, quòd per eius industriam hostium, qui aduenire dicebantur, uiolentiam tolerare possent sine periculo. Non enim multum proficere consueuit, licet ingens fuerit sine duce multitudo: et cohortes numerosę sine rectore, quasi arena sine calce uix solent sibi cohærere. Nunciat interea consonantibus rumoribus & fama celeberrima, quod hi qui Euphratē trāsijsse in manu robusta, et apparatu copioso nimis dicebant, adiunctis sibi quos circa fluuiū, locorum peritis, inuenerant, in finibus Alapiæ castra locauerant, regionē totā improuisis incursionibus depopulaturi. Conuenerant porrò ex omnibus conterminis finib. in locum unum, cui nomen est Canestrinū, unde collecta omni multitudine, consilio eorum qui locorū habebant peritiā, ex improuiso per omnē prouinciam irruptiones facturi: quo cōperto, D. rex cōuocatis ex omni principatu militaribus copijs, cum suis quos secum habebat familiaribus, egressus Antiochia, circa castrum Arenæ castrametatus, substitit prudentis more (quia male cuncta ministrat impetus) per dies aliquot, ut hostes qui maiores dicebantur habere copias, suos pugna lacesserent, aut alio quouis modo conce-

ptum aperirent propositū. Videns aūt quod nihil tale molirentur, sed secum in castris moram quietā agerent, adhuc fortasse maiora præstolantes suffragia, irruit super eos repente: & incautos reperiens, antequā arma possent corripere, gladijs instat, perforat lances. uix paucis conceditur equorum beneficio, ceteris interemptis fuga, mortem euadere. Relictis igit̃ castris omni commoditate & uaria suppellectile repletis, cæsisq; ex eis innumeris, & quasi ad tria milia, uictores nostri, hostium spolijs usq; ad fastidium onusti, et iam plura nolentes, equos, mancipia, armenta, greges, tentoria, omne genus prædæ & manubiarum omnimodam uarietatem secum trahētes, Antiochiam cum summa lætitia & trophæorum insignibus reuersi sunt. Ex tunc cœpit dominus Rex, omnium Antiochenorum indifferenter, tam procerum quàm popularium corda plenius recōciliata & omnium habere fauorem. Nam prius occasione principissæ, cui domini Regis ingrata & suspecta præsentia, quidā de maioribus ei fuerant aduersi, fauentes principissæ intuitu munerum, quæ illa profusa largiebatur munificentia.

Hierosolymitanus Patriarcha & Regni principes præsidium fundant, ualde necessarium, cui nomen castrum Arnaldi. Caput VIII.

INterea dum dominus Rex in partibus Antiochenis ita detineretur occupatus, & illius regionis negotia ad suam reuocaret sollicitudinem, tanquā propria, quousque sibi de communi consilio princeps ordinaretur, nostri qui in regno remanserant, dominus uidelicet Patriarcha & ciues Hierosolymitæ, in domino habentes fiduciam, collectis in unum uiribus, iuxta locum antiquissimum, Nobe, qui hodie uulgari appellatione dicitur Bettemuble, in descensu montium, in primis auspicijs campestrium, uia qua itur Liddam, & qua peruenitur ad mare, præsidium solido fundant opere, ad tutelam transeuntium peregrinorum: ibi enim in faucibus montium inter angustias ineuitabiles, maximum iter agentibus solebat imminere periculum, Ascalonitis subitas irruptiones illic facere consuetis. Consummato itaq; fœliciter opere, nomen indicunt, Castellum Arnaldi locum dicentes. factumq; est per gratiam Domini & prædicti castelli beneficium, quod adire uolentibus Hierosolymam, aut ab ea redire, minus periculosus factus est trāsitus, & uia multo securior.

De Regis consilio mittitur ad Raymundum, Pictauiensium Comitis filium, qui Constantiam Boamundi filiam ducat uxorem. Caput IX.

ADepta itaq; Rex tam insigni uictoria, Antiocheni principatus pro libero arbitrio disponens negotia, clarus habebatur admodum, duorum regnorum moderamina, Diuina prouisione sortitus, & in utroq; prosperis affluens, populum cum plena tranquillitate tuebatur. Accedentes porrò ad eum illius regionis primores, specialiter autem quibus domino Boamundo, principi iam defuncto, & filiæ eius adhuc pupillæ fidelitatem obseruare cordi erat, dominum Regem familiariter adeunt, orantes intimè, ut qui plenius nobilium uirorum & illustrium adolescentium, in partibus ultramontanis habebat notitiam, eos edoceret, quē de tot principibus euocarēt, apud quem domini sui filiam, bonorum paternorum hæredem, nuptui commodius collocarent. Qui gratanter suscipiens uerbum, & fidem simul & sollicitudinem

tudinem commendans eorum, in partes cum eis huius deliberationis ingressus, transcursis plurimis, de communi omnium consilio placuit, ut nobilis quidam & præcipuæ indolis adolescens, Raymundus nomine, domini Vuilhelmi, Pictauiensiũ Comitis filius, ad hoc uocaretur. Is in Curia domini Henrici senioris, Anglorum regis, apud quem arma sumpserat militaria, moram facere dicebatur, domino Vuilhelmo fratre eius primogenito Aquitaniam iure hæreditario gubernante. Libratis ergo deliberationis partibus, id expedientius esse arbitrati, legatos occultè dirigunt, Geraldum quẽdam cognomẽto Zebertum, fratrem Hospitalis, cum literis domini Patriarchę, & procerum uniuersorum: timentes ne si solenniter & per maiores citaret personas, principissa (sicut erat mulier malitiosa) nimis impedimenta moliretur. Erat enim cuiuis ei impedire aduentum facile. nam Rogerius tunc Apuliæ Dux, postmodũ autem Rex, Antiochiam cum omnibus pertinentijs suis, quasi iure sibi debitam, hæreditario, tanquam domino Boamundo cõsanguineo suo uolens succedere, uendicabat. Robertus enim Guiscardus, Boamundi senioris pater, & Rogerius Siciliæ Comes, qui cognominatus est Bursa, huius Rogerij regis pater, fratres fuerunt ex utroq; parente. Iunior autem Boamundus, senioris filius, fuit pater istius adolescentulæ, ad cuius nuptias prædictus adolescens Raymundus inuitabatur. Oportebat igitur cautè illum euocari, ne comperto eius aduẽtu, aut ui, aut insidijs eius æmuli præpedirent accessum. His igitur dispositis, D. Rex, prosequente eum uniuersorum gratia, ad partes Hierosolymitanas se contulit.

Bernhardus Antiochenus Patriarcha moritur. Radulphus Mamistanus archiepiscopus ei succedit, cum tumultu. Caput X.

PEr idem tempus, Bernhardus bonæ memoriæ, uir grandæuus plurimum, simplex ac timens Deum, primus Latinorum apud Antiochiam Patriarcha, tricesimosexto sui pontificatus anno, uiã uniuersæ carnis ingressus est. Post cuius obitum, cum uniuersi illius amplissimæ sedis suffraganei, tam archiepiscopi quàm episcopi de more conuenissent, ut ecclesiæ pastoris destitutæ solatio, utiliter prouiderent, & super eo ipso tam salubri negotio in palatio patriarchali, diligentiores, mutuo (sicut in talibus fieri solet) haberentur tractatus, Radulphus quidam Mamistanus Archiepiscopus, de castro Damfrunt oriundus, quod in confinio Normanniæ & Cœnomanensis diœceseos situm est, uir militaris, magnificus, & liberalis plurimum, plebi & equestri admodum acceptus ordini, absq; fratrum & Coëpiscoporum conscientia, solo populi ut dicitur suffragio electus est, & in cathedram principis Apostolorũ inthronisatus. Quod audientes qui ad hoc, ut sibi Patriarcham auctore Domino præficerent, conuenerant, timentes furentis & uociferantis populi indiscretos impetus, diuisi sunt ab inuicem, ei quem non elegerant, obedientiã exhibere recusantes. Ille tamen nihilominus ecclesiã & palatium occupãs, statim sine mora palliũ de altari beati Petri, nulla ad ecclesiam Romanã habita reuerẽtia, sibi assumpsit. Processu quoq; tẽporis, nonnullos de suffraganeis ecclesiæ in suã attraxit cõmunionem. Et ut multorum relatione cognouimus, si Canonicorum ecclesię pacem amplexus fuisset, nec eorum turbare possessiones spiritu superbiæ ductus pręsumpsisset, potuisset

tranquillo statu uitã ibi transegisse. Sed quia uerũ est, quod prouerbialiter dici solet, Difficile est ut bono claudant̃ fine, quę malo sunt inchoata principio: peccatis suis exigentibus, præ multitudine diuitiarum ita factus est insolens, & neminem prę se ducens hominẽ, ut potius Antiochi, quàm Petri uel Ignatij successorẽ se exhiberet. Maiores enim ecclesiæ alios uiolenter eiecit, alios uinculis & carceri, quasi capitaliũ reos mancipauit. Inter quos quẽdã Arnulphum nomine, Calabrũ natione, uirũ utiq; nobilẽ & literatũ, item Lambertum miræ simplicitatis hominẽ & honestę cõuersationis, literatum, etiã eiusdem ecclesiæ Archidiaconũ, in quodã præsidio tanq; uiros sanguinum, in diuersorum calce plenũ detrusit in carcerẽ, dicẽs: eos in mortẽ suã conspirasse, & per multos dies afflixit. hæc & ijs similia, in subditos effera mente pertractãs, uniuersorũ in se prouocabat odium. Vixq; inter familiares et domesticos, prauæ stimulis cõscientiæ agitatus, tutus ei uidebat̃ locus. Sed de ijs hactenus. nã in sequẽtibus tẽpore opportuno de eius exitu, suo loco dicemus.

Papa Honorius uita decessit, substituitur ei Innocentius, oritur scisma periculosum. Guilhelmus Tyrensis Archiepiscopus carne migrat. Fulcherius ei substituitur. Romam proficiscitur, pallium petit & obtinet. Caput XI.

DVm hęc in Oriente gerunt̃, D. Honorius Papa, extremũ diẽ claudens, fatale debitum soluit. dumq; in substituendo ei successore inter Cardinales tractaret̃, diuisa sunt eorũ desideria: ita quod nõ ualentes in idem consonare, sub cõtentione duos elegerũt, Gregoriũ uidelicet Diaconũ sancti Angeli, quẽ consecrantes uocauerũt Innocentiũ, et Petrũ qui cognominatus est Leonis, presbyterũ Cardinalẽ, tituli sanctæ Mariæ Trãstyberim, quæ dicit̃ Fundens oleum, quẽ etiã cõsecrantes, qui eum elegerant, Anacletũ uocauerunt. Ortum est igit̃ scisma periculosum nimis, ita ut nõ solũ quæ intra urbẽ erant periclitarent̃ ecclesiæ, & populus mutua cede periret, uerumetiã pene orbis concuteret̃ uniuersus, regnaq; diuersis accẽsa studijs inter se colliderent̃. Obtinuit tandẽ post multos labores & pericula D. Innocentius, prædicto Petro papatus æmulo prius uita defungente. Per eosdẽ dies migrauit ad dñm carnis onere deposito, prædictus noster prędecessor Vuilhelmus, primus Latinorũ Tyrensiũ archiepiscopus, post urbis liberationẽ. Nam dum adhuc ab hostibus detineret̃, ordinatus fuerat ad titulũ eiusdem ecclesiæ quidã Vdo, qui ante eiusdẽ liberationẽ uita discesserat, ut præmissum est: cui substitutus est D. Fulcherus bonæ memorię Aquitanicus, uir religiosus ac timens Deũ, modice literatus, sed cõstans & amator disciplinę. Hic apud suos Abbas extiterat Canonicorũ regulariũ, in Monasterio cui Cella nomẽ. sed postmodũ tempore prædicti scismatis, quod inter dñm Innocentium papã, & Petrũ Petri Leonis filium exortũ est, fauẽs prædicto Petro, Gerardus Engolismensis episcopus Apostolicæ sedis Legatus, alij parti præstãtes assensum, molestijs quàm plurimis fatigabat. Quod uir uitæ uenerabilis nõ ferens, sumpta licentia à fratribus, orationis gratia Hierosolymã uenit, tandẽq; in claustro ecclesiæ Dominici sepulchri regularẽ uitam & assiduitatẽ professus, ad ecclesiam Tyrensem uocatus est. Rexit autẽ eandem ecclesiam strennuè & fœliciter annis duodecim, quartus ante nos, qui nunc eidem ecclesię nõ electione meriti, sed sola Domini dignatione & patientia præsidemus. Qui postq; à domino

Hieroso-

Hierosolymitano Patriarcha Vuilhelmo, suæ munus cōsecrationis accepit, exemplo prædecessoris sui uolens ad ecclesiā Romanā pro obtinendo pallio properare, ab eodem Patriarcha & eius cōplicibus passus est insidias & uiolentiam, ita ut uix & cum multa difficultate manus eorū posset effugere, & ad ecclesiam Romanam pro caussa prędicta peruenire, sicut ex tenore literarum domini Papæ Innocentij manifeste deprehenditur. Ait enim: Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Guilhelmo Hierosolymitano Patriarchæ, salutem & Apostolicā benedictionē. Magisterium totius ecclesiæ & ecclesiasticæ institutionis beato Petro Apostolo principi, coelesti priuilegio esse collocatum, euangelica declarat auctoritas. Et infra: Miramur autem, quoniam cum Romana ecclesia pro liberatione Orientalis ecclesiæ tantopere laborauerit, & filiorū multorum sanguinē effundendo, corda tam ecclesiasticorum quàm secularium ad eius seruitium excitauerit, nequaquam, prout conuenit, eidem matri suæ hac uice respondere curasti. parum enim tibi uisum fuerat, quod uenerabilem fratrem nostrū Guilhelmum Tyrensem Archiepiscopum more prædecessorum suorum pro susceptione pallij ad Romanam ecclesiam uenientem, disturbare præsumpseris, ubi te erga eum à nobis redeuntem inhumanū difficilemq́, & nimis asperum exhibueris, adeò quod nec antequā dignitatem Tyrensis ecclesiæ sibi restituere, nec de damnis sibi illatis, aut etiam de Caiapha, siue Porphyra, iuxta mandatum nostrum infra tres menses, post acceptionem nostrarum literarū & iustitiam facere uolueris: cum utiq; satis indignum sit, ut honor qui sibi, si ei obediret, ab Antiochena exhiberetur ecclesia, à te uel tuis successoribus subtrahetur. Præterea in subiectos illius nimis potestatiuè diceris te habere. Quocirca auctoritate Apostolica mandando præcipimus, sicut eiusdem matris suæ pijs optas studijs atq; solatijs consoueri, sicut in tuis necessitatibus eius patrocinijs desideras adiuuari, iam dictum Archiepiscopum diligas & honores, & in nullo perturbare præsumas: quin potius de omnibus, de quibus apud te querimoniam deposuerit, sibi plenā iustitiam intra quadraginta dies, postq; presentia scripta susceperis, exhibere nō differas, nec aliquid in subditos suos contra statuta Canonū præsumas. Alioquin timendū tibi erit, ne tam ipsum quàm suffraganeos suos à tua obedientia subtrahamus, eosq; intra manus nostras retineamus. Data quindecimo Cal. Ianuarij.

Præcipit Romana ecclesia, ut idem obediat Hierosolymitano Pontifici, & eum locū obtineat apud eum, quem prius obtinuerat apud Antiochenos. Caput XII.

Reuersus ab ecclesia Romana, mandatū accepit, ut quousq; deliberaret, utri duorū Patriarcharū perpetuò cederet, interim sicuti & prędecessori eius dictū fuerat, Hierosolymitano obediret: eamq; dignitatē in Hierosolymitana obtineret ecclesia, quam eius prædecessores in Antiochena, quā diu ei obedierūt, obtinuerūt. Certū est aūt, quod inter tredecim Archiepiscopos qui à diebus Apostolorū sedi Antiochenæ subditi fuerūt, Tyrensis quidem primū locum obtinuit, ita ut mortuo Patriarcha Antiocheno, Protothronos Tyrensis appellaretur: sicuti in catalogo Pontificū suffraganeorum, qui ad ecclesiam Antiochenam respiciunt, continetur. In quo sic legitur:

Sedes prima Tyrus. sub qua sede sunt episcopatus XIIII.

Porphyreon
Archis
Ptolemais
Sydon
Sarepta
Byblium
Botrion
Ortosia
Arados
Antarados
Paneas
Maraclea Araclia
Tripolis.

Sedes secunda Tharsus. sub hac sede sunt episcopatus V.

Sebastia
Mallos
Thina
Choricos
Poderados.

Sedes tertia Edissa. sub hac sede sunt episcopatus X.

Virchi
Constantia
Capron
Marcopolis
Varnon
Cedmaron
Himeria
Querquensia
Tapsaron
Celimeos.

Sedes quarta Apamia. sub qua sede sunt episcopatus VII.

Epiphania
Seleuconuilla
Larissa
Valanea
Mariania
Ruphania
Arethusa.

Sedes quinta Hierapolis. sub qua sunt episcopatus VIII.

Zeuma
Surron
Varnalis
Neocæsaria
Perri
Ormion
Dolichi
Europi.

Sedes sexta Bostra. sub qua sede sunt episcopatus XIX.

Cerasson
Philadelphia
Adraon
Midanon
Anstamidon
Belmindon
Zoroyma
Herry
Iceny
Eutimij
Constantia
Paramboli
Dionysia
Conohaton
Maximopolis
Philippolis
Chrisopolis
Heylon
Lorea.

Sedes septima Anauarzà. sub qua sede sunt episcopatus IX.

Epiphania
Alexandris
Hirenopolis
Cambrisopolis
Flauias
Rossas
Castraualet
Egnas
Sysia.

Sedes octaua Seleucia. sub hac sede sunt episcopatus XXIIII.

Claudiopolis
Diocæsarea
Oropi
Dalysanidos
Seriula
Celenderis
Anemory
Titopolis
Lamosy
Antiochia parua
Nephelia
Ristra
Selinuntis
Hioropy
Philadelphia parua
Hermopolis
Germanicopolis
Mosoda
Demenopolis
Sbydi
Synopolis
Adrasson
Myim
Neapolis.

Sedes nona Damascus. sub hac sede sunt episcopatus XI.

Ably
Palimpon
Laodicia
Euria
Renocora
Hiabanda
Danabi
Carathea
Hardam
Surra
Quint.

Sedes de-

Sedes decima Amida. sub hac sede sunt episcopatus VII.
Hynilon
Valentium
Arsamosata
Sophin
Caytaris
Ryphi
Zeuma.
Sedes undecima Sergiopolis, sub hac sede sunt episcopatus IIII.
Bizanonias
Marcopolis
Venethal
Ermenia.
Sedes duodecima Theodosiopolis. sub qua sunt episcopatus VII.
Oricos
Maznimi
Mauriocastron
Agyamaria
Axieri
Tarosia
Palitinios.
Sedes decimatertia Emissa. sub hac sede sunt episcopatus IIII.
Arqui
Orisson
Herigem
Oragison.
Metropolitani per se sustinentes VIII.
Piericus
Heliopolis
Laodicia
Samosata
Cyros
Pompeiopolis
Mopsphestia
Adama.
Archiepiscopi duodecim.
Verea
Calquis
Gabula
Selcucia
Piperia
Anasar
Phon
Paltos
Germanicia
Salamias
Varcosos
Fassos
Ananagarthon.

At iuxta traditiones ueterum, & quædã etiam scripta, quæ auctoritatem habent non modicam apud Palęstinos, & maximè Græcos, Hierosolymitana ecclesia, usq; ad tempora Iustiniani sanctæ recordationis Augusti, episcopum habuit, nulla uel modica dignitatis prærogatiua gaudentem. Tempore uerò prædicti Deo dilecti principis, congregata est Synodus generalis apud Constantinopolim, tempore domini Vigilij papæ, Eutychij Constantinopolitani, Apollinarij Alexãdrini, Pauli Antiocheni, Eustochij Hierosolymitani patriarcharum, super tribus capitulis: uidelicet scriptis Theodoreti Cyri: item scriptis Theodori Mopsphestiæ episcoporum: & epistolæ Hybeæ ad Marim Persam. In qua Synodo post alias ecclesias Dei necessarias institutiones, quas pro tempore promulgandas decreuerat sanctorũ Patrum, qui ad eum conuenerant, auctoritas, prædictã Deo amabilem honorare ecclesiam, & eius episcopo locum inter Patriarchas dare, communi sanxit uoluntate, reuerentiam exhibens Sanctæ Resurrectioni. Et quoniam prædicta Dei cultrix ciuitas, quasi in limite Alexandrini & Antiocheni patriarchatuũ erat, nec haberet unde illi urbes ordinaret suffraganeas, nisi utriq; patriarchę aliquid detraherẽt, uisum est expedire, ab utroq; aliquid decerpere, ut eidem iuxta formam aliorum patriarchatuum ordinarẽt subiectos. Subtraxerunt ergo Antiocheno Cæsariensem & Scythopolitanum metropolitanos: Alexandrino uerò, Rabensem & Berythensem, item metropolitanos. Et quoniã iterum eundem patriarcham oportebat habere præter supradictos metropolitanos, familiares suffraganeos, quos græci Cancellos uocant, subtraxerunt prædictis metropolitanis quosdam episcopos, & quosdã de nouo creauerunt, usq; ad uigesimumquintũ. quorum urbium numerũ & nomina subiunximus, computatis prius metropolitanis & eorum suffraganeis. Est autem ordo talis:

Sedes prima Cæsarea maritima. sub hac sede sunt episcopatus XX.
Dora
Antipatrida
Iamnias
Nicopolis
Onus
Sorutis
Raphias
Regium Apatos
Regium Hierico
Regium Liuas
Regium Gadaron
Azolus
Hiaralias
Azotus
Hippum
Bstomason
Triconias
Taxus
Saltum
Constantinianum.

Sedes secunda Scythopolis. sub hac sede sunt episcopatus IX.
Capitoliados
Miru
Gadaron
Pelon
Philippus
Terraconias
Clima
Gallanis
Comanas.

Sedes tertia Rubba Moabitis. sub hac sede sunt episcopatus. XII.
Augustopolis
Arnidilla
Carah
Hierapolis
Memfidos
Eluris
Zora
Virossam
Pentacomia
Mamapson
Mitrotomias
Saltum Hieraticon.

Sedes quarta Becerra Arabiæ. sub hac sunt episcopatus XXXV.
Adrasson
Dias
Medauon
Hierasson
Nein
Philadelphia
Hierapolis
Esuos
Neapolis
Phenustus
Philopopolis
Dionysius
Constantianis
Pentacomias
Tricomias
Conafados
Saltu Vocaneos
Hexacomias
Euacomias
Comogannas
Comogeros
Comostanis
Comis
Mahederon
Comocoreatos
Comis copion
Comis Iulianos
Comis Pygmarethō
Comis Petius
Comis Anathon
Comis Neotis
Clima Anatolis que uisinon
Comis Anochis
Comis Traliconos
Comis Nephdomos

Suffraganeæ.
Lidda
Ioppe
Ascalon
Gaza
Mennas
Diocletianopolis
Bergrobin
Neapolis
Sebastea
Hiericuntos
Tyberiadis
Diocæsarea
Legionum
Capitolina
Mauronensis
Gedera
Nazareth
Thabor
Caraca, uel Petra
Hadroga
Aphra
Helem
Faran
Helenopolis
Mons Syna.

Quod ergo primum locum inter suffraganeos Hierosolymitanæ ecclesiæ obtineret, quodq; de solo domini Papæ mandato eidē obediat ecclesiæ Tyrensis Archiepiscopus, ex rescripto literarum domini Innocentij, ad eundem Vuilhelmum Hierosolymitanum Patriarcham directarum, manifeste colligitur. quod sic habet: Innocentius episcopus, seruus seruorum Dei, Vuilhelmo Hierosolymitano Patriarchæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto munificentia supernæ benignitatis, Hierosolymitanā ecclesiam tuis temporibus altius sublimauit, tanto magis expedit personā tuā erga fratres suos

suos humaniorē existere, & eos qui tibi obedientiam exhibent, charitate mutua honorare. Proinde fraternitati tuæ mandamus, quatenus uenerabilē fratrem nostrū Vuilhelmum Tyrensem archiepiscopum, qui ex mandato sanctæ Romanæ ecclesię tibi obedit, fraterni amoris intuitu diligas & honores: sollicitè prouidens, ne sibi grauamen aliquod inferas, uel sub obtentu huiuscemodi subiectionis, quæ utiq; ex beneficētia Apostolicæ sedis, tibi & ecclesiæ Hierosolymitanę impenditur, Tyrensis ecclesia nobilis & famosa, suæ iustitiæ aut dignitatis patiaẗ aliquod detrimentum. Indignum est enim, ut honor qui sibi, si ei obediret, ab Antiochia exhiberetur, à te uel tuis successorib. subtrahatur. Datum Albani, decimosexto Augusti.

Mandatur eius suffraganeis, ut ei obediant, & ad hoc plures diriguntur epistolæ. Caput XIII.

Redeunti igitur, licet cum molestia, restituti sunt ei de suffraganeis eius, qui in manu Hierosolymitani patriarchæ usq; ad illam diem fuerāt: Acconensis, Sydonensis, & Berythensis. reliquos autem, id est, Biblitanum, Tripolitanum, Antaradensem, qui alios episcopatus eiusdem ecclesiæ, in manu sua uelut proprios possidebant, Antiochenus patriarcha uiolēter detinebat, eam solam prætendens occasionem, quod ei nō obediret, nō quod ad eius iurisdictionem eos respicere denegaret: quod ne fieret, sed ad matrē suam Tyrensem ecclesiam redirent, idem dominus Innocentius papa præceperat, scribens tam prædictis episcopis quàm Antiocheno patriarchę, in hunc modū: Innocentius episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Gerardo Tripolitano, R. Tortosano, & H. Biblitano episcopis salutem, & apostolicam benedictionem. Scire debet uestra fraternitas, quoniam status ecclesiæ tunc magis clarescit, cum gradus in ea constituti illæsi seruantur: & quæ debetur prælatis singulis, absque contentione seu contradictione, reuerentia exhibetur. Vnumquemq; etiam ex his qui sibi subiecti sunt, considerare conuenit, quanta suos prelatos, si quos habet, reuerētia & honorificentia debeat honorare. quod si iniustè et immeritò subtrahanẗ, unitatis status profectò nutabit, ad quem ecclesiastica doctrina ob maiorem firmitatē diligenti consideratione omnia in se ordinando reduxit. Ne igitur ecclesiarum uestrarum honor uel dignitas ob contentionem seu rebellionem indebitam minuatur, uel annulletur, per Apostolica uobis scripta mandamus atq; precipimus, quatenus uenerabili fratri nostro Fulcherio, Tyrensi episcopo, tanquam metropolitano uestro, debitam obedientiam & reuerentiam deferatis. Nos enim uos & ecclesias uestras, Tyrēsi ecclesiæ, quę uestra metropolis est, autoritate Apostolica restituimus, & à iuramento uel fidelitate, qua patriarchæ Antiocheno estis astricti, eodem modo absoluimus. Si uerò nostris mandatis obedire, & intra tres menses post harum acceptionem literarum, ad obedientiā prędicti fratris nostri redire neglexeritis, sententiam quam ipse in uos canonicè promulgabit, nos autore Deo, ratam habebimus. Datū Laterani, decimosexto Cal. Februarij. Ne autem ab Antiocheno patriarcha, qui eos diu detinuerat, & uir erat potentior, præpediret domini Papæ iussionem exequi, scripsit eidem patriarchę: Innocentius episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Rudulpho Antiocheno patriarchæ, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sanctorum Canonum institutionibus continetur, ut unusquisque

ſuis terminis contentus exiſtat, nec in aliena iura irrepat. Ea etiam quæ nobis fieri nolumus, tam diuinis quàm humanis legibus, proximis noſtris facere prohibemur. Quæ cum ita ſint, fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſuffraganeos Tyrenſis eccleſię non impedias: quin uenerabili fratri noſtro Fulcherio archiepiſcopo, metropolitano ſuo, debitam obedientiam & reuerentiam deferant. alioquin Canonicis ſanctionib. contradicit, ſi metropolitanis à ſuis ſuffraganeis obedientia ſubtrahatur. Optamus enim, ut circa prælatos & ſubditos ſuum ius, & proprior ordo abſq; contradictione ſeruetur. Datum Laterani, decimoſexto Calēd. Februarij. Nec ſolum his ita ſcripſit dominus Papa, uerumetiam et illis, qui à patriarcha Hieroſolymitano detenti fuerant: qui eius timore, mandatis Apoſtolicis obedire detrectabant, eodem modo pręcipiens iniunxit, ut omni occaſione poſtpoſita, domino Tyrenſi obedientiam exhiberent, in hunc modum: Innocentius epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus Balduino Berycenſi, Bernhardo Sydonēſi, Ioanni Ptolemaidenſi epiſcopis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad hoc ſancti patres diuerſos eſſe in eccleſia gradus & ordines uoluerūt, ut dum ſubiectionem & reuerentiam minores maioribus exhibent, una fieret ex diuerſitate connexio, & rectè gereretur officiorum adminiſtratio ſingulorū. Grauat autem nos, & ualde miramur, quòd cum uobis iampridē literis Apoſtolicis præcepimus, ut uenerabili fratri noſtro Fulcherio Tyrenſi archiepiſcopo, metropolitano ueſtro, obedientiam & reuerentiam exhiberetis, quaſdam occaſiones & interpretationes minus idoneas prætendendo, id facere contempſiſtis: cum utiq; quaſi peccatum ariolandi ſit repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Mandamus itaq; uobis, & autoritate Apoſtolica iteratò præcipimus, quatenus omni occaſione ſubmota, eidem fratri noſtro de cætero pareatis: nec ſub obtentu obedientiæ, quam alicui priuato impenditis, ſibi ſubiectionem et reuerentiam metropolitano ueſtro debitam aliquatenus ſubtrahatis. Quod ſi contemptores ulterius extiteritis, ſentētiam quam idē archiepiſcopus in uos canonicè protulit, aut protulerit, nos autore Domino, ratam habebimus. Si uerò pro eo quòd eidem fratri noſtro obedieritis, à patriarcha Hieroſolymitano aliquid cōtra uos fuerit conſtitutum, nos eandem ſententiam uiribus carere decernimus, & nullius momenti eſſe cenſemus. Datæ Laterani, decimoſexto Calend. Februarij.

Aperitur unde & ex qua cauſa hæc inter duos Patriarchas orta ſit controuerſia: & qua ratione ſe quiſq; tueatur. Capu XIIII.

NE autem in admirationem cuiquam ueniat, quod cum prius Tyrenſem archiepiſcopum quatuordecim de iure ſuffraganeos habere diximus, dominus autem papa non niſi ſex ſcribat: ſciendum eſt, quod Paneadenſis ciuitas, quæ & Cæſarea Philippi, nondum habebat epiſcopum, & iſti ſex reliquos detinebant epiſcopatus. Sydonienſis enim detinebat, ſicut & nunc etiam detinet, Sareptanum. Tripolitanus uerò Botrienſem, Archenſem, Orthoſianem. Antaradenſis uerò, qui & Tortoſanus dicit̄, Aradienſem, & Maracleenſem. Ex his autem ſex Antiochenus patriarcha tres ſibi habebat obedientes, Antaradenſem uidelicet, Tripolitanum, & Biblienſem. Captis enim prędictis urbibus, in eis conſecrauit epiſcopos, ea intentione, ut Tyrenſi metropoli

tropoli

archiepiſcopo iuxta priſca conſtituta ſibi debitam exhibente obedientiam, ipſe eas ſine difficultate ciuitates in comitatu Tripolitano conſecraret, unde (domino Rege nō impediente) liberius hoc poterat facere Antiochenus Patriarcha: in reliquis autem tribus, Berytho, Sydone & Ptolemaida, quæ eſt Accon, dominus Hieroſolymitanus Patriarcha cōſecrauit epiſcopos tali intentione, ut capta urbe Tyrenſium, & ibi per eundem Archiepiſcopo conſecrato, eos ſibi reſtitueret. præſumebat enim, ut contra priſcam cōſuetudinem Tyrenſis aliquando ei deberet obedire, fiduciam habēs in literis domini Papæ Paſchalis, quibus domino Balduino, primo Hieroſolymorū regi, & domino Gibelino, tertio Hieroſolymorum Patriarchæ, conceſſiſſe uidebatur, quod quaſcunque ciuitates dominus Rex aut eius exercitus acquiſierāt iam, uel acquiſituri erant, omnium eorum epiſcopi Hieroſolymitano patriarchæ ſubiacerent: ſicut præmiſſum eſt, cum de regno Balduini, Hieroſolymorum Regis primi tractaremus. Sic igitur uniuerſa Tyrenſi prouincia, antequam ipſa metropolis expediretur, expedita, prædicti duo Patriarchæ diœceſim inter ſe diuiſerunt: & quod extra regnum erat, ab eo loco qui dicitur Paſſus pagani, inferius, Antiochena habuit & habet eccleſia: quod uerò circa eſt & intra regni fines cōtinetur, Hieroſolymitanus poſſedit Patriarcha. Tandem uerò urbe Tyrenſi per Domini miſericordiam liberata, poſt annum ab eius liberatione quartum, Hieroſolymitanus ibi, ut prædiximus, conſecrauit Archiepiſcopum, & eos quos detinebat ſibi reſtituit ſuffraganeos. Cum medio tempore, dum eam in propria cura Hieroſolymitanus haberet Patriarcha, ita attenuata eſt, & ad nihilum redacta, ut etiam de eccleſijs quæ intra ambitum eiuſdem ciuitatis erant, non niſi unam futuro reſeruarent Archiepiſcopo. factumque eſt, ſicuti uulgari prouerbio dici ſolet, ut petentibus & immeritis, de alieno corio fierēt larga corrigia. contendunt etiam uſque hodie, de noſtris uiſceribus prædicti duo Domini, in noſtram iniuriam fortes, de noſtra paupertate fieri locupletiores, & diſtractis membris, quorum integritate à diebus antiquis, à temporibus Apoſtolorum, conſentientibus ſanctis & uniuerſalibus ſeptem Synodis, longè lateque fluxerat, lacera iacet, & ſuis potioribus mutilata membris expectat conſolationem, & non eſt qui conſoletur eam: porrigit manum, & non eſt qui adiuuet. facti ſumus ſimiles illis de quibus dicitur,

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Satiantur de noſtris carnibus, quibus utinam contingat aliquando ad uomitū. Huius tamen tanti cauſſam mali Romanæ non immeritò imputamus eccleſiæ: quæ dum Hieroſolymitano nos præcipit obedire, ab Antiocheno indebitè nos patitur decurtari. nos enim ſi noſtra nobis reſtitueretur integritas, prono animo, ſicuti ſumus filij obedientiæ, alterutri illorum parati eſſemus ſine cōtradictione, ſine moleſtia, ſubeſſe. Nemini autem alienum uideatur à noſtro propoſito, qui profeſſi ſumus hiſtoriam cōſcribere, quod de noſtræ ſtatu eccleſiæ hæc interſeruimus. nec enim decet nos aliena tractare, & noſtrorum immemores fieri negotiorum. Sicut enim prouerbialiter dici ſolet: Male orat, qui ſui obliuiſcitur. Sed nunc ad hiſtoriam redeamus.

Comes Ioppensis apud regem incusatur, & grandis in regno excitatur tumultus. Cap. XV.

REuerso itaque domino rege à partibus, ut praemisimus, Antiochenis, ecce iterum turba periculosa nimis suboritur. Nam ex causis quibusdā, quidam in dominum regem, de maioribus regni principibus cōiurasse dicunt, Hugo uidelicet comes Ioppensis, & Romanus de Padio, dominus regionis illius quae est trans Iordanem. Quod ut euidentius pateat, altius aliquantulū repetenda est historia. Tempore domini Balduini de Burgo, qui hunc Fulconem praecesserat in regno, nobilis quidam uir, & apud suos potens, Hugo de Pusato, de episcopatu Aurelianensi, cum uxore Mamilia, filia domini Hugonis Cholet, comitis de Rhuti orationis gratia Hierosolymam petens, filiū habuit in Apulia. Vxor enim eius grauida, iter arripuerat: quem, quoniam tenellus erat nimium, & cum salute non poterat deportari, ibi dimisit apud dominum Boamundum consanguineum suum, & transfretans ad dominū regem Balduinum, item eidem secundum carnē propinquum, uenit. cui rex statim post introitū suum, ciuitatem Ioppen, cum pertinentijs suis, sibi & haeredibus suis, iure hęreditario dedit habendam: ubi nō multo pôst, prędictus nobilis homo, uitam morte finiuit. Cuius uxorem cum prędicta urbe D. rex cuidam iterum nobili uiro, comiti uidelicet Alberto, fratri comitis de Namurc, uiri potētissimi de imperio, de episcopatu Leodicensi, concessit. Cum autem uterque intra modicum tempus decessisset uita, tam comes praedictus, quàm uxor eius: Hugo prędictus, qui puer in Apulia remanserat, iam pubes factus, patris haereditatem, more parentū, ad se iure haereditario deuolutum, à D. rege petijt, & impetrauit: qua obtenta, dominam Emelotam, Arnulphi patriarchae neptē, & magnifici uiri domini Eustachij Gener uiduam, duxit uxorē. ex qua praedictus D. Eustachius filios susceperat geminos, Eustachiū iuniorem, urbis Sidonieñ. dominum, et Galterum, qui Cęsareae praefuit. Defuncto autem D. Balduino, dominoque Fulcone in regno sublimato, contigit inter eundem D. Regem, Comitemque pręnominatum, ex causis occultis graues oriri simultates. Dicebatur à nonnullis, quod D. Rex suspectum nimis haberet Comitem, ne cum domina regina familiaria nimis misceret colloquia: cuius rei multa uidebantur extare argumenta. unde & maritali zelo succensus, inexorabile odium aduersus eum dicebatur cōcepisse. Erat tamen idem Comes adolescēs, corpore procerus, & decorus forma, actib. insignis militaribus, gratiosus in oculis omnium, in quem naturae dona plena liberalitate cōuenissent, ita ut in regno uel corporis elegantia, uel generositatis titulo, uel rei militaris experientia, nullum procul dubio haberet parem: dominę quoque reginae ex parte patris secundum carnem ualde proximus. eorū enim patres consobrini fuerant, ijdem duarū sororū filij. Quidam autē uerbū huiusmodi palliare uolentes, dicebāt id solum odiorum fuisse fomitē, quod comes quasi arrogans, & de se plus ęquo pręsumens, D. regi nolebat more aliorum regni principum subijci, & eius denegabat ceruicose nimis imperijs obedire.

Galterus Caesariensis comitē ad duellū prouocat. ille se ad hostes confert: à suis destituitur. Caput XVI.

EXurgens interea Galterus Cęsariensis, eiusdē comitis priuignus, uir toto corpore elegantissimus, uirib. insignis, aetate integer, à D. rege, ubi curia erat frequētissima, euocatus: publicè, et more accusatoris obijcit comiti, quòd maiestatis

maiestatis crimine reus erat:et quod contra D.regis salutē,cum quibusdā factionis eiusdē cōplicibus, contra bonos mores,& cōtra nostrorū disciplinā temporum cōspirasset. Comes uerò inficiatus crimen,seipsum obtulit,quod iudiciū Curiæ super obiectis, tanquam in hac parte innocēs,paratus erat subire. His ita se habentib.uerbis,de cōsuetudine Francorum, decernitur inter eos pugna singularis,& ad exequēdam pugnam dies competens designatur. Comes uerò soluta curia,Ioppen reuersus, dubium est an ueritus conscientiā, & obiecti criminis reum se cognoscens,an curiā habēs suspectā,ad præfixam diætā præsentē se nō exhibuit:unde maiorē obiecti criminis incurrit,etiā apud fautores suos,suspicionē. Curia uerò,& procerū cōuentus eius attendentes contumaciā,eum licet absentē,tanquam obiecti criminis reū condēnauerunt. Quod comes intelligēs,rem est aggressus usque ad illā diem inauditā, odio populi & omni indignatione dignā, Ascalonā enim urbē, & nomini Christiano inuisam,& hostibus familiarē nostris,nauigio properans,cōtra D.regem ab hostibus imploraturus ingressus est. Illi uerò uidentes nostra intestina prælia, & domesticas seditiones, suis incrementis accedere ; & nostrorum esse causam periculorum,gratuitum impendunt assensum:sumptisque ab eo obsidibus,et pactis hincinde redactis ad consonantiā,Ioppen reuersus est. Porrò Ascalonitæ pertinaci in nos & obstinato odio ducti, & de cōmuni fœdere & gratia facti securiores,solito proteruius, & magis cōfidenter fines nostros inuadentes,liberis discursibus,nemine prohibente,prædā agentes usque ad Arsur, quæ alio nomine dicitur Antipatrida,currere nō timuerūt. Quod audiens rex, conuocatis de uniuerso regno militaribus copijs, & populi immensitate multa, Ioppen obsedit. hoc uidentes quidam de fidelib.eius,qui cum eo erāt in eadē urbe,Baltanus uidelicet senior, & quidam alij domini, timentes quod ita in præceps ire decreuerat Comes,& quod fideliū & amicorū salutaribus suorū monitis, ab incepto pernicioso reuocari non poterat, sed causas pertinaciter amplioris tractare periculi nō uereretur,relinquentes quæ ab eo habebāt beneficia,meliores partes secuti,ad D.regem se contulerunt.

Ciuitate Ioppensi à rege obsessa,regni principes de pace tractant. Paneas interim ab hostibus capitur. Caput XVII.

INterea dominus patriarcha Vuilhelmus,uir mitissimus,& pacis amator: & quidam de regni principibus,uidētes intestina hæc prælia, regno nimis esse periculosa,attendentes illud Euangelicum: Omne regnum in se diuisum desolabitur,& domus supra domum cadet: timentes sicut meritò timere poterant, ne hac occasione hostibus Christiani nominis damni inferēdi maior daretur occasio & opportunitas, medios se constituunt, & de bono pacis inter D.regem,& sæpe dictum comitē conantur utiles inuenire tractatus. Tandem uerò post multas altercationes,sicut in huiusmodi fieri solet,placet pacis compositoribus,ut pro bono pacis, & ut domino regi aliquid amplioris impenderetur honoris,comes per triennium extra regnū fieret : quo peracto, cum domino regis gratia in regnum iterum sine calumnia , quam pro eodem negocio de cætero pateretur,cum suis quos eduxerat ei liceret introire. Interim uerò de redditibus possessionum suarum omne eius debitum, & quod undecunque contraxerat æs alienum,persolueretur. Per idem tempus,dum domino

minus Rex circa Ioppen esset occupatus, & dominus Raynerius cognomine Brus, cum alijs regni principibus ibidem morã faceret, ciuitas Paneadensis, à Tegel melud Damascenorum rege obsessa, antequã Rex obsessis ministrare posset, quod cum multa instantia procurabat, subsidium, uiolenter effracta, in manus deuenit hostium. Captis quoq; ciuibus, et qui in ea erant stipendiarijs, tam equitum quàm peditum ordinibus, uxor prędicti nobilis & strennui uiri cum alijs transmigrationem passa est captiua.

Comes Ioppensis apud Hierosolymam malitiose uulneratur, fit tumultus iterum: sed recepta cõualescentia, ex condicto mare transit. Caput XVIII.

INterea Comes Ioppensis transitũ exspectans, dum Hierosolymis ut consueuerat moram faceret, accidit quod in eo uico, qui dicitur Pelliparioṝ, ante meritorium unius negotiatorũ, Alpham nomine, dum super mensam eius alea luderet, quidam miles natione Brito, super Comitem nihil tale uerentem, sed pro ludo sollicitum, ex improuiso educẽs gladium, uultum eius, ei nimis hostiliter confodit uulneribus, in facie uniuersorum instantium. Fit ergo repentinus statim populorum concursus, & ciuitas omnis, audita facti acerbitate immanissimi, concussa est & infremuit uehementer. Sermo publicè unus in omnium ore uertebatur, non sine regis conscientia hoc fieri potuisse, nec maleficum nisi de regis fauore confisum, talia præsumpsisse moliri. spargitur per uulgus uniuersum, Comitem innocentem, iniustas pati calumnias, & Regem odij quod aduersus eum gratis, & præter merita Comitis, conceperat, nimis euidens argumentum dedisse. Accessit itaq; comiti plebis, fauor & gratia popularis: & quicquid ei obiectum fuerat, totum de malitia processisse uidebatur. Quod sanè postquam domino Regi compertum innotuerat, uolens factum purgare, & se constituere manifestis indicijs innocentem, maleficum iubet iudicio sisti, & pro cõmisso flagitio, omnibus notorio, nec accusatoribus nec testibus indigente, ubi iuris ordo non erat necessarius, dignam pro meritis præcipit reportare sententiã. Conuocata igitur Curia, de communi consensu, prædictus sicarius, mutilationis membrorum iudicatur subire discrimen. Quod postquam regi nunciatum est, executioni præcipit mandari sententiã, eo solo excepto, ne lingua inter mutilanda membra computetur: illam excepit, ne fortè diceretur studiosè factum, ut illi amputaretur lingua, ne se missum à Rege, & rei ueritatẽ posset confiteri. In quo planè facto, prudenter nimis suę Rex præuidit existimationi, multumq; conceptam aduersus se compescuit indignationem. nam ab illo, neq; secreto neque publicè, uel ante uel post membrorum dispendiũ potuit extorqueri, de domini Regis mandato uel conscientia ad illud tam enorme factum processisse, sed de proprio motu, sperans in eo se domini Regis gratiam promereri posse, id tale præsumpsisse fatebatur. Comes autem curę proprij corporis habendæ gratia, & caussa procurandæ salutis morã faciens, recepta ad plenum conualescentia, mœstus plurimum, tum pro illata recenter iniuria, tum quia per loca incognita mendicare, propria hęreditate extorris, compelleretur, iuxta condictum regno egressus, in Apuliam se contulit: ubi dominus Rogerius, qui uniuersam iam illã sibi subiugauerat regionem, eum benignè recepit, putans quod caussa inuidię uirum strennuum & nobilem eius æmulum

regno

regno depulissent: eiq; compassus, Comitatũ ei contulit Garganensem: ubi morte præuentus immatura, uir lugendus posteris, in regnum deinceps non est reuersus. Ab ea die quicunq; Comitis apud dominum Regem fuerãt delatores, & incensores odij, dominæ Milisendis Reginæ, quam etiam obiecti criminis qudãmodo respergere uidebatur infamia, & dolor immanissimus expulsi Comitis macerabat pręcordia, indignationem incurrentes, exactam pro tutela proprij corporis oportebat habere diligentiam. Maximè autem Roardum seniorem, qui postmodum dictus de Neapoli, qui dominum Regem præcipuè in eam induxerat odiorum materiam, domina Regina quibus poterat persequebatur modis. non erat eis tutum, ante eius accedere pręsentiam, sed & publicorum conuentuum se subtrahere cœtibus erat consultius. sed nec domino Regi, inter fautores & consanguineos Reginæ tutus erat locus. Tandem placata eius indignatione per quorundam eorum familiarium interuentionem, Rex alios quoq; eiusdem rancoris participes, multa uix reconciliauit instantia, eatenus, ut ante eius præsentiam, eis liceret cum alijs introire. Rex autẽ ab ea die ita factus est uxorius, ut eius quàm prius exacerbauerat, mitigaret indignationem: ita quòd nec in caussis leuibus, absq; eius conscientia attentaret aliquatenus procedere.

Fit treuga cum Damascenis. Restituuntur captiui, qui apud Paneadum capti fuerant. Caput XIX.

PEr idem tempus petentibus Damascenis à domino Rege pacem temporalem, præter alia quæ gratia obtinendi fœderis contulerunt, omnes captiuos, quos in urbe Paneadense cœperant, simulq; & prædicti strennui uiri, cuius erat ciuitas, domini uidelicet Raynerij de Brus uxorem ex compacto restituerunt. Quam uir egregius & insignis post biennium reuersam, ad maritalis amplexus participium deuotus admisit. Cognoscens autem postmodum, quod nõ satis prudenter se apud hostes habuerat, & maritalis thori reuerentiam non satis cautè matronarum more nobilium obseruauerat, abiecit eam à se: illa uerò culpam nõ inficiens, claustrum sacrarum uirginum Hierosolymis ingressa, uoto se obligans perpetuę continentiæ, sanctimonialis effecta est. Ea demum defuncta, prædictus uir inclytus Agnetẽ duxit, domini Vuilhelmi de Buris neptem: quam postmodum eodem defuncto, Girardus Sydonensis accepit uxorem: unde natus est Raymundus, qui nunc eidem Sidoniorum præest ciuitati. Prędictam uerò Paneadensium urbem, quam ita diximus domini sui absentia superatam, quidam Assissinorum magistratus, Emirali nomine, à populo suo diù possessam, suscepta pro ea compensatione placita, nostris non multo antè tempore resignauerat, & tradiderat habendã, quam sine interuallo Rex prædicto uiro, iure hæreditario concesserat possidendam. Quis autem fuerit Assissinorum populus, & quam friuolas & Deo odibiles sequatur traditiones, insequentibus loco & tempore docebimus. interim autẽ id de eis nouisse oportet, quia populus est Christianus, & aliarum sectarum nationibus, & maximè principibus suspectus est admodum, & meritò formidabilis.

Raymundus Pictauiensium Comitis filius occidens accedit, & Antiochiã perueniens, Boamundi filiam Constantiam uxorem ducit, inuita & renitente principissa, eiusdem puellæ matre, & obtinet principatum. Caput XX.

INterea qui ab Antiochenis pro domino Raymundo, Pictauiensium Comitis filio missi erant, ut præmisimus, prout eis iniunctum fuerat sollicitè inuestigantes, ubi cõpendiosius eum inuenire poterant, certis didicerunt relationibus, eum apud dominũ Henricum seniorem Anglorũ Regem, à quo & arma sumpserat militaria, morã facere. Vnde directo itinere in Angliam, prædictum ibi repererunt adolescentem. Cui caussa uiæ secretius patefacta, de consilio domini Regis benefactoris sui uerbum oblatum deuotus amplectitur, & uiæ necessaria præparans, iter nemini notum ingreditur. Præsenserat porrò Dux Apuliæ Rogerius, qui de illius uocatione apud Antiochiam cõcepta fuerat, unde in singulis Apuliæ urbibus maritimis prætenderat insidias, ut eum comprehenderet, sperãs quod si transitũ eius posset præpedire, ad petitam hæreditatẽ redemptis pecunia illius regionis magnatibus, posset continere cõpendium. Verùm etiam D. Raymundus prudẽter celans propositum, omni fastu deposito, tanquam unus ex popularibus nunc pedes, nunc uilibus insidẽs iumentis, inter plebeios iter carpebat incoeptũ, nulli unquam uel leue generositatis aut copiarum prætendens argumentum. Socij autem eius per turmas diuisi, simul & familia, quidã per dietas tres aut quatuor præcedebant, quidam uerò sequebantur, tanquam ad eum nullum habentes respectum. Sic ergo peregrino & uili amictus habitu, & seruorum plerunque subiens officia, specie fallens uniuersos, hostis prudẽtis & potentissimi declinauit tendiculas. Perueniens itaque Antiochiam, amicos suo exhilarauit aduentu. quibusdam enim non modicã intulit formidinem, qui principissæ fautores, huius promotioni resistere nitebantur. Porrò modico antè tempore, postquam tamen prædicti missi fuerant, ut dominum Raymundũ citarent, Halim principissa domini Boamũdi uidua, dominæ quoque Melisendis Reginæ soror, quam pater eius ciuitate exclusam Antiochena, Laodicea & Gabulo iusserat esse contentã, interueniente apud Regem sorore sua, ne actibus eius obuiaret, quorundã procerum patrocinio iterũ Antiochiã ingressa est, pro Domina se gerens, & uniuersa ad suã reuocabat sollicitudinẽ. Inter hæc Radulphus Antiochenorũ patriarcha subdolus, & in omni uia sua multiplex, principissæ persuaserat, ut eius interim aduersus clericos suos, qui eum persequebantur, gratia fungeretur & obsequijs, quod is qui uocatus erat, & uenisse dicebatur, D. Raymũdus ei esset destinatus, & futurus maritus: credulamque nimis, hac uana spe deludebat. Raymundus aũt præsentiens, quod absque dñi Patriarchæ gratia & consilio ad optatũ pertingere non posset, per interpretes utrisque familiares, aditũ quærit, quomodo domini Patriarchæ sibi fauorem cõparet, & plenius cõciliet affectũ. Exigit ergo à domino Raymundo, ut iuramento corporaliter præstito, domino Patriarchæ fidelitatẽ exhibeat: uersa uice, suscepturus sine difficultate puellam in uxorẽ, et cum omni quiete principatũ: interseritur etiam pactis, quod si domini Raymundi frater, Henricus nomine, in partes descenderet Antiochenas, D. Patriarcha fideliter elaboraret, quomodo puellæ matrem dñi Boamundi uiduã, cum duabus urbibus

bus maritimis et eorum finibus haberet uxorem. Sic ergo pactis interpositis & iureiurando roboratis, admissus est in urbem, adhuc exspectante matre, ut sibi omnis ille nuptiarum fieret apparatus: & cōfestim ad basilicam Apostolorum principis deductus, dominā Constantiam adhuc intra nubiles annos degentē, tradente domino Patriarcha, & id fieri postulantibus magnatibus uniuersis, duxit uxorē. Principissa uerò audiens quod delusa esset, Antiochia subitò egressa, in suam se contulit regionem, principē postea inexorabili odio persecuta. Ab ea igitur die, de elato factus elatior, solidas nimium se sperans in domino principe bases recepisse D. Patriarcha, solito se exhibebat arrogantiorem, de domino Principe plus æquo præsumens, & planè deceptus. nam Princeps pro magna ducens ignominia, quod ab eo fidelitatem extorserat, beneficij immemor, cœpit eum hostiliter persequi: & iuramenti prodigus, aduersarijs eius adiunctus est.

Quis, & qualis, & ex qua maiorum prosapia fuerit Raymundus, describitur. Caput XXI.

Erat autem idem dominus Raymūdus, egregij sanguinis, prisca generositate insignis, corporis eximia proceritate, & tota eiusdē gratissima compositione præstantissimus, adolescens, uix prima malas uestitus lanugine, speciosus forma præ regibus & principibus orbis terræ, uerbo & affabilitate cōmendabilis, tota sui habitudine uenustam principis eximij prætendens elegantiam, armorum usu & rei militaris experientia, omnibus qui eum præcesserunt, uel subsecuti sunt, anteponendus. Literatorum, licet ipse illiteratus esset, cultor: in diuinis assiduus, ecclesiasticorū officiorum & maximè in diebus solennibus auidus auditor: coniugalis integritatis, postquam duxit uxorem, sollicitus custos & seruator, in cibu & potu sobrius, munificus & liberalis supra modum. sed partum prouidus, aleę & damnosis talorū ludis plus æquo insistens. Erat præterea inter cęteros quos patiebatur defectus, animo præceps, in agendis impetuosus, in ira modi nescius, rationis expers, parum fœlix, in ea fidelitate quàm domino Patriarchę promiserat iuramenti immemor, & fidei interpositæ prodigus.

Ad comprimendam Ascalonitarum insolentiam Rex castrum edificat, cui nomen Gybelin, quod alio nomine Bersabee dicitur. Caput XXII.

Porro Ascalonitæ illis diebus insolētiores solito, & successib. facti animosiores, uniuersam regionem liberis in unū discursibus percurrebāt. Erat autem eadē ciuitas principi Aegyptiorū subiecta potentissimo. Qui timens, ne ea subacta, Christianorū exercitus in Aegyptū irrumperet, & eius turbarent quietē, omni sollicitudine & sumptibus infinitis dabat operā, ut eā quasi pro muro inter se & nostrā haberet regionē. formidansq́ ne cōtinuis laboribus & bellorū indesinentibus periculis, suorū uirtus succūberet, singulis triū mensium spacijs, nouos populos recētesq́ legiones in subsidiū ciuiū, in uictu necessario & armorū copia, sollicitus dirigebat. Hi autē qui de nouo accedebant, uolentes tyrocinij sui uires experiri, & animositatis certa dare insignia, plerūq́ inuitis ueteranis, discursus & expeditiones, experimēti frequēter mo liebanē gratia. Nostri uerò uidentes præsumptionē eorū non cessare, & uires indeficiēter reparari, & morte ciuiū, Hydrę more, ciues amplius & indesinenter suscipere incrementum: post multa consilia, optimū iudicant, contra hanc

hydram

hydram immanissimam, damno capitum factam locupletiorem, & totiens attritam, grauiter in nostra pericula renascentẽ, municipia in circuitu per gyrum ædificari, unde & collecta facilius militia, de uicino cõmodius hostium discurrentium refrenari possent impetus, & ciuitas frequentius impugnari. Prouiso igitur loco ad hoc idoneo, circa radices montium in campestrium initio, quæ inter montes & urbem prædictã continuo interiecta sunt tractu, in ea parte Iudeæ, quæ tribu Symeon sorte exijt, in funiculo distributionis urbem ueterem & dirutam Bersabeæ nomine reędificare parant. Conuocato itaq; uniuersi regni populo, domino quoq; Patriarcha, Guilhelmo & magnatibus, opus conceptum aggrediuntur, & inceptum bonis artibus consummatum, auctore Domino, fœlicius præsidium ædificantes muro insuperabili, antemuralibus & uallo, turribus quoq; munitissimum, miliaribus duodecim à prædicta distans Ascalona. Hic locus tempore filiorũ Israël, terræ promissionis ab Austro, sicut & Dan, quæ hodie dicitˀ Paneas, uel Cæsarea Philippi à septentrione, erat terminus, sicuti in ueteri testamento sæpius inuenitur, à Dan usq; Bersabeę. Hic Abrahã, sicut & alibi in plerisq; locis, puteum dicitur fodisse, cui nomen ex aquarũ copijs indidit abundãtia. De his etiam & Iosephus in libro Antiquitatum meminit dicens: Abimelech itaq; & terram ei distribuit, & pecuniam, constitueruntq; ut inter se sine dolo conuersarentur, facientes ad quendam puteum fœdus quem Bersabeæ uocant, quod fœdus Putei dici potest: sic autem hactenus à cõprouincialibus uocatur. Dicitur autem & puteus septimus, Arabicè autẽ Bethgebrim, quod interpretatur, domus Gabrielis. Consummato igitur pręsidio, & partibus omnibus absoluto, de communi consilio traditur fratribus domus Hospitalis quæ est Hierosolymis, qui usq; in præsens depositum debita cõstituerunt diligentia. factiq; sunt impetus hostium in ea parte debiliores.

Comes Tripolitanus proditione quorundam ex suis iuxta montem Peregrinũ occiditur. succedit ei filius Raymundus, necem paternam ulciscitur. Caput XXII.

POst hoc nõ multo tẽporis interuallo, D. Pontius Comes Tripolitanus, Bezenge Damascenorũ principe militiæ in fines Tripolitanos ingresso, sub castro quod mons Peregrinus dicitˀ, hostibus cũ omni suorũ manu uiriliter occurrens, dissolutis agminibus suis, & in fugã uersis captus est. & prodentibus eum Syrianis, qui in Libanicis super eandẽ ciuitatẽ habitant iugis, occisus est, Raymundo filio hærede relicto: & in eodem Comitatu successore. Captus est ibidem nihilominus D. Gerardus, eiusdẽ ciuitatis episcopus. sed postq; apud hostes aliquandiu ignotus detentus est, dato pro se captiuo uno, qui apud nostros detinebatˀ in uinculis, libertati restitutus est. Cecidit in eodem prælio nobilium prædictæ urbis, sed & medię manus hominũ maxima multitudo. Raymundus autẽ patre defuncto, collectis de residuo militiæ auxilijs, et pedestrium manu ualida congregata, subito Libanũ in uertice magna conscendens, omnes illos uiros sanguinum, qui prædictũ potentem uirum in agrum Tripolitanũ, suis persuasionibus induxerãt, & quos paternæ necis & publicę stragis reos esse deprehendere potuit, cum uxoribus & liberis, uinculis mancipatos Tripolim deduxit: ubi in præsentia populi in ultionem sanguinis eorũ qui in acie ceciderãt, eos uarijs supplicijs et durissimæ

mortis

mortis genera, tum pro immanitate commissi sceleris debita, cõpulit experiri. Hæc prima uirtutis suæ rudimenta prædictus adolescẽs Comes, omniũ in se prouocans affectum, & fauorem concilians, dedit.

Ioannes Imperator Constantinopolitanus, uersus Antiochiam properans, Ciliciam occupat uniuersam. Caput XXIIII.

NVnciatur interea, & multorum relatione diuulgatur, quòd dominus Ioannes, Constantinopolitanus Imperator, domini Alexij filius, cõuocatis de uniuersi imperij finibus populis, tribubus & linguis, in multitudine curruum & quadrigarũ, & inauditis copijs equitum cõgregatis, in Syriã descendere maturabat: nec erat sermo fide uacuus. Statim enim ex quo fama cõperit certiore, quod Raymundo uocato ciues ei Antiochiam tradidissent, & domini Boamundi filiam ei cõtulissent uxorem, disposuerat Antiochiã peruenire, multũ indignans quod absq; eius conscientia & mandato, aut dñi sui filiam nuptui collocare præsumpserant, aut ciuitatẽ alterius ditioni eo inconsulto ausi fuerant mancipare. Eam enim cum uniuersis adiacentibus prouincijs ad suam iurisdictionem reuocans, sibi uendicare contendebat: asserens, magnos illos principes, uiros uirtutum, & immortalis memorię, & à Domino missos, qui in prima uenerunt expeditione, quos longum nimis esset enumerare per singulos, cũ patre suo & in Imperio antecessore domino Alexio conuenisse, multa munerũ & obsequiorum interuentione, quod quascunq; urbes uel castella in tota illa profectione quocunq; casu comprehenderent, eius sine contradictione subijcerent imperio, & mancipatos pro posse & uiribus quousq; ipse cum suis adesset copijs, fideliter conseruarent. Et hoc allegabat gestis insertum, & prædictorum principum iuramentis corporaliter præstitis confirmatum. Certum est autem prædictos principes, cum domino Imperatore pacta inijsse, ipsumq; uersa uice cõditionibus quibusdam se principibus obligasse, à quibus ipsum prius certum est defecisse, unde ei tanquam pactorum uiolatori se non teneri constanter asserebant, qui prædictis conditionibus interfuerant. eosq; qui iam uita decesserant, nihilominus reddebant excusatos, dicentes: eum prius tanquã uarium & inconstantem hominem, et cum eis fraudulenter uersatum, aduersus sua pacta uenisse. Vnde & meritò lege pactorum se dicebant absolutos. Iniquum est enim ei fidem seruari, qui contra pacta nititur uersari. Facto igitur per annũ continuũ missis procuratoribus per uniuersum regnũ ad iter apparatu, pro Imperiali magnificentia necessario, in curribus & equis, thesauris munerum & pondus & mensuram nesciẽtibus, & copijs infinitis, superato nauigijs Hellesponto, qui uulgari appellatione dicitur Brachium sancti Georgij, uiam uersus Antiochiam dirigit, in multitudine graui. Transcursis igitur medijs prouincijs in Ciliciam peruenit, ubi moram faciens, Tarsum primæ Ciliciæ metropolim egregiam obsidens, occupauit eam uiolenter: & ciectis inde ex ea dòmini Principis Antiocheni fidelibus, quorum fidei urbem prædictam cõmiserat, suos induxit. Ipsum autem & de Adama, & Mamistra, & Anauarza secundæ Ciliciæ metropoli celeberrima, & cunctis eiusdem prouinciæ ciuitatibus, & in municipijs & oppidis quibuslibet facere non distulit. Sicq; uniuersam Ciliciam per annos quadraginta, à principe Antiocheno sine ca-

lumnia

lumnia possessam, ex quo prædicta Tarsus, per manū domini Balduini, fratris domini Ducis, Mamistra uerò cum omni reliqua regione, per manū domini Tancredi uiri clarissimi, antequā Antiochia in nostram deuenisset potestatem, Christianæ libertati restitutæ sunt, suo, contra ius & phas uendicans imperio. Inde etiam cum uniuersis exercitibus, multitudine uirtutis suæ progrediens, Antiochiā accelerat, ad eamq; perueniens, statim more hostili circumuallat obsidione, ordinatis itaq; per gyrum machinis, & ingentibus tormentis congruis stationibus collocatis, urbē cœpit uehementius arctare.

Sanguinus castrum cui nomen Monsferrandus, obsidet: Rex cum Comite Tripolitano obsidionem quærit soluere: sed deficiunt. & uictis, Comes capitur Rex in castrum se recepit. Caput XXV.

DVm hæc circa Antiochiam aguntur, Sanguinus uir sceleratissimus, & Christiani nominis immanissimus persecutor, uidēs Comitem Tripolitanum cum multa suorū manu paulo antè corruisse, regionem quoq; uniuersam militaribus destitutam auxilijs, in finibus Tripolitanis supra ciuitatem Raphanea, in monte situm prædium, cui nomen Mons Ferrandus, de quo etiam superius præmisimus, potenter obsidet, & oppidanos intus obsessos acriter impugnat, urget indesinenter, & multa molestat instantia. Hoc audiens Comes Tripolitanus, Raymundus adolescens, Pontij prædefuncti filius, domini Regis ex sorore nepos, missis sub omni celeritate nuncijs, dominum Regem prosusis anxiè precibus rogat, ut in tanta necessitate, rebus penè desperatis nō moretur subuenire, sed opem laturus acceleret. Dominus itaq; Rex paterno more pro uniuersis Christiani populi necessitatibus debitam gerens sollicitudinem, conuocatis uniuersis regni principibus, et militaribus tam equitum quàm peditum auxilijs conglobatis, impiger aduolat, & Tripolitanis se ex improuiso exhibet finibus. Occurrunt ibidē nihilominus & domini principis Antiocheni, sinistra deferētes, nuncij, scriptis & uiua uoce asserentes, quod & uerum erat, dominum Imperatorem Antiochiā obsedisse: monentes et multa rogantes instantia, quatenus illuc cum omnibus copijs descendat, & fratribus in graui anxietate positis, maturè subueniat. Habita itaq; deliberatione, quid in tam ancipiti facto fieri oporteret: placuit uniuersis, ut prius Christianis in uicino castro uallatis, ministretur auxiliū, quod satis leue uidebatur: dehinc omnes unanimiter Antiochenis subuēturi, progrediantur. Coniunctis igitur ad inuicem, tam domini Regis, quàm Comitis uiribus, et robore collocato, hostibus obuiam gratia destituti diuina progredi nituntur. Vbi ad locum cœperunt appropiare destinatū, Sanguinus audiens nostrorum aduentum, obsidionem soluēs, ordinatis agminibus eis occurrit. Nostri quoq; instructis aciebus & iuxta militarem disciplinam dispositis, nihilo segnius unanimiter procedentes, uersus oppidum obsessis opem laturi contendunt, & ut municipium alimentis uacuum comportatis repleant necessarijs. Qui autem duces erant itineris, nostrum præcedentes exercitum, terrore an malitia dubium est, commodiorem & planam à lęua declinantes uiam, montis ardua secuti, per loca inuia, et angusta nimis, nostras inducunt acies, ubi Martijs congressibus locus nō erat idoneus, nec habilis ad resistendum, neq; ad impugnandū opportunus. Quod uidēs sanguinus,

sicut erat uir sagacissimus,& rei militaris multã habens experientiam,uidens meliorẽ se habere calculum,animo seruẽs, suos conuocans,& inter milia suorum primus,uerbo suos erigens,prouocans exemplo,in medias nostrorum irruit acies:& uiriliter dimicans,ad nostrorũ stragem animat,& agmina nostra prima in fugam conuersa prosternit. Videntes autẽ nostri maiores exercitus primas acies defecisse, & in nullo resistendi spem habere,seq; in angulo positos, subueniendi afflictis copiam nõ habere, monent D.regem, ut saluti consulens,in uicinũ se conferat præsidium. Quod uidens D.rex esse pro tempore expedientius,in præsidiũ se cum paucis recepit,pedestribus copijs penè omnibus aut neci traditis,aut in uincula coniectis. Captus est ibi egregię indolis adolescẽs comes Tripolitanus, & de equestri ordine cum eo capti sunt nõnulli. Pars autẽ D.regem secuta, municipium ingressi, uitæ consuluerunt quocunq; modo,& saluti. Amiserunt ergò illa die impedimentorum uniuersam multitudinẽ, equos, & ad sarcinas deputata animalia, quibus prædictũ oppidum instaurare fuit propositum. nam qui in castrum fugientes ingressi sunt,uacui,& sola secũ arma,quibus muniti erant,habentes:nihil uictus intulerant. Cecidit illa die inter cæteros uir magnificus, nobilitate & armorũ usu insignis Carpalu, domini Ioscelini senioris Edissani comitis frater, cuius interitus tanquam inclyti uiri,multis extitit doloris causa amplioris,& uniuersum concussit exercitum casus eius lugubris.

Sanguinus iterum castrum obsidet:obsessi finitimos ad subsidium undiq; euocant. Caput XXVI.

SAnguinus interea uidens nostros nihil prorsus alimentorum intulisse in castrum,se eorũ copias habere uniuersas, & omnes regni uires attriuisse, comitemq; se habere in uinculis,regem etiam in castro semiruto,et alimentis uacuo,cum regni maiorib. inclusum: apposuit iterũ municipium obsidione claudere,sperans quod nõ esset qui posset obsessis subsidiũ ministrare: idq; pręsidium intra paucos dies non dubitans se posse uincere. Congregatis igitũ in unũ cuneis,redeunt nostrorũ spolijs onusti, ampliorẽ prædam præcollectorũ multitudine fastidientes, & castrũ ordinatis in gyrum legionibus, obsidione uallat urgentissima. Porrò intus cum D. rege se contulerant, de regni proceribus, Vuillhelmus de Buris constabularius, Raynerius Brus miles insignis,Guido Briscobarre, Balduinus de Ramis, Hemfredus de Torono,tyro & nimium adolescẽs:& alij plures,cum quib. rex habens consiliũ,deliberat quid in tanta, tamq; angusta & urgente necessitate fieri oporteret. Decernunt ergò pariter,ut principẽ Antiochenũ,et Edissanum comitẽ Ioscelinum iuniorẽ in suũ sollicitent subsidium: dominũ quoq; Hierosolymorũ patriarcham cum uniuersis regni populis inuitent, & interim quocunq; modo præstolenẽ aduẽtum. Per idem tempus, dum hęc circa montẽ Ferrandum aguntur,Raymundus, qui cognominatus est Episcopus,nepos D.Rogerij episcopi Liddensis, militiæ sancti Georgij primicerius,miles in armis strenuus, & actibus militaribus insignis: dum Ascalonitas more solito, sed incautè prosequitur,in pretentas casu incidẽs hostiũ insidias,captus est. Interea nõ cessant nuncij,sed sub omni celeritate properant. hic D. principẽ debita stimulat instantia,& regis suorũ necessitates edocens, moras arguit,festinare monet attentius. ille Edissanum comitẽ cõtinuis incẽdit hortatibus. tertius Hieroso-

 lymam

lymam festinus accelerat, & populum cōmonet uniuersum. Verū princeps Antiochenus dubius quid faciat, heret aliquantulum: nam pro forib. habens Imperatorē, urbi timet, si tentet abscedere: iterum D. regi in tanta necessitate posito, durum nimis & inhumanū reputat non subuenire. Tandem D. regis & Christiani populi molestijs & anxietatib. cōpatiens, ciuitatē suā Domino cōmittens, satius iudicat cum fratrib. quantumlibet aduersa sustinere, q̄ cis sic deficientibus abundare prosperis, & qualibet tranquillitate gaudere. Conuocat igit̄ proceres, & populi maiores: reuelataq; cunctis propria cōscientia, inuitat omnes ad regis subsidium, & facile persuadet. Sponte enim in eadem Deo gratissima contulerunt omnes desideria, & subitò paratos se offerētes, ab urbe digressi (D. Imperatorē circa eandem ciuitatem relinquentes) unanimiter ad domini regis subsidium proficiscunt̄. Comes quoq; Edissanus, cū uniuersis uiribus suis pari uoto accingit̄, & ad idem opus mira festinat celeritate. Dominus quoq; Hierosolymorum patriarcha Vuillhelmus, collectis uniuersis copijs, quas in regno potuit inuenire, assumpto sibi Dominicæ crucis uenerabili ligno, illuc impiger accelerat, & undiq; suffragia corrogans, in eorum subsidium maturè contendit.

Bezzeuge Damascenorum procurator, Neapolim incendit, & depopulatur. Caput XXVII.

HIs ita circa dominum regem se habentibus, Bezzeuge Damascenorum procurator, & princeps militię, quo de etiā superius fecimus mentionē, uidēs regnum solito robore uacuum, regem in exteris regionibus obsidione clausum, principes & uniuersum populum circa eius liberationē sollicitum, ad illas partes unanimiter conuolare: ratus ex tempore nocendi occasionem inuenisse optatā, cum multa militia in regnum ingredit̄, et Neapolim urbem immunitā muro & antemuralibus, & etiam uallo carentem, aggreditur, ex improuiso & subitò irruens, tanquam fur in nocte in ciues incautos gladijs, & toto desæuit spiritu, ætati non parcens, aut sexui: tandem serius admoniti, qui inuenti sunt residui, in præsidium quod in medio ciuitatis est, cum uxoribus & liberis, se cum multo labore recipientes, uix à cæde & incendijs elapsi sunt. Ille aūt nemine prohibente, discursibus liberis uniuersam urbem obambulans, incendijs cuncta subijciens, prædam & manubias, & quęcunq; desiderabilia in urbe depopulatus, indemnis recessit.

Destinatur ad Regis subsidium, sed obsessis maiores interim inferuntur molestię. Caput XXVIII.

SAnguinus interea obsessos continuis urgens molestijs, mœnia tormētis quatiens, machinis molares & saxa ingentia, iaculatorijs in medium contorquendo præsidium, domos prosternit interius, non sine multorum inclusorum formidine: tantis enim eos conatibus uiolenter immissis, contorta omnimodorum telorum genera, opprimebant angustijs, ut iam intra muros nullus ad occultandos saucios & debiles inueniretur locus. Vbique periculum, ubiq; discrimen, & mortis imago tremenda eorum se ingerebat oculis, & mentibus non deerat repentini timor interitus, & casuum præsentia sinistrorum. Ad hoc uir sæuissimus, assultus ingeminat, & destinatis per uices agminibus, successionis quodam ordine uires reparat: et prioribus defatigatis, recentes subrogat, ut continuatum potius quàm renouatum uideretur præliorum negotium. Nostri uerò non habentes ad hanc uicissitu-

dinis

dinis recreationē inducendam sufficientes copias, ipsi primos quasi nouissimos cōtinuatis laboribus sustinent impetus. Diminuebat̄ præterea eorū diebus singulis numerus, alijs uulnerū acerbitate, alijs ægritudinū uarietate decumbentibus, omnibus aūt unus idēq; defectus & intolerandę perpetis molestiæ par impotentia. Noctes eñ excubijs deputati trahebant insomnes: diebus uerò continuis cōgressionibus fatigati, nullas percipiendæ quietis ad restaurandā corporum exinanitionē, hostes ferias indulgebāt. Accedebat etiā ad malorum cumulū, quod nec ingredientes alimentorū aliquid intulerant, nec in castra ex priore obsessione erat aliquod uictus residuū. nam quod ipsi inferre decreuerāt, in manus hostiū cū omni peruenerat integritate. unde statim post ingressum, nil aliud habētes, equos suos comederūt, quibus deficiētibus, omnis omnino defecerat alimonia. Attenuabant̄ itaq; prę ieiunio, etiā fortium & robustorū corpora, & inducta per inediā macies strenuis etiā uires furabat̄. Tanta præterea erat inclusorum multitudo, ut ciborū copiæ nec sufficerēt, ne ad hoc quidē, ut unusquisq; modicū quid acciperet: ita sanè obsessorum multitudine uniuersa municipij referta erāt diuersoria, ut murus & plateæ iacentium frequētia quasi iuncis strata uiderent̄: emissa quoq; incautè iacula, casu & studio dirigētis letalia inferebant uulnera. Hęc omnia Sanguinus nouerat plenius, eoq; proteruius suos ad instandū cōpellebat, quòd nostros hoc molestius pati posse nō dubitabat. Ad hoc & circa oppidū tam frequētes hostiū erāt dispositę cohortes, & tanta diligentia omnes obseruabant aditus, ut nec ad nos accedere quispiā, nec de nostris egredi aliquis, quasi rē desperatā attentaret. Augebat̄ obsessis in dies molestia singulos, & uictu penitus deficiente, nullum erat spei residuū: et rebus ipsis edocebant̄, quàm uiolentum sit famis imperium, & quàm uerè dictū sit illud: Asserit urbes sola fames. Id tamen pereuntē quocunq; modo fouebat populum, quod principis & Comitis Edissani, necnon & Hierosolymorum prę stolabant̄ subsidium: et quià animo cupienti nihil satis festinat, omnis habebatur mora suspectior, dilatione uotum creuerat, & hora pro anno computabatur.

Adest subsidium, sed interim Rex ad deditionem inclinatur: & pactis initis, sospes ad propria regreditur. Caput XXIX.

INterea dum hæc circa obsidionē sic agunt̄, princeps Raymūdus cum suis iam aderat legionibus. Comes quoq; Edissanus ingētia trahēs agmina nō longè aberat: sed & Hierosolymorum exercitus salutiferę lignū crucis sequētes unanimiter, maturato itinere accelerabant. Quo per nuncios fideles Sanguinus cōperto, timēs tantorum aduentū principum, idēq; specialius reformidans, ne auditis obsessorum molestijs, eisq; cōpatiens D. Imperator, quē circa Antiochiā esse cognouerat, cū suis intolerabilibus copijs super se iratus irruat, anteq; ad obsessos perueniat, de pace primus missis internuncijs dñm Regē, & suos principes alloquit̄, dicens: Castrum iam semidirutū ante se diu nō posse stare, populū ieiunum & fame laborantē resistendi uires et animos amisisse, suum uero è cōtra exercitū necessarijs abundare: tamē dñi Regis intuitu, qui magnus & eximius esset Princeps in populo Christiano, dicit se uniuersos captiuos quos paulo antè ceperat, tam Comitē q; alios restituturū, & dño Regi cum omnibus suis liberū & tranquillū exitū, & ad propria redi

 tum,

tum,indulturum, si ei castrum omnibus uacuũ restituere uoluerint. Nostri porrò nesciẽtes tam pręsens esse subsidiũ, pręterea fame, uigilijs,laboribus, angore attriti,uulneribus cõfossi letalibus,imbelles facti et exhausti uiribus, uerbũ oblatũ cum omni auiditate suscipiunt,admirantes,unde hominis tam inclementis processerit humanitas: quacũq; tamen occasione,porrectas gratanter suscipiunt conditiones. Pactis ergo hinc inde ad placitã utrinq; redactis consonantiã,comes Tripolitanus restituit̃,& cum eo captiuorũ maxima multitudo, statimq; D.rex cũ suis egressus, ab hoste satis humanè tractatus, pręsidio Turcis resignato,cõfusus quidẽ,sed tamen de periculo ũ nimia perplexitate erutus,gaudens, de montib. descendit in campestria Archis contermina.ubi audito D.Principis & D.comitis aduentu,approbans eorum sollicitudinẽ,& fraternã charitatem,sed serò oblatã conquerens,eis occurrit,deuotus,solutisq; ingentib.gratiarũ actionib.quod pro eius negocio tam sollicitos se exhibuerãt,et quantũ in eis erat,optatũ ministrauerant subsidium:& mutuis collocutionibus recreati,diuisi sunt abinuicẽ,ad propria redeuntes.

Princeps Antiochiam reuersus,urbem obsessam reperit:Imperatori totis uiribus contradicit:sed tandem quorundam interuentu eidem reconciliatur. Caput XXX.

DOminus autẽ princeps,cuius res in arcto uidebant̃ constitutæ, quia potentissimum orbis terræ principem ante suam ciuitatem hostilia meditantem dimiserat, Antiochiam sub omni celeritate rediens, per portam superiorẽ,quæ præsidio ciuitatis,& arci contermina est,ingressus, Imperatorem adhuc in eodem proposito perseuerantẽ reperit:ubi per dies aliquot habitis congressibus, nonnullis Antiochenis in Imperatoris exercitũ clàm sępè,palã sępius irruptiones faciẽdo, damna eis frequenter intulerant enormia:& cum eis more hostili,nõ attẽta fidei professione,uersabant̃.Imperator quoq; uersa uice tormentis ingentibus & machinis iaculatorijs,cautes immanissimos,& immensi ponderis contorquendo,à porta pontis mœnia cedendo & turres, urbis claustra debilitare & effringere nitebat̃. Dispositisq; per gyrum legionibus,sagittis,et omniũ missilium genere, necnõ & fundibulariorum manu proterua,ciues à muri propugnatione arcebãt eminus,& ad suffodiẽda mœnia aditum & opportunitatẽ nitebant̃ uendicare. His igit̃ ita se habentibus, timori erat prudentioribus uterq; exercitus:quod nisi maturato rei subueniretur cõsilio,res in eum casum esset deuẽtura,in quo nõ facilè periculis emergentib.remedia possent aptari cõuenientia. Interponũt se itaq; uiri timorati, partium arbitri,pacis portãtes manipulos: & D.Imperatoris castra ingressi, uerbis pacificis,et omni humilitate prętẽta,mitigare satagebãt indignationẽ. Rursum D.principẽ adeuntes,prudenter & circumspectè nimis,prout opus erat,uiã pacis studẽt inuenire.Tandẽ uisum est,arbitris et quęsitũ fœderis moderatorib.quòd D.princeps ad imperialẽ accedẽs magnificentiã,in pręsentia illustris & inclytorũ imperialis palatij, cũ uniuersorũ cœtu procerũ suorũ,tũ debita solẽnitate ei legitimam exhibeat fidelitatẽ,iuretq; pręstito corporaliter sacramẽto,quòd D.Imperatori Antiochiã ingredi uolenti, uel eius pręsidio, siue irato siue pacato,liberũ & trãquillũ nõ neget introitũ. Et si D.Imperator ei Alapiã,Cæsareã, Hamã, Edissam,sicut pactis erat inserũ,principi restitueret quietas,quòd his et alijs circumadiacentib.contẽtus urbib. Antiochiã D. Imperatori

Imperatori sine difficultate restituat iure proprietatis habendam. D. uerò Imperator in recompensatione exhibitæ fidelitatis, principi cócedat, quod si autore Domino eum contigerit Alapiam, Cæsaream, & omnem circumadiacentem regioné sibi acquirere, totum principi sine molestia & diminutione accrescat, & iure perpetuo sibi & hæredibus suis, tamen in beneficio, quod uulgò feudum dicit, tranquillè possideat. Egressus est igit D. princeps, iuxta condictum, cum suorum nobiliũ comitatu, ad castra imperialia: ubi cum debita honorificentia à domino susceptus imperatore, recensitis ad placitũ hinc inde pactis consensum, fidelitatem suam domino imperatori manualiter exhibuit: sed & statim prædictarum urbium cum omnibus pertinentijs earũ, D. Imperator inuestiturã ei concessit, spondens firmissimè, quod æstate proximè futura, eas autore Dño, cõprehensas corporaliter tradat. Sic itaq; foedere cõpleto, pace plenius restituta, uexillo imperiali super principalẽ præsidij arcem collocato, donis ingentib. cumulatus, cum suis princeps in ciuitatẽ est regressus. Dominus imperator, propter instantem hyemis asperitatem, cum uniuersis exercitibus suis in Ciliciam reuersus, circa Tarsum in regione maritima, hyemandi gratia se contulit.

LIBER DECIMVSQVINTVS.

Imperator Cæsaream obsidet: Principe, & Edissano comite in eius obsequio constitutis. Caput I.



TRansicursis igitur circa partes Ciliciæ mẽsibus hybernis, uere iam reducto, & gratã exercitibus referente temperiem, missa uoce præconia, ex edicto imperiali publicè mandat primicerijs, centurionibus, quinquagenarijs, legionũ iterum cohortes instrui, & instrumenta bellica reparari, armis accingi populum uniuersum. Præmissis ergò legionibus dominus Princeps, dominus quoq; comes Edissanus, alijq; illarũ partium primores inuitant, ut cum domino Imperatore proficiscantur ad prælia. Quibus undiq; cõglobatis, quasi circa Cal. Aprilis, tubarum stridore, clangore tympanorum, exercitus uniuersus, & pactis inter se & principem prius usuris, satisfaciat, uersus Cæsaream acies dirigi præcipit. & fines hostium ingressus, paucis euolutis diebus, ante prædictã urbem castrametatus est. His auditis, princeps & comes, conuocatis ex uniuersa regione suorum copijs, Imperatorẽ sub omni celeritate sequentes, subitò cum suis ante suprà nominatam ciuitatem, paribus accensi desiderijs, affuerunt. Est autem prædicta ciuitas inter montẽ & fluuium, qui Antiochiam præterfluit, in modum Antiochiæ sita, partem sui maximam in plano usq; ad flumen habẽs, partem quoq; in decliuo montis. præsidiũ uerò in montis fastigio imminens, humanis inexpugnabile uiribus est constitutũ. Vnde & à læua & à dextra demissis usq; in fluuium mœnibus, ciuitas ambit cum suburbio sibi adiacente. Transito itaq; fluuio, dispositisq; in gyrũ agminibus, ex ea parte unde ciuitas suburbio ante se posito habilior ad expugnandum uidebat, urbem uallat obsidione. Hic demum machinis cõgrua prouisione dispositis, turres ac mœnia, & intra muros ciuium domicilia grauiũ immissione molarũ, incessanter concutiunt, & crebris ictibus & uicaria immissorum

sorum cautium repetitione, non sine multa inhabitantiũ strage funditus deĳciunt.in quibus erat defensionis spes maxima,ædificiorum munimina. Vrgebat D.Imperator,sicut uir erat magnanimus, studio feruẽte propositum, & propositis brauĳs, adolescentium gloriæ cupidos,& ad certamina & congressus martios accendebat animos:lorica quoq; indutus, & accinctus gladio,casside caput tectus aurea,medĳs immixtus agminibus, nunc hos nunc illos sermonibus hortatur cõgruis , nunc exemplo tanq̃ unus è popularibus prouocat,et instat uiriliter,ut alios ad instandum reddat animosiores.Sic igitur uir egregia animositate insignis, sine intermissione discurrens , æstu belli à prima diei hora usq; ad nouissimã sustinens, nihil sibi quietis,ut uel cibum sumeret indulgebat:sed aut hos qui machinis deseruiebant,ut frequentius & directius iacularentur,admonebat:aut ĳs qui in conflictibus desudabãt, addebat animos,per uicarias successiones uires reparans , & pro deficientibus recentes surrogãs, & integris conatibus ualidos. Princeps aũt et Comes,ut dicitur, adolescentes ambo,& illius ætatis,leuioribus nimiũ tracti studĳs,cęteris in prælio & re militari desudantibus,aleã ludebant, non sine damno rei militaris,assiduè:& circa bellorũ studia remissius se habentes,cęteros quoq; à feruore instantiæ suo reuocabant exemplo.Quod audiens Imperator,& facto eorũ pernicioso nimis motus,interius eos semel & secundo , familiari & secreta cõmonitione,reuocare studuit,exemplũ sui proponens,qui cum Regum terræ & principũ omnium esset potentissimus, nec labori proprĳ parcebat corporis,nec immensis sumptibus.Tandẽ cum per dies aliquot in huiusmodi congressionibus & assiduis cõflictibus perseuerasset exercitus, indignatus Imperator, quod incõparabilibus eius copĳs urbs pusilla tam diu posset resistere,affectus tædio,morã arguẽs,suorum accusans desidiã,ad fortiores animat insultus,& cõgressus ingeminãs,acrius instare pręcepit.Dũq; urbis fractioni certatim instant,suburbium prædictum,quod in inferiori ciuitatis parte situm esse prædiximus, cominus effractum occupauit uiolẽter, ciuibus,qui ibi reperti sunt , nõ parcentes,nisi fortè qui ex eis uerbo uel habitu, uel quouis signo Christianam professionem se esse sectaturũ designaret. Multos eñ fideles habebat et habuerat,ab initio,ciuitas illa,habitatores,qui sub miseræ seruitutis iugo ab infidelibus premebantur indebitè.

Imperator indignatus,imperfecto negotio obsidionẽ soluit,Antiochiã reuersus. Cap. II.

SIc ergo ciuitate ex parte quadã impugnata,timẽtes ciues,uiolentas hostiũ in uxores & liberos & urbis penetralia irruptiones,pacem ad tempus postulant modicũ,et impetrant postulatam. Erat porrò illius ciuitatis Dñs,quidam nobilis homo,Arabs natione,Machedolus nomine: hic missis occultè ad Imperatorem nuncĳs,pro salute urbis & ciuiũ indemnitate,profusis cum omni humilitate supplicat precibus , & infinitã spondẽs pro eadem pecuniã. Indignatus enim Imperator,quod Princeps & Comes,ita dissolutè & negligenter in expeditione se habuerãt,eoq; præcipuè, quod pro eorum negotio et implenda promissione uidebatur laborare,maximũ contra eos rancorem conceperat:& promissam eorum fidelitatem, tanquã sine operibus mortuã, magis splendidam quàm solidam, pro nihilo ducẽs,firmissimè apud se,cum paucis familiaribus,præordinauerat,quod in odiũ eorũ,& infidelitatis pœnam,

nam, oblata qualibet occasione, quę aliquã saltem honestatis speciem uideretur prætendere, soluta obsidione, ad propria rediret. Suscepta igitur, pactã pro dissoluenda obsidione, pecunia, edicitur publica uoce præconia obsessis pax: & legionibus mandatur, ut ad reditũ se præparent. Sicq́ꝫ solutis castris Imperator uersus Antiochiam acies præcipit dirigi, & uniuersos illuc exercitus properare. Audientes hoc Princeps & Comes, sera ducti pœnitentia, dñm Imperatorẽ ab incepto reuocare nituntur: sed perseuerat in proposito, quod irreuocabiliter cœperat Imperator: sprętisq́ꝫ eorũ persuasiõibus, iter accelerat. Dicebať quod Comes in eo nimis malitiosè esset uersatus. nam occulto, sed postmodũ clarè patuit, aduersus dñm suũ, principẽ uidelicet, ducebať odio: & incrementũ eius omne habẽs suspectũ, seducebat imprudẽtioris adolescẽtis animũ, ipse uersutior: ad id toto cõtendens studio, ut princeps imperatoris indignationẽ mereref, ne per eũ ad maiora proueheref cõpendia.

Imperator à principe ciuitatis repetit præsidium, quasi moram in regione facturus. Cap. III.

PEruenicns igitur Antiochiam D. Imperator, cum filijs suis & familiaribus, & militia non modica urbẽ ingressus, dño Principe, dominoq́ꝫ Comite Stratoris officium exequentibus, dño quoq́ꝫ Patriarcha cum uniuerso clero & populo ordinata de more processione, in psalmis, hymnis, canticis & musicorum concentu instrumentorũ, cum plausu & exultatione populorum, prius ad cathedralem ecclesiã, deinde ad palatium Principis, solenniter deductus est. Vbi cũ per dies aliquot, balneis & cęteris quæ ad corpus pertinent recreationibus, tanq́ꝫ dñs in domo, pro libero arbitrio usus esset, profusaq́ꝫ & penè prodiga tam in dominos Principẽ et Comitẽ, quàm in eorũ magnates, necnõ & in ciues indifferẽter usus esset imperiali munificẽtia, Principẽ simul & Comitẽ, & oĩes prouinciæ primores, ad se fecit euocari. quibus in præsentia sua cõstitutis, principẽ alloquiť, dicẽs: Nosti dilectissime fili Raymũde, quomodo ob gratiã tui, ut iuxta cõuẽtiones inter nostrũ Deo amabile imperiũ, & fidelitatẽ tuã prius per prudentũ uirorũ mediationẽ initas, tuũ augeam principatũ, & dilatẽ super hostes fidei nostræ possessiones tuas, diu iam in ista regione cõuersatus sum: & ecce, opportunitate ingruẽte, tempus est, ut promissa soluã, & omnẽ circumadiacentẽ regionẽ tuæ subijciã ditioni, sicut pactorũ tenor manifestus edocet. Sed nosti optimè, nouerũt & isti, qui tecũ in nostra assistũt præsentia, quòd nõ est quod tibi soluere tenemur opus tẽporis modici, sed morã tua negotia uidẽter exigere diuturniorẽ et impẽsas ampliores deposcere. Oportet igiť ut huius ciuitatis præsidiũ, sicut ex cõpacto teneris, nostræ deputes custodię, ut in eo nostri tutius reponanť thesauri: urbẽ quoq́ꝫ nostris exercitib. peruiam facias, ut liberũ omnino intrandi egrediendiq́ꝫ habeant sine difficultate licentiã. Nam de Tarso, uel Anauarza, uel alijs Ciliciæ urbibus, non ita cõmodè bellica parari possunt instrumenta, ad angustias & obsidionẽ Alapiæ inferendã, aliamq́ꝫ præstat hæc ciuitas ijs usibus opportunitatẽ, longeq́ꝫ meliorem quàm alia, quæ uix posset ministrare. Imple promissum, & iuxta tenorẽ exhibitæ fidelitatis, prosequere quod tuũ est: nam nostræ erit eminentiæ, id quod tibi tenemur exsoluere, larga interpretatione & supereffluente mensura largiri. His dictis, princeps & sui, uerbi acerbitate perterriti, diu hærentes quid super ijs responderent, cum multa

anxietate secum uoluebant, quid ad hoc referrent. Durum enim uidebať & graue nimis, quod ciuitas tanto nostræ gentis acquisita periculo, tantoq; sanguinis fidelium principū dispēdio Christianæ fidei restituta, quæ tantarum semper fuerat caput & moderatrix prouinciarū, in manus effeminati Grecorum populi descēderet. nā sine ea reliquę regionis portiones nobis stare posse nō uidebanť. Iterum id pactis dñi Principis insertum, nemo erat qui dubitaret: præterea tot de suis intromiserat, quod nō facile uidebať ei uim inferre uolenti resistere posse. Sic igitur res in arcto posita erat, cū ecce Comes Edissanus pro omnibus respondens, ita orsus est: Domine, sermo quem perorauit imperialis sublimitas uestra, diuinā redolet eloquentiā, & omni acceptione dignus est: in nostrum enim totum illius tenorem uidemus respicere penitus incrementum. sed res nouo indiget cōsilio, nec est in domino Principe solum hoc effectui mancipare. Oportet enim, ut cum suorum, mei uidelicet, et aliorum suorum fidelium cōsilio, super hoc plenius deliberet, quomodo facilius uerbum uestrū & postulatio debitum sortiať effectū, ne tumultu plebis intercurrēte, executioni, petitioni uestrarum futuræ pręsteť impedimentum. Placuit itaq; dño Imperatori Comitis responsum: & datis ad modicum tempus inducijs, ut dictę satisfieret deliberationi, Comes domū regreditur, principe in palatio remanente, & suijpsius (ut dicebatur) nō habente potestatem.

Excitatur in ciuitate tumultus: timet Imperator, & petitionem remittit sedatur scandalum, eodem urbe egresso. Caput IIII.

COmite igitur domū reuerso, missis occultè nuncijs, qui populū uniuersum, patefacta Imperatoris postulatione, ad arma sollicitent, fit tumultus, cum immoderato strepitu per urbē: & turbis undiq; cōuenientibus, clamor attolliť in immensum. Hæc audiēs Comes, accepto equo uelociter ad palatium festinans, tanq; popularium incursus fugiens, ante pedes imperatoris se dedit exanimē. Subito igiť Comitis ingressu, Imperator attonitus, quærit diligenter, quæ'nā sit caussa, quod ita inordinatè, præter morē & disciplinā sacri palatij, ante maiestatē irruperit imperialem. Respondit: necessitatē legem non habere, seq; populi furētis insectatione coactū, ut mortis euitaret discrimen, cōtra morum regulas aduenisse. Itē sæpius sciscitāti, ut caussam diligentius aperiret, respōdit: se gratia percipiendæ quietis in hospitium declinasse, & ad id operā dare proposuisse, cum erat subitò uniuersus ciuitatis populus quasi uir unus, ante domus ianuā cum gladijs & armis qualia furor ministrabat assistens, uirum sanguinarium, proditorē patrię, plebis homicidā, cœpit clamare: qui ciuitatē Imperatori pecunia sumpta, inde uelit uendere. Comitē Edissanum sibi obuiā dari uelle. uixq; eos iam effracta domo, cum mille periculis effugisse. Interea clamor per ciuitatē excitatur, ingens tumultus, immoderatus, rumor celeberrimus omnium aures circumstrepit, ciuitatē Græcis uenditā, præsidium iam eis traditum, ciues relictis auitis domibus & fundis paternis migrare oportere. His ita rumoribus ciues accēsi, quoscunq; de imperatoris reperiunt familia, de equis deijciunt, ui spoliāt, uerberibus afficiūt: resistere uolentes, gladijs obtruncāt, & usq; in palatium principis iniuriā & mortē fugientes strictis gladijs insectātur. Hoc strepitu ciuiū, & suorū cōclamantium uociferatione uehementi motus Imperator, principē et magnates accersiri

accersiri iubet,& mitigata pro tẽpore indignatione, timẽs ne aliquid durius cõtra se orirẽt,sermonẽ,quem eodem die corã omnibus aliquantulũ liberius dixerat,tangẽs ait:Memini me uobiscũ hodie super uno uerbo habuisse tra- ctatum,unde fortasse scandalũ hoc in populo dicitur obortũ. Nunc autẽ nõ uerit tam patrũ quàm plebis uniuersitas, quod ex quo ita durum & difficile uobis uidet̃ quod dixi, reuoco sententiã, retracto quod proposui. Habeto- te uobis tam urbẽ totam quàm presidium:sufficit imperio meo, statũ tempo rũ hactenus obseruatũ continuare.noui quod uerè fideles mei sitis, nec à fide litate promissa et prestita ulla dies unq̃ uos cõuellere potuit.Egredimini igit̃ & populũ furentẽ cõpescite. Quod si mora in ciuitate mea eis aliquatenus su specta est,ne super hęc moueãtur:cras enim, auctore Dño, egrediemur.His dictis laudãt omnes Imperatoris propositũ, & extollunt usq; ad sidera men- tem prouidã,cõsilij altitudinẽ,consulti pectoris iudicium.Et egrediẽtes Prin ceps & Comes,& alij procerum primores,uoce, manu,nutibus & signis tu multũ sedare tentant:tandẽq; indicto silẽtio,& plebe uerbis amicis ad aliquã tranquillitatem redacta,domum eius redire,et armis depositis quiete degere rogãt propensius.Quod et factum est.Dñs ergo Imperator,die sequẽti cum suis & cõsanguineis & familiarib.egressus,ante urbẽ castra locari pręcipit.

Mittuntur legati,qui indignationem Imperatoris mitigent: & obtinent. Imperator ad propria redit. Caput V.

SCientes ergo hi quibus mens erat sanior, dñm Imperatorem, licet more prudẽtis dissimulauerit, rancorem aduersus principem & nobiliũ primo res mente cõcepisse,tanq̃ eorũ instinctu & occulta opera populariũ tumul- tus & plebis scandalum esset excitatũ:dirigunt reformãdæ pacis idoneos ad hoc, & sensus habẽtes exercitatos,ad Imperialem excellentiam nuncios,qui dñm Principem et magnates regionis apud dñm Imperatorẽ satagãt excusa tos habere, & super eo qui in populo erat hesterno tumultu prorsus asserant innocẽtes.Qui ergo missi fuerãt,in auditoriũ Imperatoris intromissi, pro in iũcto negotio uerba facientes, allegare student & persuadere principis in- nocentiã in hunc modum. Nouit Augustalis apex & Imperialis eminentia, nobis multo melius,quod in quolibet collegio,nedum in ciuitatibus, & ma gnis hominum cœtibus, non omnes pari splendent prudentia,nec pari sunt præditi disciplina: sed aliter & aliter affectis ciuibus, dispares mores,diuer- sa sequuntur studia.ita ut iuxta prudentis uerbum,uerum sit quod dicitur,

Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidentur. Et illud:
Quot homines,tot sententiæ.

Sed in hac tanta uarietate morum dissimiliũ,prudentis est, qualitatẽ distin guere meritorum,& cõgrua meritis præmia deputare. Iuxta hãc rationẽ ple bis indiscretę calor inconsultus, in damnum nõ debet redundare melius affe ctorum. Vsu enĩ inter homines solet euenire,ut plebs confusa, modum nesci ens,rixas & tumultus consueuerit incautius suscitare: idq; in omnibus benè moratis urbibus, uetustã & usu approbatã consuetudinem obtinuisse certũ est,ut patrum modestia populares cõprimantur, et ignari modi refrenentur audacia. Aliter uulgi multo meliorem q̃ nobilium esse conditionem, turbæ imprudentis confusionẽ,q̃ discretorum experientiã, nisi maiorib. corrigere liceat,

liceat peccata plebis inconsultæ. Ignorante sanè domino Principe, nescientibus ijs ad quorum nutum maiora tractantur negotia, deliquit plebs indiscreta. Pœnas ergo toleret quas meruit, domino Principe cū maioribus indemnibus conseruatis: paratus est denic*ꝫ* in argumentum suæ innocentiæ in finibus stare pactorum, & si liceat urbem cum præsidio in manus imperij transferre. His & similibus persuasus Imperator, motum indignationis nimiæ, quem de sola suspicione conceperat, humaniore sententia reuocauit: accersitoq*ꝫ* domino Principe, necnon & Comite cum proceribus, ad se familiariter præcipit introire, & detersa omni interiecti rancoris nebula, mutuę salutationis benignè suscipit & impendit affatum. Tandem eis innotescēs quod caussas haberet urgentissimas, quibus impellentibus eum domum redire oporteret, sumptaq*ꝫ* licentia promisso firmissimo, quod iterū auctore Domino, pacta cōpleturus, in manu ualida esset rediturus, in Ciliciam uniuersos dirigit exercitus. Vnde completis negotijs circa Ciliciam & Syriam, præparatisq*ꝫ* ad iter agminibus, ad propria reuersus est.

Hierosolymorum Rex ultra Iordanem præsidium obsidet, & occupat uiolenter. Apud Thecuam nostri miserabiliter prosternuntur. Caput VI.

INterea dum hæc circa Antiochiam geruntur, subsequente æstate, nō post multū temporis interuallum, uir inclytus & magnus apud Occidentales principes, D. Theodoricus Flandrensium Comes, domini regis gener, orationis & deuotæ peregrinationis gratia cū honesto nobilium uirorū comitatu, Hierosolymā uenit, cuius aduentū rex & populus uniuersus multa cum hilaritate suscipientes, confisi de insigni & robusta, quam secū deduxerāt, militia, apponūt unanimiter cum dñi Patriarchæ, & aliorū regni principū consilio, trans Iordanē in finibus Ammonitarum iuxta montē Galaad obsidere præsidiū unum nostris regionibus perniciosum ualde. Erat aūt prędictū municipiū spelunca quædā, in latere montis eminentis maximè decliuo sita, aditum penè habēs inaccessibilē. Desuper uerò immanissimū imminebat præcipitium, usq*ꝫ* in infima subiacentis uallis, à uertice supereminentis promontorij cōtiguum. Ex latere uerò altrinsecus ad eandem speluncam erat inter cliuum superincumbentis altitudinis, & dictum præcipitiū, arx formidabilis. In hanc se collegerat furum manipulus nocens, & prędonū turba de finibus Moab, & Ammon, & Galaad, qui pręmissis exploratoribus locorū peritis, et per eos de statu regionū nostrarum plenius edocti, sumpta opportunitate frequētes irruptiones clàm, & plerūq*ꝫ* periculosas nimis, nostris regionibus inferebāt. Quibus malis nostri uolētes occurrere, proponūt, ut pręmisimus, speluncā obsidere. Cōuocato igitur uniuerso regni populo, & copijs militaribus congregatis, transito Iordane, illuc perueniunt: & sicut regionis patiebatur inæqualitas, simul & angustia, aditus occupant, castra per circuitum locantes, et dispositis agminibus per gyrum, locum obsidione uallāt. Legem itaq*ꝫ* castrorū exequentes ad quælibet se cōuertunt argumenta, obsessos quibus modis possunt arctantes, ut ad deditionē impellant: illi uersa uice quicquid miseris rebus solet euenire, solerter colligentes, in sui tuitionē uigilanter armantur. Dumq*ꝫ* ibi penè omnis Christianus unanimiter desudaret exercitus, Turci quidā ex tempore opportunitatē nacti, uidentes trans Iordanem

uniuer-

uniuersam regionem militia destitutam;hostiũ patere insidĳs,Iordane transmisso,Hiericuntinam regionem relinquentes,à dextris,secus Asphaltem lacum,qui & mare Mortuum dicitur,incedentes,inde se ad montana cõferentes,in eam prouinciæ partem irruperunt,quæ Tribu Iudæ olim cessit in sortem,& peruenientes ad ciuitatem prophetarũ Amos et Abacuc,Thecnam nomine,incolis uacuam,uiolenter occupauerunt:paucis quos ibi reperiunt,occisis:fugerant enim loci illius habitatores,hostium aduẽtu præcognito,& cum uxoribus liberis armentis & gregibus in speluncam Odollam illis uicinam se contulerant. Vicum ergo prædictum inuenientes uacuum,domicilia eorum qui fugerant ingressi,quod residuum erat,asportarũt. Erat autem casu Hierosolymis illis diebus ab Antiochia ueniẽs,uir piæ in domino recordationis,miles eximius,& in armis strenuus,nobilis carne & moribus,dominus Robertus,cognomine Burgũdio,natione Aquitanicus,magister militiæ Templi. Hic cum quibusdam de fratribus suis,& cum ĳs qui Hierosolymis remanserãt,paucis ex promiscui generis equitibus,uexillũ regium baiulante quodã domino Regis familiari,Bernhardo Vathec,subsequente ipso,ad locum prædictum certatim & sub omni celeritate cõtendunt. Audientes itaq; Turci nostrorum aduentum,locum deserentes Habthim,Iohelis prophetæ domini,uersusq; Ebron patriarcharum sepulchrum fugam inierant,uolentes inde in plana Ascalonam uersus descendere. Nostri autem scientes hostium acies in fugam uersas,non eisdem uestigĳs inhærentes,tanquam de trophæo certi,sed ad diuersa incautè nimis tendentes,fugientium spolĳs magis quàm stragi hostium insistebant imprudenter. Quod intelligentes qui fugam inierant,iterum more solito conglobati,resumentes animos,dispersas acies quantum possunt reuocare nituntur:nostrisq; ex improuiso & minus confidenter irruentes,passim uagantes & securos inuadunt,gladĳs obtruncant.paucis tamen resistẽtibus. et collectis adinuicem,pugna comittitur. Inter hæc qui diuersa fuerant secuti,tubarum clangore,stridore cornuũ,equorum fremitu,armorũ fulgore coruscantium,uocibus suos adhortantium,simul & pulueris equorum pedibus agitati,nebula in sublime rapta,commoniti,ad locum properant certaminis. Sed anteq; eorum qui restiterant cateruis se coniungerent,deficientibus primis,& in fugam actis,facti sunt hostes nostris deuictis superiores. Conuersis igiť nostris in fugã,per loca saxis asperrima & prorsus inuia,& omnino fugã nõ admittentia,sagittis & strictis gladĳs more hostiũ insectãtes,alios ferro perimunt,alios prosternũt pręcipites,& ad prædicta Hebrõ,quæ est Coriathiarbe,usq; in fines Thecnę prosequẽtes,stragẽ multã nimis operati sunt in populo. Ceciderũt aũt illa die multi nobiles & inclyti uiri,inter quos uir eximius frater militiæ Tẽpli,Otto de mõte Falconis,omẽs de morte sua mœrore & gemitu cõficiẽs,occisus est. Hostes uerò uictoria potiti cęde nostrorũ et spolĳs lętantes,Ascalonam reuersi sunt. Nostri aũt qui in expeditione erãt,cognito quod apud nos acciderat infortunio,animo nimirũ sunt uehementer cõsternati. Sed tamẽ intelligẽtes hãc esse bellorũ legẽ,ut nũc hi,nũc illi uarĳs euentib. fiãt superiores,iterũ cõsolationẽ recipientes,cœpto instãt operi feruẽtius solito,et auctore Dño,intra paucos dies præsidiũ obtinẽt prędictũ,inde cũ gloria et triũpho ad propria reuersi.

Sanguinus regnum Damascenorum ingreditur: Damasceni à nostris auxilium postulant, & interpositis obtinent conditionibus. Sanguinus ad propria reuertitur. Caput VII.

INterea dum hæc in partibus geruntur Hierosolymitanis, Sanguinus tanquam uermis inquietus, successibus in immensum elatus, præsumit etiam Damascenorum regnum sibi uendicare. Quod intelligẽtes, Amardus illius regni procurator, militię princeps, socer quoq; regis Damascenorum, quod in fines suos uiolenter esset ingressus, nuncios ad dominũ Regem, cum uerbis pacificis dirigit, petens & obnixè postulans ab eo & populo Christiano auxilium & consilium contra hostem, utriusque regni crudelissimum. Et ne præsumptuosè gratis & sine multorum spe emolumentorum, dominum Regem & eius principes in sui præsidium uideretur sollicitare, spondet pro impensis, ad hoc opus necessarijs, mensibus singulis persoluenda aureorum uicena millia: insuper & hoste à finibus suis uiolenter abacto, urbem Paneadensem, paucis ante annis à nobis uiolenter ablatam, pactis inseruit, nostris absq; contradictione restituendam. & super ijs omnibus conuentionum articulis, ut eis fides amplior habeatur, nobilium filios quantum expedit, obsides se daturos pollicetur. His auditis, dominus Rex conuocans uniuersos regni principes, legationes, modum & uerborum seriem eis diligentius aperit, consiliũ postulat, quid eis super huiusmodi petitionibus respondendum uideatur. Tandemq; cõmunicato adinuicem consilio & deliberationis prouido libramine, partibus pensatis, optimum iudicant, Amardo & Damascenis, contra hostem immanissimum & utriq; suspectum regno, opem esse ferendam: ministranda etiam gentis subsidia, ne hostis potentior, per nostram desidiam, in nostram perniciẽ, regno acquisito, Regium suscipiat incrementum. Præterea & additæ conditiones, caussam reddunt amplius fauorabilẽ: idq; potissimum omnes trahit in hãc partem procliuiores, quòd de urbe Paneadense in fine uerborum est adiunctum.

Obsidetur ciuitas Paneadensis, Damascenis præbentibus auxilium. Caput VIII.

APprobato ergo generali consilio, susceptisq; iam dictis obsidibus, & in tuto collocatis, cõsestim ex omnibus regni finibus apud Tyberiadem præcipitur, tam equitum quàm peditum innumera manus conuenire. Sanguinus autem in multitudine uirtutis suæ, cum immensis equitum tum copijs eiusdem prouinciæ fines ingressus, relicta post se Damasco, usq; ad eum locum qui dicitur Rasalinæ, peruenerat: ibiq; per aliquot temporis interuallum dubitans de nostrorum aduentu, cum suis legionibus consederat. Certus enim esse uidebatur, quod nostri, nostrorumq; uires eius propositum impedirent, ut nõ facile ad optatum posset pertingere. Nunciatur ergo nostris, Sanguinum in prædicto loco cõsistere: Damascenos quoq; urbe iam egressos, domini Regis, & nostrorum apud urbem Marã præstolari aduentum. quo cognito, nostræ quoq; acies castris solutis, uexillis præcedẽtibus, ad prędictum locum unanimiter contendunt. Quod audiens Sanguinus, timens sicut erat uir industrius, in terra hostium cum gemino committere exercitu, priusquã nostri cum Damascenis conuenirent, locum prædictum deserens, declinans nostris & Damascenorum ad lęuam copijs, fugam accelerat: & in eam regionem quæ dicitũ uulgo uallis Baccar, maturatis se cõfert itineribus.

Nostri

Nostri autem nihilominus ad locum prædictum peruenientes, Damascenis permixti, de discessu Sanguini plenius edocti, de cōmuni cōsilio, sicut pactis continebatur, cōtra Paneadem uniuersos dirigit exercitus. Hanc urbem (ut prædiximus) Doldequinus Damascenorum rex, paucis ante annis uiolenter occupauerat. sed postmodum magistratus, cui eam cōmiserat, à Damascenis deficiens, cōtra Damascenos, Sanguino adhæserat: unde erat, quod ad hoc, ut domino regi traderetur, fidelius laborabant, malentes eam Christianis restitui, quorum gratia fruebant, quàm ut hostis eorum tam suspectus, tamq̃ formidabilis, eam possideret: unde grauius, & eis quasi de uicino nocere poterat, & maiores inferre molestias.

Princeps Antiochenus, & Tripolitanus comes, ad eandem conuocantur obsidionem: & urgentissimè impugnatur ciuitas. Caput IX.

Ista est Paneas, quę uulgari appellatione Belinas dicit̃, olim ante introitum filiorum Israel in terram promissionis, dicta Lesen: quam postea filij Dan acceperunt in sortem, & uocauerunt Lesen Dan. sicut legit̃ in Iosue, ubi scriptum est: Ascēderuntq̃ filij Dan, & pugnauerunt contra Lesen, ceperuntq̃ eam, & percusserunt eam in ore gladij, ac possederunt, et habitauerunt in ea, uocantes nomen eius Lesen Dan, ex nomine Dan patris sui. Consequenter autem dicta est eadem Cæsarea Philippi, eo quod Philippus tetrarcha, senioris Herodis filius, in honorē Tiberij Cæsaris eam ampliauerat, & ædificijs mirabilibus reddiderat insignem, ita ut ad nomen Cæsaris ampliatoris uocabulum, unā prætenderet appellationē. Conuersis igitur ad urbē agminibus, & ad eam peruenientes Cal. Maij, ciuitatē undiq̃ uallant obsidione. Amardus cum suis ab Oriente, inter urbem & Silliam suorum locat expeditiones, in eo loco qui dicitur Copar. Rex autem & noster exercitus ab Occidente, uersus campestria suas locant legiones. Sic igitur ordinatis in gyrum stationibus studiosè procurat̃, ut interclusis generaliter omnis interdicat̃ aditus, ne ingredi neq̃ egredi uolentib. libera pateat euagandi potestas. Placet præterea, & de cōmuni sancitur consilio, quatenus missis nuncijs fidelibus, dominum Raymundum Antiochenorum principem, & D. comitem Tripolitanum conuocent ad præsentis operis subsidium. quod & factum est. Ipsi nihilominus interea cum Turcis æquè feruentibus, ad congressus quotidianos accinctis, obsessos assultibus urgent assiduis, & machinis iaculatoribus quas petrarias uocant, immensis magnæ quantitatis molaribus, mœnia concutiunt, & intra urbē conterunt domicilia. ad hoc & telorum immissionibus & multa sagittarum grandine, adeò fatigant oppidanos, ut nullus intra muros tutus ad latendū inueniretur locus, uixq̃ muro & propugnaculis tecti, contorquentes saxa, aut arcubus utentes, eos qui deforis impugnabāt auderent conspicere. Intueri erat ibi præter solitum hostes ab hostibus Marte sæuissimo prouocari, & fictione deposita, seriò nimis in eorum armari perniciem: nec facile erat discernere, utra proteruius contra cōmunes aduersarios arma corriperet manus, aut in congressionibus instaret acrius, aut diuturniore longanimitate in belli pondere perseueraret. erat nanque nostris militibus cum Damascenis cohortibus animorum patefactum & consonans desiderium. Experientia quidem et usus armorum longè dissimilis, sed uoluntas

G nocendi

nocendi non inferior. At uerò obsessi, licet continuatis assultibus fatigati, uigilijs & nimio laboris pondere essent attriti, tamen resistunt uiriliter, & pro uiribus libertatem uxores & liberos tueri satagentes, urgente molestia solertiores effecti, ad omnia resistendi se conuertunt argumenta. His ita per dies aliquot tractatis, uidentur omnino non proficere, nisi castello ligneo mœnibus applicato, obsessis desuper bellum inferatur. Cumq; in tota illa regione aduersus huiusmodi, conueniens non inueniretur materia, mittuntur Damasceni de mandato domini Amardi, qui trabes proceras, & ingentis magnitudinis, ad hoc specialiter multo antè deputatas, deportari faciāt, & cum omni redeant celeritate.

Principe & Comite præsentibus, machina ad oppugnandam urbem erigitur: ciuibus spe subsidij, strenuè se defendentibus. Caput X.

INterea princeps Antiochenus, & comes Tripolitanus nostris exciti legationibus, cū ingentibus copijs, & ualida manu, optato aduenientes, castris se adiungunt nostris: quorum aduentu geminatus est obsessis timor, & resistendi spes omnis uisa est cecidisse. Dumq; hi qui recentes aduenerant, certatim uires experiuntur, & laudis cupidi, & gloriæ consequendæ gratia, congregatis seorsum urbem impugnant agminibus: obsessis ingeritur formido amplior, & diffidentia; nostris, spes de obtinenda uictoria iam certior, animos erigens, minuebat tædium, & ad impugnandum singulis diebus reddebat fortiores. Nec mora, dum hæc circa urbem fiunt, ecce qui Damascum ierant redeuntes, trabes miræ magnitudinis secum afferunt, & soliditatis optatæ. Quibus per artifices & lignorum cæsores sub omni celeritate leuigatis, & clauis ferreis debita soliditate coniunctis, erigiť subitò immensæ altitudinis machina, qua desuper uniuersa prospicitur ciuitas, & inde sagittis & omni telorum genere, pugillarium quoq; iactu lapidum arcēt oppidanos: qua erecta, cōplanatis quæ intra machinam & murum erant media, mœnibus applicať, urbē despiciēs uniuersam, tanq; turris in urbis medio subitò apparet ædificata. Hic primùm dura nimis, & supremū cōpellens defectū, effecta est obsessorū conditio. nā ad cōtorsiones lapidū, & telorū immissiones, quibus eos instanter urgebant, qui in castello erāt, nō erat omnino remediū inuenire. nō inueniebať interius locus, qui tutus saucijs aut debilibus posset latebras ministrare, uel ad quas confugerent post labores, qui adhuc solidi, & uiribus integri, alijs se poterant præstare defensores: & iam per murum discurrere negabatur: & deficientibus socijs, absq; mortis periculo nō licebat opem ferre. nam quæ ab inferioribus inferebantur bellorum pondera, & nocendi argumenta, facta relatione, ad ea quæ de superioribus imminebant diuersi generis pericula, nulla aut modica poterant indicari, ita ut bellum nō tam cum hominibus, quàm cum superis uideretur. Fuerat autem ab initio spes obsessis, eademq; usq; in præsentem articulum res fouebat, quod Sanguinus eis esset ministraturus, sicut & fide interposita firmauerat, subsidium: sed urgente iam periculo, nec subsidium, nec defensionis locus uidebatur relictus.

Legatus ecclesiæ Romanæ applicat, ad obsidionem accedit, capitur ciuitas: ibiq; ordinato episcopo, Hierosolymam principes omnes proficiscuntur. Caput XI.

DVm hæc in expeditione geruntur, Legatus quidam Romanæ ecclesiæ, Albericus nomine, episcopus Hostiensis, natione Francus, de episcopatu Beluacensi, apud Sydonem applicuit. Venerat autem specialiter ad id missus negotium, quod in ecclesia Antiochena, inter dñm Patriarcham et eius Canonicos erat obortum: cuius etiam gratia, uir uitæ uenerabilis, D. Petrus Lugdunensis Archiepiscopus, paucis ante diebus, legationis fungens officio, in Syriam uenerat: sed morte præuentus, finem iniuncto non potuit dare negotio. unde hic ut tantæ controuersiæ debitũ finem imponeret, prædicto uiro uenerabili substitutus est, sicut in sequẽtibus dicetur. Hic audito, quod uniuersus Christianus exercitus in obsidione apud Paneadem detineretur, & quod ibi dominus Fulcherus, Tyrensis Archiepiscopus, cũ cæteris regni principibus moram faceret, illuc cum omni celeritate contendit: adueniensq; licet in cœpto non torperẽt opere, sed instarent feruenter, qui urbem obsederant, tamen prudentis uiri studio & auctoritate subnixus Apostolica, ad propositum inuitat, & exhortatorij sermonis eis addens stimulos, ad impugnandam urbem accendit uehementius. Interea qui in machina ad hoc deputati erant, ciues continuis urgent insultibus: & negata requie, desuper iniecta terroris & periculi caussa multiplici fatigati, omnibus assiduas molestias ingeminant: iamq; quibusdam ex eis consumptis gladio, quibusdam uerò letaliter saucijs, alijs uerò præ lassitudine deficientibus, eorum minuebatur numerus, nec instantes more solito à sui poterant impugnatione repellere. Quod intelligens Damascenorũ procurator, & militiæ princeps Amardus, uir prouidus admodum, et fœderis quod nobiscum pepegerat tenacissimus, & fidelissimus prosecutor, sciens quia uexatio dat uiã auditui, & ad cõditiones extremas consummata miseria impellere solet, missis occultè quibusdam familiaribus suis, qui obsessos cum spe salutis ad deditionem inuitarent, urbem pretentauit fideliter: illi autem primum abhorrentes, & fingentes se longius ire, tanq; adhuc resistendi spem uiderẽtur aliquam habere, nouissimè tamen cum auiditate multa, gratanter oblatũ recipiunt uerbum. Magistratus tamen, quem ipsi Emyr uocant, nobilis & potẽs homo, oblatis adijcit conditionibus, ut pro urbis deditione, habita consideratione, ne egeret aliquo boni uiri arbitratu, fieret ei recompensatio: turpe enim uiderẽt et indecens, ut uir nobilis, tam famosæ urbis dominus, propria pulsus hæreditate, mendicare compelleretur. Amardus uerò, uidens nobilis uiri petitionem iuri satis conuenire, & æquitati, tota mentis properans intentione, ut ciuitas in nostram ueniret potestatem, iuxta illorum dedesirium se obligat: quòd usq; ad certam summam, quæ inter eos conuenit, in balneis & pomerijs ei redditus annuatim soluendos assignaret, & populo exire cupienti liberum cum omnibus rebus suis exitum procuraret. Eis uerò qui urbem & prædia sua tam urbana quàm rustica incolere, & nusquam uellent abire, uel ad tempus, uel in perpetuum, bonis conditionibus tranquillã, fide interposita, morã pollicetur. Quod uerbum tam dominus, quàm reliqua pars populi placidè suscipientes, urbem sine mora parati erant tradere. Amardus itaq; uidens, con

uentiones ad optatam peruenisse consonantiam, & iam in nullo uacillare sermonem, dominum Regem, Patriarcham, Principem, & Comitem familiarius conuenit, & rei seriem secretius pertractare, diligenter aperit, & ad consensum modis quibus potest hortatur: illi porrò uiri prudentiam, & fidei syn ceritatem attendentes, conditiones approbant, & consensum impartientes gratuitum, omnia se facturos iuxta illius ordinationem firmissime compromittunt. Sic ergò ciuitate tradita, ciues cum omni suppellectile sua, cum uxoribus & liberis, liberum habentes exitum, ad loca optata se contulerunt. Nostri uerò ciuitate recepta, domino patriarcha id procurante, dominoq́; Fulchero, Tyrensi archiepiscopo, ad cuius iurisdictionem Paneadensis ecclesia iure metropolitano certum erat pertinere, id concedente & electionē approbante, domino Adam, archidiaconum Acconensem, in episcopum eiusdem loci eligunt, & curam fidelium illic cōmorari uolentium cōmittunt spiritualem. Temporalē uerò iurisdictionē domino Raynerio cognomine Bras, cui paucis ante annis uiolenter erepta fuerat, restituunt. Inde Deo gratias & hostias solennes exhibituri, Hierosolymā dominus rex, cum D. principe Antiocheno, cum D. Patriarcha, & D. legato contendunt. Completis autem ibi de more orationibus, & mora per dies aliquot Hierosolymis habita, dominus princeps, prætentata domini legati mente, quid propositi aduersus patriarcham suum haberet, & inuitans eum, ut non pigritaretur uenire, sed fortis & de eius auxilio certus ueniret, Antiochiam reuersus est. Missus enim erat (ut prædiximus) idem legatus, ut super quibusdā criminibus, eidē patriarchæ, à quibusdam canonicis ecclesiæ suæ obiectis cognosceret, & causam debito fine terminaret. Nunc tempus est, ut quod superius de dicto patriarcha præmisimus, exoluamus: quod ut facilius intelligatur, à superioribus aliquantulum repetenda est historia.

Princeps Antiochenus cum aduersarijs Antiocheni Patriarche conspirat. Patriarcha Romam proficiscitur. Capitur à duce Apuliæ Rogerio: sed tandem cum eo pacificatus, Romam peruenit. Caput XII.

DOmino igitur Raymundo primùm Antiochiam (ut prædiximus) accedente, anteq́; uxorem destinatam haberet, domino Rodulpho, qui tūc ecclesiæ præerat Antiochenæ, ut facilius ad optatum perueniret, fidelitatem manualiter exhibuit, spondens fide interposita, quod ab ea die in antea, non esset in cōsilio, uel in facto, quòd honorē, uitam, aut membrū perderet, aut caperet mala captione, sicut in forma exhibendę fidelitatis continet. In qua fidelitate, modico quidē tempore perseuerauit. statim enim uxore ducta, & tota regione recepta, per eius studiū & operā, disiunctus est ei, aduersarijs opem conferens, & omne consiliū contra fidelitatis debitū in eius lęsionē. Habētes igit eius ęmuli tantum studiorū suorum cooperatorē, animosius eius impugnationib. insistentes, Romā proficiscunt. Erant aūt aduersarij eius, Lambertus uir quidē literatus, eiusdē ecclesię archidiaconus, & honestę cōuersatiōis, sed seculariū modicā aut nullū habens experientiā. Et Arnulphus quidā Calaber natione, nobilis genere, literatus, et in secularib. plurimū circūspectus. Hi interpositis appellationis uocibus, cōsentiente & fauēte principe, Romā profecti, eum etiā inuitū, sed per principē cōpulsum, eandē uiā arripere coēgerūt.

factum

Factum est itaque, quod Arnulfus praecesserat, & in Siciliam compendioso itinere profectus, coniunctis sibi de amicis & consanguineis, quia de Calabria erat oriundus, ubi postmodum fuit Cōsentinus episcopus (erat enim ualde nobilis, ut diximus) dominum Rogerium Apuliae ducē, cui notus erat, conuenerat, dicens: Ecce princeps egregie, in manus tibi, optato, sed & gratis datur hostium tuorum immanissimus, Antiochenorum patriarcha, qui tibi & haeredibus tuis in perpetuum Antiochiam abstulit, sublimato in ea, uiro ignoto, contra iuris ordinē. Ecce eum obtulit tibi Dominus, & consummata eius peccata dederūt praesentem. Eia expergiscere, tracta quomodo eum habeas: certus, quia per eum ad haereditatem iure tibi legitimo successionis debitam, iterum tibi patēre poterit introitus, qui tibi per eundē negatus est inde bitē. His uerbis motus Apuliȩ dux, sicut uir erat solertissimus, in singulis maritimis urbibus, locari pręcipit insidias, ut adueniens statim captus, & uinculis mancipatus, in Siciliam protinus dirigatur. Ille uerò prospera usus nauigatione, nihil tale ueritus, Brundusium applicans, iuxta ducis mandatū, sublatis omnibus quae secum tanquam princeps potentissimus detulerat: sed & dispersa familia, uinctus traditur eidem Arnulpho, in Siciliam ante Ducem pertrahendus. Hic primùm Arnulpho iuxta desideria datum est in hostem & impium persecutorem suum, pro libero desaeuire arbitrio, & uices aequa lance reddere, pro his quae de manu eius acceperat duplicia. Tandem in praesentia Ducis cōstitutus, habitisque cum eo familiaribus colloquijs, & conuentionibus interpositis, sicuti uir erat prudens & facundissimus, & honestissimam habens personam, receptis uniuersis cum omni integritate quae amiserat, sed & familia restituta, spondens quod in reditu per eundem Ducem sit habiturus regressum, cum omni honestate Romam pergens, dimittitur. Romam uerò perueniens, prima facie difficiles habuit ad dominum Papam introitus, tanquam Romanae persecutor ecclesiae, & qui singularem sedis Apostolicae primatum comminuere & infringere uoluerit, sedem aemulam contra Romanam erigens, & parificās ecclesiam, tanquam laesae maiestatis reus, ab ingressu sacri arcendus palatij, & à domini Papae colloquio suspenditē.

3 *Accusatur Patriarcha ab aduersarijs: tandem cum plenitudine gratiae, ad propria reuertitur.* Caput XIII.

PORrò tam dominus Papa, quàm uniuersa ecclesia, procliuiores erant ad hoc, ut dominum Patriarcham, sumpta qualibet honesta occasione grauarent, eiusque aduersarijs plurimum exhibebant fauorem: suspectus enim eis habebatur, eo quod uir diues esset, & magnificus, & sedem cui praeerat, Antiochenam uidelicet, Romanae subijcere dedignabatur: sed ei eandem in omnibus parificare contendebat, dicens: Vtramque Petri esse cathedram, eamque quasi primogenitam, insignē praerogatiua: unde multipliciter ad eius grauamen nitebantur. Tandem quorundam amicorum usus officio, interuenientibus tam domini Papae, quàm suis familiaribus, & semitas dirigentibus, admissus est ad domini Papae & curiae solenniter congregatae pręsentiam, & cum multa susceptus est magnificentia. Porrò semel & secundò eo in consistorium ingresso, sumpta opportunitate, eius aduersarij prodeunt in publicum: & oblatis libellis accusatorijs, parati erant cum omni iuris solen-

nitate, ad accusandum procedere. Verùm cognoscens tota curia, quod qui ad accusandum prodierant, non erant eatenus instructi, ut domini Papæ & eius assessoribus plenam de obiectis possent ibi fidem facere, significatur ambobus quod interim quiescant, quousque dominus Papa aliquẽ de latere suo, ad partes dirigat Antiochenas, qui ibi habita testium et instrumentorum copia, de caussa plenius possit cognoscere. Interea resignato pallio, quod idem Patriarcha de altari Antiochenæ ecclesiæ, sua sibi sumpserat auctoritate, in iniuriam, ut dicebat, sedis Apostolicæ, & cardinalibus tradito: aliud ei, sumptum de corpore beati Petri, more solenni per priorem Diaconorum traditur. Sic itaque mora, quantum negotium eius exigere uidebatur, Romæ habita, cum plenitudine gratiæ, salua tamẽ quæstione, sumpta licentia, ad Ducem Rogerium in Siciliam reuersus est: qui redeuntẽ honorificè suscipiens, postquam mutuis colloquijs sæpe & multum ad inuicem plura, & quæ sufficere uidebantur, familiariter cõtulerunt, datis eidẽ à domino Duce galeis, quotquot ad iter remeandũ habuit necessarias, secundis usus flatibus, in Syriam deuectus, fauces Orontis attigit, qui fluuius Antiochiam præterfluit, qui locus uulgari appellatione Portus sancti Symeonis dicitur, ab Antiochia decem plus minus'ue modicum distans miliaribus.

Rediens Patriarcha, à clero suo, instinctu principis non recipitur. In terram secedit Comitis Edissani. tandem cum principe pacificatus, Antiochiam ingreditur. Caput XIIII.

POstquam ergo, sicut dictum est, D. Patriarcha Cœlesyriam aduenit, & suæ ita uicinus factus est ciuitati, scribit ecclesiæ suæ, ut die statuta, ei extra ciuitatẽ, in loco prænominato cum processione solenniter occurrant. Qui principis fauore freti, quia eum, ut prædiximus, odio inexorabili contra fidelitatis debitum, quo eidem tenebãtur astricti, persequebanť, omnino facere, uel ei obedire negant: sed & introitũ ciuitatis, per Principis uiolentiam penitus interdicunt. Ille uerò intelligens cleri sui malitiam, & eorũ de quibus longè aliter meruerat aduersionem, principis quoque obsignatã indignationem, secessit in montana, quæ urbi contermina sunt, quæ uulgo dicunť Nigra, ibi in Monasterijs, quibus locus ille abundat, moram faciens præstolabatur, ut rancore deposito, humaniore sententia tam D. Princeps, quàm clerus suus, eum in urbem reuocarẽt. Princeps sanè solito amplius & manifestius ipsi oppositum se dabat. auxerat enim odiũ & maiora dederat incẽdia Arnulphus, qui de Sicilia eidem principi scripserat, quod idem Patriarcha cũ Duce Rogerio, eius æmulo, cõtra eum pactis secretioribus cõuenerat: & in argumentum assertionis suæ prætendebat, quòd eum per Siciliam redeuntem, muneribus & multa præuenerat honorificentia, & galeas ad iter cõtulerat necessarias, quæ omnia ad persuasionem meritò uidebantur operari. Dum itaque in locis prædictis moraretur, Comes Edissanus, Ioscelinus iunior, tum odio principis, cum fauore Patriarchę, eum missis ad hoc specialiter nuncijs, ut in terram suam securè & cõfidenter cum omni suo descendat comitatu, diligenter inuitat. Fauebant enim prædicto Patriarchæ, illius regionis episcopi, & tanquam dominum & patrem deuotè uenerabãtur, Edissanus uidelicet, Coriciensis & Hierapolitanus Archiepiscopi. Illorũ ergo uocatione tractus, ad

eos descendit, honorificè nimis ab omnibus illius regionis tractatus Prælatis: sed & Comes iuxta id quod ei promiserat, humanissimè & deuotè multum eius suscepit aduentum, & moram gratanter amplexus est. Princeps uerò ut dicitur, pecunia retentus, ore, nō corde, eidem gratiam suam, per quorundam utriusque familiarium interuentionem, restituit, & nuncios dirigens ad ingressum ciuitatis & reditum ad propria uerbis pacificis, in dolo familiarius inuitat. Quod audiens Patriarcha, maturat reditum: & assumens sibi uicinos illos episcopos, quorum sibi deuotionē illa sua aduersitate certis indicijs expertus fuerat necessariam, Antiochiam peruenit: ubi occurrens ei uniuersa ecclesia & populus uniuersus, sed & equestris ordinis cū principe maxima multitudo, cum hymnis & canticis, pontificalibus indutus, sollenniter in ciuitatem & maiorem ecclesiam, dehinc in palatium suum deductus est.

Lugdunensis Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, apud Accon defungitur. dirigitur ad idem alter Albericus, episcopus Hostiensis. Synodus apud Antiochiam indicitur. Caput XV.

INterea Legatus ecclesiæ Romanæ, Petrus nomine, natione Burgundio, Lugdunensis Archiepiscopus, missus à domino Innocētio Papa, ut causæ prædictæ debitum finem imponat, uenit in Syriam, apud Accon applicans. Erat autem uir uitæ uenerabilis, simplex, ac timens Deum, longæuus, & iam in senium uergens. Qui statim, ex quo Syriam ingressus est, Hierosolymam deuotionis gratia profectus est. unde sub compendio digressus, urgentibus eum prædictis Lamberto & Arnulpho, ut Antiochiam, uti finem impositurus, acceleraret, Accon iterum peruenit: ubi graui correptus ægritudine, antequam procederet, ueneno, ut dicitū, in potu ministrato, subito deficiens, in fata concessit. Prænominati autem Patriarchæ aduersarij, Antiochiam properantes, omnimodo destituti auxilio, spe quam de aduentu Legati conceperant, frustrati, uiæ & laborum, quæ per tot pertulerant tempora, tædio fatigati, per interuentores, quos ad hoc reputabāt idoneos, pacem supplices postulāt, accusationi renunciare, & parati fidelitatē exhibere. Lambertus in Archidiaconatum restituitur: Arnulphus uerò nihil humanitatis inueniens, Principis iterum fretus auxilio, solita longanimitate iterum ad labores & iter accingitur: Romamque proficiscēs, iterum opportunè & importunè pulsat: tandemque precibus proteruè insistens, obtinet, ut prædictus Legatus, de quo nobis in præsenti sermo est, in Syriam dirigatur. Qui Hierosolymam, ut præmisimus, adueniens, completis orationibus, dominū Patriarcham & uniuersos regni pontifices ad Synodum conuocans, apud Antiochiam pridie Cal. Decemb. illuc cum omni celeritate contendit.

In cœtu episcoporum aduersus Patriarcham accusatio proponitur. citatur: sed uenire differt. Serlo Appamensis Archiepiscopus, eius fautor, deponitur. Caput XVI.

DIe igitē statuta affuerūt de diœcesi Hierosolymitana, D. Vuilhelmus Patriarcha, Gaudētius Cæsariensis Archiepiscopus, Anshelmus Bethleemita episcopus. affuit & D. Fulcherus Tyrensis Archiepiscopus, sanctæ Romanę ecclesię multū deuotus & fidelis, in quo tota spes Legato erat, cōsummatiōis negotij. erat aūt uir magnanimus, & discretus plurimū. adfuit quoque cū

duobus de suffraganeis suis, Bernhardo uidelicet Sydoniense, & Balduino Berythense. De prouincia autem Antiochena, quoniam uiciniores erãt, adfuerunt uniuersi, quorum uaria nimis & ab inuicem dissona erant desideria. Nam Stephanus Tarsensis Archiepiscopus, Gerardus Laodicensis, Hugo Gabulensis Archiepiscopus, Canonicorum contra dominum Patriarcham fouebant caussam. Fraco autem Hieropolitanus, & Gerardus Coritiensis, Serloq; Apamiensis, licet ei ab initio aduersarius fuisset, conuersus ad eũ, domino Patriarchæ, suum manifeste præstabat patrocinium. Alij in neutrã partem manifestè uidebantur declinare. Die ergo præfixa, residentibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ex more in ecclesia principis Apostolorũ, & pontificalibus induti, præsidente dño Legato, & uires domini Papæ obtinente, lectus est in publico, mandatorum domini Papæ tenor. Quo perlecto, diligentius & plenius cognito, prodierunt in publicum accusatores, Arnulphus sæpedictus, & Lambertus Archidiaconus: qui licet prius cum domino Patriarcha cõuenisset in dolo, & beneficij sui obtinuisset restitutionẽ, tamen conuersus in actum prauum, denuò se cõstituit accusatorem. Adiunctiq; sunt eis alij etiam complures, uidentes non satis prosperè tempora domino Patriarchæ respõdere. Hic etiam erat illud manifestè uerum deprægendere, quod Naso prouerbialiter dicendum tradidit,

Cum fueris fœlix, multos numerabis amicos:

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Procedentes igitur in publicum auditoriũ accusatores, paratos se dicunt, secundum iuris regulas, porrectis libellis accusatorijs, ad accusandum procedere: & subijcere, si deficiant, talionẽ. Erãt autem capitula super quibus proposuerant eum impetere, schedulis inscripta. Quædam de enormi & indisciplinato, & contra regulas sanctorum Patrum, eius in Patriarchatum introitu. Quædã de eius incontinentia, & operibus Symoniacis. His instanter postulantibus, ut se præsentem exhiberet, mittuntur qui eum ad Synodũ solenniter inuitent, & ut ad obiecta ueniat responsurus, moneãt: qui omnino ueníre refutauit. Ea itaq; die nihil amplius processum est in uerbo illo, nisi quod exhortatorios habuerũt sermones ad inuicem, sicut moris est in talibus. Secunda iterum die, conuenientes denuò, & ex ordine residentes, iterum citatorio edicto dominum Patriarchã solenniter uocant: qui sicut & pridie, omnino uenire noluit. Interim Serlo Apamiensis Archiepiscopus, in choro pontificum sine ueste residens nuptiali, nõ enim more aliorum indutus erat pontificalibus, à domino Legato conuenitur, quare reliquis fratribus non cõsonaret: et quare ad accusandũ, sicut aliquando fecerat, nõ procederet. Respondit: Quod aliquando feci, inconsulto calore, & contra salutem animæ meæ, detrahens patri meo, & more maledicti Cham, uerenda patris discooperiens, operatus sum. & nunc ab errore deuio, me, auctore Domino, reuocãs, nec eum accusare, nec iudicare præsumptuosè, tentabo: sed pro eius statu & incolumitate, paratus sum usq; ad mortem decertare. Præcipitur ergo exire: & data in eum sententia excommunicationis simul, & degradationis, siue iustè, siue aliter, ab omni officio sacerdotali & pontificali depositus est. Tantus enim timor domini Principis, in partem Legati nimiũ procliuis, omnes inuaserat,

inuaserat, ut iam nulla contradicendi libertas alicui præstaretur. Incendebat eundem principem, minus prouidum & indiscretū, quidam Petrus Armenius, præsidij ciuitatis custos, uir malitiosus supra modum, sperans, quod si Patriarcham deponi contingeret, quendam nepotem suum, Haymericum nomine (quem dominus Patriarcha in suam perniciem, eiusdē ecclesiæ Decanum fecerat) posset per seductum principem, in sedem illam prouehere: quod & factum est. Serlo igitur, siue de facto, siue de iure depositus, Antiochia egrediens, in suam dioecesim se contulit: perueniensq́ ad castrū Harenc, ægritudine præuentus, & curarum anxius pondere, lecto decubuit: & conuersus ad parietem, & iniuriarum enormitatem non ferens, exspirauit.

Patriarcha tanquam contumax absens deponitur, ignominiosè tractatus, uinculis mancipatur. Romam iterum profectus, ex parte gratiam obtinet: sed rediens ueneno interijt. Caput XVII.

TErtia demum die iterum conuenientes, & residentes ex ordine, tertiò dirigunt, qui dominum Patriarcham peremptorio citent edicto, & ut ueniat obiectis responsurus, moneant. Qui utrum cōscientiam ueritus, an contra se Synodum inuidiosè collectam sciens, & principis uiolentiam timens, pro certo compertum non habemus, uenire, sicut & prius, omnino negauit. Erat autem in palatio suo cum suis familiaribus, multo stipatus equitum & popularium comitatu. conuenerant enim ad eius subsidium, uniuersi de ciuitate: qui nisi principis timuissent potentiam, legatū cum uniuersis qui in eius depositione conuenerant, urbe cum ignominia parati erāt depellere. Videns ergo Legatus quòd ad se uenire nolebat Patriarcha, de domini Principis cōfisus patrocinio & uiribus, in palatium ascendit, ibiq́ data in eum depositionis sententia, annulum & crucem cōpulit uiolēter resignare. inde iubente Legato, Principi traditus, & uinculis miserabiliter alligatus, tanquā uir sanguinum ignominiosè tractatus, apud monasterium sancti Symeonis, iuxta mare, in monte eminentissimo situm, carceri mancipatus est. Fuit autē idem dominus Radulphus (nā nos ipsi in nostra pueritia uidimus eū) uir speciē decorus, procerus corpore, oculis aliquantulum obliquis, non tamen ad indecentem modum: literatus mediocriter, sed facundus plurimū, & iucundissimi sermonis, multam habens gratiam, liberalis admodum, militarium uirorum, sed & secundæ classis fauorem non modicum assecutus, promissorum & pactorum facile immemor: in uerbo suo uarius & inconstans, subdolus, ac nimium in omni uia sua multiplex, prouidus & discretus. in eo solo repertus imprudentior, quod aduersarios quos sibi meritò suscitauerat, in gratiam suam redire uolentes, non admiserat. Dicebatur etenim, & uerè siquidem erat, arrogans, & de se plus æquo præsumens. unde in eū deuenit casum, quē si aliquantulum circumspectius se habuisset, facile potuisset declinasse. Captus est, & cathenatus in monasterio diù detentus, tandem elapsus Romam profectus est. Ibi aliquatenus gratiam sedis Apostolicæ assecutus, dum redire maturaret, ueneno hausto, sceleris ministro porrigente, nescimus quo, miserabiliter interijt: in seipso, quicquid utraq; fortuna facere poterat, alter Marius, plenius expertus.

Legatus

Legatus Hierosolymam rediit. Synodum celebrat. templum dedicat Dominicum. Cap. XVIII.

Legatus igitur deposito Patriarcha, & consummatis apud Antiochiã pro quibus uenerat negotijs, Hierosolymam reuersus est: ubi usque ad solennitatem Paschalem moram faciens, habito prius consilio cum prælatis ecclesiarum, tertia post sanctum Pascha die, unà cum domino Patriarcha & episcoporum nonnullis, templum Domini solenniter dedicauit. Affuerunt ibi dedicationis die, multi tã de partibus ultramontanis, quàm de cismarinis regionibus, magni et nobiles uiri. Inter quos adfuit & D. Ioscelinus iunior, Comes Edissanus, qui tunc in solennibus sancti Paschę diebus, magnificè nimis in ciuitate moram faciebat. Qua celebritate completa, conuocatis Archiepiscopis, episcopis, & alijs ecclesiarum prælatis, unà cum dño Patriarcha, concilium celebrauit, in primitiua & ecclesiarum matre sancta Syon, tractans ibi cum eis, de ijs quę instanti tempori uidebantur cõuenire. Cui Synodo interfuit Maximus Armeniorũ pontifex, imò omnium episcoporum Cappadociæ, Mediæ & Persidis, & utriusque Armeniæ princeps, & Doctor eximius, qui Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de fidei articulis, in quibus à nobis dissentire uidetur populus eius, habitus est tractatus, & ex parte eius promissa est in multis correctio. Quibus ritè peractis, prædictus Legatus ad Acconensem rediens ciuitatẽ, inde parato nauigio, Romã reuersus est. Clerus uero Antiochenus, & maximè qui in depositione domini Radulphi cõspirauerant, instinctu & suggestione Principis, & maximè (ut dicitur) interuentu munerum, elegerunt sibi quendã eiusdem ecclesiæ subdiaconum, Haymericum nomine, Lemouicensem, hominem absque literis, nõ satis honestè: quem prædictus dominus Radulphus, arbitrans eum sibi reddere obligatiorem & fideliorem amplius, in Decanũ eiusdem ecclesiæ promouerat, spe frustratus. nam ab ea die cum eius aduersarijs dicitur cõuenisse, & in benefactoris sui, fidelitatis immemor, conspirasse depositionẽ. Quod autem de eius promotione factum est, Petrus quidam cognomine Armenius, eiusdem ciuitatis Castellanus, artibus suis & multa munerum profusione aggreditur, & tam clerum quàm principem ad id impulisse dicitur, eo quòd eius esset cõsanguineus.

Rursus Imperator in Syriam descendit: ad pacta prius inita Principem inuitat. Caput XIX.

Per idem tempus, quatuor uix plenè euolutis annis, ex quo à Tarso Ciliciæ & uniuersa Syria discesserat, dominus Ioannes Constantinopolitanus Imperator, reparatis uiribus, & legionibus reuocatis, crebris domini Principis & Antiochenorum nuncijs excitus, iterum expeditiones, iterum exercitus in Syriã dirigens, in multitudine uirtutis suæ, in curribus & equis, in thesauris infinitis, & in copijs innumerabilibus, iter uersus Antiochenas dirigit partes. Enauigato igitur Bosphoro, qui limes Europæ, Asiæque intelligitur, transcursis medijs prouincijs, Attaliam usque peruenit, quę est urbs maxima, in littore maris sita, prouinciæ Pamphylię metropolis. In hac dum moram faceret dñs Imperator, duo de filijs eius, Alexius uidelicet primogenitus, & natu secũdus Andronicus, languore correpti grauissimo, extremum morientes clauserunt diem. Vocansque Imperator natu tertiũ, Isaacium nomine, cum fratrum funeribus defunctorum, ut ea humanitatis gratia procurans &

rans,et exequiarum nouissimam exhiberi faciens reuerentiam,tumulis mandaret, prout imperialem decebat magnificentiam, Constantinopolim remisit: ubi sepultis fratribus, iuxta patris imperium in urbe, usque ad patris obitum moram faceret continuam. Pater uerò natu nouissimum sibi assumens, inceptum prosequens iter, transcursa Isauria, in Ciliciam peruenit: inde peragrata Cilicia subitò, uix eum fama sui aduentus præueniente, in terram Comitis Edissani, cum omnibus copijs suis ingressus, ex insperato ante Turbessel consedit. Est autem prædictus locus, castrum opulentissimum, circa Euphraten, ab eo distans miliaribus uiginti quatuor, uel modicum amplius. Ad quem locum postquam peruenit Imperator, petijt à Comite Ioscelino iuniore obsides, qui de subito eius attonitus & admiratus ingressu, uidens eius incomparabiles copias, & quas nemo Regum terræ sustinere uideretur, seq; imparatum, & omnino ad resistendum non posse sufficere, de necessitate faciens uirtutem, unam ex filiabus suis, Isabellam nomine, tradidit obsidem. Hoc autem nihil aliud exigebat, nisi ut Comitem hoc uinculo arctius sibi deuinctum, ad prosequenda mandata sua haberet fideliorem. Inde uersus Antiochiam uniuersos dirigens exercitus, illucq; sub omni celeritate contendens, secus oppidum quoddã nomine Gaustum exercitus collocauit mense Septẽbri, uigesimoquinto die mensis. Inde nuncios ad Principẽ dirigens mandat, ut iuxta pactorum legem, inter se prius initam, urbem ei cum urbis præsidio, & omnibus indifferenter ciuitatis munitionibus, resignet: ut inde finitimis hostium ciuitatibus guerram possit inferre, quasi de uicino commodius. & ipse uersa uice, quantum in se erat, paratum se constanter asseuerat, pacta quæ scripto prius indita fuerant, larga interpretatione complere, & insuper addere mensuram bonam & confertam, secundum qualitatem meritorum.

Ciues missa legatione ad Imperatorem, pactis contradicunt, & ingressum inhibent. Caput XX.

PRinceps uerò Antiochenus, dominus Raymundus, qui prius eum iam frequentibus citauerat nuncijs, uidens se in arcto constitutum, seq; pactorum lege obligatum sciens, hæret dubius quid faciat: conuocatisq; maioribus & primoribus tam ciuitatis, quàm regionis uniuersæ, partes ingreditur deliberationis, consilium postulans, quid facto sit opus in re tam periculosa. Illi uerò post multam deliberationem unanimiter conuenientes, nullatenus arbitrantur expedire statui regionis, quod tam nobilis, tamq; potens, & tam munita urbs, in manus aliquo pacto tradatur imperatoris. futurum enim esse, ut per ignauiam Græcorum, sicut non semel ante contigit, ciuitas in manus hostium deueniret, simul cum uniuersa regione. Sed ne princeps fidei uiolatæ merito possit argui, colorem quærunt, quo uelari possit principis factum minus commendabile: id enim pactis priore eius aduentu, inter eos conuenerat, ut præmisimus, ut ei ciuitatem sine difficultate traderet: idq; postmodum frequentibus nuncijs ad ueniendũ in Syriam eum inuitans, promiserat se bona fide seruaturum. Vt ergo Principem in hac parte quocunq; modo habeant excusatum, legatos dirigunt ad Imperatorem, de nobilioribus, qui ei ex parte beati Petri, domini quoq; Patriarchæ, &

chæ,& ciuium uniuersorum ingressum ciuitatis inhibeant, significentq;: Se Principis facta quæ præcesserant,rata omnino non habituros,neq; eundem principem sic paciscendi in uxoris hæreditatem,de iure habuisse facultatem: sed neq; eandem,absq; conniuentia ciuium & procerum transferendi dominium in aliquam personam habuisse,uel habere omnino potestatem,aut auctoritatem, iniuriā ciuium uel principum regionis transigendi ullam aliquo iure alterutri illorum concessam. Quod si in hoc uel uterq;,uel alter, obstinatè perseuerare præsumerent,futurū esse, ut urbe & uniuersis finibus illorum eiectos,extorres faciant citius,quàm cum detrimento fidelium suorum,ciuitatem & ius,quod uenale proposuerant,hęreditatis,ipsis concedant. His uerbis motus Imperator,& corda ciuium et prouincialium omnium agnoscēs, indignatus admodum,in Ciliciā iterum exercitus redire præcipit, ut ingruente hyemis inclementia, oræ maritimæ cōmitteret temperiei:solet enim esse circa maritimas regiones hybernis diebus aura suauior,& fouendis legionibus commoditas aptior inueniri.

Imperator ad Regem Hierosolymorum nuncios dirigit,simulans se habere propositum loca uisitandi uenerabilia,& super eodem recepit à Rege responsum. Caput XXI.

Videns igitur Imperator, ciuitatis optatum omnino sibi & suis negatum esse introitum, sperans hyeme transcursa, grata ueris redeunte clementia,circa Antiochiam etiam inuitis ciuibus,aliquid pro uotis obtinere: dissimulat mentis conceptum,& occultandi gratia propositi, ad dominum Fulconem Hierosolymorum Regē,magnæ nobilitatis uiros dirigit, significans, quòd deuotionis & orationis gratia, & ut contra hostes in partibus illis opē ferat,libenter si ita Christianis uideretur,ueniret. Rex autem habito consilio ad eius petitionē responsa ferentes nuncios remittit,dominum Anshelmum Bethleemitam episcopum,dominum Gaufredum, Abbatem templi Domini,grecę linguæ peritum:Roardum arcis Hierosolymitanæ Castellanum,dicentes: regnum arctissimum esse, nec ad sufficientiam tantæ multitudini alimentorum copijs abundare, nec tantos nisi cum famis & rerum necessariarum periculo sustinere posse exercitus. Veruntamen, si eum decem milibus, eius Deo amabili placeret imperio,usq; ad urbem beatam, & loca nostræ salutis uenerabilia peruenire,et aliquid pro uotis disponere,omnes cū summis desiderijs ei obuiam exirent,& cum omni lætitia & mentis exultatione, eius susciperent aduentum:& tanquam domino, & maximo principi orbis terrarum obedirent. Quod audiens Imperator, & contra Imperialem gloriam reputans,cum tam modica manu proficisci, qui tot milibus semper stipatus incedere cōsueuerat, uerbo supersedit:remissisq; nuncijs, multa liberalitate, honore & gratia præuentis,uer operiens futurum, hyberna in Cilicia circa Tarsum tempora peregit: æstate proximè futura promittens, & animo gerens,magnum aliquid perenni dignum memoria in Syriæ partibus se facturum. Interea quidā nobilis homo paganus, qui prius fuerat regis pincerna, postmodum habuit terram trans Iordanem, postquā Romanus de Podio, & filius eius Radulphus,meritis suis exigentibus,ab ea facti sunt exhæredes & alieni:in finibus Arabiæ secundę, castrum ædificauit cui nomen Gath,natura loci,simul et opere manufacto,munitū ualde,extra urbē antiquissimam

eiusdem

eiusdem Arabię metropolim, prius dictā Raba, in cuius obsidione mandato Dauid, & Ioab studio, Vrias innocens legitur occisus. postea uerò dicta est Petra deserti, unde & secunda Arabia hodie dicitur Petracensis.

In Cilicia moram faciens, letaliter sauciatur Imperator, dum uenationi dat operam. Caput XXII.

INterea circa ueris initium, antequam soleant reges exercitus ad bella producere, Imperator Constantinopolitanus, syluarum & uenandi gratia, uehementissimus amator, tollendi studio fastidij, & longa id exigente consuetudine, saltus cum solito & ad hoc deputato comitatu ingreditur: dumq; feras solita persequitur diligentia, arcum manu baiulans, & sagittis grauidam de more gestans pharetram, ecce aper, canum deprehensus industria, & importunitate fatigatus, latratibus actus acerbis, ante dominum Imperatorē in insidijs positum, necessariò habuit transitū. qui correpta mira celeritate sagitta, arcum implet nimis, & sagitta acie toxicata, seipsum in ea manu uulnerat, qua regebat arcum. Sumpto itaque ex tam læui causa in proprio corpore mortis responso, syluas, morbi compellente molestia, deserens, in castra se contulit: accitaq; medicorum frequentia, rem aperit, & suijpsius mortis causam se existere, dicere non ueretur. Illi aūt pro dn̄i sui salute ualde soliciti, curā adhibēt: sed recepta interius pestis mortifera remedia nō audit, & serpens interius ad interiora progrediēs, salutis uias intercludit. unū tamen dicebat, et singulare, sed tanto indignum principe, posse adhiberi remedium, si læsa manus, in qua uis tota mali adhuc contineretur, antequā reliquas corporis partes adhuc illæsas inficiat, præcidatur. Hoc uir audiens magnanimus, licet doloris angeretur immensitate, & mortem non dubitaret adesse pro foribus, imperiali tamen maiestate cōstanter obseruata, spreuit: & respondisse dicitur, Indignum esse, ut Romanum imperium una manu regatur. sinistro ergò euentu, et quo periculosior nullus interuenire poterat, attonitus, concutit exercitus omnis, & pro tanti principis defectu dolor uniuersas occupat legiones, mœror & anxietas corda sibi uendicant singulorum, & castra omnino insperata replent amaritudine.

Sublimato ad imperium iuniore filio, defungitur Imperator. Exercitus duce Manuele Imperatore substituto, domum reuertitur. Caput XXIII.

VIdens interea dominus Imperator, tanq; uir prouidus & discretus, sibi certum imminere mortis diē, uocatis ad se consanguineis & affinibus, quorum multa eum turba semper sequi cōsueuerat, primoribus sacri palatij, & exercituū primicerijs, de successione imperij inter eos suscitat quæstionē. plurimū dubius quid faciat, an maiori natu filiorū suorum Isaacio, quē cum funeribus fratrum suorum ab Attalia (ut præmisimus) Constantinopolim remisit, cui de iure primitiua regni uidebātur competere: an iuniori filio, qui secum erat, qui optimæ & pręcipuæ erat indolis adolescens, & futurus magnus ab omnibus dicebatur, imperij committeret gubernacula. Subiungit etiam & dubitationis causam, dicens: Si huic sceptra imperij concesserimus, legibus humanitatis, quæ primogenitum meritò faciunt potiorem, uidebimur contraire: Si uerò illi, communibus obseruatis iudicijs, moderamen imperij contulerimus, non erit qui hos exercitus, & totius robur & gloriam

Romani imperij domum reducat incolumes. Hostibus enim interiectis, insidias molientibus, & undique corrogantibus suffragia, non nisi cum periculo, sine rectore posse transire legiones, certum uidebatur. Erat autem inter principes uir magnificus, Mega domesticus Ioânes nomine, qui cum suis Isaacio multum affectabat imperium conseruari: & de incolumi legionum ad propria reditu, dubitantem Imperatorem nitebatur confirmare. Porrò Manuel iunior filius, qui ibidē cum patre præsens erat, uniuersi exercitus, & maximè Latinorum fauore & præconijs extollebatur. De principibus quoque nōnulli ad eius promotionem omnimodam dabāt operam. Patris quoque in eundē, quia prudentior, et in armis magis strennuus, & omnino affabilior uidebat, affectus & gratia procliuior. Angebat eum etiam maximè reducendi exercitus cura propensior. Sic igitur post multam deliberationē, autore Domino, obtinuit iunior filius, & exhibita sibi in patris præsentia, & eo mandante imperiali reuerentia, ocreis, ut mos est in illo imperio, insignitus purpureis, ab uniuersis legionib. certatim Augustus est appellatus. Sic domino Manuele ad apicem promoto imperialem, pater eius inclytæ recordationis, uir inclytus, liberalis, clemens, pius & misericors, in fata concessit. Fuit autem statura medioeris, carne & capillo niger, unde & cognomento dicitur etiam hodie Maurus: facie despicabili, sed moribus conspicuus, & actibus insignis militaribus. Defunctus est itaque sub Anauarza, urbe antiquissima, quæ est secundæ Ciliciæ metropolis, in eo loco qui dicitur Pratum Palliorum, Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo octauo, mense Aprili, Imperij uerò uigesimo septimo. Tandem uerò compositis in ea regione negotijs, dominus Imperator cū omni sospitate Constantinopolim suos reduxit exercitus: ubi fratrem natu superiorem, palatium, audita patris morte, obtinentem, per Mystionem suū, qui palatio & thesauris prǽerat uniuersis, missis occultè literis, ex improuiso captum, et nihil tale ueritum, in uincula coniecit. Sed postmodum, postquā urbem regiam solenniter ingressus est, per interconuentionem communium consanguineorum, & principum sacri palatij fidelem operam, fratri reconciliatus est: sicque cum tranquillitate debita, iuxta patris supremum iudicium, obtinuit D. Manuel monarchiam, fratrē suum tanquam primogenitum, multiplici non cessans, quàm diu uixit, honore prǽuenire, & gratia prosequi cumulatiore.

Rex & regni principes, ante Ascalonam castrum fundant, cui nomen Ibelim. Caput XXIIII.

INterea dominus rex Hierosolymorū Fulco, & alij regni principes, unà cū domino patriarcha, & alijs ecclesiarum prælatis, uolentes Ascalonitarum insolenter nimis desæuientium impetus refrenare, & discurrendi per regionē nimiam aliquatenus arcere licentiam: constituunt de cōmuni uoto, in campestribus extra urbem Ramulam, non longè à Lidda, quæ est Diospolis, castrū ædificare. Erat autem in ea regione collis aliquantulum editus, super quem unam de urbibus Philistinorum, traditiones habent, fuisse constitutā, Geth nomine: iuxta illam aliam eorum ciuitatem, quæ dicta est Azotum, ab Ascalona distans miliaribus decem, nō longè ab ora maritima. Conuenientes igit̄ unanimiter ex edicto, in præfato colle, firmissimo opere, iactis in altum fundamentis, ædificant præsidium, cum turribus quatuor, ueteribus ædificijs,

quorum

quibus adhuc multa supererant uestigia, lapidum ministrantibus copiã. Puteis quoque uetusti temporis, qui in ambitu urbis dirutę frequẽtes apparebãt, aquarum abundantiã, tum ad operis necessitatẽ, tum ad usus hominum largientibus. Perfecto igitur castro, & partibus omnibus absoluto, cuidam nobili uiro & prudenti, de cõmuni traditur consilio, domino uidelicet Baliano seniori, Patri Hugonis, Balduini & Baliani iunioris, qui omnes ab eodem loco cognominati sunt de Hybelim. hoc enim nomẽ erat illi loco, antequam etiam castrum illic ædificaretur. In cuius custodia & hostium persecutione, cuius gratia municipium erat conditum, diligentem habuit uir prædictus uigilantiam, & post eius obitum prædicti eius filij, uiri nobiles & in armis strennui, in nullo segnius, quousque prædicta ciuitas nomini restituta est Christiano, diligentissima tenuerunt custodia.

Iterum ante eandem Ascalonam de communi principum consilio castrum ædificatur, cui nomen est Blanca guarda. Caput XXV.

ANno proximẽ subsecuto, uidentes regni Principes, & ipso rerũ experimento plenius cognoscentes, in fundatione duorũ præsidiorum, Bersabeæ uidelicet, & Hybelim, contra Ascalonitarũ superbiam se plurimũ profecisse, & eorũ ex maxima parte repressam insolentiã, impetus tardiores, debilitatos conatus, adijciunt tertium ædificare, ut amplioribus molestijs, & multiplicatis in gyrũ municipijs, urbẽ affligant, & quasi obsessis frequentius terrorem, & cum terrore pericula incutiant, magis repentina. Erat autem in ea Iudææ parte, quæ à montibus declinans campestribus incipit esse contermina, secus Philistijm fines, in tribu Symeon, ab Ascalona octo distans miliaribus, locus quidam, ad montana comparatus collis, ad planiorẽ uerò regionem, mons sublimis poterat appellari, & loco nomen Arabicẽ Telessaphi, quod apud nos interpretatur mons siue collis clarus. Hîc complacuit prudentioribus, præsidiũ fundari, eò quod alijs quæ aduersus similes facta erant municipijs, & ciuitati uicinius, & loco situque munitius uideretur. Proposito igitur satisfaciẽtes, dominus Rex & principes eius, unà cum domino Patriarcha & pręlatis ecclesiarum, circa ueris initium, hyeme transcursa, ad locum unanimiter conueniunt, & uocatis artificibus simul & populo uniuerso necessaria ministrante, ædificãt solidis fundamentis & lapidibus quadris oppidum, cũ turribus quatuor, congruę altitudinis. Vnde usque in urbẽ hostium liber esset prospectus, hostibus prædatum exire uolẽtibus ualde inuisum & formidabile: nomenque ei uulgari induũt appellatione, Blanca guarda, quod Latinẽ dicitur Alba specula. Castrum ergo perfectum & omnibus suis partibus absolutum, dominus Rex in suam suscepit custodiã, et tam uictu quàm armis sufficienter munitum, uiris prudentibus & Rei militaris habentibus experientiam, quorum nota est fides & probata deuotio, seruandum commisit. Qui frequenter per se, frequentius adiunctis sibi & alijs municipijs ad usus similes ædificatis, militibus, egredientibus hostibus occurrebant, eorum euacuantes molimina, nonnunquam uerò ipsos Ascalonitas lacessentes, grauia eis inferebant discrimina, & de eis sæpius triumphabant. Porrò qui circumcirca possidebant regionem, prædicto confisi munimine, & uicinitate castrorum, suburbana loca ædificauerunt quàm plurima, habentes in

 eis fami-

eis familias multas, et agrorũ cultores, de quorũ inhabitatione facta est regio tota securior, & alimẽtorũ multa locis finitimis accessit copia. Inter hęc Ascalonitæ uidentes urbem per gyrum præsidijs inexpugnabilibus uallatam, cœperunt de statu suo solito amplius diffidere, & principem Aegypti potentissimum, cui nihil amplius residui de uniuersa regione factum erat, dominum suum frequentibus nuncijs commonere, ut pro urbe, quæ imperij sui robur erat, gereret sollicitudinem.

Regina in loco cui Bethania nomen, monasterium ædificat, & amplissimo ditat patrimonio: sororem ibi præficiens. *Caput* XXVI.

INterea per Domini superabundantẽ gratiam, regno ad aliquam tranquillitatem redacto, cõcepit domina Melisendis, piæ recordationis regina, pro remedio animæ suæ, & parentũ suorum salute, pro salute quoq; mariti & liberorum, si locum inueniret iuxta cor suum, monasterium sacrarũ uirginum fundare. Erat autem ei soror, inter cęteras iunior, Iuera nomine, quę in monasterio sanctæ Annę matris sanctę Dei genetricis, uitam sanctimonialem erat professa. Huius etiã intuitu, plurimũ ad prędictũ propositum, dña mouebatur regina. indignum enim uidebat ei, ut regis filia, tanq̃ una ex popularibus in claustro alicui subesset matri. Transcursa igitur mente uniuersa regione, & diligenter inuestigata, quis nam inueniretur aptior ad fundandũ monasterium locus: tandem post multam deliberationẽ, placuit Bethania, castellum Mariæ & Marthæ, & Lazari fratris earum, quem dilexit Iesus, familiare Domini diuersorium, & domicilium Saluatoris. Is autẽ locus ab Hierosolymis distat stadijs quindecim, iuxta uerbũ Euangelistæ: ultra montem Oliueti, ad Orientẽ situs, in decliuo eius montis. Erat autem idem locus ecclesiæ Dominici sepulchri proprius: pro quo domina regina tradẽs Canonicis urbẽ prophetarum Thecuam, locum in proprium recepit. Vbi quoniam quasi in solitudine erat, & hostium poterat patere insidijs, turrim munitissimã quadris et politis lapidib. officinis distinctã necessarijs, multis sumptibus ædificari præcepit, ut Deo dicatis uirginibus contra subitos incursus non deesset præsidij inexpugnabilis solatiũ. Turri igit cõstructa, loco ad aliquẽ modum ad cultũ religionis pręparato, sanctimoniales induxit fœminas, matrẽ eis constituens annosam quandã, & in religione probatam, uenerabilem matronam, multa ecclesiæ conferens prædia: ita, ut bonis temporalibus, nulli monasterio uirorum aut mulierum inferior haberetur: imò, ut dicitur, plus aliarum quælibet ecclesiarum abundaret. Inter cæteras enim possessiones, quas prædicto uenerabili loco contulerat, locum famosissimum, & omnino commoditatum abundantia simul refertũ, in campestribus Iordanis sitũ, Hiericho, cum suis pertinentijs liberaliter assignauit. Cõtulit etiã eidẽ monasterio sacra utensilia, ex auro & gemmis, & argento, ad multã quantitatem, simul & holoserica ad decorem domus Dei: sed & indumenta tam sacerdotalia quàm leuitica, & omnis generis, prout disciplina exigebat ecclesiastica. Defuncta quoq; illa uenerabili matrona, quam eidem pręfecerat loco, ad intentionem rediens, sororem suam de consensu domini Patriarchæ, & sororem sanctimonialium conniuentia, eidem præfecit monasterio: cum qua etiam adiecit plura in calicibus

cibus,libris,& cæteris,quę ad ecclesiasticos respiciunt usus,ornamenta, locũ non cessans,quàm diu uixit,intuitu animæ suæ & sororis, quam unicè diligebat,gratia ampliare.

Rex in campestribus Acconensibus leporem agitans,de equo ruit praeceps: moritur. Hierosolymis inter suos praedecessores sepelitur. Caput XXVII.

ACcidit autẽ illis diebus,quod cum dominus Rex,unà cum domina Regina transcurso autumno, in ciuitate Acconensi moram faceret, uoluit Regina,subleuandi gratia fastidij,extra urbem ad loca quædam suburbana, fontibus irrigua,causa recreationis exire. Quò D.rex, ut solatium D.reginæ non deesset,adiecit etiã ipse,cum solito comitatu proficisci. Dumq́ inter eundum esset,accidit casu, ut qui agmina & comitatũ præibant pueri, leporem in sulcis iacentem excitarent, quem fugientem clamor prosecutus est uniuersorum. Rex autem arrepta lancea,ut eundem leporẽ insectaretˀ, sinistro actus casu,equum ad illas cœpit urgere partes, & cursu uehementer instare. Tandem inconsultè festinans,equus in præceps agitur: corruensq́ in terram,Regem dedit præcipitem: iacenteq́ præ casus dolore attonito, sella caput obtriuit,ita ut cerebrum tam per aures, quàm per nares etiam emitteretur. Ad hunc casum,uniuersus qui præibat & qui sequebatur,facti acerbitate perterritus,conuersus est comitatus: & iacenti opem ferre uolentes, exanimem reperiunt, cui neq́ uox erat,neq́ sensus. Regina uerò comperta mariti morte, tam inopinato & sinistro saucia casu,ueste & capillo lacero eiulans, & doloris immensitatem suspiriis contestans & lamẽtis, in terram corruens, corpus complectitur exanime. Non sufficit humor oculis,fletus ubertate continui, & uox doloris interpres crebris interrumpitur singultibus: nec dolori satis fit, licet ad nihil aliud sit sollicita,quàm satisfactioni. Familia quoque lachrymis,uoce & habitu mœrorem contestans, anxietatis nimiæ lugubria prętendit argumenta. Nunciatur interea, & fama circumuolante diuulgaẗ per urbem Acconensem,Regis miserabilis interitus: & ad partes illas turbæ certatim confluunt,intueri uolentes factum inauditum quod acciderat. Inde cum lachrymis in prædictam urbem deportatus, sine sensu, triduo tamen adhuc palpitans,protraxit uitam. Quarto demum die, idib. uidelicet Nouembris, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo secundo, Regni uerò eius anno undecimo, deficiens, in senectute bona,ultimam clausit diem. Inde Hierosolymam cum debita delatus honorificentia, occurrente uniuerso clero & populo, in ecclesia Dominici sepulchri, sub monte Caluariæ,introëuntibus ad dextram,secus portam,inter alios felicis memoriæ Reges,eius prędecessores,per manum domini Vuilhelmi,uenerabilis Hierosolymorum & pię recordationis Patriarchæ, regia magnificentia sepultus est: duobus superstitibus liberis adhuc impuberibus relictis, Balduino uidelicet primogenito annorũ tredecim,& Almarico annorũ septem. Reseditq́ regni potestas penes dominam Melesendam,Deo amabilem reginam,cui iure hæreditario competebat.

LIBER DECIMVSSEXTVS

PRAEFATIO.

QVæ de præsenti hactenus cõtexuimus Historia, aliorũ tantũ quibus prisci temporis plenior adhuc famulabatᵘ memoria, collegimus ratione: unde cum maiore difficultate, quasi aliena mendicãtes suffragia, & rei ueritatem, & gestorum seriem, & annorum numerum sumus consecuti: licet fideli, quantum potuimus, hæc eadem recitatione, scripto mandauimus. Quę autem sequuntur deinceps, partim nos ipsi fide conspeximus oculata, partim eorum, qui gestis interfuerunt, fida nobis patuit narratione. Vnde gemino freti adminiculo, ea quæ restant, auctore Domino, facilius fideliusq́ posterorum mandabimus lectioni. Nam et recentium temporum solidior solet occurrere memoria: & quæ uisus menti obtulit, non ita facile obliuionis sentiunt incommodum, sicut quæ solo auditu sunt collecta. Vt enim Flacci nostri utamur uerbo, huic nostro consonante,

Segnius irritant animos, demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus: & quæ
Ipse sibi tradit spectator. &c.

Defuncto Fulcone, succedit filius eius, Balduinus tertius: & qualis corpore fuit, describitur. Caput I.



DEfuncto domino Fulcone, Hierosolymorum ex Latinis rege tertio, successit ei dominus Balduinus ternus, ex domina Melesenda Regina filius eius, fratrem habens unum puerulum, Almaricũ nomine, annorũ septem, ut præmisimus: qui postmodum eidẽ sine liberis defuncto, successit in regno, sicut in sequentibus aperietur. Tredecim annorum erat D. Balduinus, cum regnare cœpit: regnauit autem annis uiginti. Fuit autem adolescens optimæ indolis, id de se certis promittentis indicijs, quod postea in uirilem euadens ætatem, pleno rerum persoluit experimento. Nam uir factus, sicut facie, & tota mentis habitudine, præ cæteris differentiæ fermè præeminebat elegantia, ita & mentis uiuacitate & eloquentiæ flore, omnes reliquos regni proceres facile anteibat. Erat autẽ corpore procerus, mediocribus maior, ad corporis proceritatem membrorum habens cõsonam, & quasi proportionaliter respondentem uniuersaliter dispositionem, ita ut nec in modico à ratione totius in eo pars aliqua dissentiret. Fuit sanè decorus, facie elegantissima, colore uiuido, & innatum designante uigorem. A quibus planè in ea parte matrem referens, & ab auo non degener materno, oculis mediæ quantitatis, modicè prominentibus, fulgoris temperati, capillo plano, non flauo penitus, barba mentum genasq́ grata quadam plenitudine fauorabiliter uestitus. carnositatis media quadã habitudine modificatus, ita ut nec fratris more pinguior, nec matris exemplo dici posset macilentus. Tanta autem, ut in summa dicatur, formę præibat eminentia, ut ignaris etiam eximia quadam in eo refulgente dignitate, certum in se de regia maiestate daret indicium.

De moribus & conuersatione. Caput II.

HVic autem tantæ corporis uenustati, mentis quoque bene constitutæ æquipollenter respondebat habitus. Nam ingenij summe uelocis erat, & sponte fluentis eloquij ei non deerat prærogatiua singularis, nec morum dignitate commendabilium quolibet principe uidebatur inferior. Affabilis enim & misericors erat admodum: & licet supra uires se pene omnibus exhiberet liberalem, alieni tamen minime cupidus, nec ecclesiarum uexabat patrimonia, nec subiectorum, more prodigi, insidiabatur opulentijs. Quodque in ea ætate rarissime solet contingere, etiam in adolescentia erat Deum timēs, & ad ecclesiasticas institutiones, & ecclesiarum prælatos omnimodam habens reuerentiam. Ingenij etiam uiuacitate præditus, fidelis etiam memoriæ erat assecutus beneficiū. Erat autem & commode literatus: & fratre suo domino Almarico, qui ei successit, multo amplius. Cum uero quid otij ex occupationibus publicis decerpere poterat, libenter incumbebat lectioni, historiarum præcipue auditor, antiquorum regum & optimorum principum gesta, moresque diligenter inuestigabat. Literatorum maxime, sed & prudentium laicorum confabulationibus plurimum recreabatur. Tanta autem affabilitatis gratia præeminebat, ut etiam contemptibilibus personis, ex improuiso & nominatim salutationibus dependeret affatum: & ad se ingredi uolentibus, uel occurrentibus passim, mutuæ collocutionis aut offerret ultro commercium, aut postulantibus non negaret. Vnde tantam sibi plebis & patrum conciliabat gratiam, ut prædecessorū suorum quolibet amplius, utrique classi haberetur acceptior. Erat autem & laboris patiens, & in dubijs bellorum euentibus, more optimi principis maxime prouidus. In summis necessitatibus, quas pro regni incremento pertulit sæpius, regiam præferens constantiam, & fortis uiri nunquam deserens securitatem. Iuris etiam cōsuetudinarij, quo regnum regebatur orientale, plenam habens experientiam: ita ut in rebus dubijs, etiam seniores regni principes eius consulerent experientiam, & consulti pectoris eruditionem mirarentur. Erat præterea iucundi facetique sermonis, & personis quibuslibet fauorabili quadam compositione se conformem tribuens, omni ætati & conditioni gratissime se contemperabat. Vrbanitatis quoque præcipuæ, eo minus, quod dicendi nimia utebatur libertate: ita ut quæ in amicis erant notabilia, & reprehensioni obnoxia, sublata differentia, utrum placeret an læderet, eis in faciem publice iacularetur: quæ tamen, quoniam non nocendi animo, sed quadam mentis hilaritate, uel potius lenitate dicebat, non multum inde etiam eorū quos sermone liberiore lacessebat, gratiā demerebatur: eoque amplius ueniale uidebatur, quod in se uersa uice contorta, æquanimiter dicta supportabat mordacia. Ad hoc & alearum et damnificos talorū ludos, plusque Regiam decebat maiestatem, sequebatur: & carnis curā perficiens in desiderijs, iniuriā alienis dicebatur inferre matrimonijs. Sed hoc in adolescentia. nam uir factus, secundum Apostolum euacuauit quæ erant paruuli. Insignibus enim uirtutibus secutis, uitia prioris compensauit ætatis. uxore enim suscepta, cum ea uixisse continentissime dictus est. Et quæ in adolescentia minus Deo placita, & notæ subiacentia, lubrico ætatis impellente, contraxerat, postmodum prudentiore

consilio detersit,& studio in melius reformauit saniore. In sumenda pręterea corporis refectione sobrius erat admodum, & supra id quòd ætas illa exigebat abhorrens ebrietatem, tam in cibo quàm in potu pessimi criminis fomitem esse asserens, abominabatur.

De promotione eius in regno, & quàm diù sub matris tutela regnauerit. Caput III.

DEfuncto igitur patre, quarto Idus Nouẽbris, proximè subsecuto Dominici natalis die, anno incarnationis Dominicæ M. C. XLII. præsidente sanctæ Romanæ ecclesiæ dño Eugenio Papa tertio, Antiochenæ domino Americo, Hierosolymitanæ domino Vuilhelmo, Tyrẽsi uerò ecclesiæ præsidente dño Fulchero, conuenientibus de more principibus simul et uniuersis ecclesiarũ Pręlatis, in ecclesia Dominici sepulchri, per manus dñi Vuilhelmi, bonæ memoriæ Hierosolymorũ Patriarchæ, solẽniter inunctus, cõsecratus, & cum matre coronatus est. Erat aũt mulier prudẽtissima, plenã penè in omnibus secularibus negotijs habens experientiã, sexus fœminei planè uincens conditionem, ita ut manum mitteret ad fortia, & optimorum principum magnificentiam niteretur æmulari, & eorum studia passu non inferiore sectari. Regnum enim filio adhuc intra puberes annos constituto, tanta rexit industria, tanto procurauit moderamine, ut progenitores suos in ea parte æquare meritò diceretur: cuius quam diù uoluit regi consilio filius, optata tranquillitate gauisus est populus, et prospero cursu procedebant regni negotia. Verùm attendentes quibus mens erat leuior, quod eorũ studijs, quibus dominum Regem inuoluere nitebantur, dominę Reginæ multũ obuiabat prudentia, dominum Regem more aliorum eundem ætatis cereum in uitia flecti, monitoribus asperrimis et persuasionibus inducunt, ut à matris tutela se subtrahens, regnum ipse moderaretur auitum. Indignum esse dicentes, Regem, quẽ omnibus alijs præesse cõuenit, quasi priuati filium, semper ad matris ubera dependere. Quæ res sicut ex inconsulta leuitate, uel ex quorũdam malitia habuit initium, ita regnum uniuersum paulò minus ualuit cõterere: sicut inferius, cum de his tractabitur, diligentius docebitur.

Sanguinus Edissam obsidet, & describitur eius ciuitatis situs. Caput IIII.

EOdem anno, illo medio temporis interuallo, quod inter patris obitum, & eundem domini Balduini in regni promotionem fuit, Sanguinus uir sceleratus, Turcorum inter orientales potentissimus, eius ciuitatis quæ olim Niniue dicta est, nũc autem mutato nomine Musula dicitur, & est metropolis eius regionis quæ olim dicta est Assur, dominus & moderator, maximã & egregiam Medorum metropolim, Edissam nomine, quæ alia magis usitata appellatione Rages dicitur, multitudine magna obsedit, multum præsumens tum de gentis suæ numerositate, & uiribus: tum de simultatibus quæ inter Principem Antiochenum, Raymundũ, & eiusdem ciuitatis Comitem Ioscelinum, exortæ fuerant nimis periculosæ. Erat autem eadem ciuitas trans Euphratem sita, ab eodem flumine distans itinere diei unius. Prædictus autem Ioscelinus iunior, Comes ciuitatis illius, contra prædecessorum suorum morem, illius dimissa urbis habitatione, circa Euphraten, in loco qui dicitur Turbessel, iugem & assiduam constituerat conuersationem, tum propter loca ubertatum, tum propter ocium. Erat enim longè ab hostiũ tumultu, delicijs

licijs uacans, nec debitam gerens pro tam nobili urbe sollicitudinem. Prædicta uerò urbs Chaldeos, & ex Armenijs imbelles uiros, & armorum usum prorsus nescientes, solam negotiandi artem habentes, habebat domesticos, raroq; Latinorum frequentabatur accessu, paucissimos ex eis habens ciues. Erat autem solis mercenarijs tradita eius cura, neq; ijs etiã pro tempore, uel pro modo exhibitæ militiæ præstabãtur stipendia: sed plerunq; in annũ am plius, pactam petentes pecuniam protrahebãtur. At uerò uterq; Balduinus & Ioscelinus senior, postq; eundem comitatũ adepti sunt, illuc iugem & manentem cõstituerant habitationẽ ex locis finitimis, illuc tam uictus quàm armorum, & aliorum quæ pro tempore erant necessaria, copiam, ad omnem sufficientiam diligenter inferentes. unde non solum in se tuta poterat cõsistere, sed & alijs uicinis urbibus meritò erat formidabilis. Erant autem, ut præmisimus, inter principem Antiochenum & Comitem inimicitię, iam nõ occultę, sed quæ etiam usq; ad odiũ processerant manifestũ: unde uterq; pro alterius molestijs aut sinistris euentibus modicã aut nullam gerebat sollicitudinem: imò etiam detrimentis gaudebat, & sinistris casibus lætabatur. Ex ijs omnibus prædictus princeps magnus, Sanguinus, occasionẽ colligẽs, secũq; ab Orientali tractu infinitas equitũ copias deducens, cõuocatis etiã finitimarum urbiũ populis, urbem prædictã obsidione claudit, & obsessis omnem præstruit aditũ, ita ut nec obsessis ciuibus egredi, nec ad eos introire uolentibus, ulla daretur facultas. Sed & uictus & alimentorum quorumlibet, plurimum angebantur inopia qui obsessi erant. Erat autem ciuitas muro circundata solido, & turrium excelsarum uallata præsidio, ciuitatis parte superiore: alterum inferius, ad quæ ciuibus etiam expugnata urbe, secundum poterat esse refugiũ. sed hæc omnia, sicut usui solent esse contra hostes, si sint qui pro libertate uelint cõtendere, et se uiriliter hostibus opponere: sic sine utilitate iacent, ubi nõ reperitur in obsessis qui uicem uelit gerere defensoris. Parũ est enĩ in ciuitatib. turres, muros & antemuralia esse, nisi sint qui hæc omnia tueantur. Vacuã ergo urbẽ reperiens, & ex eo obtinendi eam maiorẽ habẽs fiduciã, locatis in gyrum, et legionibus legionũ primicerijs congrua statione dispositis, urbẽ uallat: deinde tormẽtis & machinis iaculatorijs mœnia debilitat, et crebris sagittarũ immissionibus ciues incessanter affligẽs, obsessis requiem negat. Nunciatur interea, & fama discurrẽte diuulgaĩ, quòd prędicta Dei cultrix ciuitas, has obsidionis ab hostibus fidei & nominis Christiani patiebaĩ angustias. unde ad hunc sermonẽ fidelium, longè lateq; hæc audientiũ, liquefacta sunt corda, & zelus armari cœpit, ad ultionẽ iniquorum. Comes uerò hoc audiens, & facti acerbitate percussus, copias impiger cõuocat militares: & serò memor urbis eximiæ, quasi iã defunctæ parat exequias, qui ægrotãtis remedia postulantis curã habere noluit: circuit fideles, amicos sollicitat, Antiochenũ Principem dñm suũ suppliciter monet, et attẽtius per nuncios hortatur, ut eius cõpatiatur laboribus, & urbem prædictã à iugo futurę liberet seruitutis. Peruenerunt etiã huius tam sinistri casus nuncij ad Regem Hierosolymorum, obsidionis circa prędictam urbem & angustiarũ, quas ciues eius patiebantur, certitudinẽ attestantes. Domina autem Regina, quæ regni moderabatur imperiũ, cõmunicato cum proceribus cõsilio, Manassem

regium constabularium, cõsanguineum suum, Philippum Neapolitanum, Helinandum Tyberiadensem, unà cum militari multitudine, illuc sub omni celeritate dirigit, ut optatum domino Comiti, & afflictis ciuibus ministrent solatium. Princeps uerò Antiochenus, de Comitis gaudens aduersitatibus, non multum attendẽs, quantum communibus debeat utilitatibus, & quod personale odium in publicam non debet redundare læsionẽ, occasiones colligit, dum petitum differt subsidium ministrare.

Capitur ciuitas, & populus eius occiditur. Caput V.

AT Sanguinus interea obsessos continuis urgens assultibus, omnia nocendi percurrit argumenta, nihil intentatum relinquit eorum quæ ciuibus possunt augere molestiam, & sibi ad obtinendum locum possint tribuere facultatẽ. Immissis igitur fossoribus per scrobes & subterraneos meatus, secus murum ducit cuniculum, suffossumq́ opus stipitibus sustentat suppositis: quibus igne consumptis, decidit ex magna parte murus, & hiatum hostibus peruium plusquàm centum dedit cubitorũ. Hostes igitur aditum pro uotis habentes, cõfluentes, undiq́ in urbem ingrediunt legionibus, & quos de ciuibus habent obuiam gladijs perimunt, conditioni, ætati aut sexui non parcentes: ita ut de ijs dictum uideretur, Viduã & aduenam interfecerunt, et pupillos occiderunt, iuuenẽ simul ac uirginẽ cum homine sene. Capta igitur urbe, & hostium gladijs tradita, qui prudentiores erant ex ciuibus, uel magis expediti, in præsidia, quæ in urbe esse diximus, cum liberis & uxoribus, ut uitæ saltem, licet tempore consulerent modico, se contulerunt: ubi tantus in introitu concurrentis populi factus est tumultus, ut præ turba comprimente, multi miserabiliter suffocati interierint: inter quos & reuerẽdissimus uir, Hugo, eiusdem ciuitatis Archiepiscopus, cum quibusdã suis clericis eodem dicitur modo occubuisse. Huius tamen miserabilis euentus culpã nonnullam in prædictum refundunt Antistitem, qui prædicto interfuerunt negotio. Nam cum pecuniam collegisse diceretur infinitam, quam erogans militibus, urbi posset esse auxilio, maluit opibus auarus incumbere, quam populo consulere pereunti: unde factum est, ut auaritiæ fructus colligens, mortem cum popularibus sortiretur indifferẽtem: ab auditu etiam malo, nisi misericorditer dominus subueniat, non multum securus. Talibus enim terribiles loquuntur scripturæ, dicentes: pecunia tua tecum sit in perditionẽ. Sic igitur dum Princeps Antiochenus, odio uictus indiscreto, differt fratribus debitum auxilium ministrare, dumq́ Comes aliena prẹstolatur suffragia, urbs antiquissima, & nomini Christiano à temporibus Apostolorũ deuota, uerbo & prẹdictione Apostoli Thaddei, ab infidelium superstitionibus eruta, indebitẹ iugũ passa est seruitutis. Dicitur in eadẽ urbe & corpus beati Thomẹ Apostoli, & beati Abagari regis corpus esse sepultũ. Hic est Abaganus, toparcha illustris, cuius epistola ad Dñm Iesum Christum missam, Eusebius Cæsariensis, in historia sua quam ecclesiasticã nominat, asserit: quem & Domini dignũ rescripto docet, utriusq́ ponens epistolã, & in fine ita subiungẽs, Hæc in Archiuijs publicis Edissanæ urbis, in qua tunc Abagarus regnauit, ita descripta reperimus, in ijs chartis, quæ gesta Abagari Regis seruata antiquitus continebant. Sed hæc hactenus, nunc ad historiam redeamus.

Tran

Trans Iordanem castrum, cui nomen Vallis Moysi, per regem acquiritur. Caput VI.

HVius domini Balduini, anno primo quo regnare cœpit, Turci quidã fauentibus, & uocantibus locorum incolis, castrum quoddã nostrum, cui nomen Vallis Moysi, in Syria Sobal, quæ est trans Iordanem, occupaue rant. Est autem prædictum oppidum, iuxta aquas contradictionis: ubi Moy ses populo Israëlitico uociferante & deficiente præ siti, ex silice fluenta produ xit, & bibit populus uniuersus & iumenta eius. Cognito itaq; quod prædi ctum municipium hostes, nostris qui in eo erant occisis, detinerent, congre gatis undiq; militaribus copijs, dominus Rex, licet adhuc tener nimiũ, illuc proficiscitur: & transiens cum suis expeditionibus, uallem illustrem, ubi nũc mare mortuum, quod & Lacus Asphaltites dicitur, interiacet, secũdæ Arabiæ, quæ est Petracensis, in finibus Moab, montana cõscendit. Inde Syriam Sobal, quæ est tertia Arabia, quę hodie uulgo dicit̃ Terra mõtis regalis, per currentes, ad locum perueniunt destinatum. Indigenæ autem regionis, com perto nostrorum aduentu, cum uxoribus & liberis in præsidium se contule rant, præsumentes de loci munitione, eo quòd inexpugnabilis uideret̃. Vbi nostri loci uidentes difficultatem & insuperabile munimen, postquã aliquot diebus saxa contorquendo, crebris sagittarũ immissionibus, & alijs nocen di argumentis, inutiliter operam consumpserant, ad alia se dirigunt consilia. Erat autem tota illa regio oliuis consita pinguibus, ita ut instar nemorũ con densorum, uniuersam terræ superficiem obumbrarent: unde regionis habi tatores, sicut et eorum progenitores, sibi uictum omnimodum propagabãt: quibus deficientibus, omnino uiuendi spes eos destitueret. Has igitur extir pare & dare incendijs decretum est, ut saltem hoc damno deterriti, & succi sis oliuetis desperarent, & Turcis qui in municipium se contulerant traditis uel exclusis, nostris castrum restituerent: quod conceptum fructuoso non ca ruit euentu. Nam protinus ubi succidi amicas uiderũt arbores, mutato con silio, ad alia se conuertunt studia: et conditionibus interpositis, quod Turcis quos introduxerãt, liber & sine periculo pateret exitus, quodq; eis & eorum uxoribus et liberis non imputaretur ad mortem, quod deliquerant, castrum domino Regi restituerunt. Recepto itaq; municipio, & custodibus in eo lo catis, alimentorum quoq; immissa copia, simulq; & armorum: D. Rex cum suis, consummato negotio, quod in primis regni sui auspicijs occurrerat, ui ctor, & sospes cum uniuerso exercitu, reuersus est ad propria.

Sanguinus moritur, dum obsidet Cologembar. Succedit ei filius eius Noradinus. Caput VII.

SAnguinus interea, de quo suprà fecimus mentionẽ, subiugata urbe Edis sana, tanto in immensum elatus successu, apposuit & ciuitatẽ munitam, supra Euphratis fluenta sitã, Cologenbar nomine, obsidere: in cuius obsidio ne dum perseueraret, tractante & disponente prædictæ urbis domino, cum quibusdam cubicularijs & familiaribus eius eunuchis, nocte una uino æ stuans, & præ nimia crapula supinus iacens in tabernaculis suis, ab eisdem domesticis suis, gladijs confoditur. De quo quidam nostrorum, nunciato eius interitu, sic ait:

Quam bonus euentus, fit sanguine sanguinolentus,
Vir homicida, reus, nomine Sanguineus.

qui

Qui autem eum interfecerunt, à domino urbis obsessæ, ex condicto intra mœnia recepti, ultrices consanguineorum extincti manus effugerunt. Fugit autẽ & uniuersus eius exercitus, domini solatio & prouisione destitutus. cui defuncto successerunt eius filij alter apud Mussulam, introrsum in oriente: alter apud Alapiam, natu posterior, nomine Noradinus, uir prouidus & discretus, & iuxta traditiones illius populi superstitiosus, timens Deum, fœlix quoq;, & paternæ ampliator hæreditatis.

Nobilis quidam ex Damascenis, Bostrensis ciuitatis procurator, cum Rege proficiscitur: & exercitus regni uersus Bostram properat. Amardus Damascenorum procurator factum nititur impedire. Caput VIII.

NOn multo pòst tempore, anno secundo regni domini Balduini, nobilis quidam satrapa Turcorum, ex caussis quibusdam, Meieredin regis Damascenorum indignationem sustinens, et procuratoris eius Meheuedin, qui alio nomine Ainardus dicebatur, gratia destitutus, cuius multo maior quàm ipsius regis in uniuersis Damascenorũ finibus erat auctoritas: ad dominum Regem & matrem eius, cum honesto comitatu uenit Hierosolymã, asserens, quod si dominus Rex honestam, & pro boni uiri arbitratu sufficientem ei uellet assignare compensationem, ipse Bostrensem urbem, cui præerat, unà cum oppido Selchar, Christianis resignaret. Est autẽ Bostrum primæ Arabiæ metropolis, quæ hodie uulgari appellatione Bussereth dicitur. Erat porrò idem nobilis homo, ut dicebatur, Armenus genere, corpore procerus, facie uenusta, uirilem tota corporis animositatem habitudine prætendens, eratq; ei nomen Stantais. Conuocatis igitur huius rei gratia uniuersis regni Principibus, & deliberationis partibus congruo libramine pensatis, audita tanti uiri aduentus caussa, placuit omnibus de communi consilio, ut de honesta & competente recompensatione, supradicto satisfiat uiro, & conuocatis exercitibus, ad Bostrenses partes dirigantur expeditiones: maximũ enim & Deo acceptum regni iudicauerat incrementum, si Christianæ fidei & nostræ iurisdictioni, per huius operam, iure perpetuo possit accrescere ciuitas prænominata. Pactis igitur hinc inde ad congruam consonantiam redactis, uniuersus regni populus uoce præconia congregatur, & implorato de superius auxilio, uiuificæ crucis ligno secum assumpto salutari, tam dominus Rex, quàm principes omnes, Tyberiadẽ usq; perueniunt. ubi circa pontem, unde ex mari Iordanis fluenta se diuidunt, castrametantur. Porrò prædictus Ainardus, cum domino Rege, sicut et cũ patre eius, fœdus prius inierat, & pacem temporalem: unde oportebat eum præmoneri solenniter, ut ad resistendum præparandumq; se, & conuocandum exercitum, legitimas pro more regionis haberet ferias, ne si repentè & ante solennem cõmonitionem, intra suos fines, hostiliter dominus Rex ingrederetur, contra legem pactorũ uideretur uersatus. Missis igitur nuncijs, ad eundem procuratorem, dum ille tanquam uir sagacissimus ex industria differt dare respõsa, iam penè mensis præterierat: quo medio tempore non cessauit, tam prece quàm precio, omnes finitimos suæ gentis proceres, in sui subsidium, longè lateq; conuocare: quibus undiq; ad infinitatem nimiam congregatis, domino Regi & principibus mandat, dicens: Contra legem initi fœderis, in terram domini mei

paratis

paratis intrare, & seruum eius contumacem, & contra debitæ fidelitatis iura uersantem, indebito protegere laboratis patrocinio: rogamus humiliato in preces animo, quatenus ab iniusto dominus Rex desistat proposito, pactorũ prius initorum tenorem conseruet illibatũ. Nos parati sumus, domino regi uniuersas cum omni integritate impensas, quas pro hac expeditione fecit, refundere. Ad hæc rex de communi consilio dedit responsum, dicens: Nos pactorum & fœderis concepti, nullatenus intendimus uiolare tenorẽ: sed quia prædictus nobilis homo ad nos uenit, ut nobiscũ familiariter loqueretur, non possumus homini in regno nostro spem habenti, cum nostra honestate ita penitus deesse. Sufficiet autem nobis, ut in urbem quam nostro deseruit intuitu, eum introducere sine difficultate liceat. postquã autem in suum se recepit municipium, tractet eum dñs suus patrijs legibus, & secundũ merita sua eidem prẽmia largiatur: nos enim siue in eundo, siue in redeundo, regi Damasceno amico nostro, omnino autore Domino, sicut tenemur, declinabimus iniuriam irrogare. Erat autem hic Amardus, uir prudentissimus, & populi nostri amator: qui cum haberet tres filias, unam illarũ dederat prẽdicto Damascenorũ Regi, alterã Noradino Sanguini filio: tertiã cuidã egregio militi, Marguart nomine. Habebat ergo regni curã, tũ quia regis erat socer, tũ quia uir circũspectus erat plurimũ. Rex aũt deses, ebriosus, & epulo, libidineq; totus diffluebat, ac solis uacabat delitijs. Is (ut diximus) gentis nostrẽ gratiã, quibuscũq; poterat obsequijs mereri, satagebat, et quib. solẽt amici cõparari, merita in eo nõ erãt ociosa. Quod utrũ ex animo et ex dilectionis synceritate procederet, an inuitum impelleret necessitas, inter prudentes quærebat. Poterat sane utrunq; esse in causa. nam generum suum Noradinum, sicut & patrem eius prius, suspectum habebat nõ modicũ, ne regem iterũ generum suum, uirum prorsus inutilem, et crassa supinũ ignorantia, regno, & se ab administratione detruderet. Inde erat maxime, quod nostrorũ sibi necessariã reputans gratiam, omni uia qua poterat ad eam obtinendã aspirabat. Videbat uir discretus prẽsagientem habere spiritum. nam quod uerebaĩ accidit: statim eñi eo mortuo, prẽdictus Noradinus, consentientibus sibi Damascenis, illo qui regnabat uiolẽter excluso, regnũ occupauit. Elaborabat ergo fideliter, ut dominus rex, refusis sibi expensis, quos pro uocãda fecerat expeditione, ad propria rediret indemnis. & proculdubio minus hostiliter in eo facto, contra dominũ regem & Christianum exercitũ se habuisset, si conuocatas exteras nationes, pro suo potuisset arbitrio cohibere. Multa enim fidei, synceritatis, & constantiæ illius in populis negocijsq;, certo rerum experimento cognouimus argumenta.

Procedens exercitus, infinita sustinet pericula. Caput IX.

VErũm dum hæc nunciarent legati, inter quos præcipuus quidã domini regis familiaris, Bernhardus Bachet: populus cœpit acclamare, eundẽ Bernhardum proditorem esse: nõ esse populo Christiano fidelem, quicunq; disuasionibus huic negotio uellet dare impedimentum. Magnis etiam uocibus cœpit plebs indiscreta clamare, procedendum esse, urbem tam nobilem non facile esse deserendam: grates habendas nobili uiro, & eius per omnia propositum amplectendum uiriliter & deuote, qui tantũ Christianitati ob-

tulisset seculis memorabile beneficiũ, & pro eo usq; ad mortem decertandũ. In hoc itaq; tanto tumultu, præualuit populi sententia, spreto consilio sanius affectorum. Compositis igitur sarcinis, & solutis castris, uersus prædictũ oppidum iter dirigunt: transitaq; cauea Roob, in planiciem peruenerunt, quæ dicitur Medan, ubi singulis annis Arabum & aliorũ Orientaliũ populorum solent nundinæ conuenire solennes. ubi tanta hostiũ nostris cœpit occurrere multitudo, ut qui prius cœpto insistendũ esse, & in negotio procedendũ acclamauerant, redire si fieri posset, præoptarent, & iudicarent utilius. Visis tamen hostium cuneis, & stupentes multitudinẽ, nostri accingunt se tanq; præliaturi. Rex uerò de consilio eorum qui rei militaris habebant experientiam, castra protinus iubet locari: quibus compositis, curam corporis, prout in arcto positi poterant, agentes, noctem illam duxerunt insomnem. At uerò hostes multiplicati supra numerum, legiones nostras undiq; uallãtes, quasi manubias & uilia mancipia nostros proculdubio in crastino cõpeditos fore nõ dubitabant. Nostri uerò continuis excubijs se obseruantes prudenter, & uirorum fortium circa se tota sollicitudine impleuerunt officia. Mane autem facto, communicato consilio, nostri procedendum esse decernunt: nam redire, cùm ignominia plenum, tum uidebatur penè impossibile. Verùm hostes circum positi utrinque impedire uidentur. Tandem nostri animosius insistentes, per medias hostium acies, uiam ferro aperiunt, & ad destinatũ unanimiter locum contendunt. sed loricis, cassidibus, simul clypeis onusti, lento incedebant gradu, hostium etiam circumposita multitudine præpediebant. At uerò equites, licet expedientius possent incedere, peditũ tamen oportebat in incessu conformes fieri manipulis, ne dissoluerent agmina, & irruendi super cuneos hostibus daretur occasio. Compatiebant itaq; sibijnuicẽ cohortes, & quasi uir unus effectus erat populus uniuersus. Tanta enim equitibus pedestriũ turmarũ erat cura, ut ipsi de equis descendentes, cõmunicato cum eis labore, fessis pro uehiculo se exhibentes, itineris molestiam redderẽt leuiorẽ. Hostes tamen interea crebris sagittarũ immissionibus exercitum fatigantes, multiplicatis molestijs, nostrorũ cohortes dissoluere nitebantur. Nostri aũt è diuerso, quanto ad hoc magis eos uident instare & importunius, tanto sibi inuicẽ coherere magis, & cœpto insistere feruentius itineri non formidabãt. Accedebat ad maiorẽ molestiarum cumulum, sitis aspera ex laboris difficultate, & æstatis caumate geminata. Erat quoque eis iter per loca arida & inaquosa: tota enim illa regio fontes nescit. uerùm hyeme solent aquas colligere lacunis tam naturalibus q̃ manufactis, pluuiales. Acciderat aũt illis diebus, unde & hæ ipsæ factę erant inutiles: nam tanta fuerat pauloantè locustarum in ea prouincia præter morẽ intemperies, quod omnes huiusmodi piscinas tabo infecerant, & aquę usum reddiderãt abominabilẽ putredine, quam morientes intulerant. Hæc autem, qua nostris iter erat, regio dicit Traconitidis: cuius in Euangelio Lucas facit mentionẽ, dicens: Philippo aũt Iturez & Traconitidis regionis tetrarcha. Videtur autem nobis à draconibus dicta. dracones enim dicuntur occulti & subterranei meatus, quibus illa regio abundat: nam penè uniuersus illius regionis populus in speluncis et cauernis habitat, & in draconibus habet domicilia.

Ad locum peruenientes destinatum, ciuitatem reperiunt ab hostibus occupatam, & infecto negotio reditus indicitur. Caput X.

TRansc ursa igitur cum summo periculo regionis illius parte, circa horam diei nouissimam ad locum perueniũt, qui antiquo Adratum uocabulo dicitur, nunc autẽ uulgari appellatione dicitũ ciuitas Bernhardi de Stampis. Est autem una de suffraganeis, quæ ad Bostrensem metropolim habet respectum. ubi adiunctis illius loci incolis, ad hostium numerũ maior nostris accessit molestia: ubi & de cisternis, quarũ ora uidebant patentia, & sine difficultate haurire aquas se posse nostri cũ arbitrarent, demissas situlas non sine damno amittebant. nã qui intus latebant in cauernis subterraneis, funes præcidentes quibus hauriendi adligata erant instrumenta, funes remittebãt decurtatos: & spe potus delusos, ad maius cõpellebant sitis dispẽdium, dum in hauriendis aquis frustra diutius laborabant. Sic igitur quatuor diebus cõtinuis, nunquam indulta requie, nostri afflicti sunt incessanter, uix noctibus habẽtes ocium ut necessitatibus corporis quocunque modo satisfacerent. Augebatur præterea per singulos dies hostium numerus, nostrorum uerò decrescebant agmina, aliis interemptis, aliis saucijs letaliter: alij uerò de uita desperantes, & nimia percussi formidine, sareinarum & impedimentorũ augebãt turbam, intra equos delitescentes, & simulantes impotentiam, ne ad sustinenda hostilis impetus onera, egredi cõpellerentur. Tanta autẽ sagittarum & missilium penè continua supra nostrum exercitum erat densitas, ut grandinis aut imbrium instar descenderent, & uniuersa tam homines quam iumenta telis consita uiderentur. Mirari poterant intuentes, aut hostes in iaculando tantũ posse, aut nostros tantum patientiæ inuincibilis continuare laborem. Instabant & nostri, telis & sagittarum immissione nihilominus: sed hostium exercitus, discursus habens liberiores, rarius sagittis lædebantur nostris. Quarta demum die cõtinuatis cum tanto periculo itineribus, ad locum destinatum appropiantes, urbẽ eminus cõtuentur: ubi cum multa difficultate, hostibus uiolenter exclusis, aquas intra rupes modicè scaturientes, occupant, & circa eis castrametantur: ubi refectioni uacantes aliquantulum, corporibus quantum permittebatur indulgent. Ea nocte ibi qualem qualẽ nostri habentes requiem, diem exspectabant cum summo desiderio sequentẽ: cum ecce intempestæ noctis silentio, ex urbe prædicta quidã latẽter egressus, per medias hostium acies ad nostrum se contulit exercitũ, infaustæ legationis baiulus. Qui statim ueniens, ad Regẽ se postulat introduci, uerba dicens se habere secretiora quæ perferat. Admissus ergo, cõuocatisque principibus, simulque & illo nobili uiro, qui eiusdẽ ciuitatis magistratum administrauerat, & nos in præsentia duxerat pericula: nunciat, urbẽ uxore eiusdẽ nobilis uiri prodente, hostibus traditã, & eorum introductos satellites, arces & præsidiũ, exclusis aliis, obtinere uniuersum. Hoc infœlici rumore, mente nostri plurimum cõsternati, quid facto opus sit deliberant: tandemque uisum est expedientius, reditum ad propria, cum quocunque periculo, maturare. Fuerunt tamen nõnulli de maioribus regni principibus, qui domino Regi secretius in aurẽ cõsulerent, quatenus assumpto sibi uiuificæ crucis ligno, equũ domini Ioannis Gomar, qui omnes alios exercitus equos celeritate & laboris patientia longè superare dicebatur,

cebatur,conſcenderet,& ſolus ſuæ conſuleret ſaluti. Hoc aũt dicebant,omnino deſperãtes de reditu,& omnium ſtragem timentes in proximo futuram. Quod uerbum rex,licet infra annos puberes conſtitutus (ſignificans qualis in maiore ætate futurus eſſet) regia ſpreuit magnificentia, dicens: Propriam ſe omnino contemnere ſalutem,ſi tam Deo deuotus populus caſu tam flebili deperiret. Videntes ergò regem eorum monitis,licet ex affectu pio prodeuntibus,non acquieſcere,ad alia ſe conuertunt ſtudia, & de reditu tractare incipiunt, uidentes non ſine uniuerſorum ſtrage ad ulteriora ſe poſſe procedere. Tunc primùm cœpit ſpe tanta deiectis,& euacuatis,uidentibus omnes ſuos conatus, labor duplo contingere moleſtior. Nam etſi prius dura nimis, & penè intolerabilia, & quibuslibet quæ accidere poſſent nõ inferiora paſſi eſſent,ſpes tamen & fiducia obtinendi ciuitatem, laborantium animos confouens, ad tolerantiam gratis quibuſdam ſtimulis accendebãt. Videntes ergò ſe prorſus ſpe deluſos, firmum fixumq́ quod propoſuerant decernentes, ad iter ſe accingunt,uoce præconia reditu cunctis ſignificato.

Rediens exercitus,intolerabilia patitur pericula:ſtupent hoſtes noſtrorum perſeuerantiam. Caput XI.

REddita igitur terris die, ecce Norandinus in auxilium ſoceri uocatus,infinita ſecum trahens Turcorum agmina, ab urbe prædicta ueniens, ad hoſtium ſe coniungit cohortes. Noſtri uerò ad redeundum,ſecundum propoſitum iter arripiunt. Quod uidentes aduerſarij,clamoribus obſtrepentes, obuiã ſe dare contẽdunt,ut impediant regreſſum. At noſtri ipſa difficultate, quæ undiq́ premebat, facti animoſiores, obuias acies gladijs & ferro diſſoluentes,uiã ſibi cum ſummo periculo & ſtrage ſuorũ uiolenter arripiunt. Erat aũt noſtris indictũ publicè, ut defunctorũ corpora camelis & alijs animalib. ad ſarcinas deputatis imponerent, ne noſtrorũ conſiderata ſtrage,redderenĩ fortiores inimici:debiles quoq́ & ſaucios,iumentis imponi mandaĩ,ne omnino noſtrorũ aliquis aut mortuus aut debilis crederet. His etiam datũ erat in mandatis, ut gladios educentes, ſaltem ſpeciẽ ualidorũ exprimerẽt. Mirabanĩ itaq́ hoſtiũ prudẽtiores, quod de tãta immiſſione ſagittarũ, de crebris cõflictib. de tanta ſitis,pulueris, æſtus immoderata moleſtia nullus unq́ mortuus aut deficiens inueniret, populũ iudicant ferreũ,qui tot, tamq́ continua poſſint tam perſeueranter ſuſtinere diſpendia. Videntes porrò hoſtes, quod ſic nõ proficerent, ad alia ſe conuertunt molimina: erat ſanè regio tota uepribus & frutetis humilibus,cardonibus aridis,et ſynapis ſylua,ueteribus ſtipulis & frugibus iam maturis obſita:his omnibus ignẽ ſubijciũt,uento noſtris obuio fomitem & uires miniſtrante. Hic incendij uicinioris afflatu, fumiq́ occurrentis nube denſiſſima, noſtris ingeminaĩ moleſtia: cum ecce ad uenerabilem uirum dominum Robertum Nazarenum archiepiſcopum,qui crucem Dominicã baiulabat, omnis populus cum clamore & eiulatu cõuerſus, poſtulabat cum lachrymis,dicens: Ora pro nobis pater, & per hoc uiuificæ crucis lignũ,quod manibus geſtas, in quo noſtræ ſalutis autorẽ credimus pependiſſe, erue nos ab his malis,nam diutius ſuſtinere nõ poſſumus. Erat aũt populus,in modũ fabrorũ officinas exercentiũ, uento agitante fuliginẽ, tam facie q̃ toto corporis habitu,nigredine factus decolor,et tam æſtatis q̃ incendiorum

diorum caumate duplicato, ad supremũ afflictus siti, supra uires laborabat. Ad has itaque gementis populi uoces, uir deo amabilis, contritus corde, & animo ualdè compatiens, salutare lignum erigit contra incendia, quæ illi totis uiribus procurabant: & inuocato desuperius auxilio, statim adfuit uirtus diuina, & in momento conuersis in oppositum flatibus, incendia tetra simul cum fumi caligine in hostes, qui nostrũ præcedebant exercitum, se dirigunt, & quæ in nostram parauerant læsionem, in suam uident retorta perniciem. Stupent hostes nouitate miraculi, & singularem reputant Christianorum fidem, quæ tam pręsens à Domino Deo suo pro uotis impetraret beneficium. Suis ergò occupati necessitatibus, nostris aliquam indulgent requiem, & ad tempus respirare concedunt.

Mittitur ad hostes propter legatio. quidam nobilis de hostibus cadit. dissoluitur hostium exercitus: noster liberius proficiscitur. Caput XII.

DVm uerò his tam intolerabililibus noster exercitus premeretur malis, diffidẽtes de uulgi patientia maiores, & qui sensus habebãt magis exercitatos, regem adeunt, persuadent ut legatio ad Amardũ dirigaẽ, pacem postulans sub cõditione qualibet, dum solũmodo ad propria possit redire exercitus. Eligiẽ ad hoc quidã qui suspectus habebaẽ, quod alia uice in legatione simili contra Christi populũ maliciosè uersatus fuisset: tamen propter linguę cõmercium, quod habere dicebaẽ familiare plurimũ, iterũ id ei muneris iniungiẽ. Dumq; ei persuadeẽ, ut fideliter iniunctũ exequaẽ officiũ, dixisse perhibetur: Iniustè, & pręter meritũ suspectus habeor: uado tamen, quod si obiecti reus sum criminis, nunq; mihi redire concedaẽ, quin hostium gladijs confossus interceam. Datam ergò in se mortis sententiã miser homo, diuino iudicio expertus est statim. nam antequã ad hostes perueniret, & legationis functus esset munere, armis hostium cõfossus interijt. Conuenerant ad eandem expeditionem quatuor inclyti Arabum principes fratres, illustris & eximij Arabũ satrapę filij, qui dictus est Merel, cum innumera suorũ manu: hi dum nostros ex latere proteruis nimis assultibus uexarent instantius: nostri autem proposita lege ad eos erumpere non auderent, ne si contra rei militaris disciplinam ordines soluerent, duriorem in se tanquam locorum desertores experirentur sententiam: unus de familia Turci illius, qui nobiscum erat, non ferens illorum factum, & à nostris iniuriam propulsare cupiens, uitæ prodigus, & legis propositę immemor, equum uiriliter admittens, in unum ex illis quatuor hastam quam manu gestabat, dirigens, gladio transuerberat in medio suorum agmine, & ad terram deiecit exanimem, seq; statim sanum & incolumem in nostrum recepit exercitum. Factus est ergò circa corpus defuncti, populi concursus innumerabilis: & cognito quod iam infelicem exhalauerat animam, in uocem erumpunt flebilem, & doloris immensitatẽ fletus ubertate testantur. Nostri uerò lætantes, diligenter quærunt quis nam esset, qui tanto se obiecerit periculo, cuius tam insigne factum gloriam meruerit perennem. cognitoq; quod uir alienigena, & cui legem propositam licebat ignorare, eo maximè, quod linguæ commercium non habens, edictũ publicum non intellexerat, licet contra rei militaris disciplinam egisse non dubitaretur, tamen iuris ignaro clementer indulgent, & uiri factum amplectentes,

ctentes, nõ tam ratione quàm euẽtu commendabile: soluitur quoque ex ea parte hostiũ cuneus, & liberiora habens noster exercitus spacia, angustias quas patiebatur locis redimit patentioribus. & iam continuato per aliquot dies itinere, uentum erat iterum ad Caueam Roob: quem locum, quoniam angustus erat, & periculosus poterat esse transeuntibus, principes consultò iusserunt declinare. Prædictus uerò Damascenorum procurator Ainardus, uidens quod Rex cum suis exercitibus uersus prædictam uallem properabat, missis nuncijs offert, quod si ei bonũ uideretur, trans Caueam ei faceret honestè prandium præparari: nouerat enim, per dies aliquot exercitum alimentorum inopia laborasse. Quod uerbum utrum ex dilectionis syncerit ate processerit, an ex dolo, uolens nostras expeditiones in periculosarum uallium angustias immergere, pro certo non habemus compertum. Regulariter tamen creditur esse traditum, quod hostium munera meritò etiam habeantur suspecta. Generali ergo decreto, decernunt uia superiore, quoniam planior & minus periculosa erat, incedere. Cumque duce non haberet qui agmina praeiret, & locorum per quæ transituri erant haberet peritiam, ecce subito cohortes præcedens miles quidam ignotus, albi sessor equi, rubei coloris uexillum baiulans, lorica indutus, curtis usque ad cubitos manicis, antecedebat exercitum. Hic tanque angelus Domini exercituum, uiarum sequens cõpendia, & ad aquas ducens prius incognitas, congruis & cõmodis stationibus castrametari docebat. Sic igitur cum quinque diebus, usque ad prædictam Caueam uix peruenissent expeditiones, tribus postea sub iam dicto Duce, et itineris præambulo iter agentes, Gadaram usque perueniunt.

Perueniunt Gadaram nostræ Legiones: describitur locus, & ad propria reuertitur exercitus. Caput XIII.

Sita est Gadara in ea regione quæ Decapolis dicitur, de qua in Euangelio: Exiens Iesus de finibus Tyri, uenit per Sydonem ad mare Galileæ, inter medios fines Decapoleos. In hac, sicut & nomẽ indicat, sunt ciuitates decem: Hippus, Pella, Gadara, de qua hic nobis sermo est, cũ alijs septẽ. Ad quam, quoniam in confinio hostium & nostro sita est, cum peruenissent primæ nostrorum legiones, tunc denuo quasi rediuiuo malo & recrudescente insania furere cœperunt hostes, circa postrema agmina: sed uidentes quod non proficerent, & quod nostri in sua iam se contulerant, fumo, caloris intemperie, tædioque fatigati, solutis agminibus ad propria redire cœperunt. Nostri quoque nihilominus, transcursa nocte illa, maiore solito tranquillitate, exhausti præ labore, debitam corporibus exhibentes indulgentiam, die sequente ad urbem Tyberiadensem perueniunt. Asserunt autem unanimiter, quibus illius facti adhuc plenior famulatur memoria, quod hunc, ut diximus, ducem itineris nemo nouerit. nam cum uentum erat, ut castrametaretur exercitus, subitò disparuit, nec uspiam in castris uidebatur, mane uerò iterum exercitum anteibat. Non habet præsentium hominum memoria, quod Latinorum tempore, in toto oriente, absque manifesta hostium uictoria, tam periculosa fuerit expeditio. Domino igitur Rege in regnum reuerso, cruce quoque Dominica Hierosolymis restituta, gauisus est populus qui remanserat, reuerso ad se populo, dicens: Mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

tus est. Postmodum uerò idem nobilis homo, ab Ainardo uocatus uerbis pacificis in dolo, quasi sub specie reconciliationis, male nimis tractatus est. nã oculis erutis, in summa ægestate & miseria, uitam miserabiliter infœlicem finire coactus est.

Ciues Edissani Comitem uocant: Comes accelerat, & urbem ignorantibus recepit hostibus. Caput XIIII.

DVm hæc circa nos geruntur, in partibus Edissanis, factum miserabile, scriptis innodari dignum, accidit. quod ut plenius intelligatur, altius aliquantulũ repetenda est historia. Mortuo Sanguino, maximo nominis Christiani persecutore, Noradinus filius eius, dum de successione in patris principatum, apud Mussulam sustinet quæstionem, & circa id in partibus illis detineretur occupatus, uidentes Edissani ciues, quod pauci de familia eius in ciuitate essent residui, qui ad tuenda præsidia erant deputati, reliqua autem populi pars uniuersa fide polleret Christiana, occultè dirigunt nuncios ad prædictum Comitem Ioscelinum, significantes, urbem Turcis esse uacuam, exceptis paucis qui præsidia seruabant, solis ciuibus relictam. Erant autem & à diebus Apostolorum, & fuerant illius ciues urbis in Christi fide radicati, & fundati: ita ut, sicut aliàs dictum est, aut rarissimus, aut nullus alterius professionis homo inter eos habitaret. Orant etiam & communi monent instantia, ut militaribus copiis sine mora congregatis, ad urbem accederet, eamq; tradentibus ciuibus, sine periculo & sine difficultate recipiat. Ille uerò cum omni celeritate, assumens sibi dominum Balduinum de Mares, nobilem & potentem uirum, & uniuersam illius regionis tam equitũ quàm peditum militiam, transito repente fluuio Euphrate ad prædictam, cum omni comitatu suo de nocte repentinus accessit: ubi à ciuibus intempestæ noctis silentio dormientibus, iis qui ad uigilias erant deputati funibus & scalis sunt intromissi, qui cæteris deforis expectantibus portas aperirent. Quibus apertis, immissis omnibus indifferenter, statim per urbem discurrentes, quotquot habuerunt de hostibus obuiam, in ore gladii peremerũt. Fugit tamen eorum pars quædam, & mortis declinans periculum, in præsidia se recceperũt. Obtinuit ergo Comes, & Christianus qui cum eo erat exercitus, urbem eo modo per dies aliquot. Præsidia tamen quoniam uictualibus, armis & militia instructa erant, & munita diligentius, comprehendere non uoluit: maximè cum neq; machinas, neq; unde fieri posset materiam aut secum detulisset, aut in tota urbe reperisset.

Noradinus occurrit, urbem obsidet, nostros angit miserabiliter. Caput XV.

DIriguntur igitur, qui de successu qui acciderat, nostros longè lateq; positos certificent nuncii, & ad subsidium inuitent finitimos, quatenus eorum suffragio, urbem quam sic Domino fauente receperant, perpetuò obtinere, & cultui cõseruare Christiano possint. Quibus auditis lætatus est ubique populus Christianus: & secundũ multitudinem doloris, quam de illius urbis captiuitate conceperat, uidenẽ in ea mensura recepisse consolationem. Sed extrema gaudii luctus occupat, & subitò uersa est in mœrorem cithara, et dolor natus rediuiuus peior priore. Noradinus eñi audiens, quòd Co-

mes prædictam urbem tradentibus ciuibus receperat, corrogatis undique ex omni orientali tractu militantibus copijs, & populis uicinarum urbium, uoce præconia in unum congregatis, adest subitò, & urbem in circuitu dispositis legionibus uallat obsidione. Erat itaque nostris, sicut scriptum est, Foris gladius, & intus pauor. Nam hostiles exterius acies, exitũ negant, parant prælia, mortem intentant: interius, qui in præsidijs intra urbem erant, terrorem incutiunt, & assiduis molestant uexationibus. Nostri porrò inter tot angustias ignari quid faciant, consuluerunt apud se, & frequẽter mutant consilia, sed ad quamlibet deliberationis partem se uertentes, nihil tutum reperiunt, nullum sine mortis discrimine rei exitum inuenientes. Tandem pro loci & temporis conditione, uisum est uniuersis expedire, quod quocunque periculo, quocunque mortis discrimine, urbe sit egrediendum. Nam satius esse non dubitant, cum hostibus temere congredi, & gladijs iter aperire, ut saluti consulatur, quàm obsidionem sustinere: qua urgente, aut omnes gladio perirent, aut inopia alimentorum compulsi, hostium uinculis mancipentur, & duram & omni mortis genere deteriorem subire cogantur seruitutem. Placuit omnibus hæc sententia: & licet periculosa esse nimis, habito tamen respectu, ad alia quæ accidere poterant deteriora compendiosior iudicatur. Audientes hæc ciues, quorum opera & studio Comes cum suis introductus erat, quod omnis resistendi spes & uia salutis defecerat, timentes, ne si post Comitis exitum in urbe remanerent, morte grauissima punirentur, eo quod huius facinoris uiderentur esse authores, assumptis uxoribus & liberis cum Christiano exercitu egredi, & dubiam cum fratribus fortunam experiri, eligunt potius, quàm morte certissima occumbere, aut iugum sub infidelibus hostibus durissimæ pati seruitutis, omni genere mortis amplius formidabile.

Comes cum suis egrediens, ad propria redire contendit: insequitur Noradinus, obtruncat exercitus. Comes fuga elabitur. Caput XVI.

PAtefactis igitur portis, quasi id singulare remedium, & unica uia sit salutis, omnes certatim egredi contendunt: & licet per medios hostium cuneos ferro iter aperiendum esse non dubitent, leue tamen iudicant, quicquid accidere potest urbem egressis. Interea de hostibus nonnulli referantibus eis aditum qui erant in præsidijs in urbem recepti, à tergo instant acrius, & exitum maturare compellunt: qui uerò exterius erant, audito, quod sui ex parte intra ciuitatem introducti essent, & iam cum nostris pugnam committerent, suis uolentes adiungi, portam quam nostri aperuerant ut exirent, uiolenter occupant: & conuocata ex uniuersis ordinibus ingenti multitudine, egressum inhibent, sed & in urbem intrudere nostros contendunt. Commissa est igitur ibi inter partes pugna, quantum loci patiebantur angustiæ, periculosa nimis utrique parti. Tandem ui compellentibus eis qui ab intus instabant cominus, & in hac parte nostris uires & animum ministrantibus, inuitis & plurimum renitentibus exterioribus, uiam ferro, multa utriusq; partis strage aperiunt, campis se patentibus infundentes. Intueri erat ibi, quod & uisu miserabile, & recitatione gemitu plenum, inerme uulgus, imbellem

imbellem ciuium populum, senes, ualetudinarios, matronas cum uirginibus tenellis, grandæuas matres, cum paruulis & sugentibus ubera, in ipsis portarum angustijs, partim equorum pedibus cõculcari, partim turba cõprimentium interclusis respirandi meatibus, miserabiliter suffocari, partim gladijs hostium non parcentibus interire. Porrò interfecti sunt ibi de ciuibus sexus promiscui penè omnes, qui nostrum exercitum egredientem sequi decreuerant paucis euadentibus, qui aut proprij uigore corporis, aut equorum beneficio, abeuntem exercitum poterant comitari. Videns ergo Noradinus, nostros ad redeundum accinctos, cohortes conuocat, ad insectandum abeuntes, acies instruit, componit agmina, & procedentes continuis urgens à tergo cõgressionibus, insequitur. Erat autem nostris iter uersus Euphratem, qui à prædicta urbe milibus distabat quasi quatuordecim: quo toto itinere non defuit Comiti, & exercitui eius, pugna iugis, periculumq; indeficiens: singulis enim passibus conflictus erant, tum multorum, tum singulares, quibus ex utraque parte plures occumbebant: mortuus est ibi uir nobilis, unde supra fecimus mentionem, & militaribus insignis operibus, dominus Balduinus de Mares: ceciderũtq; & alij plures uiri commendabiles, & digni memoria, quorum animæ requie sancta perfruantur, quorumq; nomina non tenemus: quæ tamen certum est in cœlis esse conscripta, quia pro caussa fidei, & Christiani populi libertate, glorioso fine quieuerunt. Comes tandem impar uiribus, suis ex parte plurima deficientibus, assiduos hostium non ferens impetus, fuga uitæ consulens, transito Euphrate, in Samosatum se recepit. Alij uerò ad diuersa se conferentes, prout unicuique uisum fuerat expedientius, sarcinas & impedimenta deferentes, uitæ consuluerunt & saluti. Exijt ergo sermo iste per omnes fines latè adiacentium regionum: & quos prius de recepta urbe Edissanorum rumor lætiores fecit, nunc de re amissa, & strage nobilium, & populi confusione Christiani casus contristauit asperior.

Moritur Hierosolymitanus Patriarcha Vuilhelmus, Fulcherus Tyrensis Archiepiscopus ei substituitur. per Regiam uiolentiam intruditur Radulphus, regius Cancellarius. Caput XVII.

PEr idem tempus dominus Vuilhelmus, bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarcha, uir simplex ac timens Deum, uiam uniuersæ carnis ingressus est. Obijt aũt quinto Cal. Octobris, Pontificatus eius anno quinto decimo: cui postmodum subsequente Ianuario, octauo Calend. Februarij, substitutus est D. Fulcherus Tyrensis Archiepiscopus, in prędecessorũ nostrorum numero tertius. Eodem tempore, circa Epiphaniorum die, fulmen diuinitus immissum, ecclesiã Dominici sepulchri et montis Syon, ictu perculit periculoso: omen, ut credimus, portendẽs infaustũ, et uniuersam deterrẽs ciuitatem. uisus est & cometes per multos dies, & alia quædam præter morem apparuerunt signa, futurorũ designitiua. Illis etiam diebus, cum Tyrensis uacaret ecclesia, cõtigit tam dominum Regem quàm matrem eius, penes quam regni cura, & uniuersum residebat moderamen: dominum quoq; Patriarcham, qui ab eadẽ ecclesia fuerat assumptus, Episcopos quoq; eiusdẽ ecclesiæ suffraganeos apud prędictã urbẽ, ut ecclesię prouideret, cõuenisse. ubi

dum

dum de more, de eligendo pontifice tractaretur: sicut solet in huiusmodi accidere, diuisa sunt eligentium uota, in duo desideria. Pars enim dari sibi deposcebat dominum Radulphum, regis Cancellariū, uirum utiq; literatum, sed nimis secularem, Anglicum natione, forma decorū, Regi & reginæ, cunctisq; curialibus ualde acceptum. Et hi dominū Regem, & eius matrem, habebant propitios & fautores. Alij uerò, quorum princeps erat Ioannes Pisanus, eiusdem ecclesiæ Archidiaconus, qui postea fuit Cardinalis Romanæ ecclesiæ, sanctorum Syluestri & Martini, & Bernhardus Sydoniensis, & Ioannes Berythensis episcopi. hi dominum Patriarchā sequentes, prædictum Radulphum promouere nolebant: sed interposita appellationis uoce, contra alios de Regia uiolentia præsumentes, patronum habētes Patriarcham, modis omnibus prohibebant. Factum est autem, quòd per uiolentiam obtinens prædictus Cancellarius, ecclesiam & eius bona inuasit, posseditq; per biennium, quousq; per Romanum Pontificem, præsentibus partibus lis decisa, dictāte domino Eugenio, factum prædicti Cancellarij in irritum est deductum. Postmodum tamen idem Radulphus, fauēte sibi domino Hadriano Papa, qui eius compatriota erat, ad ecclesiam assumptus est Bethleemiticam, & episcopus eius ordinatus est loci. In prędicta autē metropoli, de communi omnium cōsensu, concurrente uniuersorū conniuentia, substitutus est uir miræ simplicitatis & mansuetudinis, timens Deum, & recedens à malo, cuius memoria in benedictione est apud Dominum, & homines, D. Petrus Dominici sepulchri prior, de citeriore natus Hispania, de ciuitate Burcinona, nobilis secundum carnem, sed spiritu nobilior: cuius uita & conuersatio, longiores & diligentiores postulant tractatus. sed nos historia reuocat, ut omissis specialibus, de publicis edisseremus.

Excitatur populus Occidentalis, & ad subueniendū Orientalibus Christianis iter arripiunt, Romanorum Imperator Conradus, & Ludouicus Rex Francorum, cum alijs multis principibus. Caput XVIII.

CApta igitur urbe, ut præmisimus, Edissana, rumor letalis memoriæ plènius personuit, & crebri fama diuulgabatur per Occidentē uniuersum, quòd impia gens Turcorum, non solum urbem prædictam, sed omnē omnino Orientis tractum, licentia liberiore percurrēs, nostrorum urbes, uillas & municipia depopularentur, sed populum amplius solito Christianū prælijs & crebris nimium inuasionibus affligerent. Erant qui uerba huiusmodi longè lateq; in populis & nationibus disseminarent, & desides & longa pace dissolutas, ad tantarum ultionem iniuriarum sollicitarent prouincias, dominus quoque Eugenius Papa tertius, uir Deo plenus, paternam gerens pro filiorum Orientalium afflictione sollicitudinem, & eis affectu pleniore compatiens, uiros religiosos, & exhortatorij sermonis habentes gratiam, potentes in opere & sermone, ad diuersas occidentis partes dirigit. Qui principibus, populis, & tribubus & linguis, Orientalium fratrum denuncient pressuras intolerabiles, & ad tantas ultum iri fratrum sanguinis iniurias, eos debeant animare. Inter quos uir immortalis memoriæ & honestæ conuersationis, dominus Bernhardus, Clareuallensis Abbas, piæ in Domino, & per omnia amplectendæ recordationis, ad prædicti Deo

placiti muneris executionem præcipuus eligitur: qui iniunctæ sibi dispensationis sedulus executor, eiusdem operis secum Deo amabiles trahens comministros, impiger, indefessus, licet corporis esset inualidi, tum propter ieiunia pene continua & subtilem nimis dietam, regna circuit, regiones obambulat, euangelizans ubiq; regnum Dei: afflictionē populi, qui & in Oriente est, simul & molestias, quibus incessanter opprimuntur, aperit diligenter, urbes fidelium piorum, fidei Christianę deuotas, iuga pati persecutorum nominis Christiani, & seruitutem durissimā proponit euidentius. Fratres quoque pro quibus Christus mori uoluit, uinculis mancipatos & compedibus, fame attritos, horrēdis carcerum clausos ergastulis, squalore sordidos, indutos amaritudine, sedere in mendicitate & ferro, plenius edocet. Ad hoc ad eorum liberationem inuitat, ad propulsandas fratrum iniurias oppressorū accendit: non defuturum superius auxilium, uolentibus hunc tam pium laborem assumere, spondet: præmia etiam pro ijs sempiterna, cum electis pollicetur. Hæc ei per gentes, principatus & regna pia longanimitate differenti, affuit tam patrum quàm plebis fauor gratuitus: & exhortationibus eius sponte neum præbentes assensum, iter uersus Hierosolymam compromittunt, & uiuificæ crucis signum humeris aptantes, ad iter accinguntur. Nec solum in plebeis & popularibus turmis hic persuadentiū sermo se præbuit efficacem, uerū usq; ad supremos orbis moderatores, & eos qui præcipua regnorum uidebantur dispensare fastigia, sermo iste cum effectu nō inferiore peruenit. Illustres enim & potentissimi uiri regū terræ, dominus uidelicet Conradus Romanorum Imperator, & dominus Ludouicus Rex Francorū, cum multis utriusq; regni principibus, cōsone & paribus desiderijs amplexi sunt uerbum: & salutare uiuificæ crucis signum in arram futuræ profectionis, cum omni deuotione, ceruicibus imprimunt & indumentis.

Imperator præcedens cum expeditionibus suis, Constantinopolim peruenit. Soldanus Iconiensis contra eum insidias præstruit. Caput XIX.

COmposito igitur congruo moderamine regnorū status suorum, assumptis etiam ijs qui eiusdem desiderij feruore concepto, uotis salutaribus tenebantur obligati, paratis ad iter necessarijs, prout Regiam decebat dignitatem, Deo placitæ peregrinationis mense Maio iter arripiunt unanimiter: sed auibus infaustis, & omine sinistro. nam tanquam inuita Diuinitate, & eis irata, iter assumpserūt, in tota illa profectione nihil Deo placitum, peccatis nostris exigentibus, operati sunt: sed nostrūm, quibus opem se laturos arbitrabantur, statum, in deteriorem mutauerunt cōditionem. Segregatim igitur proposuerunt incedere, et separatos ab inuicē exercitus ducere: ea uidelicet ratione, ne populis inter se dissentientibus, cōtentiones inter eos orirent, & ut cōmodius uitæ necessaria suis procurarent legionibus, sed etiā ut equis et iumentis ad onera deputatis pabula non deessent. Transcursa igitē Bauaria, et flumine magno Danubio apud Ratisponā transmisso, à lęua eundē fluuiū habētes in Austriā descēderūt. Inde Hungarorū fines ingressi, ubi à dño Rege illius prouinciæ honorifice tractati sunt: decurso eius regno & utraq; emensa Pannonia, Bulgarorū prouincias, Mœsiā uidelicet & Daciā mediterraneā, Ripensem à læua dimittentes, preteriunt. Inde Thracias attin

gentes

gentes, & urbes famosissimas Philippolim & Hadrianopolim transcuntes, ad urbem Regiam peruenerũt. Inde cum domino Manuele Imperatore habito familiarius colloquio, transcursis ferijs quæ ad recreationem exercituũ, & quieti post tot labores uidebantur necessariæ, transito Hellesponto, qui eandem urbem alluit, & Europæ terminus, Asiæ præbet initium, in Bithyniam, quæ prima de Asianis occurrit prouincijs, castrametantur uniuersæ legiones in pago Chalcedonensi, unde relictam urbem è uicino erat conspicere. Hæc est Chalcedon, urbs antiqua, ubi quarta sexcentorum triginta sex Patrũ conuenit sancta Synodus, dñi Martiniani Augusti, & domini Leonis Romani pontificis, cõtra Euthyceten monachum & Abbatẽ, qui unam tantum in domino Iesu Christo asserebat naturam. Soldanus interea Iconiensis, audito tantorum principum aduentu, & suspectum habens eorum introitum, à multo retro tempore, ex ultimis orientis finibus militaria conuocat auxilia: et sollicitum se gerit, quomodo ab imminentibus hostium tantorum periculis se posset eximere. Vrbes igitur munit, ruinas erigit, finitimorum implorat suffragia populorum: & cum anxietate cõtinua, eorum quos pro foribus audierat, præstolatur aduentum, de die in diem expectans hostium introitum, patriæ desolationem. Dicebatur enim à seculis inaudita aduenire multitudo, & uniuersam terræ superficiem eorum dicebatur equitatus operire, maxima eis ad potum non sufficere flumina, & regiones uberes cibos eis non posse ministrare ad sufficiẽtiam. Et licet maior uero fama præcurrens hoc nunciaret, rei tamen ueritas magnis principibus à fide Christiana alienis, multum poterat & meritò terrorem incutere. Nam ut constanter asserunt qui in eadem expeditione præsentes fuerunt, in solo domini Imperatoris comitatu, ad septuaginta milia fuerũt loricatorũ, exceptis peditibus, paruulis & mulieribus, & equitibus leuis armaturæ. In exercitu uerò domini Regis Francorum, uirorum fortium loricis utentium numerus ad septuaginta millia, excepta classe secunda, æstimabatur: quibus si clemens & propitia comesq; fuisset Domini gratia, et eos in bene placito suo uisitare dignatus esset Dominus, nõ solum Soldanum, uerùm uniuersas orientis prouincias, nomini potuissent Christiano subiecisse. sed eorum ex occulto, iusto tamen iudicio, spreuit famulatũ Dominus, nec habuit acceptum munus quod indignis fortasse offerebant manibus.

Imperator præcedens cum expeditionibus suis, Constantinopolim peruenit. Soldanus Iconiensis contra eum insidias præstruit. Caput XX.

INterea dominus Imperator Conradus, traiectis uniuersis trans Bosphorum legionibus, cum paucis & familiaribus admodum principibus, sumpta à domino Imperatore licentia, nauigio eundem Bosphorũ superans, exercitus iter iubet arripere, constitutis super singulas legiones singulis principibus: inde relinquens à læua Galatiam & Paphlagoniam, & utrunq; Pontum, à dextris uerò Phrygiam, Lydiam, & Asiam minorem, per mediam iter agens Bithyniam, iuxta eiusdem regionis metropolim Nicomediam, Nicæam, ubi trecentorum decem & octo sanctorũ Patrũ, temporibus domini Constantini, aduersus infœlicis Arrij impij dogmata, conuenit Synodus, à dextris deserens, totam illam transcurrit regionem. Inde Licaoniam, cuius

metropolis

metropolis est Iconium,uiam compendiosiorẽ secuti, instructis agminibus, uniuersus attigit exercitus. Vbi prædictus Soldanus,congregatis militarib. copijs, & maxima Turcorũ multitudine ex finitimis collecta regionibus, sustinens expectabat,ut loco & tempore opportuno occurrere posset transeuntibus: & ne procederent,posset procurare impedimentũ. Omnes enim usq; in ultimos Orientis fines illarum prouinciarum reges,duces, & cuiuscunq; generis principes tam prece quàm precio,in nostram sollicitauerat læsionem: asserens,& frequentibus cõtestans nuncijs, quod si tantæ,tamq; armatæ multitudini transitus indulgeret, futurum esse, ut suæ ditioni uniuersum uiolenter subijciant Orientem. Ex utraq; igitur Armenia,Cappadocia,Isauria,Cilicia,Media,Parthia,ad eius uocationem conuolat gentium infinitus numerus,& colligitur numerositas inaudita: quorum omniũ fretus auxilio, spem concipit,ut paribus possit resistere copijs, immensæ quam audierat aduenire multitudini. Tradiderat autem Constantinopolitanus discedenti ab eo, & idipsum petenti, domino Imperatori,uiæ duces locorũ peritos,prouinciarũ finitimarum omnem habentes prudentiam,sed fidei modicæ. Hi ad hoc dati credebanẽ, ut bona fide præirent exercitus,'ne periculosè incautis occurrerẽt locorum angustijs:aut inuia secutis,uictus deesset legionibus. Hi postquam in terram hostium introduxerunt cohortes, primicerijs exercitus præceperunt, ut ad certos dies, quibus per loca deserta gratia compendij eos transire oportebat,necessariã sumerent ciborum alimoniam,spondentes firmissimè, quod prætaxato paucorum dierum effluxo numero,ad Iconium urbẽ nominatissimã peruenturus esset exercitus, & in regionẽ optimam,& cõmoditatibus redundantem conscensurus. Illi aũt dicto parentes,currus,iumenta,& quælibet uehicula uictualibus onerantes, eis habentes fidem, in simplicitate spiritus sui secuti sunt præcedentes. Verùm Græci innata usi malitia, & consueto in nostros odio ducti, siue mandato domini sui, siue hostium corrupti pecunia, studiosè & ex industria per deuia cœperũt trahere legiones,& in ea introducere loca, quibus populum simplicem maior fieret hostibus opprimendi & expugnãdi copia,& longè amplior administrareẽ opportunitas.

Absentant se malitiosè,qui exercitui Conradi,à Græco Imperatore duces erant dati:& periclitatur Imperatoris exercitus. Caput XXI.

IMperator uerò uidens dierum prætaxatum iam effluxisse numerũ, & expeditiones nondum ad optatũ & promissum peruenisse locum, uiarum duces Græcorum accersiri iubet, & coram principibus suis interrogare cœpit diligentius: Quid nam sit,quod amplioribus diebus,quàm ipsi ab initio deputassent,uiam cœptam tenuisset exercitus, nec ad locũ peruenisset designatum? Illi autem ad solita recurrẽtes figmenta, futurum esse dicunt,& constanter affirmant,opitulante Domino, infra triduũ uniuersas Iconium peruentũri legiones. Quibus uerbis Imperator, sicut uir simplex erat,persuasus adiecit,ut etiam hoc triduũ patienter sustineret, fidem habens eorum promissionibus. Nocte ergò insequente, castris more solito locatis, cæteris præ labore quieti membra concedentibus, prædicti pestilentes uiri, intempestæ noctis silẽtio,clàm ab exercitu diffugiunt, relicto sine duce populo,qui eorum fidei fuit commendatus. Relata demũ luce,cum iam tempus immineret,ut profici

ſceret exercitus,nō ſunt inuēti qui de cōſuetudine præibant agmina: tandēq; ad Imperatorē et principē exercitus fugitiuorū fraus relata eſt, ab omnib.cō‑perta malitia. Illi aūt ut prolongarent iniquitatē ſibi, & peccatū peccato adde rent, uiri Belial, ad Francorum regis, qui in proximo dicebaſ eſſe, properant exercitum, mentientes D. Imperatorē, qui præceſſerat, eorum fretus ducatu, omnia egiſſe proſperè, Iconium uiolenter expugnatam, funditus deieciſſe, & de hoſtibus triumphaſſe ſolenniter. Hæc autē, ut credimus, ea uidebanſ inten tione aſſerere, uel ut dominum regem in idem præcipitarent periculum, & ea uia incedere perſuaderent: aut fortaſſe, ut periclitantibus fratribus nō ſubue nirent, dum illis omnia ſuccedere crederent ad uotum. Aut fortaſſe illud con finxerunt, ne ſi exercitum deperiſſe dicerent, ipſi tanquam proditores, quorū maleficio corruiſſet populus, raperentur ad pœnas. Quacunq; tamen inten‑tione illud dixerint, certum eſt illorum perfidia ſeductū exercitum, in ea unde corruit deſcendiſſe mortis diſcrimina. Videns ergò Imperator ducibus itine ris deſtitutum exercitū, conuocato uniuerſorū principum cœtu, quid opus ſit facto deliberat. Alijs itaq; redeundū, alijs uerò procedendū eſſe dicētibus, fit uotorū tanta diſſonantia, ut uerè dici poſſet: Effuſa eſt contētio ſuper Prin cipes, & errare fecit eos Dominus in inuio, & nō in uia. Dumq; ſic locorum ignari, & præ alimentorum defectu ſolliciti fluctuarent (defecerat enim peni tus tam equis & iumentis pabulum, quàm hominibus quodlibet ciborum genus) nunciaſ, nec erat à uero longius, in uicinio hoſtium cōſiſtere acies, & Turcorū innumeram adeſſe multitudinē. Erat aūt in ſolitudine ſterili, longè à culto ſolo exercitus: ſicut ſtudioſè, ut premiſimus, à prædictis ſeductoribus fuerat introductus. Nam declinantes à dextra Lycaoniam, per quam iter eis eſſe debuerat, cū tempore reciſiore illùc facilè potuiſſent perueniſſe, & omni‑bus abundaſſe copijs, loca inculta ſequentes, læuā tenuerunt: & in Cappado ciæ ſolitudines, longè ab Iconio, uniuerſum deuiare compulerūt exercitum. Dicebaſ publicè, nec à ueriſimili multum aberat, quod de conſcientia & man dato Imperatoris Græcorū, noſtrorum prouentibus inuidentis, conſtructa fuerint hæc tam periculoſa molimina. ſuſpectum enim ſemper & habuiſſe & habere dicuntur, maximè Theutonicorum, tanquam imperium æmulantiū, incrementum omne. Moleſtè ſiquidem ferunt, quod eorū rex, Romanorum ſe dicit Imperatorē: in hoc enim ſuo nimium detrahi uideſ imperatori, quem ipſi monarcham, id eſt, ſingulariter principari omnibus dicunt, tanquam Ro manorum unicum & ſolum imperatorem.

Irruūt repentè ſuper Theutonicorū legiones Turci, & eas obtruncāt: euadit tamē imperator. Cap. XXII.

SIc igitur, dum fame & locorū ignorantia, laboris quoq; diuturnitate, diffi cultate uiarum, equorum defectu, ſarcinarum pondere, domini Impera‑toris laboraret exercitus, Turcorum ſatrapæ, & diuerſi generis magiſtratus, conuocatis prius ad ipſum militaribus auxilijs, repentè ſupra eorū caſtra ho‑ſtiliter irruunt: & irruptione ſubita, nihil tale uerentes, conturbant legiones. Freti autē equis uelocibus, quibus non defuerant neceſſaria, & armorum le‑uitate, arcuum uidelicet & pharetrarum, caſtra magnis uociferationibus cir‑cum ſtrepūt, & agilitate ſolida, in noſtros lentos, & armis onuſtos grauibus, impetus exercent periculoſos. At uerò noſtri loricis, ocreis, & clypeis one‑

rati

rati, habentes equos fame & itineris longitudine fatigatos, & ad sustinendos discursus insufficientes, licet uiribus & armorum usu praeeminerent, longius tamen à castris, nec hostes insequi, nec cum eis commitere ualebant. Hostes è conuerso cateruatim irruentes, eminus sagittarum, instar grandinis, immissa multitudine infinita, equos eorumq; sessores uulnerantes, & causas mortis de remoto inferentes, equorum uelocitate, nostrorũ persequi uolentium gladijs fugiẽtes eripiebantur. Sic ergo in gyrum nostrorum uallatus exercitus, telorum & sagittarũ immissionibus anxiè nimis, & usq; ad mortem premebatur: nec dabat referendi uicem, et cum hostibus conferendi copia. Quippe quibus comprehendendi aduersarios nulla erat facultas. quoties enim in hostes nostrorũ acies impetus facere nitebant, illi dissolutis agminibus, nostrorum eludentes conatus, ad diuersa ferebant. Iterũ nostris in castra se recipientibus, illi agmina reuocantes sua, nostrum cingebant exercitum: & instantes acrius, quasi obsessis requiem negant. Factum est autẽ occulto Dei iudicio, iusto tamen, quod omnis illa tantorũ principum uirtus, quae prius armis, uiribus, animis & numero uidebat incomparabilis, subitò contrita, languido lacessita marte, corruit, ita ut uix remanerent illius uestigia gloriae, & tantarũ uix superesset residuum copiarum. Nam de septuaginta milibus loricatorũ equitũ, & de tanta pedestrium turmarũ manu, quorum infinitus erat numerus: uix, sicut asserunt qui praesentes fuerunt, decima pars euasit, alijs fame, alijs gladio interemptis, nõnullis etiã uinculis hostium mancipatis. Euasit tamen Imperator cum paucis ex principibus suis, et cum residuo suorũ, licet cũ difficultate nimia, post dies aliquot in partes Niceae se contulit. Hostes uerò uictoria potiti, onusti spolijs, & gaza multiplici facti locupletiores, equis, armis usq; ad nauseam ditati, in sua se contulerunt, tanquam locorũ periti, praesidia, expectantes auidè Francorum regis aduentum, qui ad easdem propè partes uenisse dicebatur. Sperabant enim, ex quo domini Imperatoris maiores fuderãt copias, & de comitatu domini regis Franciae multo facilius posse obtinere: quod & factum est. Huic tamen tanto negotio Soldanus Iconiensis non interfuit: sed quidam nobilis militiae suae primicerius Turcorum magnus satrapa, Paramum dictus, hanc plagam, Domino permittente, contra spem exercuit. Accidit autem anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto, mense Nouembri.

Rex Francorum transito Hellesponto, apud Niceam Bithyniae, cum suis peruenit legionibus: colloquuntur sibi inuicem. Imperator Constantinopolim reuertitur. Caput XXIII.

INterea rex Francorum penè eisdẽ subsecutus uestigijs cum suo exercitu, uenerat Constantinopolim: ubi modico tempore secretioribus cum Imperatore usus colloquijs, & ab eo honorificentissimè, & multa munerum prosecutione dimissus, principibusq; suis multum honoratis inter urbem regiam & mare Ponticum, quod ab ea triginta distat miliaribus, ubi Hellespontus angustissimus, uix ad unum miliare habet latitudinis, cum uniuersis legionibus transito mari, in Bithyniam descẽderat: gyratoq; sinu maris, qui ab adiacente urbe eiusdem Bithyniae metropoli Nicomedensis dicitur, qui etiã Bosphoron, siue Hellesponti pars est, in pago Niceo, nõ multum à Nicea remotus, castra locauerat, deliberans qua uia incedendum esset, & de domino Im

 peratore,

peratore,qui cum præcesserat,noua diligentius inuestigans. & ecce nunciat dñm Imperatorẽ amisso exercitu,uagum & profugũ,cũ paucis principibus euasisse. Primũ itaq; sermo dubius et sine certo autore ortus est:sed processu tẽporis factus est certior. nã modico interiecto interuallo, D. Fridericus Sueuorum Dux,adolescens admirãdę indolis, dñi Imperatoris ex fratre primogenito nepos,qui eidẽ dño Conrado,patruo suo succedens,Romanũ hodie strennuè et fœliciter administrat Imperiũ,à castris dñi Imperatoris egressus, ad exercitum dñi Regis Francorũ properãs, hęc eadẽ quæ prius incerto autore susceperat, plenius & certius edocuit. Venerat aũt,ut dñm Regẽ cum predicto dño imperatore ad colloquiũ inuitaret,ut cõmuni cõsilio,licet sero, de itinere tractaret. Factum est aũt,quòd audito periculo fratrũ & interitu,et dñi Imperatoris sinistro casu qui acciderat,uniuersus Francorũ merito turbatus est exercitus, & mente cõpassus est: tandẽ uerbo dñi Ducis Rex motus, habita cũ suis deliberatione, ut eum coloqueret, cũ paucis ex principib. suis progressus,Duce præuio,usq; ad Imperatoris castra, quæ in uicino idẽ locauerat,peruenit. Dato itaq; & accepto debitę salutationis affatu,simul et osculo pacis interueniẽte,familiaribus usi colloquijs, ordinãt proposito insistere, & simul iunctis agminibus proficisci. Multi tamẽ de utroq; exercitu, sed maximè de castris Theutonicorũ,amissis uiaticis,& expensis ad iter necessarijs, laboris quoq; immensitate deterriti, uotorũ immemores Cõstantinopolim sunt reuersi. Cõmunicato igit cõsilio,cum utriusq; exercitus primoribus,uiã quam prius incesserat Imperator, relinquẽtes ad læuã, uersus Asiã minorẽ, relicta à dextris utraq; Phrygia, post tergum uerò Bithynia, dirigũt acies: & nunc mediterraneo,nunc maritimo gradiẽtes itinere, Philadelphiã à lęua declinãtes,Smyrnã,& inde Ephesum eiusdẽ Asiæ metropolim, Ioannis Euãgelistæ cõuersatione, prædicatione,simul & sepulchro clarã,peruenerunt. Hic demum Imperator, seu quia cũ paucioribus erat, qui multo plures prius secum habuerat,uerecundiã sustinens, seu Francorũ fastus nõ ferens,seu alijs latentibus caussis,remissis quæ supererãt per terrã legionibus,ipse ab Epheso usus nauigio,Constantinopolim reuersus est. Vbi à domino Imperatore,multò quàm primo aduentu,susceptus honestius, moram apud eum usq; ad ueris initium sequentis,cum suis habuit principibus: erat enim inter eos affinitatis uinculũ. nam eorũ uxores,sorores erant,filiæ Berengarij senioris, Comitis de Sultzpach,magni & egregij principis, in regno Theutonicorũ potentissimi. unde ampliori erga eum abundabat gratia,& liberalitatẽ in eum & suos tenebat,maximè interueniente Imperatrice,effundere cumulatiorẽ.

Franci Meandrum fluuium transeunt,inuitis hostibus. Caput XXIIII.

INterea Rex Francorũ de itinere cum suis principibus ualde sollicitus, dum apud Ephesum gratia recreãdi exercitus morã faceret, Guido Comes de Pontino,uir militaribus præclarus & insignis actionibus, morbo grauatus in fata concessit,ibiq; in uestibulo ecclesię honorificè sepultus est. Rex autem inde profectus cum suo exercitu,iter in Orientẽ pro uiribus maturabat. profectus enim inde,post paucos dies,ad uada Meandri, oloribus amica, peruenit. Hic est ille fluuius,de quo Naso noster in libro dicit Heroidum,

> Sic ubi fata uocant,udis abiectus in herbis,
> Ad uada Meandri concinit albus olor.

Supra cuius ripas in pascuis gratē uirentibus castrametatus est. Hic primum Francis hostes iuxta eorum desideriū datum est intueri. nam accedere uolentibus ad aquas, ex opposita fluminis ripa, hostes in magna multitudine ripas contingere, & aquę usum nostris interdicebant. Tandē uerò inuentis uadis, flumine hostibus inuitis transmisso, irruētes nostrorū acies, pluribus ex eis neci traditis, multisq; uinculis mancipatis, eos in fugam uertunt: & obtinentes eorū castra simul & opima spolia, et suppellectilē uniuersam, ulteriorē fluminis ripā sibi uiriliter uendicarunt. Habita itaq; huiusmodi uictoria, & de hostiū manubijs & præda facti lætiores, nocte illa cū tranquillitate transcursa, rursum dato mane, ad iter se accingunt. inde Laodiceam, eiusdem regionis urbem peruenientes, sumptis uiaticis ad dies aliquot, more solito proficiscuntur unanimes.

Francorum casu miserabili prosternitur exercitus. pars quæ præcesserat, euasit. Caput XXIIII.

ERat autem exercitui mons obuius, arduus admodum, & ad ascendendū difficilis: illum ea die, iuxta legem professionis transire oportebat. Porrò in expeditione consuetudo erat, singulis diebus quosdam de illustribus, qui agmina præirent, quosdam qui subsequerent ad custodiam imbellis populi, & maximè turmarū pedestriū deputare: & cum principibus de modo uiæ, de profectionis quantitate, de loco castrorū in die sequēti ordinare. Præibat autē illa die cum uexillo regio sorte uocatus, in ordine uicis suę, nobilis quidā de Aquitania uir, nomine Ganfredus de Rancum. hic cum prædictū montē ascendisset, cum agminibus quę pręcedebant, in montis fastigio positus: licet præordinatum fuisset, quod in montis uertice castrametarent qui præibant, contra legem dispositā, proposuit adhuc aliquantulum procedere: nam uidebatur ei, quod modicum nimis illa die profectus esset exercitus, & multa diei pars adhuc superesset: cœpitq;, ducibus præeuntibus, & locū cōmodiorē in uicino promittentibus, adhuc ultra proficisci. Qui autē sequebanť, arbitrati quòd in mōtis prædicti uertice essent castrametaturi, modicumq; rati superesse itineris ad diem deputati, lentè nimis & remissius sequi cœperunt præcedentes: ita quod monte à quibusdā transcurso, quibusdam uerò circa montē adhuc moram facientibus, diuisus est exercitus. Quod uidentes qui à longè exercitū ex latere contuebanť hostium cunei, parati semper, si occasionē inuenirent, irruere, & ad hoc specialiter insequentes sine intermissione exercitum: sumpta occasione, cùm ex locorū angustijs, tum quia maior & fortior expeditionis portio præcedens, separata erat: nec facilè subsequentium aut conditionē nosse, aut eis laborantibus subuenire posse arbitrabanť, cliuum mōtis occupant, ut maius inter pręcedentes & subsequentes chaos firmareť: instructisq; aciebus, super nostros irruūt, & anteq; arma possint corripere, nostras uiolenter dissoluunt acies. nec iam sagittis uel arcu, sed gladijs instantes cominus, Martem & mortē ingerunt, & diffugere paratos, urgent atrocius. Nostris autē oberant locorū angustię: equi quoq; ob diuturnitatē & difficultatē itineris facti debiliores, sarcinarū etiam multiplex numerositas, nonnullū pręstabat impedimentū: resistunt tamen unanimiter, & parib. animis, pro uita, pro libertate, pro consortib. itineris decertāt uiriliter, gladijs ac lāceis rē peragunt, sese mutuis sermonib. exhortantes & exemplis. Hostes è conuerso spe fruendi uictoria, suos animāt, ad memoriā reuocātes, quod paucis ante dieb.

maiores multo copias minore fudissent periculo, et de pluribus & longe fortioribus facile triumphassent. Pugnant igitur marte diu ancipiti, & dubio euentu: uerùm in fine, peccatis nostris exigentibus, infidelium præualuit manus, et noster usq; ad modicū numerū, plurimis interemptis, captiuatis innumeris, redactus est exercitus. Occubuerūt illa die uiri nobiles & illustres, rebus militarib. singulariter insignes, pia digni recordatione, Comes de Gauremia, uir inter maiores eximius, Galtherus de Montgaye, Eurardus de Bretel, Iterus de Magnac, & alij multi quorum nomina nō tenemus, quæ tamen scripta esse in cœlo credendum est, quorum memoria in benedictione erit in seculum seculi. Occidit illa die, nostris infausto, et casu nimis aduerso, ingens Francorum gloria, & uirtus gentibus hactenus formidabilis, contrita corruit: immundis & Deum nesciētibus, quibus prius terrori fuerat, facta nunc ludibrio. Quid est benedicte dñe Iesu Christe, quod populus iste, tibi tā deuotus, pedum tuorū uolēs adorare uestigia, loca uenerabilia, quę tua corporali cōsecrasti præsentia, deosculari cupiens, per manus eorū qui te oderunt, ruinā passus est? uerè iudicia tua abyssus multa, & nō est qui possit ad ea. Tu eīm solus es Dñe, qui cuncta potes, & nō est qui possit resistere uoluntati tuę.

Rex casu euadens, ad eos qui præcesserant, se colligit: residuum exercitus apud Attaliam peruenit. Caput XXVI.

REx interea casu magis quàm industria, tanto tamē cōfuso exemptus periculo, sępedicti, qui uicinus erat, montis cliuum ascendens, cum paucis eius fugæ consortibus, sine duce, noctis intēpestæ silentio ad suorum castra, aliquantulum locata remotius, se contulit. Hi autem qui præcesserant, uexillum regium secuti, ut prēmisimus, & montis angustias sine difficultate transierant, & castra, nemine prohibente, loco satis commodo, locauerant, ignari prorsus & expertes omnium, quæ ijs qui sequebantur acciderant. Præsagiebat tamen animus eorum qui præcesserant, ex quo uiderunt acies interruptas, & tantam subsequētium moram, quod aliquid sinistri obtigerat, nec erant eis pro uoto uniuersa. Ex quo autem per eos qui euaserant, & cum rege se in castra contulerant, de infausto, qui acciderat, facti sunt rectiores euentu, statim luctus occupat uniuersa, mœror & anxietas corda sibi uendicat singulorum. Dumq; sibi quisq; quem amiserat proximum querulis uocibus, & lachrymosis quærit suspirijs, & dolore multiplicato quæsitum non inuenit, eiulatu resonant agmina, & gemitu cohortes macerantur. non erat in castris locus quem dolor familiaris, & domestica iactura non premeret: hic patrem, ille dominum, illa filium, hæc maritum lustrādo perquirit: dumq; non inueniunt quod quærunt, noctem percurrūt pondere curarum peruigilem, quicquid absentibus potest accidere deterius iudicantes. Reuersi sunt tamen illa nocte de utraq; classe nonnulli, qui fruticetis & rupibus & cauernis terræ, mortis declinātes discrimen, noctis protecti beneficio, casu magis quàm prudentia se adiungebant, ad castra peruenientes. Factum est autem hoc anno ab incarnatione Dñi, millesimo centesimo quadragesimo septimo, mense Ianuario. Cœpit autem ab ea die panis, & omnis penitus alimonia in castris deficere: sed nec alterius generis deinceps per multos dies, habuerunt commercium. sed etiā, quod deterius erat, sine duce, sine præambulo, passim nunc hac, nunc illac errabundi, locorum nullam omnino habētes peritiam,

uagabātur. Tandem uerò Pamphyliam ingressi, per abrupta montium, per deuexa uallium, cum difficultate nimia, sine tamen hostium conflictu, usque Attaliam eiusdem regionis metropolim peruenerunt. Est autem Attalia ciuitas in littore maris sita, Imperatoris Constantinopolitani subiecta imperio, agrum habēs opimum, & tamen ciuibus suis inutilem. nam angustiantibus eos undique hostibus, nec permittentibus agrorum cultui uacare, iacet ager infructuosus, dum non est qui exercendo fœcunditatē possit procreare: alias tamen multas habens commoditates, gratum se solet præbere hospitibus. nam aquas emanans perspicuas & salutares, pomerijs est obsita fructiferis, situ placens amœnissimo: traiectarum tamen frugum & per mare deuectarum solent habere copias, et transeuntibus sufficientem ciborum commoditatem ministrare. Quia uerò hostibus nimis est contermina, eorum non ualens indesinenter sustinere molestias, facta est eis tributaria, per hoc necessariorum cum hostibus commercium. Hanc nostri, idiomatis Græci non habentes peritiam, corrupto uocabulo Sataliam appellant. unde & totus ille maris sinus, à promontorio Lissidona, usq; in insulam Cyprū, Attalicus dicitur, qui uulgari appellatione Gulphus Sataliæ nuncupatur. Ad hanc perueniens Rex Francorū cum suis, ob multitudinem cōcurrentium tantam passus est alimentorum penuriam, quod penè residuū exercitus, et maximè pauperes consumerentur inedia. Ipse uerò cum suis principibus, relictis pedestribus turmis maturant nauigio, Isauriam Ciliciamq; à læua deserens: à dextris autem Cypro relicta, prosperis actus flatibus, fauces Orōtis fluminis, quod Antiochiam præterlabitur, qui locus hodie dicitur Symeonis portus, iuxta antiquam urbem Seleuciam, et ab Antiochia decem plus minus ue paulo distat miliaribus, ingreditur.

Raymundus Princeps Antiochenus, Regem Francorum apud portum sancti Symeonis honestè recipit, deducit Antiochiam: sed tandem male diuiduntur ab inuicem. Cap. XXVII.

AVdiens igitur Antiochenus princeps Raymundus, Regē Francorū in partibus suis applicuisse, cuius aduentum diebus multis antè expectauerat, cum desiderio sustinens, conuocatis nobilibus totius regionis, & populi primoribus, cum electo comitatu ei occurrens, in urbē Antiochenam, omnem ei exhibens reuerentiam, occurrente ei uniuerso clero et populo, magnificentissimè introduxit: conceperat enim spem multā, audito eius aduentu, quod per eius auxilium Antiochenū principatum ampliare posset. unde & eidē in Franciam, antequam iter etiā arriperet, honesta præmiserat donaria, & euxenia multi precij, ut eius sibi conciliaret gratiā, largitus fuerat. Præsumebat nihilominus & de Reginæ apud dñm Regē interuentu, quæ eiusdē peregrinationis regi adhæserat comes indiuisa: quæ eiusdem dñi Principis neptis erat, dñi Vuilhelmi uidelicet Pictauiensiū Comitis, fratris eius primogenita filia. Aduenienti igit, ut diximus, omnē exhibuit humanitatē. sed et circa nobiles & principes, qui eius secuti sunt comitatū, eius similem non defuit studiū, nec eximiæ liberalitatis opera: sed omnes honore præueniēs, prout cuiusq; exigebāt merita, plena tractabat munificētia. Erat ei sanè spes maxima, quod urbes finitimas, Alapiā uidelicet et Cæsareā, aliasq; nōnullas eius fretus auxilio,

& copijs adiutus sibi posset subiugare. Nec ea spe delusus esset, si regem non suis ad hoc potuisset induxisse proceribus. nã tantus de aduentu regis hostibus timor incubuerat, ut iam non solũ de uiribus suis diffiderent, sed de uita etiã uiderentur desperare. Coueniens igitur solenniter, & in præsentia principum tam dñi Regis quàm suorũ, princeps dñm Regẽ, iuxta id quod mente cõceperat, & secretius nonnunq̃ conuenerat, & petitiones suas effectui sine difficultate mancipabiles, honestatiq̃ & utilitati cõuenire ostendens: ubi uidet se nõ proficere, cũ Rex Hierosolymã uotis ardentibus irreuocabiliter ire proposuisset, spe frustratus, mutato studio, regis uias abominari, & ei præstruere patenter insidias & in eius lęsionẽ armari cœpit. Vxorẽ enĩ Regis in idipsum cõsentientẽ, quę una erat de fatuis mulieribus, aut uiolẽter aut occultis machinationibus ab eo rapere proposuit: erat, ut pręmisimus, sicut et prius & postmodũ manifestis docuit indicijs, mulier imprudens, & cõtra dignitatẽ regiã legẽ negligens maritalẽ, thori cõiugalis fidẽ oblita: quod postq̃ regi cõpertum est, principis præueniens molimina, uitęq̃ & saluti cõsulens, de cõsilio magnatũ suorũ iter accelerãs, urbe Antiochena cũ suis clàm egressus est. Mutatus est igit̃ color optimus, & dissimilia facta sunt postrema prioribus: & qui cũ tanta gloria susceptus fuerat aduenies, sorte mutata, recessit inglorius. Sunt qui regi hæc ad nimiã imputãt malitiã, & ei dicunt dignè pro meritis accidisse, quod tanti uiri, & de se & de suis ita benemeriti preces non admiserit: præsertim cum cõstanter asseuerent, unam uel plures ex prænominatis urbibus, si ad id uoluisset dare operam, facile obtineri potuisse.

Hyeme transcursa, Conradus Imperator, usus nauigio, in Syriã peruenit: Comes quoq; Anfossus apud Acconensem applicat ciuitatẽ, moriturq; apud Cæsaream. Caput XXVIII.

INterea D. Imperator, transcursa hyeme, apud urbem Regiam, ubi à domino Imperatore Constantinopolitano, humanitatis legibus diligẽter, prout tantum decebat principẽ, tractatus, & donis in discessu largissimis cumulatus, classe quam eidem Imperialis magnificentia deputauerat, uectus, cum quibusdam ex principibus suis in orientem perueniẽs, portum attigit Acconensem. Inde Hierosolymam proficiscens, à dño Rege Balduino, & dño Fulchero bonæ memoriæ Patriarcha, occurrẽte ei extra ciuitatẽ uniuerso clero, & populo cum hymnis & canticis in sanctam introductus est ciuitatẽ. Applicuit etiam ijsdẽ diebus in portu Acconensi uir magnificus et illustris, Comes Tolosanus, Anfossus nomine, dñi Raymũdi senioris Comitis filius: qui tantus princeps, tanti fuit meriti in prima expeditione, uir suis egregius titulis: sed patris pia clarior memoria, dum inde Hierosolymã, ut Domino pro peracta fœliciter peregrinatione gratias acturus, apud Cæsaream urbem maritimã, paucis postquã appulit diebus, porrecto illi (ut dicit̃) ueneno, sed auctore tanti sceleris incerto, uitam finiuit. Huius uiri inclytę recordationis, uniuersus populus cum summo desiderio pręstolabatur aduentum: sperans quod faustum & fœlix omen patris aduenìens, regno esset allaturus.

Rex Francorum ab Antiochia digressus, Hierosolymam properat, mittitur ei obuiam Hierosolymitanus patriarcha. Caput XXIX.

NVnciatur interea Hierosolymis, regem Francorũ ab Antiochia digressum, ad partes accedere Tripolitanas, unde de cõmuni omnium princi-

pum

pum consilio dirigitur ei obuiam D. Fulcherus, bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarcha, ut exhortationibus cõgruis & monitis salutaribus eum in regnum euocaret, ne fortè uel à dño Principe, restituta in integrum gratia reuocatus, uel à dño Comite Tripolitano, eius cõsanguineo detentus, Hierosolymã differret uenire. Orientalis enim Latinorũ tota regio quatuor principalibus erat distincta. Primus enim ab austro erat regnum Hierosolymorũ, initiũ habens à riuo qui est inter Byblũ & Berythum urbes maritimas prouinciæ Phœnicis, & finẽ in solitudine quæ est ultra Daxũ, quæ respicit Aegyptum. Secundus erat uersus septentriones: Comitatus Tripolitanus, à riuo supradicto habens initium, finẽ uerò in riuo qui est inter Maracleã & Valeniam urbes, similiter maritimas. Tertius erat principatus Antiochenus, qui ab eodem riuo habens initiũ, usq; in Tarsum Ciliciæ, uersus occidentẽ protendebat. Quartus erat Comitatus Edissanus, qui ab ea sylua quæ dicit Marrim, in orientem ultra Euphratem protendebatur. Hi omnes magni uiri & potentes ab initio spem conceperant, quod in aduẽtu prædictorum regum, per eorum operã & auxilium possent fines suos dilatare, & porrigere terminos in immensum. Omnes enim hostes immanissimos, & urbes hostiũ inuisas, plurimum habebant conterminas, quas sibi adiungere cupiebant. Erant ergo cura domestica, & de familiari incremento ualde solliciti. Vnde reges nuncijs & muneribus ad se quisq; inuitabant, alios præuenire cupientes. Inter hos dominus Rex, & qui in regno erant, spem sibi uidebant fouere maiorem, tum ob reuerentiam locorum uenerabilium, quorum amor & deuotio omnes trahebat amplius: tum quia dominũ Imperatorem apud se habebãt, ad quem credibile erat dominum Francorum Regem accessurũ, cùm complendę orationis & peregrinationis gratia, tum ut de cõmuni consilio in opere aliquo ad incrementum Christianitatis procederetur. Missus est ergo dominus Patriarcha, ut prędiximus, à regni principibus, metuẽtibus plurimũ, ne à domino Principe, cuius affinis erat, et ei arctiore caritatis uinculo iungi uidebatur, & maxime interuentu Reginæ, circa partes Alapiæ detineretur, sicut & probabile uidebatur. Cognito uerò, quod minus amicè ab inuicẽ discesserant, spes eis accessit amplior, quod sine dilatione inde digrediens, Hierosolymã esset peruenturus. Contra tamen fortunæ insidias, & quia prudenter timetur quicquid accidere potest, Hierosolymitæ uirum uenerabilẽ prædictum Patriarcham, cuius auctoritate moueretur, præmiserũt: nec spe concepta frustrati sunt. nam eius uerbum secutus, Hierosolymam incunctanter aduenit. Quò perueniens, occurrente ei uniuerso clero & populo, cum hymnis & canticis unà cum principibus suis, honorificè & cũ debita gloria, in urbem receptus est, & ad loca uenerabilia deductus. Tandẽ completis de more orationibus, indicitur apud urbẽ Acconensem Curia generalis, ut de fructu tantæ peregrinationis, & de tantorum fine laborum, & de regni desiderato tractaretur incremento. Tandem die statuto ad destinatum conuenientes locum, sicut & prçordinauerant, quid facto esset expedientius, diligenter cum regni nostri magnatibus, quibus plenior rerum & locorum erat cognitio, diligentius deliberare cœperunt.

LIBER

Apud Ptolemaidam urbem maritimam Curia celebratur generalis: nominanturq; principes qui ad eam conuenerunt. Caput I.



Dignum credimus, & præsenti satis conuenire uidetur historię, ut posteritatis mandēt memoriæ, qui principes prædictæ interfuerunt Curiæ, qui ex tantis cōuenerant regionibus. Interfuit ergo primus D. Conradus inclytę recordationis Theutonicorum Rex, & Romanorum Imperator: & de principibus eius ecclesiasticis, D. Otto Phrysingēsis episcopus, uir literatus. Frater eius. D. Stephanus Metensis episcopus. dominus Henricus, domini Theodorici Flandrensiū Comitis frater, Tullensis episcopus. dominus Theorinus natione Theutonicus, episcopus Portuensis, Apostolicę sedis Legatus: qui de mandato domini Eugenij Papæ, eiusdē domini Imperatoris castra fuerat secutus. De laicis uerò D. Henricus dux Austriæ, eiusdem Imperatoris frater: dn̄s Dux Guelpho, uir illustris & potens. dominus Fredericus, inclytus Suevorum et Vindelicorum Dux, eiusdem domini Imperatoris ex fratre primo genito nepos, eximiæ indolis adolescēs: qui ei postmodū succedens, Romanum hodie strennuè et uiriliter administrat Imperiū. dominus Hermannus, prouinciæ Veronensis Marchio. dominus Berchtoldus de Vndes, qui postea fuit Bauariæ dux: dominus Vuilhelmus Marchio de Monteferrato, eiusdē domini Imperatoris sororius. Guido Comes de Blandracha, qui prędicti Marchionis sororem habebat uxorē: ambo de Lombardia magni & egregij principes. Interfuerunt & alij nōnulli, nobiles & spectabiles uiri, quorum nomina uel titulos nō tenemus. Interfuit dominus Ludouicus Francorum Rex pijssimus, inclytę in Domino memorię: & cum eo dominus Godefridus, Lingonēsis episcopus: dominus Arnulphus, Lexouiēsis episcopus. Dominus Guido de Florentia, ecclesiæ Romanæ presbyter, Cardinalis tituli sancti Chrysogoni, apostolicæ sedis Legatus: dominus Robertus, Comes Parisiensis, eiusdem domini Regis frater: dominus Henricus, domini Theobaldi senioris Comitis filius, Comes Trecensis, eiusdem domini Regis gener, egregiæ indolis adolescēs: D. Theodoricus, Flandrensium magnificus Comes, domini Regis Hierosolymorū sororius: D. Iuo de Neella Suessionensis, uir fidelis & prudens. Interfuerunt et alij multi nobiles, et potentes, & digni memoria uiri: quorum nomina, prolixitatem declinātes, studiose prætērimus. De nostris autem regionibus, affuit dominus Balduinus, Hierosolymorum Rex, indytæ indolis adolescens: & cum eo mater eius, prudens & circumspecta mulier, cor habens uirile, & quolibet cōsulto principi nihil inferius sapiens. Et cum eis, dominus Fulcherus Patriarcha, dominus Balduinus Cęsariensis Archiepiscopus: D. Robertus, Nazarenus Archiepiscopus: D. Rorgo, Acconēsis episcopus: D. Bernhardus, Sidoniensis episcopus: D. Vuilhelmus, Berythensis episcopus: D. Adā, Paneadensis episcopus: D. Gerardus, Bethleemita episcopus: Robertus magister militiæ, Raymundus magister domus hospitalis. De laicis uerò, Manasses constabularius, Philippus Neapolitanus, Helimādus Tiberiadēsis, Gerardus Sydoniensis, Galterius Cæsarien-

Cæsariensis. Paganus dominus regionis quæ est trans Iordanem, Balianus senior. Humfredus de Torono. Guido Berythensis: & alij multi, de quibus per singula longū nimis esset enumerare. Hi omnes, ut diximus, in urbē conuenerant Acconensem, tractaturi quid optimum, & loco & tempori magis conueniens uideretur, quod primum, auctore Domino, ad incrementum regni & Christiani gloriam nominis attentarent.

Vrbem Damascenam proponunt obsidere, & ex condicto ad eam accedunt. Caput II.

TRansactis igitur continuo libramine deliberationis partibus, post subiecta, sicut in talibus fieri solet, diuersarum partium diuersa cōsilia, de communi consilio uisum est tempori expedictius, Damascū urbem nostris damnosam obsidere. unde firmato circa id consilio, uoce preconia præcipitur publicari, quatenus die statuta omnes unanimiter parati sint, copias suas ad illas partes dirigere. Mense igitur Maio, uigesimo quinto die mensis, anno ab incarnatione Domini M.C.XLVII. cōgregatis ex uniuerso regno militaribus tam equitū quàm peditum coprjs, tam ex indigenis quàm peregrinis, præuio uiuificæ crucis salutari ligno, prædicti Deo amabiles reges, unà cū suis expeditionibus, ad urbem Tiberiadē, ex condicto perueniunt. Inde uiarum compendia secuti, secus mare Galileæ usque Paneadem, quæ est Cæsarea Philippi, uniuersos deduxerūt exercitus. Vbi deliberatione habita, cum ijs qui situs urbis Damascenæ & adiacentis regionis habebant peritiam, communicato cum maioribus principibus consilio, utilius iudicāt prædictam urbem eatenus obsidione uallare, ut prius occupentur pomeria, quę ex maxima parte urbem ambiunt eandem, & plurimam uidentur conferre munitionem: arbitrantes quod occupatis pomerijs, urbē deinceps obtinere satis esset in expedito. Sic igitur iuxta initum consiliū iter aggressi, transcurso famosissimo monte Libano, qui medius inter Cæsareā Philippi, & eandem Damascum interiacet, apud uicum cui nomen Daria est, in agrum descenderunt Damascenum, ab urbe distātem quatuor aut quinque miliaribus. Vnde & totam ciuitatem cum tota regione, de plano dabatur intueri.

Describitur situs Damascenæ urbis. Caput III.

EStautem Damascus, ciuitas maxima minoris Syriæ, quæ alio nomine Phœnicis Libanica nuncupatur, metropolis: sicut ibi legitur, Caput Syriæ Damascus. à quodam Abrahæ seruo denominata, qui eam creditur fundasse. Interpretatur autē sanguinea, uel sanguinolenta. Est autem in campestribus sita, in agro sterili et arido, nisi quantum aquarum antiquis meatibus deductarū irrigatur beneficio. Fluuius enim à promontorio descēdens uicino, in superioribus illius regionis partibus, canalibus exceptus, ut inde liberius per plena possit deduci, per diuersas subiectæ regionis partes ad agrorum sterilitatem fœcundandam dirigitur. quod uerò residuū est, quia copiosas habet aquas, ex utraque ripa pomeria nutrit, arboribus consita fructiferis, iuxtaque ciuitatis murum orientem uersus labitur. Peruenientes igitur prædicti reges ad locum prænominatū, uidelicet Dariā, urbē habentes iam uicinā, instruunt acies, & ordinē incedendi assignāt, ne promiscuè incedētes, contentiones suscitēt adinuicē, et operi futuro ministrēt impedimentū. Primus itaque cū suis Hierosolymorū Rex, eo maximè quod locorum peritiā eius cohortes

dicebant

Nostri pomeria ciuitatis uiolenter effringunt, & fluuium inuitis hostibus occupant in manu forti. Factum Imperatoris eximium & admirabile describitur. Caput IIII.

HOc igitur intelligētes nostri, instant acerbius: & effractis hortorum uiolenter claustris, pomeria certatim occupant. & quos intra septa uel in huiusmodi domibus reperiunt, gladijs transuerberāt, aut in uincula captos cōijciunt. Quod audientes qui ad simile opus exierant, aliorum exemplo timentes interire, relictis hortis, cateruatim in urbē se recipiunt. sicq; illis in fugam uersis, aut gladio peremptis, liber nostris ad anteriora patuit aditus. Equestres uerò tam ciuium, quàm eorum qui eis in subsidium uenerant, copiæ, intelligentes quod ad obsidendum urbem per illas partes noster uenturus esset exercitus, ad amnem qui urbem præterlabitur, accesserant, ut arcubus & balistis expeditiones ex itinere fatigatas, & præ sitis angustia laborantes, arcerent à flumine, & aquarum maximè necessariā negarent sitientibus commoditatem. Nostri uerò ad releuandam sitim, quam ex laboris difficultate, ex pulueris nube densa, equorum hominumq; pedibus agitati collegerāt, ad fluuium quem uicinum audierāt properantes, ubi secus ripam uiderunt tantam hostium multitudinem, substiterunt ad modicum: tandem collectis uiribus, necessitate uires & audaciam ministrante, semel & secundo, sed frustra aquas sibi uendicare nitunē. Dumq; circa id Hierosolymorum rex cum suis plurimum desudat, & frustra laborat, nunciatur domino Imperatori, qui posterioribus præerat agminibus, sciscitanti: Quæ nam esset causa, quare non procederet exercitus? quod hostes fluuium obtinentes, nostros non permittebant accedere. Quo cognito, ira succensus, per medias Francorum regis acies usq; ad conflictum eorum, qui pro flumine contendebāt, cum suis principibus celer peruenit. Vbi tam ipse quàm sui de equis descendentes, & facti pedites (sicut mos est Theutonicis, in summis necessitatibus bellica tractare negocia) obiectis clypeis, gladijs cominus cum hostibus experiuntur. quorū impetus, qui prius fortiter restiterant, sustinere non ualentes, in fugam uersi, flumina deserunt, in urbem cum summa uelocitate se conferētes. In quo congressu, domini Imperatoris factum seculis memorabile dicit accidisse. nam uni de resistentibus, uiriliter strenuè dimicanti, quamuis loricato, uno ictu caput, collum, cum sinistro humero & brachio coherente, simulq; partem subiecti lateris dicitur amputasse. Quod factum ciues, tum qui hoc uiderāt, tum eos qui ex aliorum relatione idipsum cognouerant, in tantam deiecit formidinem, ut de resistendo desperarent.

Desperant ciues, & de fuga cogitant. ex nostris quosdam data corrumpunt principibus pecunia, quorum persuasione in oppositam ciuitatis partem transfertur exercitus. Cap. V.

OBtento igitur flumine, & ripa liberius cōcessa, longè lateq; secus urbem castrametantur, & tam pomerijs uiolenter expugnatis, quàm fluminis liberè pro arbitrio usi sunt commoditate. Attoniti ergò ciues, & exercitus nostri & nostrorum stupentes uirtutē, de uiribus suis cœperunt diffidere, quasi resistere nō ualentes: timentesq; subitas nostrorum irruptiones, nihil tutum reputant, dum ad mentem reducunt, quales eos hesternis congressionibus sunt experti. Habita igitur deliberatione, usi ea quæ miseris & afflictis rebus

adesse solent solertia, & ad ultima recurrentes argumēta, omnes uicos ciuitatis, ex ea parte, in qua nostri castra locauerant, magnis & proceris contexunt trabibus: in eo solo spem habentes, ut dum nostri circa effringenda repagula huiusmodi laborarent, ipsi per partem oppositam, cum uxoribus & liberis egrederentur fugientes. Videbatur satis in expedito, si propitia nobis esset diuinitas, quod urbem in uicino obtenturus esset populus Christianus: sed aliter uisum est ei, qui terribilis est in consilijs super filios hominum. Nam dum, ut diximus, ciuitas in arcto constituta esset, nec eius ciues resistendi aut salutis spem haberent ullam, sed compositis sarcinis migrare è loco disponerēt, peccatis nostris exigentibus, cœperunt de nostrorum præsumere cupiditate: & pecuniarum interuentu, eorum animos expugnare sunt aggressi, quorum corpora posse uinci diffidebant. tota enim solicitudine in argumenta uaria se attollentes, quibusdam de principibus promissa & collata infinitæ quantitatis pecunia, ut eorum studio & opera obsidio solueretur, ut Iudæ proditoris officio fungerentur. Hi ergò datis & pollicitis corrupti, & uiciorum omnem fomitem & cupiditatum secuti, in id sceleris descenderunt, ut regibus & peregrinis principibus, de eorum fide & industria confidentibus, impijs suggestionibus persuaderent, ut relictis pomerijs, in oppositam ciuitatis partem transferrent expeditiones: utq; dolum quocunq; colore tegerent, allegant, in opposita ciuitatis parte, quæ Austrum respicit, & quæ ad Orientem, nec pomeria esse, quæ urbi sint pro robore, nec ad murum expugnandum uallo uel flumine impediri accessum. Murum quoque asserunt humilem, & ex crudis compactum lateribus, primos uix posse impetus sustinere. Ibi nec machinis, nec ullo opus esse conamine dicunt, sed statim primis congressibus murum deijci, & in ciuitatem irrumpere nō esse difficile. Horum autem ad hoc solum properabat intentio, ut exercitus ab ea parte, qua locatus erat, quaq; ciuitas maximè premebatur, & diu tolerare non poterat, amouerent, scientes quod in opposita parte perseuerare, & obsidionem continuare non possent. Crediderunt ergò tam ipsi reges, quàm totius primores exercitus, & loca quæ cum multo sudore, & multa suorum strage occupauerant, deserentes, uniuersas transferunt legiones: & in opposita ciuitatis parte, præuijs seductoribus, castrametati sunt. Vbi uidentes se ab aquarum cōmoditate longè positos, fructuum quoque ubertate carere, & iam deficere penitus alimenta, dolum intercessisse, & malitiosè à locis uberibus se translatos, licet serò, conqueruntur.

In nostrorum castris uictus deficit: detegitur proditorum malicia: & soluta nostri redeunt obsidione. Caput VI.

Deficiebat ergò uictus in castris. nam spe subitò obtinendi ciuitatē, sicut eis persuadebatur antequam iter arriperent, ad paucos dies sufficientia detulerunt alimenta: & maximè peregrini, quibus non multum poterat imputari, tanquam locorum ignaris. Persuasum nanq; illis fuerat, quod in primis cōgressionibus statim, & sine difficultate urbē essent obtenturi. Interim fructuū alimenta, qui gratis occurrerent, etsi alius omnino deesset uictus, magnū posse ali exercitum asserebant. Quid ergo faciāt dubij, & in secreto & in publico

publico deliberant: redire enim ad loca unde exierant, durum uidebatur & impossibile. nam nostris egredientibus, statim hostes uident effectui mancipatum quod cupierant, multò fortius quàm antè eadem loca ingressi, cōmunierāt uias, quibus nostri prius introierāt, obiectis trabibus & molibus magnis præstruxerant, sagittariorum immittentes manum infinitam, qui ab ingressibus arcerent ingredi cupientes. Rursum ex ea parte in qua castra locauerant, urbem impugnare, moram uidebatur exigere: sed ferias longiores uictus inopia non indulgebat. Colloquentes itaq; peregrini principes ad inuicem, uidentesq; manifestam illorum, quorum fidei animas suas & negotia commiserant, malitiam, scientes quod non proficerent, redeundum esse decernunt, fraudes eorū qui eos seduxerant detestātes. Sic igitur reges & principes, quantos à seculis non legimus conuenisse, cōfusione induti & reuerentia, peccatis nostris exigentibus, infecto negotio, redire compulsi, eadem uia qua uenerant in regnū, reuersi sunt. Qui deinceps quàm diù in oriente morā egerunt, nostrorum principum uias omnes suspectas habebant, & eorum merito, tanquam malitiosa declinabant consilia, circa regni negotia tepidos se exhibentes. Verùm postquā ad eorum regiones, eis datum est reuerti, susceptarum perpetuò memores iniuriarum, eorundem principum abominati sunt maliciam. Nec se solos, uerùm alios etiam, qui non interfuerant, circa amorem regni efficiebant remissiores: ita, ut de cætero, neque tot, neque seruentes adeò, huius peregrinationis uiam arriperent, & aduenientes, etiam uolentes eorum illaqueari fraudibus, domum citius redire satius etiam hodie contendant.

Diuersæ ponuntur opiniones, quis tantæ proditionis auctor fuerit. Iterum Ascalonam proponunt obsidere, sed non proficiunt. Caput VII.

MEmini me frequenter interrogasse, & sæpius, prudētes uiros, & quibus illius temporis solidior adhuc suberat memoria, & ea maximè intentione, ut cōpertum historiæ mandarem præsenti: Quæ nam caussa tanti mali fuerit, & qui tanti sceleris fuerint authores, & quomodo tā detestabilis cōceptus effectui potuit mancipari. In assignatione autem caussæ dissonas inueni relationes. nam quorundam erat opinio, quòd Comitis Flandrensium factum quoddam occasionem præstiterat huic malo. Is nanque, ut præmisimus, in eo fuerat exercitu. Qui postquam nostræ legiones ad urbem prædictam accesserūt, & iam uiolenter obtentis pomerijs & flumine, obsessa esset ciuitas, ad singulos regum dicitur singulatim & seorsum accessisse, & profusis precibus postulasse, ut capta ciuitas ei daretur. Et hoc etiam dicitur impetrasse. quod audientes regni nostri quidam proceres, consentientibus etiam aliorum nonnullis, indignati sunt, quod tantus princeps, & cui sua poterant sufficere, et qui gratis Domino militare uidebatur, regni tantam portionem sibi dari postulabat. sperabat enim sibi accrescere, quicquid per istorum principum operam & laborem regni incremento accederet. Vnde indignati, in hoc tam piaculare descenderunt flagitium, ut mallent eam hostibus conseruare, quàm ut Comiti prædicto cederet in sortem. Indignū enim eis admodum uidebatur, ut qui tota uita sua regno militantes, infinitos labores pertulerant, ab ijs qui recentes aduenerant, tantorum fructus laborum colligentibus,

bus, ipsis neglectis & absq; remunerationis spe, quamdiu & ex meritis uidebantur collegisse. Alij dicũt principem Antiochenum indignatum, quod rex Franciȩ ab eo ita diuertisset, & beneficiorum suorum immemor, in nullo eum iuuisset, quibusdã mandasse in exercitu principibus, & obtinuisse, quatenus eius gratia efficerent, ne conatus eius finem sortiretur optatum. & ut ita procurarent, ut infecto negocio redire cogeretur inglorius. Alij dicũt omnino nihil aliud intercessisse, nisi quod ab hostibus infinita sint redempti pecunia, qui hoc tam ingens malum procurauerant. & pro summo solent recitare miraculo, quod postmodum tota illa malè sumpta pecunia, inuenta est reproba & penitus inutilis. Qui autem fuerint tam detestabilis ministri sceleris, uaria multorum nihilominus fuit opinio, sed mihi pro certo compertum non est. quicunque tamen sint, sciant, quòd pro meritis digna quæq; præmia reportabunt, nisi misericors Dominus condignè satisfacientibus clementer indulgeat. Ita ergò (ut prȩmisimus) nostri sunt sine gloria reuersi. Lætata est ergò Damascus in profectione eorũ, quia incubuerat timor eorũ super eos: nostris aũt è diuerso uersa est in luctũ cithara, & facti sumus canticum hostiũ nostrorũ tota die. Reuersi itaq; in regnum prædicti reges, iterum conuocato procerũ cœtu, aggredi conantur (sed incassum) factum aliquod, in quo memoriam suam posteris possint reddere commendabilem. Erãt nonnulli, qui suggererent circa Ascalonam, quam adhuc tenebat populus infidelis, quæ quasi in regni medio sita erat, & ad quam sine difficultate poterant uniuersa deferri necessaria, ponendam obsidionem: facileq; esse dicebant, & in promptu, ut cultui restitueret Christiano. Sed post multa huiusmodi uerba, sicut & prædictus conceptus, passus est aborsum: & dum adhuc ordiretur, succisus. Iratus enim Dominus, omnes eorum conatus uidebatur euacuare.

Imperator Conradus ad propria regreditur. Rege Francorum in Syria moram faciente. Caput VIII.

VIdens igitur dominus Conradus Imperator, quod ei gratiam suam subtraxerat Dominus, & in regni negocijs ei procedere negabatur, parato nauigio, sumptaq; licẽtia, in regnum propriũ est reuersus. Quò perueniens, infra paucos dies apud Babenberg mortuus est, ibi & magnificè in ecclesia maiori sepultus: uir pius & misericors, corpore conspicuus, generositate insignis, rei militaris ad perfectum habens experientiã, uita & moribus per omnia commendabilis, cuius memoria in benedictione est. Cui dominus Fridericus Sueuorum dux illustris, qui eiusdem peregrinationis ei comes adhæserat indiuisus, ex fratre primogenito nepos (cuius suprà fecimus mentionẽ) inclytæ indolis adolescens, in imperio successit, qui hodie Romanum strenuè & feliciter administrat imperium. Dominus uerò Ludouicus, rex Francorum, peracto apud nos unius anni curriculo, circa transitum uernalem, Pascha Hierosolymis celebrato, cum uxore & principibus suis, ad propria reuersus est. Quò perueniens, iniuriarum memor, quas in uia, & in toto peregrinationis tractu, uxor ei irrogauerat, in præsentia Pontificum regni sui, solenniter celebrato diuortio, ab uxore, titulo consanguinitatis obiecto, diuertit. Quam protinus sine temporis interuallo, Henricus Normanniæ

manniæ dux, & Andegauenſium Comes, antequam in Aquitaniam ſuam, quæ ei paterna erat hæreditas, ſe reciperet, duxit uxorem. Qui ſtatim ea ducta, domino Stephano Anglorum regi, ſine liberis ſexus uirilis defuncto, ſucceſſit in regno. Dominus uerò rex Francorum, Hiſpaniarum Imperatoris filiam, Mariam nomine, uirginem Deo placitam, moribus & ſancta conuerſatione commendabilem, ſecundis uotis felicior, ſibi matrimonio copulauit.

Noradinus ingreditur fines Antiochenos. Princeps Raymundus occurrit: pugnatur inter eos. Princeps Raymundus occiditur. Caput IX.

AB ea die cœpit Orientalium Latinorum, manifeſtè deterior fieri conditio: nam noſtrorum principum & regum maximorum, qui Chriſtiani populi uidebantur baſes eſſe ſolidiores, uiderũt hoſtes noſtri, & ſubſannauerũt labores noſtros ſine fructu, ſine effectu conatus, uires attritas, confractã gloriam: & quorũ ſola nomina hoſtibus noſtris prius erant formidini, nunc præſentiam ſine damno deſpexerant. undę in tantam elati ſunt præſumpionẽ & audaciam, ut iam de cætero nec eorũ uires haberent ſuſpectas, nec noſtris inſtare acerbius ucrerentur. Inde fuit, quod ſtatim poſt utriuſq; regis diſceſſum, Noradinus, Sanguini filius, cuius ſuperius fecimus mentionem, conuocata infinitâ uirorum ex omni Oriente manu, circa partes Antiochenas cœpit ſolito proteruius debacchari. uidensq; terrã Latinorũ principum auxilio deſtitutã, appoſuit etiam caſtrũ, cui nomẽ Nepa, obſidere. Quod poſtq̃ D. Raymũdo principi Antiocheno plenius innotuit, ſicut homo erat animoſus & impetuoſus, nec alterius cõſilio in huiuſmodi regebat, nõ expectato ſuorũ equitum, quos euocari præceperat comitatu, cum paucis imprudens ad partes illas accelerat, & adhuc perſeuerantem in obſidione, circa prædictum municipium inuenit Noradinum. Qui audiens principem aduenire, timens ne maiores ſecum traheret copias, expectat: & cum eo congredi ueritus, ab obſidione diſceſſit, in loco tuto ſe recipiens, & expectans, & frequentibus nuncijs doctior fieri cupiens, qualia princeps ſecũ traheret auxilia, & utrum maiora accederent adminicula. Princeps uerò præſenti ſucceſſu elatus, & de ſe more ſolito plus æquo præſumens, cœpit ſe habere incautius: & dum haberet finitima præſidia, in quibus ſe indemnem cum ſuis poterat conſeruaſſe, & ſuos reduxiſſe incolumes, maluit ſe credere campis patentibus (indignũ iudicans, quod illius timore uideretur receſſiſſe uel ad tempus) quàm hoſtium fugiſſe inſidias. Ea igit̃ nocte, uidẽs Noradinus nullas principi uires accreuiſſe maiores, ſperans cum ſuis eas quas ſecum duxerat, facilè ſuperaturũ, principis comitatum uallat per gyrum agminibus diſpoſitis, & in modũ urbis obſidet. Mane autem facto, uidens princeps hoſtium multitudinẽ, & de uiribus ſuis, licet ſerò diffidẽs, dubitare cœpit, tamen acies inſtruit, militiam adornat, tanquam cominus cũ hoſtibus congreſſurus. Inito itaq; prælio, qui cum eo erãt uiribus impares, hoſtium nõ ferentes multitudinẽ, principe cum paucis relicto, in fugam uerſi ſunt. Princeps uerò tanq̃ magnanimus, & in armis ſingulariter ſtrenuus, uiriliter decertans, in media hoſtium ſtrage quam exercuerat cędendo fatigatus & exhauſtus ſpiritu, gladijs confoſſus interijt. cuius caput cum brachio dextro à corpore ſeparantes, reliquum corpus mutilum inter

alios uita priuatos reliquerunt. Cecidit ibi inter alios uir magnus & potens, suæ perpetuò lugendus regioni, dominus Raynaldus de Mares, cui Comes Edissanus filiam suam uxorem dederat. Ceciderunt & alij nobiles nonnulli, quorum nomina non tenemus. Fuit autē dominus Raymundus uir magnanimus, rei militaris experientissimus, hostibus suprà modum formidabilis: parū tamen fœlix; cuius multa quæ in principatu strennuè & magnificè gessit opera, speciales exigunt tractatus. sed nos ad prosequenda communia festinantes, in singulis huiusmodi negotiorū articulis immorari, & hic stilum cōmittere nō ualemus. Occisus est autem anno ab incarnatione Dñi, millesimo centesimo quadragesimo octauo, Principatus eius anno decimotertio, mense Iunio, uigesimo septimo die mensis, die festo sanctorū apostolorū Petri & Pauli, inter urbem Apamiam & oppidū Rugiā, in eo loco qui dicitur Fons muratus. Cuius corpus quibusdam notis & cicatricibus cognitum, inter cætera defunctorum corpora repertum, Antiochiam delatum, est & in uestibulo ecclesiæ Apostolorum principis, inter eius prædecessores, solennibus exequijs est sepultum.

Noradinus uniuersam regionem pro suo tractat arbitrio. Rex illuc properat, Soldanus Iconiensis terram Comitis ingreditur Edissam. Caput X.

NOradinus uerò in augmentum glorię & insignis uictoriæ, & quod maximus gentilitatis persecutor crederetur occidisse: caput cum manu dextera, quæ ad hos usus de corpore prædicti uiri separari fecerat, ad maximū Sarracenorum principem & monarcham, Calyphā uidelicet Baldacensem, & alios Turcorum satrapas, per orientem cōstitutos direxit. Destituta itaque tanti rectoris solatio Antiochena regio, in lamenta se dedit, fletus non cohibens, & crebris suspirijs dolorem indicans, querulis quoque & lachrymosis uocibus fortis uiri egregia gesta rememorans: nec solum finitimos mors illius audita contristauit populos, sed et longè lateque rumor hic dispersus, tam maiorum quàm minorum in amaritudinem deduxit animos, & acerbo interius mœrore confecit. Interea idem fidei & nominis Christiani, more patris, maximus persecutor Noradinus, uidens principem regionis & maximā robustorum eius partem, cecidisse in prælio, totamque prouinciam suo subiacere arbitrio, immissis statim expeditionibus suis, totam cœpit hostiliter circuire regionem: ita ut iuxta Antiochiam pertransiens, & cuncta pręstans incendio, ad monasterium sancti Symeonis, quod inter Antiochiam & mare in montibus sublimibus situm est, ascenderet, propria in ea usus potestate, et cuncta libero tractans imperio: & inde ad mare, quod nunquam prius uiderat, descenderet, et in eo, in signum quod uictor usque ad mare peruenerat, coram suis lauaretur. Inde rediens, castrum Harenc, ab Antiochia uix miliaribus distans decem, præteriens occupat, & occupatū armis & militibus & alimētis muniens, instruit diligenter: ita ut multorū dierū posset obsidionē sustinere. Timuit ergo uniuersus populus, & humiliata est in conspectu eius uniuersa terra Antiochiæ, eo quod tradiderat Dominus in manus eius, robur militiæ & principem regionis: & non erat auxiliator, nec qui contra imminentia pericula protectionis afferre posset remedium. Relicta enim erat in reip. & principatus administratione sola principis uxor Cōstantia, cū filijs duobus, & fi-

& filiabus totidē,adhuc impuberibus,nec erat qui principis fungeretur officio,& plebis erigeret deiectionem. Ea tamen tempestate, D. Americus ciuitatis Patriarcha,uir solers & locupletissimus, strennuè satis afflictæ se regioni præbuit patronum,& ad conducendas multum copias,stipendia,contra morem suum,non parcè ministrauit,temporis satisfaciens necessitati. Porrò Hierosolymorum Rex audiens illarum partium pericula, & morte domini Principis cognita,mente plurimū consternatus,conuocata subitò militia,ut oppressis opē ferat fratribus,celer ad partes conuolat Antiochenas, & de se diffidētibus & animo deiectis propria præsentia præbuit consolationē. Collectis itaq; militaribus tam suorū quas secum traxerat,quàm de tota regione auxilijs,ad resistendum inuitat,& ut resumptis cordibus respirare discant,castrum Harenc,quod superius de nouo captū diximus,obsidet. Sed post dies aliquot nō proficiens, quia instructū erat diligētius,infecto negotio, Antiochiā est reuersus. Soldanus etiā Iconiensis,audita principis morte,in multitudine graui,in Syriā descendit,& captis militibus & castellis pluribus, Turbessel obsidet,licet Comes cū uxore & liberis intus esset. Rex uero Hemfredum Constabularium,cum sexaginta militibus ad tuendum Hasart, interea dirigit,ne à Turcis occupet. Tandemq; Comes datis Soldano captiuis omnibus,quos de sua regione uinctus habebat,& duodecim equitum armis,facta pace,abeunte Soldano,ab obsidione liberatus, eodem die Hasart uenit, & inde Antiochiā,domino Regi gratias pro humanitate,quam in eum exercuerat,acturus properauit. Inde & uiso rege,sumptaq; ab eo licentia,cū modico quem deduxerat comitatu reuersus est. Rex uerò apud Antiochiam destitutæ regionis curam agens, & adhuc moram faciente, cōpositis pro loco & tempore negotijs,tranquillitate aliquatenus restituta, reuocantibus eum curis domesticis,in regnum suum est reuersus.

Comes Edissanus,post regis ab Antiochia discessum,ab hostibus capitur,& ignominiose moritur. Caput XI.

INterea Comes Edissanus Ioscelinus iunior, uir supinus, à patria degener honestate, sordibus effluens, libidine dissolutus, spretis melioribus, perniciosa sequens, putans sibi optimè successisse, quod princeps Antiochenus, quem odio insanabili prosequebatur, occubuerat: non multum attendens,quàm uerè dicatur,

Res tua tunc agitur,paries cum proximus ardet.

Dum Antiochiam,ut dicitur,à domino Patriarcha euocatus, de nocte proficisceretur,separatus à comitatu, cum adolescēte, qui eius equum trahebat, gratia,ut dicitur,aluum purgandi, & ut secretioribus naturæ satisfaceret debitis,ignorantibus tam ijs qui præibant quàm qui sequebantur,irruentibus in eū prædonibus,qui in insidijs latebant,captus est,ac uinculis mancipatus Alapiā perductus est. Vbi immundarū uiarum suarū fructus colligēs, squalore carceris et cathenarū pōdere fatigatus,anxietate spiritus et corporis iugi molestia cōsumptus,fine miserabili uitā finiuit. Reddita terris die,qui in eius erant comitatu, eorum quæ circa ipsum acciderāt penitus ignari,dñm suumquē non reperiunt,anxiè quærentes,ubi uident se inquirendo nō proficere,reuersi nunciāt,quid eis acciderat: & tum repleta est stupore & extasi uniuersa

terra. Et quamuis uicinorum sinistris non nouerant condolere casibus, nunc familiaribus oppressi periculis eodem discunt experimento, quomodo doloribus sit compatiendum alienis. Tandem post dies aliquot quorundā relatione, quibus id pro certo cōpertum erat, cognouerūt, quod apud Alapiam detinebatur in cōpedibus. Vxor uero eius, mulier pudica, sobria & timens Deum, quod Deus amat, cum filio impubere & duabus filiabus remāserat: quæ quantum potuit, consilio procerum, qui superstites erant, populum regere nitebatur, & regionis præsidia aduersus hostes, armis, uiris & alimentis communire, uires transcendens fœmineas satagebat. Sic igitur peccatis nostris exigentibus, utraque regio, melioribus destituta consiliis, uix in se subsistens, fœmineo regebatur imperio.

Rex cum regni principibus iuxta Ascalonam, Gazam reædificat. Caput XII.

DVm uerò hæc ita circa partes Antiochenas aguntur, non multo post temporis interuallo, uisitante regnum diuina clementia, erigētes se de puluere & de abiectione nimia, in qua propter sinistros casus, qui frequenter acciderant, iacere uidebātur: redeuntes ad cor, tam dominus Rex, quàm cæteri Hierosolymitanæ regionis principes, ut Ascalonitas immanissimos hostes arctius cohibeant, & magis eorum periculosos impetus refrenēt, Gazam urbem antiquissimam, ab Ascalona distantem decem in parte Australi miliaribus, dirutam, & habitatoribus carentem, reformare proponunt, ut sicut ab oriente & septentrione & ab occidente, fundatis in gyrum municipiis eam quasi insederant, ita eidem ab austro simul non deesset stimulus, & ex ea parte continuis impugnaretur congressionibus, et frequentibus lacesseretur insidiis. Die igitur statuta, conuenit uniuersus populus quasi uir unus, ad prædictum locum: & opus unanimiter aggressi, urbem certatim reædificare contendūt. Fuerat autem eadem, Gaza ciuitas antiquissima, una de quinque urbibus Philistiim, ædificiis præclara, cuius antiquæ nobilitatis in ecclesiis & amplis domibus, licet dirutis, in marmore & magnis lapidibus, in multitudine cisternarum, puteorum quoque aquarum uiuentiū, multa et grandia extabāt argumenta. Fuerat autem sita in colle aliquantulum ædito, magnum satis & diffusum intra muros continens ambitum. Vidētes autem nostri, quod non satis expediret, nec fortasse præsentis temporis uires sufficerent, ut tota reformaretur, partem prædicti collis occupant, & iactis ad cōgruam altitudinem fundamentis, opus muro insigne & turribus ædificant, & in breui opitulante Domino, cōsummant fœliciter. Consummatum, et iam partibus suis absolutum, de communi consilio fratribus Militiæ templi custodiendum, & perpetuò cum uniuersa adiacente regione possidendum cōmittunt. Qui tanquā uiri fortes, & in armis strennui, & commissum usque in præsentem diem fideliter prudenterque seruauerunt, & urbem prædictam frequentibus, cùm occultis tum manifestis impugnationibus uiriliter afflixerunt: ita, ut qui prius excurrentes & per uniuersam regionem hostiliter desæuientes, nostris erant terrori, nunc pro summa fœlicitate reputēt, si clausis intra mœnia uiuere liceat, & quiete perfrui, pace precio uel precibus ad tempus impetrata. Nec solum urbe prædicta, ad cuius læsionem constructum erat illud præsidium, recalcitrante utile fuit: sed etiā ea deuicta, quasi limes regni ab Austro contra Ae-

gyptios,

gyptios, pro multo fuit regioni tutamine. Circa ueris autem initiũ, domino Rege, dominoq; Patriarcha, completo ex parte municipio interiore, relictis ibi Militiæ templi fratribus, quorum diligentiæ deputatum erat, Hierosolymam reuersis, accidit subsidium Aegyptiorum, quod ter uel quater in anno ad reparandas uires Ascalonitarum solenniter solebat accedere, in multitudine graui, ante prædictum oppidum adesse, & oppidanis interius hostium metu congregatis, assultus hostiles multa instãtia dedisse. Sed uidentes, qui militiæ præerant, quod non proficerent, cum dies aliquot in obsidione operam consumpsissent, Ascalonam profecti sunt. Ab ea itaq; die, tanq; attritis uiribus & nocendi contracta licentia, cœperunt prorsus à uexatione adiacentis quiescere regionis. Sed & Aegyptiorũ exercitus, qui ita frequens, ut præmiximus, ciuitati iam afflictæ solatium ministrabat, iam non nisi marino accedere consueuit itinere, prædicti municipij interpositas timens insidias, & militiam habens suspectam.

Inter Regem & matrem eius graues oriuntur simultates. Et matre ignorante Rex coronatur. Caput XIII.

INter hęc dum satis prospero cursu regni Orientalis negotia procederent, & quasi quadam tranquillitate gauderet, eo minus, quod Comitatus nobis deperierat, & in hostium cesserat potestatem Edissanus, regio quoq; Antiochena frequentibus hostium insidijs fatigabatur: uidens inimicus homo, qui solet semper seminare zizania, & nostræ inuidens prosperitati, intestinis nos tentans cõcutere seditionibus, quietem nostram perturbare aggressus est. cuius periculi hæc fuit caussa, & origo. Domina Melisendis Regina, inclytæ recordationis & piæ in domino memoriæ, defuncto marito, ut præmiximus relicta, cum duobus liberis adhuc infra annos pubertatis constitutis, regni tanquã iure hæreditario sibi debiti curam & administrationem sortita est, filiorum legitimam agens tutelam. Hanc cõsilio principum regionis, strennuè & fideliter uires & animum transcendẽs fœmineum, usq; ad illum diem administrauerat: filio primogenito, domino Balduino, cuius in præsenti gesta describimus, etiam postquam in regni sublimatus est solium, eius multum fauente & merito subiacẽte imperijs. Inter cæteros autem quorum opera consilioq; utebatur, familiarẽ habebat admodum quendam nobilem uirum, eius cõsobrinum, Manassen uidelicet: cui statim post eius introitum in regnum, curam militiæ tradidit omnem, & ordinauerat in Constabularium. Hic autem de dominæ Reginæ gratia præsumens, nimium arrogans, ut dicitur, & regni maioribus insolenter se præferens, nulliq; debitam exhibens reuerentiam, inuidiam in se nobilium regionis cõcitauerat maximam: & nisi dominæ Reginæ eos cohiberet autoritas, parati erant, conceptũ odiũ usq; in opus pertrahere. Duxerat autem & domini Baliani senioris uiduam, nobilem matronam, Hugonis, Balduini, & Baliani Ramatensium fratrum, matrem: unde sibi cumulauerat diuitias, & multiplicauerat possessiones. Eorum autem qui prędictum Manassen odio persequebantur, primus erat, & affectu & opere, Rex ipse: asserens, quod ei matris suæ subtraheret gratiam, & munificentiam impediret. Habebat autem super eodem facto plurimos incentores, odiorum fomitem ministrantes, quibus prædicti uiri inuisa

erat

erat potentia, & molesta nimis dominatio. Hi dominũ Regem impellebãt, ut etiam matrem amoueret à regni potestate, dicentes, cum iam ad adultam peruenisse ætatem, indignũ esse ut fœmineo regeretur arbitrio, & regni proprij curam aliquã sibi cõmitteret moderandã. Horum igitur et similium Rex fretus consilio, proposuerat, in die festo Paschæ Hierosolymis solenniter coronari: cuius gloriæ cum à dño Patriarcha, & à uiris prudẽtibus, qui pacem regni dirigebant, instanter rogaretur, ut matrem participem faceret, distulit horum consilio, ne matrem efficeret cõsortem illa die qua proposuerat: & sequenti die subitò matre non uocata, in publicum processit laureatus.

Regnum inter se diuidunt Filius & Mater. Rex Hierosolymã ingreditur uiolenter, & matrẽ in arce obsidet Dauidica: tandem pax cum tranquillitate reformatur. Cap. XIIII.

TRansursa igitur illa solennitate, conuocato procerum cœtu, præsente etiã Iuone Suessionensi Comite, & Galtero Castellano sancti Aldemari, matrẽ conuenit, & ut regnũ secũ diuidat instanter exigit, & auitæ sibi hæreditatis portionẽ postulat assignari. Tandẽ post multos hinc inde habitos deliberationis tractatus, diuisa hæreditate, D. Regi optione data, assumpsit sibi in partẽ Tyrensem & Acconensem, cum pertinẽtijs suis, urbes maritimas: relictis dominæ Reginæ Hierosolyma & Neapoli, cum suis item pertinentijs. Sicq; diuisi sunt ab inuicẽ, sperante populo quòd pro bono pacis tolerãdum esset, quod sic ordinatũ fuerat, quod uterq; contentus esse deberet sua, quæ cõtigerat eum, portione. Per eosdẽ dies, D. Rex nobilem quendã & magnanimum uirũ, Hemfredũ de Torono, cui magnæ & amplæ possessiones erãt in Phœnice, in montibus qui Tyrensi adiacent metropoli, ordinauit Constabularium suum, & ei militiæ suæ curam cõmisit. Sed neq; sic etiã quieuit dominam Reginã persequutam stimulis: sed ex caussis leuibus uires resumens ignis, qui latuerat in fauilla, incendium maius, & priore multo periculosius, cœpit ministrare. nam Rex eisdem impellentibus quorum consilio prius acquieuerat, matrem iterum cœpit molestare, & eam quam ex utriusque bene placito regni obtinuerat portionẽ, exclusa omnino matre, sibi uendicare proposuit. Quod intelligens Regina, commendata Neapoli quibusdam fidelibus suis, qui eius curam haberent, Hierosolymam recepit. Rex uerò interea congregata quanta potuit militia, prædictum Manassen in quodam eius castello, cui nomen Mirabel, obsidet: eumq; ad deditionem cõpellens, Reginã & omnem cismarinã regionẽ abiurare coëgit: inde occupata Neapoli, matrẽ persequens Hierosolymã proficiscit. Recesserant autẽ à Regina, iuramento rũ & fidelitatis immemores, quidã ex ijs qui infrà sortẽ eius habebãt possessiones, & ei fide media erãt obligati. Pauci uerò adhærẽtes ei, fidei seruauerãt integritatẽ: Almaricus uidelicet Comes Ioppẽsis, filius eius ualde adolescẽs: Philippus quoq; Neapolitanus, & Rohardus senior, & pauci alij quorũ nomina nõ habemus. Audiẽs itaq; Regina, filiũ cum exercitu uenire, in arcem cum familiaribus suis & fidelibus se recepit, de præsidij munitione cõfidens. Dñs uerò Patriarcha Fulcherus, bonæ memoriæ, uidẽs tẽpora periculosa, & dies tentationis imminere, uolẽs partes suas interponere, et de ijs quæ ad pacẽ sunt rogare, assumptis sibi de clero, uiris Deum timẽtibus, D. Regi obuiam exijt, monẽs ut à prauo desistat proposito, & in finib. pactorũ cõsistẽs, matrẽ

quiete

quiete perfrui patiatur: apud quem postquam uidet se non proficere, consilium eius detestans, in urbem ingressus est. Rex autem urgens propositum, ante urbem castra locat. tandem uerò ciuibus indignationem declinantibus Regiam, & portas operientibus, intromissus est cum suis expeditionibus: ubi statim arcem, in quam mater se contulerat, aptatis ad eam expugnandam machinis, obsidione uallat, & more instans hostili, balistis, arcubus, & iaculatorijs machinis, continuas inferens molestias, obsessis requiem negat. Illi uerò omnino instanti, omnino reluctantes, uim ui repellere nituntur, & quibus modis exteriores obsessos impugnare satagunt, eisdem iniurias propulsare & in hostes æqua lance damna refundere, obsessi non uerentur. Tandem cum per dies aliquot, periculosè nimis hinc inde decertatum esset, cum in expugnando arcem Rex non multum proficeret, nec tamen à proposito uellet desistere, intercurrentibus quibusdam pacis & gratiæ reformatoribus, urbe Neapolitana cum suis finibus contenta domina Regina, regni caput domino Regi resignat Hierosolymam, interpositis ex parte domini Regis, & præteritis corporaliter iuramentis, quod super ea possessione per eum perpetuò non deberet molestari: sicque eis in mutuam redeuntibus gratiam, quasi stella matutina in medio refulgens nebulæ, regno & ecclesiæ restituta est tranquillitas.

Soldanus Iconiensis, Comitatum Edissanum rursum ingreditur. Rex illuc cum omni celeritate properat. Caput XV.

AT uerò nunciatum est regi Hierosolymorum, & fama certiore compertum, quod Comes Edissanus forte tam miserabili captus erat, & regio tota absque defensoris cura, hostium latè patebat insidijs, quod omnis prouincia illa, sicut & Antiochenorum partes, fœmineo relictæ moderamini, suam exposcebant sollicitudinem: assumptis sibi Hemfredo Constabulario, & Guidone Berythensi (nam de ijs qui in portione dominæ Reginæ erant, licet singulatim euocasset, neminem habere potuit) ad partes peruenit Tripolitanas: ubi & Comitem cum suis militibus assumens, Antiochiam celer peruenit. Dicebatur enim publicè, quod potentissimus Turcorum princeps Soldanus Iconiensis, cum innumero equitatu ad partes illas descenderat, & ferè omnem suis finibus conterminam occupauerat regionem. Non ualentes enim locorum habitatores resistere, & exercituum illius sustinere potentiam, urbes et municipia uniuersa illi tradiderant, impetrantes ab eo saluum & liberum exitum cum uxoribus & liberis, & sine periculo conductum usque Turbessel: is enim locus cæteris munitior erat, plures habens habitatores: ubi D. Comes iugem & manentem habitationem, adhuc in tranquillo uidebatur esse. Dumque sic exceptis paucis præsidijs, uniuersam occupasset regionem, maioribus cum reuocantibus curis, domum redire compulsus est. Nihilominus tamen, prouincialium aut labor imminutus, aut remissior facta sollicitudo. nam Noradinus nostræ gentis molestissimus persecutor, & Turcorum princeps potentissimus, penè continuis incursionibus uniuersam eatenus molestabat regionem, ut extra præsidia nemo penitus auderet comparere. Sic igitur inter duas molas, miser ille populus incessanter conterebatur, & à duobus maximis principibus supra uires augebatur, quorum alterius tantum uix posset potentiam tolerare.

Imperator Constantinopolitanus exercitum ad partes dirigit Antiochenas, Comitatum Edissanum sibi resignare postulat, Græcis castella resignantur, Rex inde Latinos educit. Caput XVI.

INterea dominus Imperator Constantinopolitanus, audiens illarum partium desolationem, unum de principibus suis, cum immensis sumptibus, & militia suorum non modica, ad prædictas partes direxerat, offerens comitissæ liberisq́ eius annuos certæ quantitatis redditus, qui ei ad honestū sufficere possent uictum in perpetuum, in compensationem sibi traditę regionis: si præsidia quæ adhuc penes se retinebat, eius imperio uellet cōcedere. Spondebat enim in immensitate diuitiarum suarū spem habēs, quod & illa à Turcorum incursionibus conseruaretur illibata, & alia quæ amiserant, facile suo restituerētur Imperio, si ei prouincia resignaret. Adueniente igitur Rege Antiochiam, caussa cognita aduentus Imperialium nunciorū, ipsis etiam iniunctam sibi legationem aperientibus, facta est inter principes illius regionis dissensio. Alijs dicentibus, rem nondum in eum necessitatis articulum descendisse, ut id fieri oporteat. Alijs è contrà asserentibus, necessarium id fieri, priusquam terra penitus in hostiū manus tradatur. Inter has igitur deliberationis ambiguitates, cognoscens dominus Rex, quod prædicta regio, in eo statu, in quo erat, diù perseuerare nō posset, ipsum enim ampliorem ibi moram facere, regni propria cura non patiebatur: nec eius tot tantæq́ erant uires, ut duas quindecim dierum itinere à se distantes prouincias administrare posset commodè: uidensq́ Antiochenam quę media erat, per annos plures destitutam, in eam descendit sententiam, ut præmissis conditionibus, Græcis oppida quæ supererant, traderentur. Et licet non multum præsumeret, quod græcorū uiribus in eo statu conseruari posset prouincia, maluit tamē, ut eis possidentibus iste casus accideret, quā ut ei periclitantis populi & terrę deficientis imputaretur ruina. Pactis hinc inde iuxta prædictas conditiones, adhibito consensu dominæ Comitissæ, & liberorum eius, ad placitam consonantiam redactis, pręfigitur dies, quo ipse D. Rex, cum omni militia sua in partes illas descendat, Imperatoris homines in possessionē inducat, & eis uniuersa resignet oppida. Die igitr statuta Rex ex cōdicto assumens sibi Comitem Tripolitanum, & tam suos quàm Antiochenorū partem magnam, in terram Comitis Edissani, Græcos secū deducens usq́ Turbessel peruenit. Vbi assumpta sibi domina Comitissa cū liberis suis et alijs omnibus, tam Latinis quàm Armenijs, sexus promiscui, exire uolentibus, Græcis regionem assignat. Erant autem oppida quæ adhuc à nostris possidebātur, Turbessel, Hamtab, Rauendel, Ranculat, Bile, Samosatum, & fortasse alia quędam. Quibus omnibus Græcorum potestati resignatis, ipse cum uniuerso egredi uolentiū populo, cum iumentis & sarcinis eorum, quę erant multę nimis (nā unusquisq́ cum omni domo & familia, & supellectile uniuersa exire proposuerat) ad iter accingitur, & cum omni huiusmodi imbellis populi multitudine, & impedimentorum quantitate numerosa egredi maturat, educere uolens eos sine periculo.

Noradinus

Noradinus regi occurrit, exitum impedire procurat. Rex, licet cum difficultate, Antiochiam redit. Noradinus electis Græcis, uniuersam occupat regionem. Caput XVII.

AVdiens itaq; Noradinus, quod rex ad educẽdum populum ingressus fuerat, & quod de conseruanda regione omnino desperantes, Græcis uiris effœminatis & mollibus, oppida resignauerant, de nostra formidine factus animosior, congregata ex uniuersis adiacentibus regionibus militia, ad easdem partes festinus descendit, uolens regi & populo de uiribus suis diffidentibus, & sarcinis multiplicibus impedito occurrere: reputans ad lucrum sibi cedere, si tales obuiam habere posset. Factumq; est, quod uix ad urbem Tulupam, quæ à Turbessel uix quinq; aut sex distat miliaribus, illam impotentem multitudinem adduxerat, cum ecce Noradinus uniuersam regionẽ suis repleuerat legionibus. Erat autem castrum illis uicinum, Hambtab nomine, per quod iter eis erat futurũ: illuc nostri properare uolentes, uidentes imminere periculũ, acies instruunt, ordinãt agmina, iam mox cum hostibus commissuri. Illi uerò instructis cateruis, nostrorũ aduentum, tanquam de uictoria securi, auidè nimis expectabant. Accidit tamen contra spem eorum, quod noster exercitus ad prædictum oppidum, præuia Domini misericordia, peruenit indemnis. ubi nocte tota fessis tam iumẽtis, quàm hominibus, ad requiem concessa, conuocato procerum cœtu, & de futuro in crastinũ deliberantes, fuerunt nonnulli de magnatibus, qui prædictum præsidiũ exposcerent sibi dari, arbitrantes opitulante Domino, contra Turcorum incursiones uiribus proprijs locũ posse conseruare. quorũ unus de regno erat Hemfredus de Torno, uir magnificus, regis constabularius. Alter erat uir nobilis & potens, de principibus Antiochenis, Robertus uidelicet de Surda ualle. Sed uidens dominus Rex neutrius uires aut potentiam ad prædictum opus sufficere, spreto utriusq; uerbo tanquam inutili, pactis insistit perseuerans, & tradito Græcis municipio, populum præcipit ad iter accingi. Videre erat ibi uiros nobiles, & inclytas cũ ingenuis uirginibus & paruis pueris matronas, natale solũ, auita domicilia, cognatã regionẽ, singultibus & lachrymosis deserere suspirijs, & transmigrationẽ, & populũ alterum cum fletibus & lamẽtis inire. Non erat pectus ita ferreum, cuius interiora non mouerent fletus & lachrymę, & quærulæ uoces populi transmigrantis. Luce igitur terris reddita, compositis sarcinis, rursum iter arripiunt: & ecce ex utroq; latere hostiũ acies iunctis agminib. incedebãt, in comitatũ nostrũ ex omni parte irruere parati. Nostri ergò uidentes hostiũ agmina, & grauem multitudinẽ, de quingentis equitib. quos habebant, instaurant acies, & incedendi ordinẽ assignãt instauratis. Dominũ itaq; regem præire iubẽt, ut agmina precedat, & turbis pedestribus modũ gradiendi assignent. Comitẽ Tripolitanũ, & Hemfredũ regiũ constabularium posteriores iubent tueri partes: & ut cum maiorib. & fortioribus militũ copijs hostiũ sustineant impetus, & eorũ à plebe arceant uiolentiam. Antiochenos uerò magnates à dextris & à sinistris collocant, ut positæ in medio multitudini, undiq; per gyrũ nõ deesset robur fortiũ, & armata militia. Sic igitẽ, & eodẽ ordine tota die nostris gradientib. usq; ad solis occasum nostris intolerabiles nõ defuerunt molestię, frequẽtes impetus, pugna iugis, cõgressiones cõtinuę. Tanta autẽ erat immissarũ in exercitu numerositas sa-

gittarũ, ut omnes sarcinę erinacij more sagittis uiderent consitę. pręterea pulueris, calor quoq;, qualẽ solet angustiatis ministrare, sitisq; aspera, plebẽ supra uires fatigabat. tandem iam sole ad occasum declinante, Turci nõ secũ habentes uictualiũ quidpiam, amissis de exercitu suo nõnullis nobilib. dato ad reditum signo, nostros insequi desinunt, eorũ stupentes incomparabilẽ patientiã & perseuerantiam. Dumq; Hemfredus constabularius, arcu abeuntes persequit, aliquantulũ à comitatu remotius recessit, ad eum miles quidã de hostiũ numero, uenit repositis armis, & iunctis alternatim ad latus manibus, signũ exhibens reuerẽtię. Is porrò cuiusdã potẽtissimi Turcorũ principis (qui eidẽ constabulario fraterno fœdere iunctus erat, & in eo tenacissimus) domesticus erat & familiaris, ab eodẽ missus, ut eum uerbis salutaret, & de statu hostilis exercitus redderet eum doctiorẽ. Refert autẽ Noradinũ cum suis in proposito habere ea nocte ad propria maturare reditum. defecerat eñ in castris eius omnis penitus alimonia, unde eos diutius nõ poterant insectari. Sic igiẽ illo redeunte ad propria, constabularius in castra se recipit: uerbo quod audierat, regi cõmunicato, instante iam nocte, in loco qui dicit Ioha, castrametatus est populus uniuersus. Insequentibus diebus, populo sine molestia per syluam quę dicit Marris, & usq; ad loca nostræ ditioni subdita traducto, dominus Rex Antiochiam se recepit. Vidẽs igitur Noradinus, terram comitis Latinorum auxilio destitutã, de Grecorũ mollitie, quibus cõmissa erat, præsumens, frequentibus irruptionibus, & quas Græci non satis supportare nouerant, eam cœpit aggrauare. Tandemq; immissis exercitib. copiosis, obsidione uallans oppida, Grecis uiolẽter exclusis, infra annũ uniuersam regionem occupauit. Sic igiẽ prouincia opulentissima, riuis, syluis, & pascuis lętissima, ubere gleba diues, & omnib. redundans cõmoditatib. in qua quingenti equites sufficientia habebant beneficia, peccatis nostris exigentib. in hostium manus deuenit, & à nostra iurisdictione usq; in præsentem diem facta est aliena. Decesserunt itaq; ecclesiæ Antiochenæ in partibus illis tres Archiepiscopi, Edissanus, Hieropolitanus, & Toritiensis: quorum ecclesias etiam nunc infidelitas detinet, & gentilis superstitio, licet inuitas.

Rex principissam monet, ut unum de principibus in maritum accipiat, qui regioni possit præesse: sed nõ proficit. Rex inde Tripolim accedit, ad propria reuersurus. Caput XVIII.

INterea D. rex Hierosolymorum Balduinus, pro urbe Antiochena, et eius diœcesi adiacente plurimum sollicitus, ne principis destituta solatio, sicut & terra Comitis (de qua prædiximus) in manus hostium, forte descendat intolerabili, & populo Christiano simul cũ iactura intolerabili, amplius accedat confusio: uidensq; sibi liberum non esse, reuocante eum regni cura, morã ibi longiorẽ facere, dominã principissam sępe ac sępius cõmonet, ut unũ de nobilibus sibi, cui nubat, eligat uiris, cuius cõsilio & opera principatus regaẽ. Erãt autẽ eo tempore inclyti & nobiles uiri in eadẽ regione, D. regis castra sequentes, D. uidelicet Iuo de Neella, comes Suessionẽ. uir magnificus, prudens et discretus: cuius in regno Francorũ plurima erat autoritas. Galtherus quoq; de Falckenberg, Castellanus sancti Adamari, qui postea fuit Tyberiadensis dominus, ipse quoq; uir prudẽs, urbanitatis eximiæ, prouidus in consilijs, & in armis strenuus. Dñs quoq; Radulphus de Merlo, uir summẽ nobilis, &

armorum uſum habens,& prudentia multa cōſpicuus, quorum quilibet ad procurandam regionem, meritò uidebatur ſufficiens. Illa autem uincula timens coniugalia,ſolutam ac liberam uitam proponens, non multum attendebat,quid populo expediret:circa id plurimū ſollicita,ut carnis curam perficeret in deſiderijs.Rex autem eius intelligens propoſitum, apud Tripolim principibus utriuſq; tam regni quàm principatus, curiā indicit generalem. Ad quam tam dominum Antiochenū Patriarcham cum ſuffraganeis ſuis, quàm dominam Principiſſam cum ſuis proceribus inuitat. Interfuit autem & mater eius,domina Meleſendis Regina, & regni principes eā ſecuti. Vbi cum de publicis negotijs diligens habitus eſſet tractatus, uentū eſt ad negotium Principiſſæ: ſed neq; tunc uel Rex, uel Comes, eius conſanguinei: uel Regina,uel Comitiſſa Tripolitana,ambæ eius matertere,in hoc eam potuerunt inducere,ut ſibi & regioni in hac parte uellet prouidere. Dicebatur aūt Patriarchæ uſa conſilio,qui tanquā uir argutus & uerſipellis,ut liberius interim totius regionis dominaretur,cuius rei erat cupidus nimis,in hoc eam dicebatur errore fouere.Cum ergo nihil proficerēt, ſoluta curia, quiſq; ad propria reuerſus eſt.

Rex & mater eius apud Tripolim conueniunt,ut Comitem uxori reconcilient:ſed non proficiunt. Comes ab Aßißinis in porta occiditur. Caput XIX.

ERat autem illis diebus,inter D.Comitem & eius uxorem,dominę Meleſendis Reginæ ſororē,ex zelo maritali orta ſimultas: cuius ſedandæ gratia,& ut Principiſſam neptē uideret, domina Meleſendis aduenerat. In qua reſarcienda gratia,cum ipſa iterum nō multū profeciſſet, ad ſororē rediens, eam ſecum deducere decreuerat, & in hoc procinctu ambę erāt urbē Tripolitanam egreſſæ. Comes aūt proficiſcenti Principiſſę comitem ſe ad tempus dederat,à qua ſumpta licentia,poſt modicū reuerſus eſt interuallū: qui dum portum ciuitatis ingrederet̄,nihilq; omnino caſus timeret ſiniſtri,in introitu portæ,inter murum & ante murale, Aſſiſſinorum gladijs confoſſus, miſerabiliter interijt. Cecidit autē & cum eo inclytus & nobilis uir, cuius ſuperius fecimus mentionem,D.Radulphus de Merlo,cum quodam milite ſuo:quorum uterq; domino Comiti in ea profectione caſu ſe dederat cōſortem. Rex aūt in ciuitate ſecurus aleam ludebat,recreationi dans operā, horū omnium ignarus.Cōmota eſt ergo uniuerſa ciuitas, morte Comitis audita: & ad arma populus conuolans, quemcunq; alienū à lingua noſtra, uel habitu reperit, putans ſicarios qui hoc malum cōmiſerant inuenire, gladio percutit, & mortem omnibus irrogat indifferēter.Interea Rex repentinis exterritus clamoribus,morte Comitis intellecta,triſtis admodum,& mente plurimū conſternatus,lachrymas & ſuſpiria nō ualens cohibere, matrem & materteram mox præcipit reuocari. Quibus reuerſis,poſt multa lamēta & fletus uberes, corpore cum debita exequiarū magnificentia ſepulturæ tradito,præcipiente domino Rege,cuncti proceres illarum partium, dominæ Comitiſſæ & liberis eius fidelitatem exhibuerunt. Erāt autem domino Comiti, filius ei æquiuocus,nomine Raymundus,uix annorum duodecim:filia nomine Meliſendis,fratre natu poſterior.His ergo ſic compoſitis,Rex cum matre et principibus ſuis in regnum reuerſus eſt.

Turcorum ingens multitudo Hierosolymam uenit, ut eam occupent: sed egredientes nostri, eos in uirtute magna prosternunt. Caput XX.

NOn multo uerò pòst, interiecto temporis interuallo, quidã nobiles Turcorum satrapæ, uiri potentes, & apud suos egregij nominis, quibus cognomen est Hyaroquin, quorum sancta ciuitas, antequam à Christianis liberaretur, dicitur fuisse hæreditas: hortante matre, ac improperante eorũ ignauiam, quod tamdiu ab hæreditate auita se paterenẽ esse extorres, collecta infinita Turcorum multitudine, Hierosolymam uenire, & eam quasi iure hæreditario sibi debitam uendicare proponunt. Assumptis ergò sibi ingentibus militarium uirorum copiis, matrem longæuam cõtinuis exercitationibus id monentem, secuti, iter arripiunt, propositum, si Dominus ita permiserit, prosecuturi. Peruenientes igit̃ Damascũ, ibi ad reparandos exercitus, & uires recreandas moram facientes aliquam, uolentib. Damascenis eorum insipiens consiliũ reuocare, nõ acquieuerũt: sed resumptis uiaticis, & compositis iterũ sarcinis, quasi de proposito nõ diffidentes, uersus Hierosolymã proficiscunẽ. Tandẽ transito Iordane cum uniuersis cohortib. suis, montana conscendentes, in quibus sita est prædicta ciuitas, in monte Oliueti, qui mons contermínus prędictę supereminet urbi, se contulerũt: ita ut inde loca omnia uenerabilia, & maximè templum Domini, quod in summa & præcipua habent reuerentiã, & uniuersam urbem eis daretur uberis prospectibus intueri. Quod uidentes qui in urbe erant residui: nam maxima totius regionis militiæ pars apud Neapolim conuenerat, timentes, quia urbs absq; mœnibus erat, ne illuc aduenientium hostium se conferret multitudo: inuocato de cœlis auxilio, arma corripiũt, & certatim egressi, in hostes properare, & cum eis cõmittere uotis ardentibus accelerant. Est autem uia, quæ ab Hierosolymis descẽdit in Hiericho, & inde ad Iordanẽ, inæqualis plurimũ, locis saxosis & præcipitiis periculosa frequentibus, ita ut nihil etiã timentibus, & liberũ habẽtibus transitum, molestũ semper soleat ascendentib. uel descẽdentib. pręstare accessum. In hanc ergo ingressi, dum nostrorũ acies acrius instantes inordinatè fugiũt, & pręcipitijs & locis angustis nullam ad fugiendũ habilitatẽ concedẽtibus, multi sine gladio pereunt pręcipitati. Qui uerò loca planiora secuti, fugę tentabant insistere, nostrorũ gladios incurrentes, saucii lætaliter, in mortẽ nihilo minus dabanẽ pręcipites. Equi uerò eorũ itineris longitudine, & laboris difficultate fatigati, uiarum nõ ferentes asperitatẽ, sessoribus suis, omnino deficientes, negabant obsequium. Vnde facti pedites, armis onusti, et usum laboris nõ habentes, nostrorum subsequentium gladiis tanq; pecudes trucidanẽ. Fit ergo tanta tam equorum quàm hominum strages, his prædictis casibus, quod pręmultitudine peremptorũ ad insequendũ qui præibãt impediretur transitus. At uerò nostri tanto auidius insectãtes, spretis spoliis, & manubias declinantes, cædi acrius instant: pro summo lucro reputãtes, hostiũ sanguine cruentari. Qui uerò apud Neapolim conuenerant, scientes prędictos hostes ad nos ingressos, unanimiter egredientes, ad Iordanis fluenta hostib. occurrentes certatim cõuolant, ut uada occupẽt, et impediant transire uolẽtes. Vbi eos qui insectãtes effugerant, reperiũt incautos, & cõfodiunt ex latere irruentes. Facta est ergo illa die manus Dñi super eos, ita ut scriptũ est: Residuũ locu

stæ comederet bruchus. Nam qui equorum uelocitate, aut aliqua industria insectantes uidebantur declinasse, occurrentium ex latere gladijs cædebant. Si qui uerò agmina prætereuntes Iordanem ingressi fuerant, uadorũ ignari, undis rapiebantur tumentibus, flumine suffocati. Sic igitur qui in multis milibus ascenderant, in spiritu uehementi, in equitatu suo spem habẽtes, ad modicum redacti numerum, confusione induti & reuerentia, ad propria sunt reuersi. Dicuntur autem illa die ex eis cæsa esse ad quinque milia. Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo secundo, nono Cal. Decembris: Regni uerò domini Balduini regis quarti, anno nono. Nostri ergò hostium onusti spolijs, & uberes de trophæo manubias agentes, solennes Domino laudis hostias immolaturi, Hierosolymam reuersi sunt.

Rex, regniq́; principes Ascalonam properant, ut pomeria ciuitatis circa urbem depopulentur: sed promoto ad amplius proposito, urbem obsident. Caput XXI.

COllata igitur nostris diuinitus uictoria prædicta, erecti in spem bonam, Domino corda eorũ dirigente, apponunt unanimiter, cõmunicato tam minorũ quàm maiorum consilio, hostes eorum qui in uicino constituti erãt, quiq́; nostris sæpius grauia inferebant pericula, Ascalonitas uidelicet, aliquo modo lędere. Idq́; uisum est pro tempore expedientius, ut pomeria ciuitati adiacentia, unde ciuibus multa erat cõmoditas, in manu forti extirpare niterentur, & in ea parte saltem hostes proteruos damnificarent. Iuxta quod propositum collectę unanimiter in manu ualida ante urbẽ pr̨edictã uniuersæ regni copiæ, arbitrati sufficiens esse, si effectui possent mancipare propositum. Sed pręsentib. nostris ante urbẽ, affuit mirabiliter diuina clementia, quæ eos ad maiora cœpit ex insperato accendere. nam postq́; ante urbẽ nostræ constiterant acies, tantus ciues pauor inuasit, quòd intra urbem se receperunt certatim, nec inuentus est uel unus, qui extra mœnia nostris se daret obuiã. Vnde sumpta occasione ex eo quod ita deterriti uidebant (dirigente eos diuina gratia) adijciunt urbẽ obsidione uallare. Missisq́; nuncijs per uniuersos regni fines, præcipiunt euocari eos qui domi remanserant, ut omnes unanimiter die præfixa adesse nõ differant, ita omnes propositum quale Deus eis inspirauerit, operientes. Qui ergò uocati fuerant, gratulabundi & sine mora conuenientes, ad eos qui se præcesserãt adiuncti sunt, castra cum alijs circa urbem locantes. Et ut firmum esset quod aggrediebantur, & de perseuerantia in proposito nulli dubitare liceret, iuramentis exhibitis corporaliter se inuicẽ obligant, quod ante urbem captam, ab obsidione non desistant. Conuocatis igitur uniuersis regni uiribus, & populo unanimiter conueniente, dominus Rex, dominusq́; Patriarcha, cum alijs tam secularibus, quàm ecclesiasticis regni principibus, signum Dominicæ crucis uiuificæ & uenerabile secum habentes, ante urbem prædictam felicibus auspicijs octauo Calend. Februarij castrametati sunt. Interfuerunt autem de ecclesiarũ prælatis, dominus Hierosolymorum Patriarcha Fulcherus, dominus Petrus Tyrẽsis Archiepiscopus, dominus Balduinus Cæsariẽsis Archiepiscopus, dominus Robertus Nazarenus Archiepiscopus, D. Fredericus Acconensis Episcopus, D. Gerardus Bethleemitarũ Episcopus. Abbates etiam nonnulli. Bernhardus etiam de

Tremulay magister Militiæ templi, & Raymundus magister Domus hospitalis. De principibus autem laicis, Hugo de Hybelim, Philippus Neapolitanus, Hemfredus de Torono, Symon Tiberiadensis, Gerardus Sidonieñ. Guido Berythensis, Mauritius de monte Regali, Raynaldus de Castellione, Galtherus de sancto Aldemaro, qui duo apud D. Regem stipēdia merebantur. Ordinatis itaqꝫ & compositis per gyrum tentorijs, & principibus certis congruisqꝫ mansionibus dispositis, cœpto fideliter instant operi, tanto labori debitam deuotè & prudenter impendentes sollicitudinem.

Describitur situs ciuitatis, & commoditas aperitur. Caput XXII.

EST autem Ascalona una de quinqꝫ Philistijm urbibus, in littore maris sita, formā habēs semicirculi, cuius chorda siue diameter, secus littus maris iacet, circumferentiam, siue arcus super terram ad orientem respiciens. Iacet autem tota ciuitas quasi in fouea, tota decliuis ad mare, aggeribus undiqꝫ cincta manufactis, supra quos mœnia sunt, cum turribus frequentibus opere solido, duritiam lapidis uincente cœmento, & nexorū. muris debita spissitudine latis, & congrua proportione sublimibus. Verùm etiam antemuralibus eadem soliditate fabrefactis, cincta est per gyrum, & communita diligentius. Fontes autem neque intra murorum ambitum, neque sibi uicinos habent aliquos, sed puteis tum extrà, tum inferius, aquas sapidas & ad potum habiles ministrātibus abundat. Cisternas quoqꝫ aquarum pluuialium receptiuas, ad maiorem cautelam, ciues interius construxerant nonnullas. Erant autem & in murorum ambitu portæ quatuor, turribus excelsis & solidis diligentissimè communitæ; quarum prima quæ ad orientem respicit, dicitur porta maior, cognomento Hierosolymitana, eo quòd urbem sanctā respiciat, habens circa se duas turres altissimas, quæ quasi robur & præsidium subiectæ uidentur præesse ciuitati. Hæc ante se tres aut quatuor in antemuralibus portas habet minores, quibus ad eam per quosdam anfractus perueni tur. Secunda est quæ ad occidentem respicit, et dicitur porta maris, eo quòd per eam ad mare ciuibus pateat egressus. Tertia ad austrū, Gazam urbem, de qua superius fecimus mentionem, respicit, unde & ab ea cognomē ducit. Quarta ad Septentrionem respiciens, ab urbe finitima, quę in eodem sita est littore, Ioppensis dicitur. Hæc autē ciuitas situ maris nullam præbente aptitudinem, portum, uel aliquam tutam nauibus non habet uel habuit stationē, sed littus tantum arenosum, & circa id mare uentis intumescentibus, fretosum ualde, & accedentibus, nisi multa fuerit in mari tranquillitas, ualde suspectum. Solum autem exterius urbi adiacens harena est obsitum, agriculturæ nesciens, uineis tamen & fructiferis arboribus accommodum, exceptis ualliculis in parte septentrionali paucis, quæ iniecto fœcundatæ lætamine, & aquis irrigatæ putealibus, herbarum & fructuum aliquam ciuibus præstant fœcunditatē. Erat autem in ea ciuitate populus multus, quorū ei qui minimus erat, & ut uulgo dicebatur, etiam recens nato, de thesauris Aegyptij Calyphæ dabantur stipendia. Multam enim & maximā, tam prædictus Dominus, quàm eius princeps, pro eadē urbe gerebāt sollicitudinē: arbitrantes, si illa deficeret, in nostrorū ueniens ditionem, quòd nihil restaret aliud, quàm ut liberè & sine difficultate accessu nostri principes in Aegyptum descenderent,

rent,regnum uiolenter occupaturi. utebantur ergo ea pro muro, & pro sua liberalitate quater in anno, tam per mare quàm per terras ciuibus ministrabant subsidia:ut ea superstite, & nostris circa eam studium cõsumentibus & operam,ipsi optata interim tranquillitate fruerentur. Multis ergo propterea urbi necessaria ministrabant expensis:arma, uictum, & recentem militiam, rectis temporibus dirigẽtes,ut nostris circa eos occupatis,minor eos de nostrorum suspectis uiribus premeret sollicitudo.

Ordinatur obsidio, & præficiuntur qui classi præsint,& qui legiones per terram moderentur. Caput XXIII.

HAnc igitur urbem,per annos quinquagitta et amplius,postquã Dominus terræ promissionis partes reliquas populo Christiano tradiderat, adhuc resistẽtem, & nostris conatibus æmulam, tandẽ obsidere conati sunt, rem aggressi arduam, & penè impossibilem. Nam præter id quod muris & antemuralibus,turribus & aggere, armis & uictualibus erat supra omnem opinionem instructa:populum habebat usum & experientiam annorum habentem,in tanta quantitate, ut à prima obsidionis die, usque ad nouissimum, numerus obsidẽtium à multitudine obsessorum in duplo uinceretur. Dominus igitur Rex,dominus quoque Patriarcha, dominus etiam Petrus, prædecessor noster,Tyrensis Archiepiscopus,alij quoque regni magnates,tam principes quàm ecclesiarum prælati, unaque cum eis ciues urbium singularum,segregatim tabernacula figentes,urbem per terras obsederãt.Dominũ quoque Gerardum Sydoniensem,unum de magnis regni proceribus,quindecim nauium rostratarum & ad cursum expeditarum classi præfecerant, ut per mare uolẽtibus egredi nihilominus inhiberet egressum.Porrò nostri penè diebus omnibus,nũc equites, nũc pedites, in urbẽ frequẽtes dabãt assultus:illi uerò occurrentes animosius resistabant,uiriliter pro uxoribus & liberis, & quod præcipuũ est,pro libertate cõtendentes. Quibus cõgressionibus nũc hi,nũc illi,sicut in huiusmodi solet accidere,fiebãt superiores:nostri tamen frequentius meliorem calculum reportabãt. Dicebatur autem & in castris tanta esse omnium rerum uenalium,cum commoditate securitas, ut ita se haberet populus in tentorijs et tabernaculis quibuslibet,sicut domi in muratis urbibus se consueuerat habere. Vrbani autem cura præcipua locum de nocte custodientes,deputatis alternatim uigilibus,& ipsi maiores uicissim nihilominus custodientes uigilias,mœnia perlustrãtes, noctes ex parte plurima trahebãt insomnes.Erant autem & in circuitu murorum,& in turrium propugnaculis locatæ uitreæ lampades,opercula habentes uitrea,ignem qui oleo fouebatur infuso conseruãtes,ex quibus mœnia circumire uolentibus, tanquam de die ministrabatur.Nostris quoque qui in castris erant,pro tempore turmatim deputabantur uigiliæ,& iugis non deerat custodia,timẽtibus ne urbani nocturnis irruptiones in castra facerent: aut Aegyptij in eorum subsidium properantes, subitis & improuisis incursionibus læderent exercitum: quamuis & circa Gazam in locis pluribus non deerant exploratores,qui hostium aduentum quàm citissimè possent nunciare.

Secundo obsidionis mense, adest peregrinorum transitus, multas deferens ad opus obsidionis commoditates. Caput XXIIII.

SIc igitur duobus mensibus eodem tenore continuata obsidione, accidit, ut more solito circa Pascha adesset transitus, & peregrinorum adueniret frequentia. Communicato ergo consilio diriguntur de exercitu, qui auctoritate regia tam nautis quàm peregrinis redire uolentibus interdicāt reditum, & omnes ad laborem & obsidionem Deo tam acceptam promissis inuitent stipendijs, & naues tam maiores quàm minores illuc deducāt. Factumq; est ut subitò & intra paucos dies, secundo actæ flatu naues, omnes quotquot illo transitu aduenerāt, ante urbem adessent, peregrinorum quoq; tam equitum quàm peditum ingentes copiæ nostris expeditionibus se adiungerent, & diebus singulis exercitus augeretur. Erat ergò in castris lętitia, & spes fruendi uictoria: apud hostes autem mœror inualescebat & anxietas, & de uiribus diffidentes rarius egrediebantur ad conflictus, licet sępius lacessiti. Frequentibus etiam nuncijs Calypham Aegyptium sollicitant, quatenus maturè procuret subsidium, alioquin in proximo se defecturos significant. Ille uerò impiger per principes suos, operis huiusmodi præpositos classe instruit, militiam comparat, armis, uictualibus & machinis, naues excelsas onerat, pręfectos ordinat, expensas tribuit, moras arguit, & imperat celeritatem. At nostri interea emptis multo precio nauibus, sumptisq; ex eis malis uocatis artificibus, castrum ligneum ingentis erigunt celsitudinis, intusq; & deforis cratibus & corijs contra incendia & fortuitos casus diligenter muniunt, ut ijs quibus ex eo urbē impugnare mandabatur, tutū posset conferre præsidium. Ex reliqua autem lignorū naualium materia, machinas instruunt iaculatorias, quas congruis ad infringenda mœnia locant stationibus. Strophas quoq; ex eadem cōtexunt materia, quibus impunè ad complanandos aggeres accedebatur. His ergo ritè compositis, considerata quoque ea muri parte, cui castellum nostrum posset applicari facilius, complanato ex multa parte per prædicta instrumenta prius aggere, magnis clamoribus castrū muro applicant, unde totam eminus erat urbem conspicere, & cum ijs qui in uicinis erat turribus, cominus experiri. Laborabant porrò ciues & instabant proteruius, cùm ex muris tum ex aggere, arcubus & balistis, sed incassum operam consumentes, eos qui intus latebāt, quorum studio promouebatur machina, lædere non poterant. Fiebat ergo ciuium concursus ad eam muri partē, quæ castello erat opposita: & qui inter eos erant animosiores, ibi præcipiebantur uires experiri, continuum habentes & iuge certamen cum ijs, qui de castello eos impugnabāt. Sed et in alijs eiusdem muri partibus, per loca uaria non deerat conflictus & pugna pertinax, ita ut uix absq; strage dies præteriret ulla, exceptis saucijs, quorum utrinque turba erat plurima. Audiuimus etiam quorundam in illa obsidione, tam nostrorum quàm hostium uirtutem egregiā, factaq; memorabilia. Sed nos generalia prosequentes, huiusmodi specialibus non multum damus operam.

Quinto mense classis Aegyptiorum ad urbem accessit, multam obsessis ciuibus afferens consolationem. Caput XXV.

CVm igitur per quinque menses continuos, nostri principes in obsidione perseuerassent, hostiúmque uires attritæ uiderent aliquatenus, nostros autẽ spes solito amplior obtinendi ciuitatem foueret, ecce subitò Aegyptiorum classis flatibus acta prosperis, cõparuit. Quam uidentes Ascalonitæ, uoces cum manibus tendunt ad sidera, & magnis intonant clamoribus, nostris recedendum esse, aut in proximo pereundũ. Gerardus uerò Sydoniensis, qui nostræ classi præerat, uidens hostium exercitum ad urbẽ accedere, cum paucis quos habebat galeis, tentans occurrere & impedire accessum, multitudinẽ ueritus, terga uertit, fuga uitæ consulens & saluti. At uerò classis hostium ad urbem accessit intrepida, ciuibus optatam deferens cõsolationem. Erant porro in eadem classe, Galeæ, ut dicitur, septuagintæ, & aliæ naues, uiris, armis & uictualibus usque ad summum oneratæ, & cinctæ, & ingentis magnitudinis, quæ omnis in subsidiũ urbi prædictæ princeps miserat Aegyptius. Hi denuò tanquã reparatis uiribus, & de subsidio præsumentes, nostris rediuiua cœperunt hostes inferre certamina, solito proteruius & frequentius conflictus appetentes: ciues tamen cautius, quibus nostrorum nota erant negotia: rudes uerò, et qui recenter uenerant, gloriæ cupidi, ut uires ostentarent & audaciam, dum incautè negotiantur, occumbunt frequentius, quousque & ipsi nostrorũ constantiam experti sunt, didiceruntque parcius irruere, & modestius irruentium impetus sustinere.

Constantia Antiochenorum Principissa Raynaldo de Castellione nubit. Noradinus quoque regnum Damascenorum occupat uiolenter. Almaricus Sydoniensi praeficitur ecclesiae. Caput XXVI.

DVmque hæc circa Ascalonã in castris geruntur, domina Constantia, domini Raymũdi Antiocheni principis uidua, licet multos inclytos & nobiles uiros, eius matrimonium appetẽtes, more fœmineo repulisset: Raynaldum de Castellione, quendã stipendiarium militem, sibi occultè in maritum elegit. noluit aũt uerbum publicari, quoadusque D. Regis (cuius erat cõsobrina, & sub cuius protectione principatus uidebatur cõsistere) interueniret auctoritas & consensus. Festinauit igitur prædictus Raynaldus ad exercitũ, & uerbum D. Regi cõmunicans, sumpta eius conniuentia, Antiochiã rediens, prædictam duxit in uxorem principissam, non sine multorum admiratione, quod tam præclara, potens & illustris fœmina, & tam excellens uxor, uiro militi quasi gregario, nubere dignaretur. Interea Noradinus, uir prudẽs & circumspectus, audiens quod mortuus erat Ainardus socer eius, Damascenæ princeps militiæ & regis procurator negotiorum, qui suis conatibus plurimum semper restiterat: uidensque dominum Regem Hierosolymorum, omnemque regni eius militiam, circa Ascalonam iamdudum occupatã, arbitrans quod non facilè obsidionem desereret, ut Damascenis contra se auxilium postulantibus ministraret, sumpta ex tempore occasione, ad partes cum ingenti militia accessit Damascenas, quasi regnum uiolenter occupaturus. Vbi fauentibus & ultrò munus dantibus Damascenis, Regem eorum dissolutũ & uitialem regno priuat, & uagum & profugum super terram fugere compulit in

lit, in orientem. In quo facto, nostra nihilo minus deterior facta est conditio. nam pro uiro impotente, & qui pro sua debilitate nostris erat obnoxius, eatenus, ut tanquam subiectus, annua tributa persolueret, durior nobis appositus est aduersarius. Nam sicut regnum in seipsum diuisum, iuxta uerbum Saluatoris, desolabitur: sic unita sibi plura, robur ex mutuo solent assumere, & in hostes consurgere fortiora. Capta itaque Damasco, & subacta regione uniuersa, uolens Ascalonitis opem, qualem poterat, de remoto conferre, urbem Paneadensem, in nouissimis regni finibus sitam, de nostrorum presumens occupationibus, obsidet: ut in obsessorum auxilium reuocati, obsidionem circa Ascalonam desererent, & infecto negotio redire compellerentur. Sed præuia Domini misericordia, à spe tanta decidens, neutrum obtinuit. nam ipse circa obsessam ciuitatem nihil profecit, & nostri opitulante domino Ascalonam obtinuerunt. In hac obsidione, mortuo domino Bernhardo, bonæ memoriæ Sydoniensi episcopo, substitutus est Almaricus, piæ in Domino recordationis, Abbas Canonicorum regularium, ordinis Præmonstratensis, in eo loco qui dicitur sancti Abacuc, siue sancti Ioseph, qui cognominatus est ab Arimathia, uir simplex ac timens Deum, & egregiæ conuersationis: qui in ecclesia Liddensi, per manum domini Petri fœlicis memoriæ, Tyrensis Archiepiscopi, munus consecrationis dicitur recepisse: quoniam ab urbe obsessa, nulli longius abscedere dabatur licentia.

Qui in obsidione sunt, urbem instantes impugnant. Ciues machinam exteriorem nituntur exurere. Murus ciuitatis ex parte corruit. nostri uolentes ingredi, ex parte pereunt: noster exercitus desperat. Caput XXVII.

INterea qui in expeditione erant, cœpto cum multo instantes negotio, non cessant urbem obsessam assiduè impugnare, & circa eam portam, quæ Maior dicitur, congressiones innouare ciuibus ualde periculosas, tormentis nihilominus iaculatorijs turres ac mœnia debilitare: & intra urbem, non sine strage multa, funditus dissoluere, immissis magnis molaribus, domicilia. Qui uerò in castello ad eius custodiam deputati erant, tantas ciuibus, non solum ijs qui in turribus & in muris resistebāt, uerùm ijs etiam, qui per urbem necessitatibus tracti, discurrere cogebatur, arcubus & sagittis inferebant molestias, ut earum respectu, quicquid alibi ciuibus inferebatur, leue iudicaretur, & quamuis durum esset, tolerare. Vnde communicato inter se consilio, eorum maximè expetentes operam, quibus maior in eiusmodi uidebatur experientia, proponunt, ut quocunque periculo, quocunque ciuium discrimine, interiectis inter murum & castellum lignis aridis, aptam ignibus materiem & fomitem præstare uolentibus, procurato undique occultè incendio, concremaretur: alioquin nec spes salutis, nec spes resistendi sit oppressis, & usque ad summū afflictis, uidebatur. Surgentes igitur eorum exhortationibus quidam uiri fortes, uiribus & animo præstantiores, ciuium suæ præferentes salutem, obiectant se periculis, ligna ad eam partem muri, quæ castello erat uicinior, comportantes, & in locum qui medius uidebatur inter murum & machinam proijcientes exterius. Composita porrò lignorum strue maxima, & quæ uidebatur ad incendium castelli sufficere, pi-

re, picem desuper infundunt, oleum quoq; & liquamen, & cætera huiusmodi incendiorum irritamenta, quæ solent ignibus præstare fomitem. Igne igitur immisso, affuit nobis manifestè diuina clementia. nam statim inualescente incendio suscitatus est uentus ab oriente uehemens, qui totas incendij uires, in murum ciuitatis flatu uehementi contorsit. Ventus igitur uehementia sua, flammas in murum incendiaq; impellēs, tota nocte illa per iugem flatum incendium continuans, murum usque in fauillam decoxit. ita ut mane facto, circa diei crepusculum, ab una turri, usq; ad conterminam, totus corrueri fundirus, ita quod ruinæ sonitus totum cōmouit exercitum: decidens autem tanto pondere castello illisus est, ut cui non nocuerunt incendia, muri casus de principalibus membris quædam confringeret, & eos qui in eius solijs & pro tectis excubias procurabant, paulò minus ad terram deijceret. Excitus igitur ad hunc sonitum uniuersus exercitus, arma corripiunt, ad partes illas conuolant, quasi patefacto diuinitus aditu, protinus intraturi. At magister Militiæ templi, Bernhardus de Trenellape, cum fratribus suis multo ante præuenientes, aditum occupauerunt, neminem nisi de suis intrare permittentes: eos autem hac intentione dicebantur arcere, quatenus primi ingredientes, spolia maiora & uberiores manubias obtinerent. nam in uiolenter effractis urbibus, id hactenus apud nos pro lege obtinuit consuetudo, ut quod quisque sibi ingrediens rapit, id sibi & hæredibus suis perpetuò iure possideat. Poterat autem omnibus indifferenter ingredientibus, & mancipari ciuitas, & uictoribus spolia sufficere. Sed de uiciata radice & peruersa intentione opus prodiens, rarum est ut bono fine claudatur: quia

Non habet euentus sordida præda bonos.

Dum ergo cupiditate rapti, ad prædæ participium, renuunt habere consortes, in mortis periculo, meritò reperti sunt soli. Ingressos igitur ex eis circiter quinquaginta, cæteris subsequi non uolentibus, ciues prius de uita solliciti, & extrema omnia sustinere sine contentione parati, uidentes eos paucos, resumptis uiribus & recepto animo, eos gladijs excipiunt, & interceptos obtruncant. Iunctis igitur iterum agminibus, quasi uiribus renatis, & armis quæ quasi uicti deposuerant, resumptis, ad eam partē unanimiter conuolant, qua murus deciderat. Trabes itaq; immensæ magnitudinis & ligna ingentia, quorum illis ex nauibus multa erat copia, contexentes, hiatum replent, obturant aditum, & locum certatim faciunt imperuincibilem. Cōmunitis etiam turribus, quæ ex utroq; latere uicinæ fuerāt incendio, quas incendiorum importunitatem ferre non ualentes, dereliquerant: bella regnant, ad congressus iterum accinguntur, nostros ultrò prouocant ad prælia, tanq; nihil omnino aduersitatis perpessi. Qui autem in castello erāt, scientes se bases habere minus solidas, & quod ab inferiore parte lęsa esset in spōdis solidioribus machina, minus proteruè instabāt, nō multū de eius soliditate pręsumētes. Illi autem interemptorum corpora in nostram confusionem, super murum in propugnaculis funibus suspendētes, nostris insultabant, lętitiā quam mente conceperant, uerbis & uiribus exprimētes. sed huius gaudij extrema luctus occupat: & quę sequuntur manifestè indicant, quàm uere dicatur, an-

te rui-

te ruinam exaltabitur cor. Nostri uerò uice uersa, mente consternati, & animi mœrore confecti, & cordis amaritudine, de uictoria diffidunt, pusillanimes effecti.

Iterum confortantur nostri, & ad continuandam obsidionem animantur, insistentes animosius. Caput XXVIII.

INterea dominus Rex, casus acerbitate perterritus, principes conuocat, & coràm posita uiuifica cruce (nam in eius tabernaculo cõuenerant) præsentibus domino Patriarcha, domino quoqꝫ Tyrensi Archiepiscopo, & alijs ecclesiarum prælatis, quid in tanta rerum uarietate sit opus, quærit sollicitus. Illis uerò sub Dei timore constitutis, & cum multa anxietate deliberantibus, facta est uotorum dissonantia, & deliberantium quasi bipertitũ desiderium. Alij nanqꝫ, de obtinenda urbe diffidentes, longo se tempore operam ibi inutiliter consumpsisse asserebãt, militiam ex parte cecidisse, principes saucios, ac peremptos, expensas deficere, ciuitatem inexpugnabilem, ciues eius bonis omnibus abundare, eorum uires reparari sæpius, nostras uerò deficere: prætendentes, reditum persuadebãt. Alij uerò quibus mens erat sanior, perseuerandum adhuc esse in proposito, et de domini misericordia sperandum, qui non soleat relinquere sperantes in se, pia longanimitate hortabãtur: proponentes parum esse, quælibet negotia habere bonum principium, nisi & simili fine claudantur. Dicunt etiam multum temporis & expensarum plurimum impẽdisse: sed spe fructus uberioris, quem Dominus & si differre, non tamen auferre uidebatur, cecidisse suos aiunt. sed tamen spes erat, ut meliorem inuenirẽt resurrectionem: fidelibus esse promissum, Tristitia uestra uertetur in gaudiũ. & iterum: Quodcunqꝫ petieritis, fiet uobis, asserebant. Hæc & similia allegantes, reditum dissuadebant. Et ut in proposito tanquam uiri fortes perseuerarẽt, monere nitebãtur. Priorem sententiã penè omnes Principes laici fouebant: Rexqꝫ tædio casuum aduersorum in eam procliuior nitebatur. In opposita sententia dominus Patriarcha, dominus quoqꝫ Tyrensis erat, cum clero, consortem habẽtes dominum Raymundum magistrum hospitalis, cum fratribus suis. Sic igitur eis ab inuicem dissentientibus, & uaria pro utraqꝫ parte allegantibus, affuit præsens diuina clementia, quæ D. Patriarchæ sententiam, quæ maioribus iuuabatur meritis, & ampliore nitebatur honestate, omnibus fecit complacere. Proponunt igitur unanimiter, recurrendum esse ad Dominum, & implorato de cœlis auxilio, in eo quod cœperant perseuerandum, quoad usqꝫ uisitet eos oriens ex alto, & labores eorũ clementer respiciat. Redeuntes itaqꝫ in idipsum unanimiter, arma corripiũt, perstrepunt tubis, & lituis, & uoce præconia ad pugnam populum excitant uniuersum. Illi uerò peremptorum fratrum ulcisci affectantes iniurias, solito ardentius ante urbem conueniunt, & hostes ad prælia auidissimè prouocãt: intueri enim erat, nostrorum acies tanquam nihil damni pertulissent, aut recentibus uterentur uiribus, exterminato furore, in hostes irruere & impetus inferre solito uehementius, ita ut mirarentur hostium cunei, & in nostris, uirium augmentum insuperabile, & instandi stuperent perseuerãtiam. cumqꝫ & ipsi pari tentarent insistere conatu, frustra irruentes, non poterant nostrorum tolerare instantiam aut gladios declinare. Certatum est ergo die illa,

uiribus longè disparibus: sed tamen tam equitũ quàm peditum copię,de hostibus ibi triumphantes, palmam undiq; reportabant. Facta est igitur strages hostium maxima, & recompensata est mensura supereffluente,quam nostri nudiustertius passi erant,iniuria. Non erat in ciuitate familia, quam luctus domesticus & familiaris non premeret anxietas. Induta est ergò confusione ciuitas,& comparatione præsentis periculi leuia uidentur præterita. A prima enim obsidionis die, usq; in præsentem, nunquam paria damna receperant, nec similis illis acciderat iactura. Consumpto enim militiæ robore, & urbis moderatoribus interemptis,defecerat consilium,uirtus elanguerat, & omnis spes euanuerat resistendi. Factumq; est quod de publico consilio missi sunt quidam de primoribus populi,pacis interpretes,& inducias à domino rege postulantes ad tempus,ut datis nostrorum,receptis suorũ defunctorum corporibus, liceat utrisque pro more suo debitis funeribus exhibere exequias,& supremum honorem impendere. Placuit itaq; nostris postulata conditio:receptaq; suorum corpora,cum exequiarum solennibus, commendant sepulturæ.

Ascalonitæ desperant,& de communi consilio ad deditionem inclinantur. Caput XXIX.

Ascalonitis uerò, postquam pręsentem suorum stragem conspexerũt,& in ante magnam, quam exercuerat in eos Dominus: renouatus est dolor,anxiatus spiritus, & præ doloris immanitate, eorum interius liquefactæ sunt animę. Et ut nihil eis ad cumulum deesset malorum, accedit eadem die, ut quadraginta fortibus ex eis trabem ingentis magnitudinis, ad locum ubi necessarium uidebatur deferentibus, lapis ingens de nostra missus iaculatoria machina,casu super trabem decideret,& quotquot oneri suberant deportando,omnes simul cum ea trabe contereret. His ergò pressi molestiarũ ponderibus,& in amaritudine positi, eos qui residui erãt ex patribus plebs cõuocat cum lachrymis et gemitu in unum collecta,ita ut nec matres deessent,paruulos ad ubera tenentes:nec senes ualetudinarij,quibus uix supremus in pręcordijs hærebat spiritus. Vbi per disertos & prudentes uiros de communi omniũ consilio habitus est ad populum uniuersum huiusmodi sermo: Viri Ascalonitæ,qui habitatis intra portas istas,nostis,& nemo nobis melius, q; periculosam & difficilẽ cum populo isto ferreo, & in proposito nimiũ pertinaci,iam per annos quinquaginta luctam habuimus: experimentis quoque compertũ habetis,quoties in acie patres nostros fuderint,& quoties loco parentum cõtra eos bella reparauerint rediuiua, iniurias propulsare, & locum hunc,unde originem traximus,cum uxoribus & liberis, & quod maius est, libertatem conseruare cupientes. Quinquagesimus hodie quartus annus agitur, ex quo populus iste nobis tam molestus, ab extremis Occidentis partibus ad nos ascendẽs,à Tarso Ciliciæ usq; in Aegyptum, uniuersam regionẽ manu forti uiolenter occupauit: sola hæc ciuitas prædecessorum nostrorum meritis & uirtute, in medio tantorum usque in præsentem diem indeficiens substitit aduersariorum.quę tamen hactenus passa est,respectu imminentiũ, minima aut nulla iudicari possunt. Et nũc quidem resistendi animus in nullo nobis remissior est,sed attritus exercitus,consumptæ copiæ,laboris pondus intolerabile,hostium peruigil & nimium pertinax multitudo,continuæ tam

N animorum

animorum quàm corporum molestiæ uires negant, & protrahendi negociũ imminuunt facultatem. Vnde patribus uidetur, si & uobis ita uisum fuerit, instanti tempori, & præsentibus miserijs expedire, ut missis nuncijs pro uniuerso populo ad potentem istum regem, qui nos obsidet, tentemus exitum liberum cum uxoribus & liberis, seruis & ancillis, & omnimoda supellectile, conditionibus interpositis impetrare, & ei quod gementes dicimus, urbem resignare, ut tantis malis finem imponamus.

Missis de maioribus ciuitatis ad regem, Ascalonitæ obtinent liberum cum uxoribus & liberis, & omni substantia exitum, & urbem resignant. Caput XXX.

VIsus est autẽ sermo hic in oculis omnium bonus, & cum magnis clamoribus, sicut in huiusmodi fieri solet, esse approbatus. Delecti sunt de omni populo uiri prudentes & discreti, reuerendę senectutis argumenta portantes, qui præordinatas ad dominum Regem & principes eius deferant conditiones: quibus extra portam egressis, sumptis prius inducijs, & accedendi licentia, dominum Regem adeunt. Factaq; eis uniuersorum principum (sicut expetierant) copia, uerbum proponunt, placitas exponentes ex ordine conditiones. Quibus iussis ad tempus egredi, Rex cum principibus habito consilio, quid singulis uideatur diligenter exquirit: illi autem præ gaudio erumpentes in lachrymas, oculos cum manibus tollẽtes ad sidera, uberes creatori agunt gratias, quod indignis tantã dignatus est conferre sui muneris largitatem. Reuocatis igitur nuncijs, datum est illis de communi responsum: Placere conditiones interpositas, si tamen infra triduum subsequens, uniuersam expedierint ciuitatem. Quod illi approbantes, ut robur pacis magis accedat, iuramenta sibi exigunt præstari, quibus per manum domini Regis & electorum principum corporaliter, & cum solennitate præstitis, quòd bona fide, sine dolo malo factorum tenor prædictorum conseruaretur: datis prius obsidibus eis, quos nominatim Rex expetierat, ad propria læti sunt reuersi, secũ adducentes quosdam de nostris milites, qui uexilla Regis super eminentiores ciuitatis turres in signum uictoriæ collocarent. Postquam autem exercitus noster cum summo desiderio id expectans, uexilla regia in turribus sublimioribus conspexit, factus est exultantis populi clamor ingens, cum lachrymis usque ad sidera, uoce consona laudantium, & dicentium: Benedictus Deus patrum nostrorum, qui non deserit sperantes in se. & benedictum nomen maiestatis eius, quod est sanctum: quia uidimus mirabilia hodie. Factũ est autem, ut cum per totum triduum ex compacto haberent inducias, nostrorũ formidantes præsentiam, infra biduum compositis sarcinis, cum uxoribus & liberis suis, seruis & ancillis, & supellectile omnimoda accincti, ad iter egressi sunt. Quibus dominus Rex duces itineris concedens, usq; Laris, ciuitatem antiquam, sitam in solitudine, iuxta pactorum tenorem, dimisit in pace. Dominus autem Rex, dominus quoque Patriarcha, cum cæteris regni principibus, & ecclesiarum prælatis, unà cum uniuerso clero & populo, præuio ligno Dominicæ crucis, cum hymnis & canticis spiritualibus urbem ingressi, in præcipuo eorum & eximij decoris oratorio, quod postmodum in honorem Pauli apostoli consecratum est, crucem Dominicam intulerunt. Vbi celebratis solenniter diuinis, post gratiarum actiones, in hospitia sibi deputata

putata se recipientes, lętum & seculis memorabilem egerunt diem. Intra paucos autem dies, dominus Patriarcha ordinans ecclesiam, certum numerum Canonicorum ibi, & eis certa stipendia (quæ præbendas uocant) instituit. Episcopum quoque quendam Absolonem, Dominici sepulchri Canonicum regularem, reclamante multū, & id fieri interdicente, Geraldo Bethleemita episcopo, ordinauit. Postmodū uerò caussa per appellationem ad Romani pontificis audientiam delata, obtinuit prædictus Bethleemita episcopus, eo excluso quem D. Patriarcha ibi consecrauerat, Ascalonitanā ecclesiam, cum possessionibus suis, sibi & ecclesiæ Bethleemiticę iure perpetuo possidendā. Rex autem tam in urbe, quàm in suburbanis, matris consilio, benemeritis, & quibusdam etiam precij interuētu, possessionibus & agris in funiculo distributis, ciuitatem fratri suo, adolescenti, domino Almarico Ioppensi Comiti liberaliter concessit. Capta est ergo prædicta ciuitas, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto: regni uerò D. Balduini regis quarti, anno decimo, mense Augusto, die mensis duodecimo. Accidit autem miseris Ascalonitis proficiscentibus, & descendentibus in Aegyptum, casus miserabilis. Nam discedentibus ab eis regis hominibus, qui dati erāt euntibus duces itineris, & ut nemo eos molestaret, ad tutelam, Nooquinus quidam, Turcus genere, armis strennuus, sed peruersis moribus & infidelis, qui apud eos laborum particeps, stipendia mœrēs, diū militauerat: fingens se profectionis eorum & descensionis cōsortem, ubi uidet eos ducibus destitutos, spreta fide, humanitate contēpta, irruit super eos, & ablatis spolijs discedens, errabundos dimisit in solitudine.

LIBER DECIMVSOCTAVVS

Raynaldus de Castellione, princeps Antiochenus, dominum Patriarcham Antiochenum ignominiose tractat. ille in regnum confugit. Oritur fames ualida super terram. Caput I.



INterea Raynaldus de Castellione, qui D. Raymundi, principis Antiocheni uiduam duxerat, de quo facto superius diximus, uidens quia domino Patriarchæ factum non multum placuit ab initio, & adhuc in eodem perseuerabat, suspectas eius omnes habebat uias. Ille autem tanquā uir & ditissimus & potens, & supremę auctoritatis, liberè satis, tam de eius persona, quàm de eius actibus, tum in secreto tum in publico sępius loquebatur. Erāt aūt nonnulli, sicuti in talibus frequenter solet cōtingere, qui huiusmodi uerba odiorum fomitem quærentes reportabant: unde motus in indignationē & iram inexorabilem princeps, domino Patriarcha uiolentas iniecit manus, & ausu diabolico captum, in castellum quod ciuitati Antiochenę supereminet, ignominiosè deduci fecit: quodque satis uidetur abominabile, sacerdotem longæuum, Petri Apostolorum principis successorem, uirum ægrotatiuum, perpetuò infirmantem, nudo capite, & melle delibuto, per diem æstiuum in sole feruentissimo cōpulit sedere, nemine contra solis importunitatē prębente remedium, uel gratia pietatis muscas abigente. Hoc audiens D. Rex Hierosolymorum

lymorum, in ſtuporem raptus, uiri dementis admirans inſaniam, & præ ad miratione in ſeipſo deficiēs, miſſis uenerabilibus nuncijs, domino Friderico Acconenſe epiſcopo, domino Radulpho eius cancellario, per literas dirigit, & autoritate regia prædictum dementem corripit, & à perpetrata redire mo net inſania. Ille autem uiſis nunciis, & regiis perlectis apicibus, poſtquā eum multis affecerat contumeliis, remiſit liberum, bonis etiam quæ ab eo & ſuis uiolenter rapuerat reſtitutis. Tandem uerò dominus Patriarcha Antiochenam deſerens diœceſim, in regnum ſe contulit Hieroſolymorum. Vbi à domino Rege & eius matre diſcretiſſima, domino quoq; Patriarcha, & regni uniuerſis epiſcopis benignè habitus, per aliquot manſit annos. Facta eſt autem anno ſequenti fames ualida ſupra uniuerſam terram: & iratus eſt nobis Dominus, omneq; firmamentum panis contriuit, ita ut tritici modius aureis quatuor uenderetur. Quod niſi fuiſſet frumenti copia, quæ in urbe Aſcaloni tana, ea occupata inuenta eſt, fame regionem oppugnante, populus penè deperiſſet uniuerſus. Sequentibus tamen annis, ex quo regio Aſcalonæ adiacens, quæ annos quinquaginta metu hoſtilitatis inculta iacuerat, poſtquam agricolarum curam ſenſit, & populus regionis metu hoſtium propulſato liberè terram exercere potuit, tanta uniuerſum regnum repleuit ubertate, ut omne quod effluxerat tempus, habita comparatione ad præſens, ieiunum & ſterile meritò quis poſſet appellare. Diu enim culturæ neſcia, uomeris uſum non ſuſtinens, integris in ſe ſubſiſtens uiribus, poſtquam ruſticam ſenſit adeſſe ſollicitudinem, credita ſemina, cum fœnore multiplici, & fructu ſexageſimo reportauit.

Defuncto Anaſtaſio, ſubſtituitur ei Hadrianus. Imperator Fridericus Romæ coronatur. Inter dominum Papam & regem Siciliæ Vuilhelmum graues oriuntur inimicitiæ. Caput II.

DVm hæc in partibus geruntur Orientalibus, Romę defuncto domino Anaſtaſio Papa quarto, ſubſtitutus eſt ei dominus Hadrianus tertius. hic Anglicus natione, de caſtello ſancti Albani, apud Auinionem ciuitatem prouincię, in Arelatenſi diœceſi, Abbas fuit Canonicorum regularium in ec cleſia ſancti Ruffi: unde ad eccleſiam Romanam à domino bonæ memoriæ Eugenio uocatus, in epiſcopū Albanēſem ordinatus eſt, Nicolaus nomine. Hic defuncto domino Anaſtaſio, qui prædicto D. Eugenio ſucceſſerat, de Noruegia occidentali, & ultima prouincia, ad quam miſſus fuerat ab eodem legatus, electioni interfuit, & à clero & populo unanimiter electus eſt, & Hadrianus appellatus. Cōtigit autē eodē anno, quo D. Fridericus Theutonicorū rex, nondum tamē Imperator, in Italiam cum infinita ſuorū manu deſcenderet, et Dertona una ex urbibus Lombardię, quam diu obſederat, ſubacta, Romam uenire, & ibi coronari diſpoſuerat. His aūt diebus, inter D. Papam Adrianū (de quo prędiximus) & regē Siciliæ D. Vuilhelmum, domini Rogerij bonæ memoriæ filium, graues ex cauſis quibuſdam ortæ erant inimiciciæ, & in guerram noxiam rex prodierat, ita ut ſententiā excōmunicationis D. Papa in eum iacularet. Dominus tamen Fridericus (de quo prędiximus) propoſitū urgēs, accelerato itinere, infra paucos dies de Lombardia Romā uenerat, ita ut ſubitus eius aduētus D. Papę, & uniuerſæ eccleſię Romanę ſu-

ſpectus

spectus esset admodum. Tandem per internuncios pacis ordinatores, interpositis conditionibus solitis, in ecclesia beati Petri solēniter ex more sexto Calend. Iulias coronatus est, & Augustus appellatus: inde subsecuto triduo, ambo sub ciuitate Tiburtina, in loco qui dicitur ad pontem Lucanum, festo die apostolorum Petri & Pauli, ille diademate decoratus, hic summi pontificatus singularia habens insignia, iunctis agminibus, exultantibus clero & populo praecesserunt laureati. Vnde post diei festi consummationem, in bona pace diuisi abinuicem, dominus Imperator properauit ad partes Anconitanas, quo eum imperij cura trahebat: domino Papa circa partes Romanas, in montanis urbibus moram faciente. Interea rex Siciliae Beneuentanam urbem, ecclesiae Romanae familiare domicilium, principibus suis mandat obsidere, & urgentissimis angustijs eius pręcipit arctari habitatores. quod uerbū dominus Papa moleste ferens supra modum, uicem ei aequa lance uolens infundere, principes proprios contra eum nititur armare: nec in ea parte fraudatus est à desiderio suo. nam potentissimum regni sui comitem, eiusdem regis amitae filium, Robertum uidelicet de Bassauilla, cum multis alijs uiris nobilibus, quibus auxilium consiliumq́ Romanę ecclesiae perpetuò non defuturum pollicebat, contra eum insurgere persuasit. Exules quoq; quos tam ipse quàm pater eius de regno ejciens, bonis fecerat extorres paternis, uiros inclytos, & in armis potētes, dominū uidelicet Robertum de Surrento, principem Campanum, Comitē quoq; Andream de Rupe canina, & alios multos exhortationibus suis prouocauerat, ut in regnum redirēt, & ad iure haereditario sibi debitas accederent possessiones, Romanam ecclesiam eis in perpetuum non defuturam, in uerbo pontificali spondens eis firmissimè. Vtrunq; nihilominus, Imperatorem uidelicet Romanorū, Constantinopolitanum, alterum ore ad os, et manifestè, qui adhuc erat in Italia, alterum uerò per literas, sed occultè ad occupandum Siculum regnum sollicitat.

Inter dominum Papam & fratres Hospitalis quaestiones oriuntur de decimis, & quibusdam iniurijs, quae ab eis ecclesijs inferebantur. Caput III.

SIc igitur dum in Italia turbantur tam ecclesiae quàm regni Siculi negotia, non fuit quoq; tractus Orientalis noster absq; turba. Nam per idem tempus, urbe Ascalonitana diuino fauore Christianis restituta, cum regni satis prosperè procederent negocia, laetis frugibus, coepit homo inimicus superseminare zizania, & à Domino praestitae inuidere tranquillitati. Raymundus enim magister domus Hospitalis, unà cum fratribus suis, eodē spiritu repletis, licet aliâs uir religiosus & timens Deum crederetur, tam domino Patriarchae, quàm caeteris ecclesiarū praelatis, multas tam super Patriarchali iure, quàm super iure Decimationū, coeperunt inferre molestias. nam à suis episcopis excommunicatos, uel nominatim interdictos, & ob scelera sua separatos ab ecclesia, ad diuinorum celebrationem, passim & sine delectu recipiebant, aegrotis eisdē & uiaticum & supremam unctionem, mortuis uerò sepulturā non negabant. Ob enormia uerò cōmissa, si quando silentium ecclesijs uniuersis, uel alicuius ciuitatis, uel cuiuslibet municipij imponebatur, hi primū & campanarum pulsatione, & uociferatione solito maiore interdictos populos ad diuina uocabāt, ut oblationes & caeteras obuentiones matricibus ec-

 clesijs

clesijs debitas, ipsi haberent, & alijs lugentibus, soli ipsi lætarentur. Obliti illius uerbi egregij prædicatoris: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Sacerdotes suos nec admittentes iuxta sanctorum antiquam sanctionem decretorum, locorum episcopis præsentabant, ut cum eorum conscientia in suis diœcesibus diuina celebrarent, nec abijcientes siue iustè siue iniustè, hoc notum faciebant episcopis. De prædijs autem suis, & uniuersis redditibus, quocunque iure ad eos deuolutis, omnino decimas dare negabant. Hæc omnium querela aduersus eos pontificum, hæc iactura omnibus Cathedralibus ecclesijs, ubique ab eis irrogabatur. specialiter autem domino Patriarchæ, & sanctæ Hierosolymorum ecclesiæ, hanc Christianis omnibus odibilem inferebant iniuriam. nam ante sanctæ Resurrectionis ecclesiæ ianuas, in ipsius contemptum & contumeliam ecclesiæ, ædificia cœperunt erigere multo sumptuosiora, & sublimiora plurimum, quàm illa habet ecclesia, quæ domini Saluatoris in cruce dependentis precioso dedicata est sanguine, & ei post crucis patibulum in seipsa gratissimam præstitit sepulturam. Insuper quotiescunque dominus Patriarcha de more, ut ad populum loqueretur, ad locum in quo mundi Saluator pro salute nostra pependit, & totius orbis celebrata est apud eum copiosa redemptio, ascendebat, ipsi ut eius actibus & dispensationi sibi creditæ aliquod præstarent impedimentum, pulsatis campanis tot, tantis, tamque studiosè, & tam diù, ut nec D. Patriarchæ sermo sufficeret ad clamandum, nec populus eum licet multum laborãtem audire merebatur: cumque super huiusmodi temeritate sæpius conquereretur dominus Patriarcha, ad ciues, & eorum præsentibus argumentis depræhenderetur malitia, conuenti à pluribus, incorrigibiles inuenti sunt, comminantes etiam se aliquando grauiora molituros. Quod & factũ est. nam usque ad eam temeritatem ausu diabolico & spiritu furoris concepto, peruenerũt, ut armis correptis, tanquã in domum alicuius gregarij, irrumperent in prædictam Deo amabilem ecclesiam, & sagittas tanquã in speluncam latronum iacularentur multas, quas postmodum collectas, & redactas in manipulum, ante locum Caluariæ, ubi crucifixus est Dominus, fune dependẽtes, & nos ipsi uidimus, & alij uiderũt infiniti. Huius autem tanti mali, & primitiuam originem Romana ecclesia, licet fortasse nesciens, nec multo penderãs libramine, quid ab ea peteretur, diligenter cõsiderantibus, uidet intulisse. nam locum prædictũ, à domini Patriarchæ Hierosolymitani iurisdictione, cui diù & meritò subiacuerat, emancipauit indebitè: ut nec ad Deum timorem, nec ad homines, nisi quos timent, habeant reuerentiam. Nec tamen omnes uno iudicio & sublata discretionis differentia, in hanc Deo odibilem, & uiciorum matrem omnium, inuoluimur superbiam, credentes uix posse cõtingere, ut in tanto corpore omnes eodem gradiantur itinere, & sit nulla differẽtia meritorum. Vt autem, ex quo in modico iactu seminis, tantum locus memoratus cœperit incrementum, quamque indebitè contra Dei ecclesias recalcitrauerit, & usque hodie recalcitrare non desinit, sumpto aliquantulum altius exordio, præsenti duximus mandandum historiæ, ueritatis regulam omnino, auctore Domino, non prætermittentes.

Describitur, unde habuerit ortum & initium domus Hospitalis. Caput IIII.

REgno Hierosolymorũ cum uniuersa Syria & Aegypto, etiã cum adiacẽtibus prouincijs peccatis nostris exigentibus, in manus hostiũ nominis & fidei Christianæ, secundũ quod antiquę tradũt Historiæ, deuolutis, quod tempore domini Heraclij, Romanorũ Imperatoris, inualescentibus contra eum Arabiæ populis, certũ est accidisse: non defuerũt de Orientalibus multi, qui loca sancta, licet in manus hostiũ potestatẽq; redacta, aut deuotionis, aut cõmerciorum, aut utriusq; gratia uisitarẽt aliquoties. Inter eos aũt qui negotiationis obtentu, de occidentalibus per illa secula, loca prædicta adire tentauerunt, fuerunt uiri de Italia, qui ab urbe quam incolũt dicuntur Amalphitani. Est aũt Amalphia ciuitas inter mare et mõtes eminentissimos cõstituta, ab oriente habens urbẽ nobilissimã Salernũ, uix septem miliaribus maximo ab ea distante itinere: ab occidente uerò Surrentũ, et Neapolim Vergilianã: ab Austro uerò Siciliã, ducentis miliaribus plus minus'ue modico, remotã, Tyrrheno mari interiacente. Huius regionis habitatores, ut prędiximus, primi merces peregrinas, & quas oriens prius nõ nouerat, ad suprà nominatas partes lucri faciendi gratia inferre tentauerunt: unde & optimas cõditiones apud illarum partium præsides, pro rebus necessarijs quas inferebãt, & sine difficultate accessum, & populi nihilominus gratiã merebantur. Possidebat illis diebus princeps Aegyptius uniuersas maritimas regiones, à Gabulo ciuitate, quæ sita est in littore maris iuxta Loadiceã Syriæ, usq; in Alexandriã, quę est nouissima ciuitas Aegypti. Et per pręsides singulis ciuitatibus deputatos, imperiũ suum latè reddebat formidabile. Prædicti uerò Amalphitani tam regis quàm principum suorum plenam habẽtes gratiam, loca uniuersa, quasi negotiatores & tractatores utiliũ, tanquã merces circumferendo, confidenter poterant circuire. unde & traditionũ paternarũ non immemores, & fidei Christianę loca sancta, quoties opportunitas dabat, uisitabãt: nõ habentes autem in urbe eadẽ familiare domiciliũ, ubi morã possent facere aliquantulã, sicut in urbibus habebant maritimis: congregatis de suo populo, quotquot ad opus conceptũ poterãt euocare, Calypham Aegyptium adeunt, & obtenta familiarium eius gratia, petitionem suam scripto porrigunt, et uocis consonæ recipiunt impetratum.

Quomodo Aegyptius Calypha ad petitionem Amalphitanorum locum eis designari præcepit, ubi ecclesiam ædificent. Caput V.

SCribitur igitur Hierosolymorũ pręsidi, ut uiris Amalphitanis, amicis, & utilium introductoribus, locus Hierosolymis iuxta eorũ desideriũ, in ea parte qua Christiani habitant, & ad construendũ ibi domiciliũ, quale uoluerint, designetur amplissimus. Erat autẽ ciuitas, sicut & hodie est, in quatuor partes penè diuisa æqualiter, ex quibus sola quarta, in qua Dominicũ sepulchrum situm est, fidelibus concessa erat ad habitandum: reliquas autem cum templo Domini, soli infideles habebant domesticas. Designatur ergo eis de mandato principis, qui sufficiens uidebatur ad construenda necessaria locus, sumptaq; à negotiatoribus quasi per symbolum pecunia, ante ianuam ecclesiæ Dominicæ resurrectionis, quantum uix lapidis iactus est, monasterium erigunt, in honore sanctæ & gloriosæ Dei genitricis, perpetuæq;

uirginis Mariæ, simul cum & ijs officinis quæ ad usus monachorum & suæ gentis hospitum susceptionem, poterant aliquam præstare commoditatem. Quo facto de partibus suis, tam monachos quàm Abbatem transferentes, locum regulariter instituunt, & domino conuersatione sancta reddunt placabilem. Et quoniam uiri Latini erant, qui locum fundauerant, & qui religionem conseruabant, idcirco ab ea die, usque in præsens, locus ille monasterium de Latina dicitur. Accedebant etiam per illa nihilominus tempora, ut loca deoscularentur uenerabilia, sanctæ uiduæ & continentes, quæ timoris oblitæ fœminei, & periculorum quæ multiplicia occurrebant, non habentes formidinem: quibus aduenientibus, cū non esset intra septa monasterij, ubi colligerentur honestè, congrua satis prouisione procuratum est ab eisdem sanctis uiris, qui locū fundauerunt, ut aduenientibus deuotis fœminis, non deesset seorsum oratorium, domus familiaris & locus in diuersorio: tandemque diuina fauente clementia, ordinatum est ibi monasterium in honore piæ peccatricis, Mariæ uidelicet Magdalenæ: & sorores sub certo numero, ad obsequium aduentantum mulierum constitutæ. Confluebant etiā per illa periculosa tempora nōnulli ex alijs gentibus, tam nobiles quàm secundæ classis homines, quibus quoniam ad sanctam ciuitatē non nisi per terras hostium erat accessus, de suis uiaticulis cum ad urbē peruenissent, omnino non fiebat residuum: sed miseros & inopes ante ciuitatis portā, tam diù cū summo labore, fame, siti, & nuditate expectare oportebat, quousque dato aureo numismate urbem eis licebat introire. Ingressis autem, et locis sanctis ex ordine peragratis, non erat eis uel ad unum diem refectionis spes ulla, nisi quantū eis de prædicto monasterio fraternè ministrabatur. nam omnes alij ciuitatis habitatores Saraceni & infideles, excepto D. Patriarcha, & clero & populo Surianorum, qui diebus singulis tot angarijs & perangarijs, & sordidorum innumerorum præstationibus uexabantur, ut uix sibi in suprema paupertate constitutis, in continuo timore mortis liceret respirare. Nostris ergo cōfluentibus illuc peregrinis miseris, & ad supremum afflictis et egentibus, cum non esset qui uictum præberet, procuratum est à beatissimis uiris, qui monasteriū Latinorum incolebant, ut misericorditer uictui & tegumento detrahentes, ad opus talium, intra ambitum sibi designatum, Xenodochium erigerent, ubi tales sanos & ægrotantes colligerent, ne de nocte per uias reperti iugularentur: & in eodem loco congregatis, de reliquijs fragmentorum utriusque monasterij, tam uirorum quàm mulierum, ad quotidianā sustentationem qualem qualem, aliquid ministraret. Erexerunt etiā in eodē loco altare in honore beati Ioannis Eleymon. Hic uir Deo placens, & per omnia cōmendabilis, natione fuit Cyprius. tandem suffragantibus meritis, factus est Alexandrinus Patriarcha, uir in operibus pietatis singulariter excellens, cuius pia studia & liberales eleemosynas in perpetuum enarrabit omnis ecclesia sanctorū. Vnde à sanctis patribus uocatus est Eleymon, quod interpretatū misericors. Huic autem loco uenerabili, quod ita charitatiuè se porrigebat ad homines, neque redditus erant, neque possessiones, sed prædicti Amalphitani annis singulis, tam qui domi erant, quàm qui negotiationes sequebantur, collecta inter se quasi per symbolum pecunia, per eos qui Hierosolymam proficiscebantur,

Abbati

Abbati qui pro tempore ibi erat, offerebant, ut inde fratribus & sororibus ad uictum & tegimen prouideretur, et de residuo fieret aducnientibus Christicolis in xenodochio aliqua misericordia. Ita ergo per multorũ annorum curricula, quousq; placuit summo rerum opifici, ciuitatem illam, quàm proprio cruore mundauerat, à superstitionibus gentilibus purgare, sub ijs conditionibus mansit locus ille. Adueniente nanq; Christiano populo, & principibus à Deo protectis, quibus regnum illud Saluator tradi uoluit, in monasterio fœminarum inuenta est Abbatissæ fungens officio, quędam Deo deuota & sancta mulier, Agnes nomine, nobilis secundum carnẽ, natione Romana. Quæ etiam postquã ciuitas est restituta fidei Christianæ, per aliquot uixit annos. Et in xenodochio similiter repertus est quidam Gerardus, uir probatę conuersationis, qui pauperibus in eodem loco tempore hostilitatis, de mandato Abbatis et monachorum, multo tempore deuotè seruierat: cui postea successit Raymundus iste, de quo nobis sermo est in præsenti.

Dominus Patriarcha cum plurima parte episcoporum Orientalium, Romam proficiscitur, ad Hadrianum Papam. *Caput VI.*

SIc ergo de tam modico incrementum habentes, prędictæ domus fratres, prius à iurisdictione se subtraxerunt Abbatis: deinde multiplicatis in immensum diuitijs, per ecclesiam Romanã à manu & potestate domini Patriarchæ sunt emancipati: qua perniciosa libertate impetrata, nullam prorsus ecclesiarum Prælatis deinceps exhibẽtes reuerentiam, decimas sibi ex quibuscunq; prædijs à se, quocunq; iure deuolutis, penitus negant. Hoc exemplo multa de ijs locis, quæ dicuntur uenerabilia tam monasteria quàm xenodochia, quibus ecclesiæ de mera liberalitate & solitæ pietatis officio prima præstiterunt fundamina, et ad optata perduxerunt incrementa, tandem ex adipe recalcitrãtes, ab uberibus piæ matris, quibus ab initio quasi modò geniti infantes lacte pasti, et solido pro tempore cibo saginati diuisi sunt, ita ut meritò de eis conqueri possit ecclesia: Filios enutriui & exaltaui, & ipsi spreuerunt me. Parcat eis Dominus, & ad cor redire concedat, ut matri suæ, quam dereliquerunt, discant seruire in timore, & illi etiam amplius indulgeat. qui cum haberet centum oues, unicam uidit pauperis, & inuidit. cui à Domino dicitur: Occidisti, & possedisti. Ve illi, quicunq; sit ille: quia iuxta iudicium Prophetæ, uir sanguinum est. Postquam ergo sæpe ac sæpius, tam dominus Patriarcha, quàm reliqui ecclesiarum prelati, apud eosdem fratres sua iura reposcendo non proficiebãt, ut pręmisimus, ad Romani pontificis hinc inde processum est auditorium. Assumens ergo dominus Patriarcha sibi, licet longæuus esset, & ferè centenarius, de ecclesiarum Prælatis, dominum Tyrensem Archiepiscopum, & de suffraganeis eius dominum Fridericum Acconẽsem episcopum, dominum Almaricum Sydoniensem episcopũ, dominũq; Balduinum Cęsariensem episcopum, dominum Renerum Sebastenum episcopum, dominum Herbertum Tiberiadensem episcopum, uernalis temporis gratia respirante, cum primum mare flatibus exagitatum hybernis, spirante Fauonio, cœpit se reddere placabilius, iter aggressi, auctore Domino, Hydruntum Apuliæ urbem maritimam prospero cursu attigerunt.

Imperator Constantinopolitanus, consentiente domino Papa, Apuliam inuadit. dominus Patriarcha cum suis ad Curiam peruenit. Caput VII.

INterea dum pontifices Orientis, unà cum D. Patriarcha, fines attigissent Apuliæ, ut præmisimus, Constantinopolitanus Imperator, uerbum D. Papæ prosecutus, immissis de principibus suis cum infinita pecunia, cõsentientibus eis illarum partium proceribus, regionem uiolenter inuaserant, ita ut postquã D. Patriarcha cum suis ab Hydrunte usq; Brundusiũ peruenisset, domini Imperatoris familia, urbem prædictã, tradentibus eam ciuibus, iam recepisset in suã: solo præsidio ciuitatis in quo pauci erant, in fidelitate D. Regis perseuerante. Comes quoq; Robertus, de quo superius fecimus mentionem, cum ijs qui partes suas, tam regis odio, quàm eius gratia sequebantur, Tarentum, Barum, egregias metropoles, & omnem maritimam regionem usq; ad regni terminos uiolẽter occupauerat. Prædicti uerò magni & incliti uiri, Robertus princeps Capuanus, & Comes Andreas, uniuersam Campaniam, quæ uulgari appellatione dicitur Terra Laboris, usq; Salernũ, & usq; Neapolim, & usq; sanctum Germanum, sibi uendicauerãt: eratq; tota regio in tanto motu, ut nusquam quies, nusquã securitas esset, transire uolentibus. Romanorũ etiã Imperator, dominus Fridericus, circa partes Amonitanas cum exercitibus suis moram faciẽs, tantam in legionibus, quas in Italiam introduxerat, cladẽ patiebatur, ut deficientibus maioribus & nobilioribus imperij principibus, uix decimus quisq; superesset. unde eos qui supererant, ad propria redire uolentes, cohibere non ualens, ipse quoq; ad reditũ, licet inuitus, accingebatur. Multa enim supererant negotia, & maximè cõtra eundem Siculum regem, quæ eius exigebant præsentiã. Dominus porrò Patriarcha cum suis consortibus itineris anxiè deliberabat, qua uia ad D. Papam in tanto tumultu posset accedere. undiq; enim prælia, undiq; seditiones, omnem uidebãtur aditum præclusisse. Ansquetinus quoq; quidã regis Siciliæ Cancellarius, urbem obsedit Beneuentanam, nuncijs domini Patriarchæ, qui ad hoc missi fuerant, ut ei à prædicto Cancellario ducatum implorarent, omnino negans per partes illas transitum, quæ tamen uia multò cæteris erat compendiosior. Tandemq; habito quorundam prudentũ consilio, uiam maritimam secutus, cum omni comitatu suo Anconã peruenit. Missis inde ex latere suo quibusdam episcopis, qui dominum Imperatorem Romanorũ, iam ut diximus ad propria redeuntem, uerbis eius salutarẽt, & pro negotijs eius ad dominum Papam literas obtinerent Imperiales: quod & factum est. licet ipse urbem Senogallias & Pisaurum iam pertransijsset, pro redeundo sollicitus. At uero D. Patriarcha cum suo comitatu Romam uersus iter dirigẽs, dominum Papam à ciuitate Narniensi egressum, quasi fugientem prosequebatur. Tandem Romã ueniẽs, ibiq; per dies aliquot facta mora, cum ei nunciatum esset, apud urbem Ferentinã D. Papã gressum fixisse, illuc incunctãter properat, ut de negotio pro quo uenerat, experiri tentaret. Dicebant quidã, D. Papam, ut eum tædio afficeret, & grauaret sumptibus, eum studiosè declinare. nam muneribus infinitis corruptus, in partem Hospitaliariorum, dicebatur se dedisse procliuem, qui iam ad eum multo antè præuenerant. Alij dicebant, urbis Beneuentanæ gratia, quæ obsidione claudebatur, ut

tur, ut diximus, cum tam maturato aduenisse itinere. Illud tamen erat euidens, fauorem suum & familiarium suorũ, hospitalarijs nimis indulsisse. Dominum uero Patriarchã cum suis quasi adulterinos filios, fastu quodam & indignatione à se repellere, quasi indignos.

Hadrianus Papa Beneuentum properat, dominus Patriarcha illuc festinat, proponit actiones, sed corrupta muneribus Curia iustitiam opprimit. Reuertitur infecto negotio Patriarcha. Caput VIII.

POstquam igitur ad prędictam urbem peruenit, obtulit se de more Apostolicis aspectibus. ubi & male receptus, et peius habitus, inuitis ex pluri ma parte Cardinalibus, certum de D. Papę mentis conceptu, & habitatione reportant argumentũ. Ille tamen quorundã prudentũ amicorum suorũ fretus consilio, totum hoc dissimulans, sicut homo seuerus erat, D. Papam frequentabat, diebus festis assiduus erat in cõsistorio, episcoporũ suorum coetu uenerabiliter circumseptus. cui etiã aduocatorũ turba, quoties opus erat, iugis adsistebat, officiũ adimplere parata. Data igitur utrisq; partibus audientia, cum iam per multos dies utrinq; inutiliter esset decertatum, uidẽs D. Patriarcha, & per quosdam familiares amicos suos intelligens, quod non proficeret, sumpta licentia, conditionem referens deteriorem, confusione indutus & reuerentia, aggressus est ad propria redire. De tanta autem Cardinalium turba, uix reperti sunt duo uel tres, dominus uidelicet Octauianus, dominus Ioannes de sancto Martino, qui eiusdem domini Patriarchę, dum esset Tyrensis Archiepiscopus, archidiaconus fuerat: qui Christum sequentes, eius ministrum in caussa sua piè uellent fouere. Alij omnes abeuntes post munera, secuti sunt uias Balaam, filij Bosor. Dominus uero Papa urgentibus eum curis domesticis, transcursa Campania Beneuentum peruenit. Interea Rex Siciliæ, dominus Vuilhelmus, audiens, & crebris edoctus legationibus, quod in partibus Apuliæ, Comes Robertus de Bassauilla, unà cum Græcis regionem occupassent uiolenter, in Campania uerò princeps Capuanus, & Comes Andreas latè sua diffunderẽt imperia, dominus quoque Papa in Beneuentum se receperat, unde omnibus prædictis uires & animos ministrabat, congregatis ex uniuersa Sicilia & Calabria militaribus copijs, cum ingentibus expeditionibus in Apuliam peruenit. Vbi statim circa Brundusium, fugiente Comite Roberto, primo marte fudit Gręcorum copias: & attrito penitus eorùm exercitu, duces eorum captos, uinculis mancipauit. Gazas quoq;, quas intulerant ualde multiplices, suis intulit tam potẽter quàm fœliciter ærarijs: inde recepta uniuersa regione, quæ ab eo defecerat, & populis gratia restituta, Beneuentum obsidet: ubi tantis tam dominum Papam, cum suis Cardinalibus, quàm ciues uniuersos affecit molestijs, ut et uictus deficeret, et de salute redderet ualde sollicitos: ubi nuncijs interuenientibus, conditionibus occultis, reformata est pax inter eos, exclusis omnibus illis à fœdere, qui domini Papæ suasionibus, tantis se laboribus immerserunt & periculis. Vidẽtes ergo prædicti nobiles uiri, quod contra spẽ accidisset eis, & quod D. Papa, non obtenta eis domini Regis gratia, pacem sibi & Romanæ ecclesiæ, illis exclusis fecerat, solliciti, anxij pro se, coeperunt disquirere, quo'nam pacto possent sanos & incolumes extra regnũ se facere.

Comes

Comes itaque Robertus, et Andreas, cum quibusdam alijs nobilibus uiris in Lombardiam properantes, ad dominum Imperatorem se cōtulerunt. Princeps uerò Capuanus, cæteris infœlicior, dum Garilianū nauigio transire parat, à suis uectoribus, cum suos iamiam transituros expectaret, captus est, & regis fidelibus traditus, in Siciliam deductus est, ubi continuo carcere & cæcitate uiolenter inducta, miserabiliter uitam finiuit.

In Aegypto tumultus excitatur ciuilis: fugit Soldanus ab eis, & occiditur à nostris: capitur eius filius Nosceradinus. Caput IX.

PEr idem tempus regno Hierosolymorum satis prosperè per Dei misericordiam se habente, contigit regiones ei adiacētes ex utroque latere, quasi inopinatò mirabiliter concuti. Nam Aegyptiorum quidam potentissimus, Soldanatus agens officium, dominum regionis, Calypham uidelicet, quem Aegyptij pro summo numine colere solent & uenerari, accedens ad eum familiariter, tanquā negotiorum eius domesticus procurator, in secretiore palatij cubiculo fraudulenter occidit: hoc autem dicitur ea intentione fecisse, ut filium suum, Nosceradinum in Calypham erigeret, et in regni administratione filio præsidente, sine cura & sollicitudine perseueraret. Arbitratus est autem, per dies aliquot rem posse occultari, quousque recepto palatio maiore, & thesauris occupatis ex integro, cœtuque amicorum & familiarium conuocato, uolētibus ei quod egerat ad mortem imputare, resistere posset. Sed res longe aliter accidit. Nam modico interiecto tempore scelus commissum innotuit, & omnis populus à maximo usque ad minimum tanquā uir unus conuueniens, domum illius, in quam se perpetrato homicidio contulerat, undique uallantes, unà ad pœnas uirum sanguinum exigunt, qui domino regionis ausu nephario mortem intulerat. Dumque instant proteruius, uidens aliam salutis non superesse uiam, thesauros aperiens, aurum, gemmas, & quæcunque habebat desiderabilia per fenestras proijcit uociferanti populo: ut dū in colligendo esset sollicitior, ipse quocūque modo ad iter se prępararet. Quid plura? Egressus cum honesto filiorum ac nepotū comitatu, inuitis eis qui eum obsederant, iter arripit uersus solitudinem, Damascū ut dicebatur profecturus: illi autem nihilo segnius eum insectantes, impedire laborabant. At uerò filius eius primogenitus, & alij de familia uiri prudentes, & in armis strennui, eos à se longius arcentes, sustinebāt impetus, et ad suos propius accedere nō permittebant. Interdum & uasa aurea siue argentea, uestesque preciosas & holosericas æstimationis non modicè, post se relinquebāt ex industria, ut eis properantibus moras innecterent, & pro diuidendis quæ colligebāt, materiam inferrent contentionis. Tandem uidentes Aegyptij se nō posse proficere, infecto negotio, domum sunt reuersi: ille uerò profectus, dum fatorum se ereptum putat insidijs, dum securo graditur itinere, nihil superesse difficultatis arbitrans, dum Scyllā fugit, decidit in Charybdim. Nostri enim audito eius transitu, casu præstruentes insidias, in eis more nocere uolentium, absque strepitu latebant. ille ex improuiso in prædictas irruens insidias, primis congressionibus est confossus letaliter, ibique statim gladio uitam finiuit. Erat autem nobili uiro nomē Habeis, filius uerò eius Nosceradinus, & omnis omnino familia & uniuersæ illæ diuitiæ, quas secum ex Aegypto detulerāt, in manus hostium

hostiū tradita sunt. Sic ergo opimis spolĳs onusti, & qualia orbis noster prius nō audierat, prędā more solito diuidentes, ad propria sunt reuersi. Accidit aūt, quod inter cæteros qui eidem negotio interfuerāt, fratres Militiæ Templi plures habuerunt milites, & potiores reportauerant pro numero militū manubiarum & prędæ portiones. Cecidit enim eis in sortē præter cætera in funiculo distributionis, prędicti nobilis uiri filius Noseradinus, uir audacissimus, rei militaris singularem apud Aegyptios habens experientiam. cuius etiam nomen populis illius regionis est formidabile, aspectus uerò terrorem incutiens, sine consolatione. Hunc porrò, cum diebus multis prędicti fratres habuissent in uinculis, & auidissimè petens in Christo regenerari, literas iam didicisset Romanas, prima fidei Christianę rudimēta edoctus, pro sexaginta milibus aureorum Aegyptĳs eum ad mortem postulantibus uendiderunt. Traditū aūt uinctū manib. & pedibus, cathenis ferreis in cauea ferrea camelis imponentes, in Aegyptū deduxerūt. ubi inhumanis desiderĳs suis satisfacientes, eum mordicus decerpentes, in frusta minutissima conciderunt.

Princeps Raynaldus insulam Cypri occupat, & eius habitatores spoliat uiolenter. Caput X.

ANno sequēte idem Raynaldus de Castellione, princeps Antiochenus, consilio peruersorum, quorum maximè studio regebat, piaculare iterū cōmittens flagitium, Cyprum insulā nobilissimā, populis refertā fidelibus, regno nostro utilem, & amicā semper, immissis hostiliter legionib. uiolenter occupauit. Causa autem huius tam abominandę inuasionis uidebat hęc esse. In partibus Cilicię circa Tarsum erat quidā nobilis & potentissimus Armenius, nomine Thoros: qui domini Imperatoris gratiam, eius efficiente inconstantia, frequentius demerebatur, & incurrebat offensam. Confisus enim de eo quod ab imperio remotus erat plurimum, & quod in montib. arduis habebat domicilium, per plana Ciliciæ prædam agebat & manubias, non ueritus iram domini sui, modis quibus poterat damnificare, & imperĳ fidelibus cuiuscunq; conditionis graues & indebitas inferre molestias. Audiens hoc Imperator, scripsit prędicto Raynaldo, quatenus conuocata militia, prædictum Thoros à suis arceret finibus, & Cilicum sibi subiectorum possessiones ab eius incursionibus redderet securas. quod si ad opus cōplendum pecunia esset necessaria, ipse de thesauris suis tempore opportuno mitteret sufficientē. Factū est ergo, quod cōgregatis militarib. copĳs, ut imperialib. deseruiret mandatis, in Ciliciā ingressus, prędictū Thoros expulit, exercitumq; eius usq; ad supremā internecionē deleuit. Expectās ergo honestā Raynaldus pro tanto facto retributionē, uidebat ei differri plurimū: unde moræ impatiens, ad prędictū maleficiū conuolauit. Erant aūt insulani à quibusdā de nostris diligenter præmoniti: unde & de tota insula uires contraxerant quales quales. sed ingrediēs prędictus princeps, eorū statim fudit exercitū, et uniuersas earū attriuit copias, ut deinceps nec unus inueniret, qui contra eum manū auderet erigere. Habens igit liberos per totam insulā discursus, urbes contriuit, deiecit oppida, monasteria tam uirorū q̄ fœminarū impudenter cōfregit, expositis ludibrio sanctimonialibus & uirginibus tenellis. nam auri & argenti, & uestiū preciosarū nō erat numerus, neq; finis: sed amittendi hęc populo, comparatione læsę pudicitiæ, quasi stercora reputabant. Sic ergo per dies aliquot

O per

per totã debacchantes regionẽ, dum nõ esset qui resisteret, ętati nõ parcũt, uel sexui, conditionũ quoque nullã habẽtes differentiã. Tandẽ comportatis undecunque spolijs & manubiarũ infinitate omnimodarũ, ad mare se recipiunt, & inde pręparatis nauigijs, in partes descenderunt Antiochenas, profligatis intra modicum tempus quas malè acquisierant diuitijs: iuxta id quod prouerbialiter dici solet, Non habet euentus sordida præda bonos.

Rex contra pacta & pacis fœdus quod cum eis pepigerat, Turcos & Arabes in sylua capit Paneadense. Caput XL.

PEr idem tempus conuenerat præter solitũ multitudo inaudita Arabũ & Turcomannorum, qui nihilominus in tentorijs habitãt, & de fructu animalium solent, sicut Arabes, uitam propagare, in sylua quæ Paneadensi adiacet ciuitati, et ab ea hodie cognomen ducit uulgare: nam antiquitus, tam quę ad Septentrionem, quàm quę ad Austrum protenditur, quæque ipsum Libanum protegit, omnis sylua Saltus Libani dicebatur. unde & de Salomone legitur, quod in ea sumptuosi operis & mirabilis ędificij domum construxit, quæ dicta est domus saltus Libani. Nunc autem ab urbe (ut prædiximus) proxima sylua cognominatur uniuersa. In hanc prænominati populi, impetrata tamen prius regis gratia, & pace solenniter concessa, animalia introduxerant, equosque maximè, ad numerum infinitum, pascuorũ sequentes cõmoditatem. Accesserũt porrò ad dominũ Regem uiri impii, filii Belial, Domini timorem præ oculis non habentes, suggesseruntque ei, & in militia sua facilius inuoluerunt persuadẽtes, ut prodigus fidei, & immemor fœderis, quod cum eis pepigerat, subitò in prædictos uiros, qui pabulandi gratia tam greges in syluam, quàm armẽta introduxerant, irruptionem faceret: & tam eos, quàm sua pecualia, suis daret in prædã. quod & factum est. Rex enĩ ære grauatus alieno, & multis obligatus debitis, cum non haberet unde creditoribus satisfacere posset, procliuius ad hoc, ut quocũque modo se expediret, patulam prauis incentoribus aurẽ prębuit, & eorum acquieuit suggestionibus. nam post consilium abiens impiorum, cõuocata militia, repentè irruit super eos, incautosque, & nihil tale uerentes, reperiens, hostiliter circa eos uersatus, suis exposuit in direptionem: qui enim ex eis aut equorũ usi uelocitate, fuga saluti consulere potuerunt, aut syluarum latebris hostem declinare, ipsa necessitate docente, satagerunt, uitæ reseruati sunt: reliquis omnibus aut occisis gladio, aut duræ seruituti mancipatis. Facta est igitur manubiarũ & prędæ tanta, etiam inaudita multitudo, ut par ei in nostris regionibus non dicatur fuisse. Cuiuis de popularib. & de plebeis equorũ in sortem cciderat numerus maximus. nec tamen nostris ad aliquem gloriæ uel laudis titulũ adscribi potest, cum pacis uiolatores & effractores fœderis, homines incautos, de Regis gratia pręsumentes, dum nõ esset qui eis resisteret, malè pro arbitrio tractauerunt. Sed iustus retributor, Dominus Deus ultionum, non diu passus est nos tam turpibus emolumentis lętari: sed significans, quod etiam infidelibus fidei tenor obseruandus sit illibatus, in nostram confusionem, & commissi criminis pœnam, adducens cum eo ultionem, pro omnibus peccatis nostris reddidit duplicia, & multiplicato fœnore, intulit confusionem, sicuti in sequentibus dicetur.

Hemfredus Constabularius urbem Pancadensem pro parte dimidia, hospitalarijs concedit: capitur à Noradino subsidium quod inferebatur, & ciuitas obsidetur. Caput XII.

Nihilominus etiam per eosdem dies, Hemfredus de Torono, regis Constabularius, cum sæpedictam urbem Pancadensem, quæ eius hæreditaria erat possessio, sumptibus & cura cõtinua fatigatus, iam solus cõmodè regere & conseruare nõ posset, de consensu D. Regis, cum fratribus hospitalis ex æquo diuidit, ita ut totius ciuitatis & suburbanorũ omnium fratres prædicti habentes dimidiã, impensas tam utiles quàm necessarias ex dimidio ministrarent ciuitatis pro parte altera debitam gerẽtes sollicitudinem. Erat autem ciuitas in confinio hostium posita, eisq; ualde contermina, ita ut alicui nisi in manu forti, aut clandestino nimis itinere accedenti, accessus uel discessus non posset esse, nisi cum periculo. Factum est autem, postquam prædicti fratres ciuitatem suam pro parte receperant, ut congregatis alimentorum, armorum, uirorum copijs, locum certa die diligentius communire curarent: collectoq; maximo & ad propositũ sufficiente camelorum, & omnimodarum animalium ad sarcinas deputandorũ comitatu, simul & militia, quæ omnem illam expeditionem uiolenter in urbem introduceret, ad locum accedebant, urbẽ ad multa tempora sequentia necessarijs cõmunituri. Dumq; proficiscendo cum omnibus impedimentis suis urbi appropinquarent, ecce hostes eorum aduentu præcognito, eis occurrentes, instantes gladijs, cæsis ex eis quàm pluribus, agmen dissoluunt, cæteris autem fuga uitæ consulentibus, sarcinas occupant: qui effugere nequeunt, hostium instantia præuenti, aut gladijs aut uinculis mancipantur. Sic quæ pro instruenda ciuitate congesta fuerant, in eius læsionem hostibus sunt concessa. Sæpe autem nominati fratres, similium casuum formidantes dispendia, à pactis resilientes prius placitis, urbem cum suis tam hominibus quàm emolumentis, domino Constabulario resignauerunt. Nec mora, sumpta ex tempore opportunitate, Noradinus ex prędicto successu factus elatior, apposuit eandem urbem casu prædicto consternatam obsidere: conuocataq; militia, & machinis comportatis, ex improuiso ante urbem consistens, locatis agminibus per gyrum, eam uallat obsidione. Erat autem in parte ciuitatis præsidium, munitum admodum, armis, uiris, & pro temporis articulo uictualibus: in quo poterat esse ciuibus secundum capta urbe refugiũ. Tamen præsumentes de ciuitatis munitione, & quod similia sæpius fuerant in ea perpessi, urbem tueri, atq; pro ea uiriliter stare decreuerant: potuissentq; uoces cõsonæ, eam conseruasse in temeratam, nisi de se præsumentes, cœpissent incautius negotiari. At uerò Noradinus machinis & tormentis instans iaculatorijs, sagittariorũ quoq; continua et indeficiente utens opera, obsessis requiem negat, & fatigatos multipliciter diù noctuq; sine intermissione cõpellit ad defectum. Interemptis enim pluribus, saucijs quoq; letaliter nonnullis, pauci erant, qui defensionis officium exequerentur. quod nisi ipse Constabularius cum filio paternæ probitatis æmulatore præcipuo, quorũ uterq; tanquã pro hęreditate propria familiarius & certatim stare parati, alios suo exemplo ad resistẽdum animarent, laboris immensitate superati, & impugnantium uiribus impares

cem milia à dextris tuis: plures enim acti prosperis, & successibus elati, solent in præceps ruere: è contrario uerò dispendijs & aduersis casibus fatigati, pro prijs edocti periculis, didicerunt se in dubiis habere circumspectius, & semper timere fortunam, quam sæpius experti sunt in suis negotiis amaram. Rex igitur mente recolens, quod tantum principem ab impugnatione urbis obsessæ dimouerat, ratusq; eum cum suis expeditionibus longius abesse, nec facilè in suam aut suorum iniuriam iterũ tot nationes in unum conuenire posse arbitratus, imprudentius aliquantulum, & pro singulorum arbitrio indulgentius cœpit se (ut prædiximus) habere. Nunciatur porrò hostibus in insidiis cõmorantibus, quod dimissis pedestribus alis domini Regis exercitus, circa lacũ Melcha securè nimis, & imprudentius se haberet: quodq; de principibus eius nonnulli, Philippus uidelicet Neapolitanus, & quidam alii cum suis comitatibus discessissent: uidentes rem pro uoto accidere, castra mouent subitò, & eorum prudentissimo principe rem (prout expedire nouerat) accelerante, ad partes illas contẽdunt, & ad Iordanem, qui medius erat inter eos, usq; perueniunt: quo transito, in eo loco qui uulgari appellatione uadum Iacob appellatur, cis Iordanẽ, quà regius exercitus crastina die transiturus erat, se locant in insidiis. At uerò luce terris reddita, iterum ad proficiscendum noster exercitus, nocturnarum insidiarum nescius, ex eorum quæ ab hostibus interim præstructa fuerant ignarus, uersus eas partes quas Turci clàm occupauerãt, iter arripiunt: dumq; securi, & nihil prorsus sinistri formidãtes proficiscunt, ecce subitò ex insidiis prodeunt, qui ad hoc specialiter conuenerãt, ut incautos aggrederent: securisq;, & nihil tale uerentibus, strictis se offerunt gladijs, more hostiũ uulnera & mortẽ ministraturi. Nostri porrò, licet serò, expergefacti, dimissis confabulationibus, uidentes rem agi ferro, equos armaq; corripiunt: sed antequam ad resistendum præparari & conuenire possent ex ordine, dissoluta sunt (hostibus importunè instantibus, & gladijs cominus strenuè decertantibus) agmina, ita ut nusquam de nostris nisi paucissimi cohærerent.

Rex apud castrum Saphet fugiens, de prælio se recipit. prosternitur exercitus: & de principibus plurimi capiuntur. Caput XIIII.

REx autem cum paucis qui ei adhæserunt, uidens acies dissolutas, confusum exercitũ undiq; hostib. patere ad prædã, hostes undiq; inualescere, nostros uerò iam deficere, se ab initio potius defecisse: ut saluti consulat, prudenter subijt in montẽ qui uicinus erat: unde cũ summis periculis hostes nũc à dextris, nũc sinistris, equi cui insidebat beneficio, declinãs, in castrũ cui Saphet nomen, quod in eodẽ monte situ erat, uix & cũ multa difficultate se recepit. Capta est illa die de principib. nostris maxima multitudo, cęsi uerò pauci. nam omnes indifferenter tã qui rei militaris dicebant habere prudentiã, et usum pręcipuũ, quàm gregarij, hostib. tanq; uilia mancipia, ignominiosę seruitutis iugũ, et perpetuę infamię notã nõ abhorrẽtes, ut miserę uitę cõsulerẽt, sine cõtradictione se tradebãt. Captus est inter cæteros ibi uir nobilis & inclytus, D. Hugo de Hybelim: Oddo quoque de sancto Amando, regius Marescalcus, Ioannes Gotmannus, Rohardus Ioppensis, & Balianus frater eius. Bertrandus de Blanquefort, magister Militię templi, uir religiosus, ac timens

Deum:& alij multi,quorum nomina nō tenemus.Refudit nobis Dominus iuxta meritum uiarum nostrarū fructum,& qui innocētes & de nostra præsumētes fide,spretis humanitatis legibus,oppresseramus indebitè, æqua lance pensam reportauimus confusionē.Dati sunt enim inclyti uiri nostri,gentibus in opprobriū,& hostium expositi ludibrio, peccatis nostris exigētibus. Traditi sunt in commotionem capitis in populis,zelus Domini exercituum fecit hęc.Benè tamen,& misericorditer,nō oblitus miseri, nec cōtinens in ira misericordias suas,nobiscum fecit:prouidens,ut regem saluum faceret:qui si illa die defecisset,regnum omne proculdubiò in supremū, quod Deus auertit,descendisset periculum.In milite enim quātumuis eximio, unius sors est: in rege uerò,multorū periculum. quod satis attendit diligenter,qui pro rege sollicitus erat,Dauid fidelis, dicens:Dn̄e saluum fac regē.Rumor interim de rege uarius longè lateq; regionē pro eo sollicitā afficiebat,dicentib.alijs,quia gladijs confossus interierat:alijs,quod inter cōcaptiuos uinctus, hostibus id ignorantibus abductus erat:alijs,quod Diuina cum protegente clementia, illęsum bellicis tumultibus sese subduxerat.Anxiè ergo nimis,et quasi mater unicum habēs filium, piā pro eo gerit plebs uniuersa sollicitudinem.Et dum ignorat quid circa eum geratur, quicquid deterius accidere potest, se eùm passum affectuosissimè cōpatiens suspicatur. Ipse uerò, regione ab hostibus aliquantulum expedita,cum paucis admodū, qui cum eo in prædictum oppidum se contulerant, adiunctis sibi nōnullis qui casu de hesternis periculis euaserant,ad Acconensem properans urbem, cum plausu populi & exultatione nō modica,quasi rediuiuus exceptus est.Factū est hoc anno regni Domini Balduini quartodecimo,mense Iunio,tertiodecimo Calend.Iulij.

Noradinus iterum Paneadem obsidet,sed rege rursum occurrente non proficit. Caput XV.

NOradinus uerò, sicut erat uir strennuus,& successus suos cōtinuare impiger,transcursis uniuersis regionibus,& prædis hincinde cōportatis, factus locupletior, iterum militaribus copijs & lege edictali,ex Damasco & omnibus finibus eius,accitis amplioribus,adijcit iterum, ut Paneadem obsideret:nihilminus suspicās,q; quod per regem uel eius principes, quorum uires attriuerat,obsessis ministraretur subsidium. Locata igitur secundū propositum circa sæpe dictam urbem obsidione,more iterum hostili, machinis frequentibus,& ordine congruo dispositis,turres cōcutit, mœnia debilitat, & crebra sagittariorum opera, & telorum instar grandinis immissione, eos qui se intus receperant, uires prohibet exercere resistentis. Ciues autem loci illius,memores, quomodo in proximè præterita obsidione, ciuitatem tueri cupientes,in proposito defecerant,simile quid præuenire cupientes, in præsidium sponte se receperant uniuersi. Præfecerat autem eidem loco, & curam supremam tradiderat, Constabularius abiens, & alijs tractus negotijs,cuidam consanguineo suo, Guidoni uidelicet de Scandalione, rei militaris experientissimo:sed modicæ fidei,& prorsus Deum ignorāte. Is cùm mandantis intuitu,tum prætextu propriæ existimationis,ne quos in rebus bellicis egregiè gestis titulos obfuscaret, uerbo simul & exemplo alios ad resistēdum animabat, nec defuturum in proximo subsidiū, & perennem gloriam benè meren-

merentibus, certius promittēs: unde erat, quod omnes quasi pro re propria dimicantes, stupendos se, & admirabiles, pro indeficientibus uigilijs & continuis laboribus, hostibus darent. Qui nihilominus, omnino resistentibus, omnino aduersari parati, sine intermissione molestias inferūt: & maiores habentes numeros, qui alternatim sibi succedere præcipiebantur, eos qui unde uires repararent, pœnitus non habebant, ad defectum, anxietatibus quotidianis compellebant. Nunciatur interea domino Regi, sed & principes qui residui erant in regno non latebat, quātis anxietatibus, qui in ciuitate obsessi erant, premerentur: unde missis legationibus tam ad principem Antiochenum, quàm ad Tripolitanum Comitem, ut mora postposita ad subueniendum maturarent: Rex uerò, quod residuum militiæ in regno erat, missis conuocat præconibus: & accidit diuinitate propitia, ut intra paucos dies, & expectato citius, uterque prędictorum Illustrium, cum honesto comitatu, regijs se castris, sub castello nouo, in loco qui dicitur Nigra guarda, unde ciuitatem obsessam erat comminus intueri, se intulerint. Audiens ergo Noradinus, quod principes prædicti cum rege conuenerant, & in procinctu erant, ut ad urbem accederent: sicut uir prouidus erat, & in negotijs suis circumspectissimus, licet oppidum iam ex partibus pluribus effregisset, et iam obsessis nulla spes esset resistendi, tamen bellorum declinans insidias, & casus præliorum ancipites, obsidione soluta, in ulteriores sui regni partes se contulit.

Comes Flandrensium Theodoricus applicat: mittuntur nuncij Constantinopolim, qui domino Regi uxorem petant. Caput XVI.

DVm hæc in regno ita uariè multipliciterque geruntur, & captiuatis nostris ex maxima parte principibus, regnum in desolatione iaceret: accidit, diuina nos respiciente clementia, Comitem Flandrensium, D. Theodoricum, inclytum & magnificum uirum, cuius introitus in regno sępe fuerat utilis & necessarius, cum uxore Sibylla, quæ domini Regis ex patre soror erat, in portu Berythensium applicuisse. cuius aduentum, tanta mentis exultatione uniuersus suscepit populus, ut iam quasi præsagire uideretur, regni pressuras importabiles, eius & suorum introitu, ex parte plurima, releuandas fore: nec fraudati sunt à desiderio suo, qui pro regni tranquillitate erant piè solliciti. Nam statim post eius ingressum, adfuit magni consilij angelus, qui nostrorum uias dirigens, ad regni compendia, & Christiani gloriam nominis, eos misericorditer præcessit: sicut consequenter dicetur. Interea tamen uidentes regni principes, tam ecclesiastici quàm seculares, quod Rex uirilem iam nactus ætatem, sine coniuge hactenus fuerat: & pro liberis solliciti erant, prout oportebat, ut ei filius tanquam hæres legitimus in regnum succederet: & consulebant in medium, ut regi liberos non habenti, honesto matrimonio prouideretur. Tandem post deliberationum partes, multiplici concurrente ratione, uisum est omnibus expedientius esse, cum domino Constātinopolitano Imperatore, super huiusmodi negotio uerbum tentare: tum quia nobilium uirginum & proxima consanguinitate iunctarū, in palatio suo non deerat ei copia: tū quia princeps potentissimus, & inter mortales locupletior, de suis copijs, nostrā qua regnū maximè laborabat, poterat releuare inopiā, & tenuitatē mutata conditione reddere superabundantem.

Missi sunt ergo de communi consensu, ad explendū auctore Domino, quod conceperant, D. Aitardus Nazarenus episcopus, dominus quoq; Hemfredus de Torono, regis Cōstabularius: qui dispositis pro tempore rebus, mare ingressi, nauigio illuc iter arripuerunt.

Rex cum uniuersis regni uiribus & Comite Flandrensium Antiochiam properat. Noradinus desperatam incurrit ægritudinem. Caput XVII.

INterea ne tanti principis, totiq; nobiliū fortium qui cum eo uenerant, desses & sine fructu iaceret aduentus, adijciunt de cōmuni cōsilio, diuina eis aspirante gratia, cum omnibus militaribus copijs ad partes se transferre Antiochenas: significatoq; eo ipso, tam D. Principi, quàm domino Comiti Tripolitano, suggeritur utriq; familiarius, ut certa die habeat uterq; eorū militiā, ut subitus in terras hostiū, die cōdicta, eorum possit esse introitus. Factū est aūt, præuio cœlesti fauore, quod in Tripolitanis partibus, in eo loco qui uulgo appellat̃ La Loquea, licet ex partib. diuersis, cōuenerunt unanimes. Inde hostiū fines ordinatis agminibus uiolēter sunt ingressi: sed tamē prima fronte, non multo læti sunt successu. nam hostiū oppidū, cui uulgari appellatione, Castrum rugiū, nomen, multa expugnantes instantia, pœnitus nō profecerunt. Sed debile principium melior fortuna sequuta est. suggerēte enim D. Raynaldo Antiochenorū principe, & ad id obtinendū plurimū pro uiribus elaborante, uniuersi principes qui conuenerant, cum suis expeditionibus ad partes Antiochenas auspicijs se dirigunt fœlicioribus. Quò cū peruenissent, eis in ciuitate prædicta, dū deliberāt quid pro tempore sit expedientius, moram facientibus: ecce gratissimi rumoris nuncius, Regē adit, et principes, certo certius afferēs, quòd Noradinus hostium nostrorū potentissimus, qui iuxta castrū Nepam cum multa militia castra locauerat, aut mortuus erat, aut incurabilem & desperatā inciderat ægritudinem. in argumentum aūt suę assertionis allegabat, quod pridie castra eius adeò turbata uiderat, ut seruos et maximè familiares, resq; domesticas passim & sine delectu diripere uolentibus, data esse ad prædā assereret: & cū eiulatu & fletu maximo, & cum intimi doloris euidentibus argumentis, soluta agmina, & confusum exercitū ad partes diuersas secessisse. Erat aūt uero consentaneum, quod prędictus nuncius attulerat. nam in ægritudinē deciderat desperatissimā, ita ut extra ordinem solutis agminibus, rapinæ impunè in exercitu fierent, & nullius cohiberentur uiolentia: sicut apud eos, defuncto domino, solet accidere. Ipse autem in lectica, quasi membra officium negantia, corpore impotens, per manus fidelium suorum usq; Alapiam delatus est. Comperto igitur nostri rerū statu, uidentesq; omnia ad propositū cooperari, cōmuni uoto, & approbato consilio, nuncios ad potentissimum Armeniorū principem D. Thoros dirigūt, rogantes intimè, & modis quibus possunt id persuadere laborātes, ut omni excusatione postposita, cū militaribus auxilijs, Antiochię cum eis adesse procuret, & tam fructuosi laboris tantis principibus se dignetur adhibere consortē. Ille uerò suscepta legatione gauisus, sicut uir impiger erat, et strennuus, conuocatis suorum ingentibus copijs, maturato itinere, Antiochiam peruenit: quo recepto, nostri gaudentes plurimū, eductis expeditionibus egressi, uersus Cæsaream castra dirigunt.

Obsidetur

Obsidetur Cæsara, & postmodum uiolenter effringitur. Caput XVIII.

EST autem Cæsara ciuitas, super Orontem fluuium, qui Antiochiam præterlabitur, sita: hanc uulgari appellatione quidam Cæsaream appellant, & putant eam esse, quæ est Cappadociæ metropolis eximia: cui beatus & egregius doctor præfuit Basilius. sed à uero, qui hoc credunt, exorbitāt. Nam prædicta metropolis ab Antiochia distat plusquàm itinere dierum quindecim, uel circa id. Hæc autem est in Syria, quæ ab alia prouincia est, à Cappadocia diœcesi multis medijs prouincijs disiuncta, nec Cæsarea dicitur, sed potius Cæsara, una de suffraganeis urbibus Antiocheni Patriarchatus. Est autem ciuitas satis commodè sita, cuius pars inferior in plano iacet, superior uerò in sui fastigio præsidium habet munitissimum, longum satis, sed angustum admodum. Cui ex altera parte ciuitas, ex altera fluuius, præter naturalem munitionem, robur præstant, & accessum reddunt imperuium. Ad quam nostri ordinatis iuxta rei militaris disciplinam agminibus, accedentes, urbem primo aduentu, locatis ordine congruo singularium principum agminibus obsidione claudunt. Obsessa igitur ciuitate, & ciuibus hostium metu intra urbem collectis, Rex, & qui de foris castra locauerant, locatis machinis et iaculatorijs instrumentis, urbem non cessant molestijs quibus possunt, opera continua & continuis laboribus fatigare: certant principes quisque pro sua portione, quæ ab initio sorte contigerat, suos inuitando, & pollicendo præmia, urbem uehemētius impugnare: dumq; certatim priores urbem effringere incipiunt, dum quisq; sibi palmam de prima irruptione quærit, tantam ciuibus inferunt molestiam, ut ex parte qualibet, mortem sibi arbitrarentur imminere. Erāt enim ciues loci illius rerum militarium expertes, negotiationi dantes operam præterea & pręsentis casus ignari, nihilominus unquam, quàm obsidionē formidabant, præsumentes & de domini sui, quē sospitem arbitrabantur, potentia, & de loci munitione. Erant ergo ad huius modi portanda onera, propter pręd icta impares, & assultus cōtinuos simul & martios congressus ferre non ualentes. Factum est igitur, ut post dies aliquot deficientibus omnino ciuibus, ad impugnantiū iugem instantiā, effractis mœnibus, irruerint nostri in urbem mediam: et capta uiolenter ciuitate, oppidanis in præsidium se recipientibus, tradita sunt eis quæcūq; in inferioris partis ciuitate erant residua, & omnia indifferenter sunt ad prædam concessa. Vsi ergo pro arbitrio & ciuiū domicilijs, & quæ in eis reperta sunt per dies aliquot, cum satis in expedito uiderēt esse: ut ei præsidium nihilominus cum omnibus qui euadendi gratia in illud se receperāt, si debita adhiberetur instātia, facilius occuparetur: orta est inter principes nostros, friuola satis, sed tamen multum noxia contentio. Dominus enī Rex, uolens patriæ saluti consulere, uidens quia dominus Comes Flandrēsium cùm militia, tum pecunia sufficienter instructus, locum poterat cōtra hostium uires & insidias indemnem conseruare, ei ciuitatem ab initio destinauerat: eaq; intentione & præsidium instantius impugnare, ut utrunq; receptum D. Comiti traderet conseruandum, & iure perpetuo hæreditario nihilominus possidendū assignaret. Hoc aūt cum cęteris principibus ualde uiderēt idoneum, & ad hoc gratuito unanimiter conuenirent consensu, princeps Raynaldus ambages intexuit, dicens:

dicens: urbem illam cum suis pertinentijs, ab initio hæreditatis Antiocheni principis portionem esse, ideoq; oportere, ut quicũq; eam possideat, Antiocheno principi fidelitatem exhibeat. Comes uerò supradictus, pro eadẽ possessione, domino Regi fidelitatem deuotè paratus erat exhibere: principi autem Antiocheno, siue D. Raynaldo, qui in præsenti administrabat principatum, siue adolescenti Boamundo, qui in proximo sperabatur princeps futurus, omnino se exhibiturum negabat: asserens, Se nunquã nisi regibus fidelitatem exhibuisse. Orta est ergo peccatis nostris exigẽtibus, super huiusmodi quæstione, inter principes controuersia, neglecto negotio quod utile plurimum, & ad obtinendum facilè imminebat: suffarcinati spolijs, & prę da usq; ad satietatem onusti, Antiochiam cum suis legionibus reuersi sunt.

Noradini frater ad nos transit. Hierosolymitanus Patriarcha Fulcherus moritur. Spelunca trans Iordanem nostris restituitur. Rex in partibus Antiochenis castrum Harenc obsidet, obsessum occupat. Caput XIX.

EOdem tempore Noradini frater, Myrmicam, audito fratris defectu, credensq; in fata cõcessisse, Alapiã peruenit, eamq; tradentibus ciuibus, sine difficultate obtinuit: dumq; circa præsidium uehemẽtius instaret ut ei traderetur, cognito, quia frater eius adhuc uiueret, solutis agminibus ab urbe discessit. Per idẽ tempus D. Fulcherus Hierosolymitanus Patriarcha, Latinorum octauus, religiosus ac timens Deum, Patriarchatus eius anno duodecimo, duodecimo Cal. Decembris, uiam uniuersę carnis ingressus est. Eodem nihilominus tẽpore studio & industria dñæ Melesendis reginę, & opera eorũ qui in regno residui erant, & maximè Balduini de insula, cui D. Rex abiẽs curam regni commiserat, sollicitudine & uigilantia receptũ est à nostris prę sidium trans Iordanẽ, in finibus Galaad situm, spelunca uidelicet munitissima, quam à nostris incautè se habẽtibus, paucis antè annis hostes fraudulenter surripuerant. Super quo missis ad dominũ Regem nuncijs uniuersas lætificauit cohortes, & audito successu, reddiderat hilariores. Interea principes nostri qui Antiochiæ demorabantur, etsi prius apud Cæsarem dissoni, ut præmisimus, inuenti fuerant, habentes tandem Domino largiente unanimitatem spiritus, in uinculo pacis iterum adijciũt se ad opus insigne aliquod & memoria dignum perpetua. Placuit enim omnibus, et de cõmuni processum est conniuentia, ut castrum urbi Antiochenæ uicinũ, uix ab ea distãs miliaribus duodecim, prędictæ urbi damnosum ualde, & cuius longa in suburbanis, quæ uulgo Casalia appellant, potestas & iurisdictio erat, obsiderẽt. Factumq; est, ut in die natiuitatis Dominicæ, uniuersus circa prædictum municipium unanimiter se locaret exercitus. Noradinus autem ea cum occupauerat adhuc detinebatur ægritudine, ita ut ex omni orientali tractu conuocati prudentiores physici, adhibitis remedijs quæ illius infirmitas minus exigere uidebatur, de uita eius desperarent penitus. Hoc nostris, fauorabili cœlestis numinis dispensatione, ad propositum maximè cooperari uidebatur. Nam uix esse poterat, ut sospite prædicto principe, & incolumitatis prę rogatiua gaudente, noster exercitus in regionibus ei subditis ita liberas haberet ferias. Rex uerò, & qui cũ eo erant, in prędicto exercitu occasionẽ temporis ad suũ trahentes cõpendium, tantò feruẽtius urgent propositũ, & cœpto simul

instant operi, quanto prædictum magnificum uirum certo certius norunt non posse superesse negocijs. Municipio igitur prædicto in gyrum obsidione uallato, machinas erigunt, & ea parant instrumenta, quibus solent in præsidijs obsessi amplius molestari. Erat autem prædictum castrum in colle non multum sublimi situm, ita ut uideretur agger, cui superpositum erat, côportatiuus & manufactus. Vnde maximã dabant, qui in exercitu erant prudentiores, operam, ut scrophas materiæ competenti intexerent, in quibus liberè delitescerent, qui ad suffodiendum aggerem introducerentur. Videbatur enim eis, nec erat à uero dissimile, quod aggere per occultos suffosso cuniculos, ædificiorum quæ superposita erant, partem nonnullam corruere oporteret: crates quoque usitati, in eis etiam scalas mediæ quantitatis, & omnia quæ in huiusmodi solent usum præstare, maturato accelerãt studio. Quibus cum omni diligentia præparatis, manipulorum pedestriumque turmarum primicerijs, equitumque magistratibus uoce præconia & secretioribus suggestionibus inducũt, ut prompta opera & uigilantiore studio, ad molestandum obsessos operam darent. Sic igitur certis partibus, singulis principibus designatis, quisque cum domesticis & familiaribus tanquã sibi soli uniuersum incumberet negotium, instabant uehementius: & dum quisque optimos ostentare curat se habere satellites, tanta opus continuis assultibus & cottidianis cõgressionibus prosequuntur instãtia, ut multorũ opus dierum intra duos menses uigili sollicitudine compleret. Accidit sanè quadam die, quod machina iaculatoria, qua in præsidium diebus penè ac noctibus molares immittebant, casu in castri primicerium, & cui omnis cõmissa erat cura, decidit, subitoque oppressum, in fragmenta contriuit: quo defuncto, tanquã pastore percusso, dispersi sunt oues, & tanque arena sine calce, sibi inuicem non cohærentes, destiterunt ab illa quam prius habuerãt resistendi pertinacia. Nostri autem eo cognito, tanto cœperunt instare uehementius, quanto interiores eis uidebãtur ad resistendum esse remissiores. nec mora, paucis interiectis diebus missa ad D. Regem legatione, sub conditione ut liberum et tranquillum habeant exitum, & cum rebus suis ad propria reditum, municipium D. Regi restituũt, datis eis ducibus, qui eos sine molestia usque ad locum quem ipsi expetierant, securos perducerent. Sic ergo expugnato castro, & domino Principi, cuius iurisdictionis fuerat, resignato, fœlici clausula consummatis negotijs, Antiochiam sunt reuersi: ubi ualedicentes ab inuicem, D. Rex, cum magnifico Flandrensium Comite, in regnum est reuersus: D. Comite Tripolitano usque Tripolim eos officiosissimè prosequente.

Hierosolymis Amalricus Prior ecclesiæ dominici sepulchri, in Patriarcham eligitur, & de eius electione inter episcopos oritur contentio. Caput XX.

PEr idem tempus cum Hierosolymitana, mortuo D. Fulchero bonæ memoriæ, uacaret ecclesia, contigit ecclesiarum prælatos Hierosolymã conuocari, ut de substituendo tantæ sedis Antistite, secundũ statuta Canonum tractaretur. Factum est autem, ut dicitur, quod contra iuris regulas, tam per interuentum dominæ Melesendis sororis, quàm dominę Flandrensium Comitissæ Sibyllæ, D. Regis uidelicet sororis, electus est D. Amalricus, ecclesię Dominici sepulchri Prior, natione Francus, de episcopatu Nouionensi, de

oppido

oppido Neella, uir commodè literatus, ſed ſimplex nimium, & penè inutilis. promotus eſt autem, contradicentibus domino Herneſio Cæſarienſi Archiepiſcopo, & domino Radulpho epiſcopo Bethleemita, et appellationum uoces exhibentibus. Tandem ille ſede potitus, domino Friderico Acconenſi epiſcopo negotium committit: qui ad Romanam accedēs eccleſiam, apud dominum Hadrianum, qui tunc pręerat, abſentibus aduerſarijs, multa ut dicitur interueniente munificentia, eidem gratiam Romanæ ſedis obtinuit, & pallium plenitudinem uidelicet pontificalis officij, ſecum detulit rediens.

Noradinus in regione Suete, ſpeluncam obſidet noſtram. Rex occurrens obſidionem ſoluit, pugnat cum noſtris Noradinus, & uincitur. Caput XXI.

CONualuit interim medicorum diligentiſſima Noradinus cura, & domino Rege in regnum reuerſo, ipſe quoq; ſoſpitatem plenam adeptus, in partes ſe contulit Damaſcenas: ubi ne otium tereret, & à cōſueta diceretur deſtitiſſe uigilantia, æſtate ſequenti præſidium quoddam in noſtra regione, quæ dicitur Sueta, ſitum, congregato exercitu, & ingentibus conuocatis auxilijs repentè obſidet. Erat autem præſidiū ſpelunca, in latere cuiuſdam montis arduo & admodum deuexo ſita. ad quam non erat uel à ſuperioribus, uel ab inferioribus partibus acceſſus: ſed ex ſolo latere, calle nimis anguſto, & propter præcipitium imminens periculoſo, ad eam ueniebatur. Habebat autem internus manſiones & diuerſoria, quibus ſuis habitatoribus neceſſarias poterat præbere commoditates: ſed nec aquæ uiuæ & indeficientis eis uena deerat, ut quantum loci patiebatur anguſtia, locus ſatis aptus & regioni plurimum neceſſarius haberetur. Quod poſtquam domino Regi fida relatione compertum eſt, aſſumpto ſibi domino Comite Flandrenſium, & cōuocatis regni uiribus, illuc cum omni celeritate contendit. iam enim qui intus erant, obſidionis onera ferre non ualentes, conditiones interpoſuerant, quales neceſſitas extorquere ſolet: uidelicet, quod niſi intra decem dies eis ſubſidium miniſtraretur, municipiū pro certo deinceps reſignarēt. Porrò idipſum domino Regi notum erat: unde & quantum poterat maturans ſubſidium, iuxta Tiberiadem ſecus pontem, unde de lacu Genezar Iordanis fluenta ſe diuidūt, cum exercitu ſuo caſtra locauit. Audito igitur Noradinus noſtrorum aduentu, conſilio tractus Syracuni principis militiæ ſuæ, uiri ſtrennui & de ſe plurimum pręſumentis, ſoluta obſidione, cum ſuis expeditionibus noſtris obuiam ſe facit. Rex uerò audiēs, quòd Noradinus occurrere propoſuerat in caſtra, conuocatis ſummo diluculo principibus, adorato ſuppliciter uiuificæ crucis ligno, quod dominus Petrus prædeceſſor noſter, Tyrenſis Archiepiſcopus, piæ in Domino recordationis geſtabat de communi cōſenſu, concurrente omnium fauore gratiſſimo, bellum indicitur. Motis igitur expeditionibus, & arrepto itinere exultantes animo, tanquam de uictoria ſecuri, ad locum ubi hoſtium exercitus eſſe dicebatur: tandēq; pro uotis eos habentes in proximo armati, ad unguē inſtructis ordine militari cuneis, quos acies uocant, irruunt in hoſtes unanimiter, & gladijs inſtant atrocius, rē pro capite gerentes. Hoſtes uerò nihilominus noſtrorum impetus cōſtantiſſimè & imperterritè ſuſtinentes, gladijs uices referunt, & reſiſtendo uiriliter, illatas iniurias à ſe repellere contendunt animoſius. Tandem uerò poſt uarios

euentus,

euentus, nostris est diuinitus concessa uictoria, & hostibus nō sine multa suorum strage in fugam conuersis, Rex cum suis uictor campum obtinuit. Factum est autem hoc Idib. Iulij, anno regni eius decimoquinto, in loco cui nomen Putaha. Inde progressus, sicuti necessarium uidebat, ad præsidiū quod obsessum fuerat, cum uniuerso contendit exercitu: ubi lapsa reparans, & locū armis, uictu, & uiris prudentibus diligenter communiens, fœliciter impleto proposito, soluto exercitu, & ad propria dimisso, reuersus est.

Redeunt nuncij, qui Constantinopolim pro regio matrimonio missi fuerant, & Regi uxorem ducunt, neptem Imperatoris. Caput XXII.

POrrò de nuncijs, unde superius fecimus mentionem, qui gratia coniugij domini Regis Constantinopolim ierāt, mortuus est dominus Aitardus Nazarenus Archiepiscopus: corpusq; eius ad propriam, studio & uigilantia suorum fidelium, delatus est ecclesiam. Cui successit dominus Lotardus, eiusdem ecclesiæ Prior, uir mansuetus admodum, affabilis & benignus, qui hodie etiam eidem præest ecclesiæ, uicesimum tertium habens in ponnficatu annum. Qui aūt de prædictis nunciis superfuerunt, dominus uidelicet Hemfredus constabularius, Ioscelinus quoq; Pissellus, & Vuilhelmus de Barris, inclyti & nobiles uiri, & in secularibus exercitati admodum, pro iniuncto sibi uerbo, apud dominum Imperatorem debita instantes diligentia morabantur. Tandem post innumeras dilationes, & uerborum ænigmata, qualia Græci quælibet cauillantes, perplexis ambagibus respondere solent, pro uotis impetrant: & conditionibus interpositis, tam de dote quàm de donatione propter nuptias, destinatur Regi uxor, uirginum illustrissima, quæ in sacris imperii penetralibus nutriebatur. Erat autem eiusdem domini Imperatoris neptis, domini Isaacij fratris eius, natu se prioris filia, Theodora nomine, annum agens tertiumdecimū, formæ uenustate singulariter cōspicua, uultus elegantia, & totius corporis habitudine intuentibus fauorabilis. Dotis autē quantitas erat in centū millibus Hyperorum, iusti ponderis, exceptis decem alijs eiusdem monetæ millibus, quos dominus Imperator ad opus nuptialiū expensarum liberaliter contulit: & excepto mundo uirginali, in quo tam in auro, quàm in gēmis: uestibus & margaritis, tapetis & holosericis, uasis quoque preciosis, quadraginta milia iusta æstimatione poterant computari. Rex autem proprio scripto apud dominum Imperatorem se obligans, quod quicquid eius nuncij cum eo præcisè firmarēt, ratum esset habiturus: per legatos spondet firmissimè, quatenus post eius obitum urbē Acconensem cum omnibus eius pertinētijs, tota uita sua nomine donationis propter nuptias cum omni tranquillitate, sine contradictione esset habitura. Peractis itaque, & ad consonantiam redactis utrinq; pactis, designatis eidem illustri puellæ de maioribus Imperij principibus paranymphis, qui eius iter usque ad dominum Regem comitarentur, cum regijs legatis iter arripit, ad maritum profectura. Accidit aūt, ut Septembri proximo, cum omni comitatu suo sospes & incolumis apud Tyrum applicās, intra paucos dies Hierosolymis (ut regni obtinuerat consuetudo) consecrata, & regio insignita diademate, peractis solenniter nuptijs, uiro tradita est. Et quoniam per idem tempus Hierosolymitanus electus, cōsecrationis suæ munus nondū obtinuerat, nec missa ab eo proprie

 causæ

causæ patroni, à sede Apostolica fuerant reuersi: asciscitur de mandato regio Antiochenus Patriarcha Americus, qui & Reginæ unctionis gratiam Regiæ conferret, & coniugij usitata solennia celebraret. Hic demum uxore traducta, omnem leuitatem, qua usq; ad illam diem iusto amplius dicebatur laborasse, ita penitus deposuit, ut cum Apostolo uideretur dicere: Cum essem paruulus, sapiebam ut paruulus, loquebar ut paruulus: Ex quo autem sum factus uir, euacuaui quæ sunt paruuli. Nam & uxorem postmodū commendabili dilexisse dicitur affectu, & thori fidem usq; ad extremum ei credit conseruasse illibatam: postpositisq; leuibus actibus, quasi mutatus ab illo, seria cœpit amplecti, & attentius tractare salubria.

Imperator Constantinopolitanus Antiochiam uenit: princeps Raynaldus de eo quod in Cyprios commiserat satisfaciens, ei reconciliatur. Caput XXIII.

EOdem anno, dominus Imperator Constātinopolitanus, cōuocatis pro imperiali magnificentia ex omnibus imperii finibus militaribus copiis, & ingenti exercitu ex omnibus tribubus, populis, & linguis, & nationibus congregato, transito Hellesponto, in Syriam descendere proposuit: transcursisq; mediis cum omni celeritate prouinciis, ex improuiso, ita ut uix cuipiam credibile uideret, cum exercitibus suis in Ciliciam, circa Decembris initium, subitus aduenit. Huius autē tam maturati itineris causa erat præcipua, quod quidam Armeniorum princeps potentissimus, Thoros nomine (de quo superius fecimus mentionem) uniuersam Ciliciam, quæ montibus, in quibus ille habebat castra munitissima, subiacebat, ab urbe munita usq; ad extremū suburbium uiolenter occupauit, Tharsum uidelicet primæ, & Anauarzan secundæ metropoleos: & alias ciuitates, Mamistram, Adamam, Sisium: eiectisq; inde imperialiū negotiorum procuratoribus, in suam redegerat potestatem. Vt autem eum incautē posset opprimere, & iter accelerauerat, & occultauerat intentionem. Mouerat eum etiam nihilominus Cypriorum causa lugubris, & fauore digna, in quos tanquam in hostes fidei & detestabiles parricidas, princeps Antiochenus, ut præmisimus, tam inhumanè suam exercuerat tyrannidem. Tam subitus autem (ut prædiximus) fuit imperialium exercituum aduentus, ut prædictus Thoros, qui tunc Tharsi morabatur, uix liberas ferias habuerit, ut ad montes uicinos gratia salutis se conferret: cum ecce legiones, et primi de exercitu, campis iam infuderant se patentibus. Quo audito, princeps Antiochenus Raynaldus stimulis conscientiæ agitatus, eo quòd non multo ante eius aduentum tempore, in Cyprios innocentes & immeritos tanta desæuisset insania, & tam eis, eorumq; uxoribus & liberis, Deo & hominibus abominabilem intulisset iniuriam: timens eius aduentum, ne fortè prædictorum uociferantium querulis uocibus, exercitus ad ulciscendas eorum iniurias descendisset, cœpit anxius deliberare, nunc secum, nunc quos habebat magis familiares adhibitos, quid eum facere oporteret: & quo satisfactionis genere imperiali se posset de tanta offensa reconciliare amplitudini: tantaq; eum (ut dicitur) de domini Imperatoris aduentū formido corripuerat, ut nec domini Regis, quē tamen in proximo uenturū sperabat, uellet expectare præsentiam: cum tamen certo certius nosse poterat, eius interuentione & studio, & maximè nouæ affinitatis gratia, in causa prædicta

dicta, longè meliores inuenturum se conditiones. Vsus ergo domesticorum consilio, assumptis ex eis pro arbitrio nonnullis, domino quoque Geraldo Laodicensium episcopo, sibi facto itineris consorte, in Ciliciam, ubi dominus Imperator erat cum suis expeditionibus, obtenta tamen prius quorundam familiarium domini Imperatoris gratia, qui uerbi huius interpretes discurrebant, ad urbem Mamistram peruenit: ubi post multorum uerborum circuitus, cum summa ignominia & populi nostri cõfusione imperiali reconciliatus est excellentiæ. Nudis enim, ut dicitur, pedibus, indutus laneis manicis, usque ad cubitum decurtatis, fune circa collum religato, gladium habens in manu nudum, quem mucrone tenens, cuius capulum domino Imperatori porrigeret, coram uniuersis legionibus, domino Imperatori præsentatus est: ibique ante pedes eius ad terrã prostratus, tradito domino Imperatori coram uniuersis legionibus gladio, tam diu iacuit, quousque cunctis uerteretur in nauseam, & Latinorũ gloriam uerteret in opprobrium, & in delinquendo & satisfaciendo uehementissimus.

Rex ad partes illas properans, ab eodem Imperatore honestè suscipitur, & infinita reportat munera. Caput XXIIII.

DOminus quoque Rex Hierosolymorũ, audito domini Imperatoris aduentu, assumpto sibi fratre, & de regni principibus electissimo comitatu, relicto Comite Flandriæ, qui in proximè futuro transitu, ad propria decreuerat redire, uersus Antiochiam festinus contendit: quò perueniens, nuncios ad dominum Imperatorem, dominũ uidelicet Gaufredum Abbatem templi Domini, græcæ linguæ habentem commercium, & nobilem uirum dominum Ioscelinum Pessel dirigit, debitæ salutationis affatum per eos officiosissimè dependẽs, & de eius sciscitans beneplacito, utrum eum ad se uelit accedere, & domini Regis sibi habere præsentiã: quibus datum est in responsum, ut regem moneant & inuitent, ut ad eum uenire non pigritetur. Insuper & de imperiali latere mittitur illustris Apocrisarius, qui & literis & uiua uoce, tanquam imperij dilectissimum filium, regem sollicitet, ut ad eum accedere non recuset. Statuto ergo die, assumpto sibi egregiorum equitum selecto comitatu, illuc perueniens, honestissimè susceptus est. nã statim in occursum diriguntur ei duo nepotes, eius fratres uterini, Ioannes uidelicet Prothosebastos, & Alexius Prothostrator, qui inter illustres sacri palatij primum obtinebant locum, cum maximo nobiliũ comitatu. Dein ipsis eum ducentibus usque ad ostium tentorij, ubi dominus imperator cum suis illustribus residebat, cum multa gloria introductus, humanissimè ab eo salutatus, & ad osculum pacis erectus, secus eum in sede honesta, humiliore tamen, locatus est. Vbi & eius cõsortibus tam debitæ salutationis affatu, quàm pacis osculo ab eo humanissimè honoratis, de incolumitate tam domini Regis quàm suorũ, qui cum eo aduenerant, diligẽter quærit, & uultum exhibẽs solito lætiorem, & uerbo & toto corporis gestu significat, eorum se aduentum gratissimè suscepisse, & oblata tanti principis & suorum delectari præsentia. Crebris igitur collocutionibus tam secretis quàm in cœtu procerum, & grata circa dominum imperatorem conuersatione per dies decẽ, quibus apud eum iugem se exhibuit, sicuti uir gratiosus erat, tantũ domini imperatoris & principum

ſuorum fauorem meruit, & tanto charitatis uinculo eorum cordibus cõglutinatus eſt, ut uiuentem unicè de cætero tanquam filium diligerent, & defuncti apud eos, eius memoria uſq; hodie non deſinat eſſe in benedictione. Et ne apud dominum Imperatorẽ mora eius eſſet infructuoſa, ſicuti uir argumentoſus erat, & oculum in ſecularibus habens perſpicacem: uidens quod dominus Imperator extra urbem caſtra locari præceperat, ut contra prædictum Thoros, quem odio perſequebatur inſatiabili, exercitus dirigeret, impetrata prius licentia, cœpit tractare diligentius, quomodo prædictum principem domino Imperatori reconciliare poſſet. Vocatoq; eo, et præſente conſtituto, reſignatis præſidijs quæ dominus Imperator expoſcebat, in gratiam eum reſtituit pleniorem: ita ut fidelitatem legitimã, per eiuſdem domini Regis interuentionem, antequam ad propria reuerteretur, manualiter eidem exhiberet. Tandem à domino Imperatore (prout magnificentiam decebat imperatoriam) cum ſuis principibus donis uberioribus, & immenſa munerum liberalitate cumulatus, proſequente eũ uniuerſorũ gratia, Antiochiam reuerſus eſt. Audiuimus à quibuſdã, omni exceptione maioribus et fide dignis, quòd exceptis illis, quæ eius conſortibus prodiga liberalitate contulerat, quæ infinita credebãtur, ſoli domino regi uiginti duo milia Hypperorum, & tria milia marcarum argenti examinatiſſimi, exceptis ueſtibus et holoſericis, et uaſis precioſis, dicebatur largitus. Antiochiam igitur ueniens, fratrem ſuum dominum Amalricum Ioppenſem & Aſcalonitanum comitem, cum domino Hugone de Hiebelino, qui nuperrimè de hoſtium uinculis redemptus, poſtliminio reuerſus fuerat, ibidem reperit. Qui ipſi dominum Imperatorẽ adire cupientes, illucq; poſtmodum profecti, ab eodem domino Imperatore benignè ſuſcepti, tractati honeſtius, de more imperiali, donis uberioribus honorati, gaudentes ad dominum Regem reuerſi ſunt.

Imperator Antiochiam ingreditur, in ciues multam liberalitatem exercens: unde poſtmodum ad propria reuertitur. Caput XXV.

PEracta igitur in Cilicia Dominicæ paſchæ ſolennitate, tranſcurſis diebus celebribus, uerſus Antiochiam exercitus dirigit, & legionibus uſque ad urbem applicatis, pro foribus eius aſtitit in infinita multitudine formidabilis. Vbi dominus Patriarcha cum uniuerſo clero & populo, cum textibus Euangeliorum, et omnimodo eccleſiarum ornatu, obuius adfuit. Rex quoq; cum Principe eiuſdem loci, & Aſcalonitano Comite, cum uniuerſis tam Regni quàm Antiocheni principatus proceribus ei obuiam exiẽs, cum ſumma gloria, imperiali diademate laureatum, & Auguſtalibus decoratum inſignibus, cum tubarum ſtridore, & tympanorum ſtrepitu, cum hymnis & canticis in urbem introducunt, & uſque ad cathedralem eccleſiam, ad baſilicam ſcilicet apoſtolorum principis, deinde ad palatium cum eadem patrum & plebis proſecutione deducunt. Vbi cum per aliquot dies balneis, & cæteris corporalibus delicijs operam dediſſet, effuſa in populum ciuitatis more ſolito dona liberaliſſima, propoſuit uenandi gratia urbem exire, & ad loca uenatu apta, gratia tollendi faſtidij, dominum Regem ſecum trahens, eiuſdem operis conſortem. Accidit autem, ut prædicto ſtudio inſiſtentes, die ſolenni Aſcenſionis Dominicæ, dum ſaltus more circumierat uenatorio,

Rex

Rex equi cui insederat raptus impetu, per loca humilibus frutetis & senti, bus obsita, casu raptus in præceps,& ad terram cum equo prouolutus, brachium fregit: quod ut domino Imperatori innotuit, ei multa humanitate compatiens, chirurgorum implens officium, flexo ante eum genu, tanquam unus de popularibus operam ministrabat diligentem: ita ut indignatione stuperent,& mirarentur eius principes & consanguinei, quod maiestatis oblitus imperatoriæ, & Augustalem negligens dignitatem, regi se ita exhiberet deuotum et familiarē,quod etiam eorum cuilibet uideret indignum. Redeuntes ergo inde ob casum qui acciderat Antiochiam, per singulos dies uisitationis gratia dominum Regem adibat, & cataplasmatibus innouatis, cum unguentis necessarijs fascia iterū diligenter inuoluebat: tanta circa eum cura sollicitus, qua maiorem uix posset ægrotanti adhibere filio. Domino igitur Rege plenam conualescentiam assecuto, præcipit Imperator, & uoce præconia notum fieri mandet primicerijs legionum, ut certa die uersus Alapiam acies dirigant, & machinas cum bellicis instrumentis ante se faciant deportari: ipse uerò cum domino Rege, & utriusq; regionis principibus, cum tubis & tympanis, & præliorum incentoribus lituis urbe postmodū egressus,in eo loco qui uulgo appellaī Vadum Balenæ, substitit,& exercitus uniuersus. Inde missis nuncijs ad Noradinum,qui fortè Alapiæ tunc erat,obtinet per legatos, quendam Bertrandem comitis sancti Egidij naturalem filiū, cum quibusdam alijs concaptiuis sibi dari. Ipse uerò postmodum nō multo temporis intericcto interuallo, reuocantibus eum curis domesticis, ad propria reuersus est.Rex etiā post domini Imperatoris discessum,cum suis quos secum eduxerat,in regnum se recepit.

Hadriano defuncto,in ecclesia Romana schisma oritur periculosum. Caput XXVI.

PEr idem tempus domino Hadriano papa apud Anagniam urbem Campaniæ morbo squinantię defuncto,corporeq; eius Romam translato,& in basilica Petri apostolorum principis honorificè sepulto: dum de substituendo pastore inter Cardinales haberetur tractatus,& sicut in talibus solet frequenter contingere, diuisa sunt eligentium desideria: ita ut pars eligeret dominum Rolandum eiusdem ecclesiæ presbyterum Cardinalem, tituli beati Marci,qui idem erat sedis apostolicæ cancellarius, cui manus imponētes,& ordinantes Episcopum,Alexandrum appellauerūt. Alij uerò Octauianum, uirum secundum carnem nobilem, eiusdem ecclesiæ presbyterorum Cardinalem,tituli sanctæ Ceciliæ trans Tyberim:cui & nihilominus manus imponentes,episcopum constituerūt,uocantes eum Victorem. Cuius schismatis occasione,uniuersa Latinorum ecclesia, peccatis nostris exigentibus, paulò minus habuit diuidi, & irreuocabiliter ab inuicem separari, maioribus orbis principibus certatim partibus gratiam suam & fauorem ministrantibus. Tandem anno decimonono, redeunte ad unitatem ecclesiæ,domino Friderico Romanorum Imperatore,qui parti oppositę auxiliū suggerebat,& consilium: & domino Alexandro papæ plena charitate reconciliato, reddita est pax ecclesiæ, & expulsis errorū tenebris, resplenduit tranquillitas quasi stella matutina in medio nebulę.

Noradinus Iconiensis Soldani fines ingressus, partem eius uiolenter occupat: Rex, Damasce-norum fines depopulatur. Caput XXVII.

INterea Noradinus lætus admodũ de Imperatoris discessu, cuius aduẽtus magnum, præsentia maiorem ei terrorem incusserat, securus iam de cætero, de tanti principis suspecta nimis potentia, uidẽs etiam dominum Regem ad propria reuersum, occasionẽ arbitratus reperisse, qualem à multis retroactis temporibus desiderauerat: conuocata ex uniuersis finibus suis militia, in terram Soldani Iconiensis, quàm sibi habebat cõterminam, expeditiones dirigit, & urbem Mares, simul & oppida Cressum et Behethelim, in suam satagit redigere potestatem. Soldanus autem, ab illis remotus partibus, non facile suis poterat ministrare subsidium: unde et ea fiducia contra fortiorem se, hæc præsumpserat aggredi Noradinus. Cognito autẽ dominus Rex, quod circa partes illas cum omnibus uiribus suis detineretur occupatus, uolens illius occupationes ad suum trahere compendium, sciens Damascenorum fines absq; militarium uirorum robore, hostium facilè patere insidijs, congregato exercitu, regionem Damascenorum ingreditur, & cuncta pro arbitrio incendijs tradẽs, & prædæ, ab Offro, primæ Arabię famosa metropoli usq; Damascum, nemine contradicente, liberè traducebat exercitum. Erat autem Damasci quidam nobilis Negemedinus nomine, cui ob plurimam rerũ secularium quam habere dicebatur peritiam, suorum curam commiserat Noradinus, et urbem cum suis pertinentijs pro eius arbitrio tradiderat gubernandam. Hic uidens dominum suum in regione remota magnis occupatum negotijs, secq; uirorum militariũ copias non habere, quibus regijs uiribus posset resistere, tanquam uir prouidus, & instantia pericula à se quærens propellere, oblatis quatuor millibus aureorum, pacem trium mensium postulat, & multiplicatis sibi data pecunia intercessoribus, impetrat postulatũ. datis insuper sex gregarijs militibus, quos in uinculis detinebat. Sic ergo regem cum suo exercitu à patria prudenter amouit. Interea domina Melesendis Regina, mulier prouida, & supra sexum discreta fœmineum, quę regnum tam uiuente marito, quàm regnante filio, congruo moderamine annis triginta, & amplius, uires transcendens fœmineas rexerat, ægritudinẽ incidit incurabilem, de qua usq; ad obitum salutem non recepit, licet utraq; sororum eius tam domina Tripolitana Comitissa, quàm domina Abbatissa sancti Lazari de Bethania, omnem circa eam impenderent diligẽtiam, & accitis medicorum undecunq; peritissimis, remedia qualia uidebantur necessaria, non cessarent ministrare: ipsa enim aliquantisper læsa memoria, corpore quasi consumpto, lecto decumbens, multo tempore, paucissimis ad eam reserato accessu, iacebat quasi dissoluta. Rex autem interim effluxo tempore, quod Negemedino Damascenorum procuratori constituerat, temporeq; fœderis quod initum fuerat decurso, Noradino adhuc circa partes prędictas, nondum completis negotijs occupato, hostium fines uiolẽter ingreditur, & pro arbitrio regionem discurrens, prædas trahit liberè, incendia procurat, manubias agit sine contradictione. Et depopulata regione, effractis suburbanis, captiuitatis locorũ incolis, iterum sospes ad propria reuersus est.

Princeps

Princeps Antiochenus Raynaldus ab hostibus capitur, & apud Alapiam uinculis mancipatur. Caput XXVIII.

NOn multo autem interiecto tempore, accidit quod princeps Antiochenus Raynaldus, cognito per exploratores, quod in partibus illis, quę & aliquando fuerant Comitis Edissani, inter Mareſiam & Tulupam absque militaribus uiris, terra armentis & gregibus referta, locorum incolis armorum usum nescientibus, facilè posset patere ad prædam: credulus autem præbet dictis eorum facilem, & collecta ingenti militia infaustis auibus iter aggreditur. Perueniensque ad locum prædictum, dictorum plenā inuenit fidem. nam proculdubiò armentorum & gregum stupendā reperit multitudinem: sed populus cuius hæc erant, populus fidelis erat: tota enim illa regio non nisi in præsidijs Turcos habet, paucos admodum, qui & præsidia tuentur, & rusticorum præstationes colligunt, dominis maioribus quorum procuratores sunt conseruandas. Suburbana aūt sibi Christiani, Suriani & Armenij inhabitant, & agriculturæ operā dant, & rura colunt. Collecta igitur ex diuersis partibus præda, & manubijs nemine prohibēte comportatis, onusti spolijs, & multimoda supellectile locupletati, sospites & cum omni tranquillitate reuertebantur: cum ecce Megedin pręfectus Alapiensis, Noradino familiaris, & fidei synceritate coniunctissimus, assumpta sibi uniuersæ regionis expeditiore militia, eius pręcognito reditu, maturat ei exire obuiā, ut sarcinis & pręda oneratos, aliquibus locorum angustijs, aut impeditos opprimeret, aut saltem impedimenta cōpelleret relinquere uiolenter. Factumque est, ut iuxta prudentis uiri conceptum, properātes illi obuiam, ducibus itineris, qui de exercitu principis aduenerant, ad locum perueniunt destinatū, proximū satis regioni, ubi princeps cū uniuersa præda castra locauerat. Qui cognito hostiū aduentu, cum suis deliberat, quid eum in pręsenti necessitate oporteat facere? relictoque saniore cōsilio, uidelicet, ut præda dimissa, expeditiores sine difficultate redirent ad propria: elegerunt, ut prædam & spolia non deferentes, cum hostibus, nisi per eos staret, strennuè decertaret. Mane itaque facto, & die iam aliquantulum adulta, concurrentibus agminibus pugna cōmittitur, instantibus hostibus arcubus & gladijs, studio ualde pertinaci. Nostri autē, etsi prima facie animū resistendi uisi sunt habuisse, nouissimè tamen mente consternati, terga dederunt, fugā dimissis spoliis eligētes. Princeps aūt, peccatis suis exigentibus, omnes quas commiserat impietates, corporaliter luiturus, captus est, & cōpedibus religatus, Alapiam cum alijs cōcaptiuis spectaculum factus populis infidelibus, cum summa ignominia deductus est. Factum est autem hoc, anno regni Balduini decimo octauo, mense Nouembri, nono Cal. Decembris, inter Cressum & Mares, in loco qui dicitur Commi.

Ioannes quidam Romanæ ecclesiæ presbyter Cardinalis, in Syriam descendit Legatus: de cuius susceptione inter episcopos oritur dissonantia. Amalrico Ioppensi Comiti, fratri Regis, filius nascitur Balduinus. Caput XXIX.

PEr eosdem dies, quidam Ioannes, uir admodum literatus, Romanæ ecclesiæ presbyter Cardinalis, tituli sanctorum Ioannis & Pauli, missus à domino Alexandro Papa ad partes Orientales legatus, apud Biblium, cum quibusdam Ianuensium applicuit. Volens igitur impetrata licētia, tanquam

legatus in regnum introire, prætentauit domini Regis et aliorum regni principum, tam ecclesiasticorum quàm secularium mentes, quid'nam de eius ingressu sentirent. Diuisus enim erat, ut prædiximus, occasione schysmatis oborti, penè orbis uniuersus. aliis domino Alexandro Papę, aliis parti oppositæ fauentibus. Vnde post multam deliberationem, mandatum est ei, ex parte, ut subsisteret, nec in regnum præsumeret ingredi, quousque cum prælatis ecclesiarum & regni principibus pleniore deliberatione, ei de communi consilio mandaretur, quid eum facere oporteret. Interim ergo conuocatis apud Nazareth, tam domino Patriarcha, quàm reliquis ecclesiarum prælatis, de principibus quoque nõnullis cum domino Rege assistentibus, cœperunt deliberare, quid in tanta ambiguitate facto esset expedientius. Omnes enim Orientis pontifices, de utroque patriarchatu, in neutrã partem manifestè declinauerant: in occulto tamen, aliis huic, aliis illi suum fauorem præstãtibus. Factum est autem, sicut in talibus solet contingere, quod dissentientibus ab inuicem, & uotis eorum in plura distinctis, alii dicerent, quod dominus Alexander & eius Legatus susciperetur, utpote caussam souens potiorem: quorum princeps erat dominus Petrus, prædecessor noster, Tyrensis Archiepiscopus. Alii è conuerso, domini Victoris caussam præferentes, & eum semper regno amicum & tutorem fuisse asserentes, Legatum nullo modo recipiendum esse censebant. Rex autem mediam uiam quandam sequens, cum suis principibus & de ecclesiarum quibusdam prælatis, timens ne episcopi inter se diuiderentur & scinderetur ecclesia, persuadebat neutram partium recipiendam esse: Legato uerò si tanquã peregrinus, orationis gratia, absque insignibus Legationis, ad loca sancta uellet accedere, dandam esse licẽtiam, & cõcedendam libertatem, moram in regno faciendi, usque ad primum transitum, ex tũc ei redeundum esse. Allegabat etiam, et dictorum suorum caussam subiungebat & rationem, dicens: Schisma recens est, necdum orbi innotuit, uter eorum caussam foueat potiorem: periculosum autem esse, in re dubia partem sibi ex sententia deligere, & de re incerta diffinitiuam pręcipitare sententiam. Præterea nec Legato opus esse in regno, qui ecclesias & monasteria grauet impensis, extorsionibus attenuet. Hæc erat domini Regis sententia: quæ licet utilior uideretur, tamẽ pręualuit eorũ sententia, qui legatum esse recipiendum asserebãt. Vocatus igitur in regnũ, uenit multisque: quibus aduentus eius placuerat, postmodum fuit onerosus. Per illud tempus natus est domino Amalrico, Ioppensium Comiti, ex Agnete filia Comitis Edissani, filius, quem patris rogatu, Rex de Sacro fonte suscipiens, suum ei nomen imposuit: cumque ab eo ioco sciscitaretur, Quid'nam nepoti & de Sacro fonte suscepto donaret? respondit, sicuti homo iucundi & urbani sermonis erat, regnum Hierosolymorum. Quod uerbum quibusdam prudẽtibus, qui hoc audierant, altius descendit in pectus, notantes: Quòd licet iuuenis esset admodum, & uxor eius adolescentula, præsagire uidebatur, quòd absque liberis foret ex hac luce subtrahendus. Quod & factum est.

Rex

Rex ab Antiochenis uocatus, illuc properat: Imperiales Legati adsunt, uxorem Domino suo, unam de consanguineis D. Regis postulantes. Caput XXX.

CApto igitur principe, & Antiochena prouincia rectoris solatio destituta, populus iterum regionis timore & anxietate corripitur, et diebus singulis regionis desolationẽ, nisi Dominus eos custodiat, animis suspensis expectat: tandemq; uisum est ad solitum recurrere auxilium, & ab eo cõtra mala imminentia petere solatium, unde sine repulsa sæpius obtinuerant postulatum. Missa igitur legatione, & adiunctis precibus lachrymosis, dominũ Hierosolymorum regem suppliciter inuitant, ut ad subueniendum genti desperatæ, populo pereunti, honorem & gloriã ab hominibus, & à Domino præmia relaturus æterna, uenire nõ moretur. Rex autem miserabili regionis Antiochenæ illius casu cognito, prædecessorum suorum uestigijs inhęrens, eorum anxietatibus compatiens, laborem deuotus complectitur: & assumpta secum honesta militia, ad partes accelerat Antiochenas. Vbi cum gaudio & animorum exultatione, eius à patribus & plebe susceptus est aduentus. Residens ergo in ea ciuitate, quantum temporis & loci deposcebat necessitas, negotijs principatus tanquã suis proprijs exactissimam adhibet diligentiam: & regionis procuratione D. Patriarchæ ad tempus, usq; dum redeat Comitissa, honestisq; sumptibus dominæ Principissæ constitutis, rerum domesticarum sollicitudine reuocatus, reuersus est ad propria. Porrò domino Rege in regnum reuerso, ecce adsunt domini Imperatoris Constantinopolitani, uiri spectabiles, & in sacro Palatio præclari, Legati Imperiales, literas cum aurea Bulla, simul & uerba secretiora ad dominum Regem deferentes. Horum autem primus erat, uir illustris Guido Stephanus, eiusdem domini Imperatoris consanguineus: secundus erat maximus Palatinorũ interpretum, Trifillus, homo uafer, & pro negotijs imperialibus ualde sollicitus: qui, ut prędiximus, sacros apices detulerunt, quorum tenor erat, ut in summa dicatur, talis: Noueris nobis dilectissime, & Imperio nostro acceptissime, quòd fœlix & inclytę in Domino recordationis Hirene, sacri Imperij nostri consors, diẽ uitæ clausit extremum, electis spiritibus socianda, unica nobis filia cõmunis Imperij hærede relicta. Nos autẽ de imperij successione solliciti, & melioris sexus sobolem non habẽtes, de secundis uotis cum illustribus sacri palatij diligentem sæpe habuimus tractatum. Tandem de uniuersorũ principum fauore & consensu placuit, ut de sanguine tuo, quem unicè diligit nostrum imperium, nobis iungamus in consortium imperij: & utram consobrinarũ tuarum, seu illustris uiri Comitis Tripolitani sororem, seu magnifici uiri principis Antiocheni germanam iuniorẽ nobis elegeris, nos pro tua optione, synceritati tuę omnem fidem habentes, eam nobis in thorum, sociam & imperij participem, auctore Domino assumemus. Cognita ergo Rex, domini Imperatoris, tum ex eius literis, tum ex nunciorum uiua uoce, intentione, spondet obsequium, operã promittit, & gratias multiplices imperatoriæ soluit maiestati, tum quia de sanguine eius in tantam eminentiam sibi associare proposuit, tum quia eius fidem commendans, in eius ponit arbitrio, utram ipse deligeret, eam in thori participem & imperij consortem assumpturum.

Rex sororem Comitis Tripolitani, uirginem illustrem, Mellesendam nomine, ei deputat: sed post annum eam repudiat Imperator, & uxorem ducit Mariam principis Raymundi filiam. Caput XXXI.

REx uerò habita deliberatione cũ suis familiaribus, quid sibi & Imperiali celsitudini, in præsenti facto magis conueniat, uocatis Imperialibus nunciis persuadet, & præcipit, quatenus Melesendẽ bonæ indolis adolescentulã, D. Comitis Tripolitani sororẽ, Dño suo suscipiãt in uxorẽ. Illi uerò cũ summa reuerẽtia D. Regis amplectẽtes uerbũ, præstiterũt assensum: cõtestantes tamẽ, quod hoc ipsum D. Imperatori per nuncios et literas significari oporteret. Præparant interea uirgini tanto culmini destinatæ, à matre & amita, fratre & amicis, omnibus immensorũ sumptuũ ornamẽta, & modũ nescientia, supra uires regias, murenulæ, inaures, spinteres, & periscelidæ, annuli, torques & coronæ ex auro purissimo. Vasa quoque argẽtea, immensi ponderis, & magnitudinis inauditæ ad usum coquinæ, escarũ, potuum, & lauacrorum obsequiũ præparant, exceptis frænis & sellis, & ut breuiter dicat, omnimoda supellectile. quæ omnia infinitis præparabant impensis, & tanto studio procurabantur, ut ipsa etiã suũ prædicarent excessum, & regium luxũ facilè superarent. Interea dum Græci singula ad unguẽ perscrutantur & rimantur interius de moribus puellæ, de occultarũ partiũ corporis dispositione: dum nuncios ad Imperatorem dirigunt, & eorum præstolant recursus, annus effluxit: quod ualde molestè ferentes tam D. Rex & Comes, quàm reliqui eiusdẽ uirginis cognati & amici, imperiales nuncios publicè cõueniunt, alterutrũ duũ proponentes. Vt aut à uerbo præcisè diù tractati desistant matrimonij, & expensas resarciant: aut desinant morarũ perplexitates intexere, & cõsummato negotio iuxta conuentiones initas finẽ imponant. Comes aũt multiplicibus grauabatur impensis. nã & duodecim galeas fieri iusserat, & eas instruxerat usque ad plenũ, quibus sororem usque ad maritum prosequi decreuerat, & tam de principatu quàm de regno omnes maiores apud Tripolim cõuenerant, exspectantes dominæ in proximo futurũ exitũ. Quibus Comes aut ex toto, aut ex parte plurima, prouidebat necessaria. Græci autẽ more suo amphibologicè respondentes, rem adhuc protrahere nitebantur: uerũ D. Rex eorum sophisticis occurrens moliminibus, specialem super eo negotio, ad dominum Imperatorem, dominum Ottonem de Rubergis, dirigit nuncium: obnixè postulãs, ut ei per eundẽ uoluntatem suam præcisè declararet: qui citius sperato ad D. Regem rediens, & uiua uoce & literis edocet, domino Imperatori quæ tractata erant, de prædicto matrimonio, omnino displicere. quod intelligens dominus Rex, à uerbo destitit, pro multa ducẽs ignominia, quod id eius interuentu credebatur esse tractatum, & partibus absolutum suis, in irritum deuenisset, & proculdubiò in suã uidebat redundare iniuriã. Porrò D. Imperatoris nuncij, Comitis Tripolitani indignationẽ formidãtes, inuẽta casu nauicula, in Cyprum se fecerũt deportare. Soluto itaque cœtu optimatum, qui apud Tripolim cõuenerant, D. Rex in partes secessit Antiochenas: quarum curam, ut prædiximus, à populo regionis diligenter expetitus, sibi assumpserat: ad quas cum peruenisset, eosdem Imperatoris nuncios reperit, quos à Tripoli credebat abijsse. Hi cum domina Principissa pro filiarum

eius nouissima, Maria nomine, quottidianum & familiarem habebant tractatum. Insuper & domini Imperatoris auro signatas habebant in præsenti literas, quibus ratum se habiturum, quod per eorum manū de præsenti matrimonio, cum domina Principissa uel amicis eius tractaretur, promittebat. Præsens ergo factus Rex, communicato ei uerbo, & in priore facto, læsus uideretur, eatenus ut merito in præsenti operam, & studium domino Imperatori posset subtrahere, tamen gratia cōsanguineæ puellæ, quę pupilla erat, & patris destituta solatio, partes interponit suas: & post multas dilationes, effectu satagit mancipari. Completo itaq; negotio, galeis in faucibus Orontis fluminis, in loco qui dicitur portus sancti Symeonis, præparatis, tradita puella, prosequentibus eam de magnatibus regionis, qui ad hoc uidebantur idonei, & usq; ad maritum uiæ consortibus iter arripiunt.

Rex circa Antiochiam castrum reædificat, quod dicitur Pons Ferri. Regina Melesendis mater eius moritur. Caput XXXII.

INterea dum Rex in partibus illis moram faceret, ut eius præsentia regioni esset utilis, castrum quod super pontem fluminis Orontis (qui uulgo dicitur Pons ferri) aliquando fuerat, ab urbe Antiochena quasi sex aut septem distans miliaribus, reędificauit, utiliter satis, ad cohibendum hostium discursus & latrocinantium introitus occultos. Occupato ergo eo circa partium illarum negotia, pia mater eius longo macerata languore, & continuis exhausta cruciatibus, tertio Idibus Septembris uiam uniuersæ carnis ingressa est. quod postquā ad eius peruenit notitiā, ueris contestans argumentis quanta eam synceritate dilexisset, in lamenta se dedit, & per dies multos nullam recepit consolationem. Sepulta est autem inclytę recordationis domina Melesendis, Angelorum choris inserenda, in ualle Iosaphat, descendentibus ad sepulchrum beatæ & intemeratæ Dei genitricis & uirginis Mariæ ad dexteram, in crypta lapidea, ianuis ferreis præsepta: altare habens uicinum, ubi tam pro remedio animæ eius, quàm pro spiritibus omnium fidelium defunctorum acceptabiles creatori quotidie offeruntur hostiæ.

Comes Tripolitanus pro repudio sororis iratus, Imperatori quas potest irrogat iniurias. Caput XXXIII.

INterea Comes Tripolitanus dolore cordis tactus intrinsecus, & ægrè ferens, quod ab Imperatore sic esset delusus, uidens se occasione Imperatoris enormes fecisse impensas, sororem suam, tanquam gregarij alicuius filiam, ab eo sine caussæ cognitione repudiatam esse, anxius apud se gemit, & ex corde ducit suspiria, cogitans si qua uia posset Imperatori reddere uices, & pro illata iniuria eadem mensura referre talionem. Hæc ei cogitanti, ex diuerso occurrebat, quòd princeps inter mortales erat potentissimus, nec eius uires sufficere poterant, ut eum uel in aliquo lædere posset: tamen ne illatam iniuriam aut non sentire uideretur, aut negligentius dissimulare, galeas quas ad alium usum præparauerat, dolore compulsus, armari præcipit: & uocatis pyratis, & nephandorum scelerum artificibus eas tradit, præcipiens, ut prædicti Imperatoris terras obambulantes, omnino nec ætati parcerent, nec sexui, & conditionū etiam nullam haberent differentiā: sed passim & sine delectu tam monasteria, quàm ecclesias, omnia traderent incendijs, & rapinas ubiq;

ubiq;, siue homicidia ubiq; perpetrarent, pro iusta caussa arma & uires illaturi. Illi autem dicto parentes, mare ingressi, regiones Imperatoris, tam quæ insulæ erant quàm quæ in terra mari contermina perlustrantes, uerbum Comitis largius interpretantes, ubiq; rapinas, ubiq; incendia, ubiq; homicidia procurant, ecclesias uiolant, effringunt monasteria, locorum uenerabilium omnino nullam habentes differentiam. Sed & peregrinis loca sancta adeuntibus, uel inde reuersis, uiaticula sua diripientes, nudos aut inopes, aut mori, aut mendicitate uitã protrahere cõpellebant. Negotiatoribus nihilominus uictũ & uestitum eo commercij genere, sibi uxoribus & liberis propagantibus, bona quæ congesserãt diripientes, uacuos domum redire, sorte cum lucro deperdita, cogebant.

Rex apud Antiochiam pharmacũ bibit, in supremam deductus ægritudinem, quærebat ad propria reuerti: sed inualescente ægritudine, in itinere apud Berythum uitam finiuit. Caput XXXIIII.

DVm hæc Comes Tripolitanus, zelo propriæ ductus iniuriæ, procurat, Rex apud Antiochiam ante ingruentem hyemem, prout consueuerat, pharmaco uti uolens, per manum Barac, medici Tripolitani Comitis, pillulas accepit, & quas in instanti sumeret, & quas postmodum modico interiecto tempore esset accepturus. Nostri enim Orientales principes, maximè id efficientibus mulieribus, spreta nostrorum Latinorum physica & medendi modo, solis Iudæis, Sarracenis, Samaritanis & Syris fidem habentes, eorum curæ se subijciunt imprudẽter, & eis se commendant, physicarum rationũ prorsus ignaris. Dicebantur autem prædictæ pillulæ ueneno infectæ, nec erat à uero multum dissimile. nam residuum quod regi secundò sumere mandatum fuerat, postea experimẽto apud Tripolim in pane infuso, cuidam datum caniculæ, mortem sibi intra paucos dies propinauerunt. Ab ea igitur die, qua prædictam Rex bibit medicinam, cum dysenteria febriculam incurrit, quæ postea in hecticã uersa est, nec ab ea usq; in diem obitus remedium sensit, aut conualescentiam. Sentiens igitur apud se doloris instantiam & ægritudinis augmentũ, ab Antiochia discedens usq; Tripolim peruenit. Vbi mensibus aliquot decubuit, de die in diem exspectans remedium. Vbi autem ægritudinẽ cognoscẽs inualescere, & salutis nullã superesse fiduciam, Berythum deportatus, ecclesiarũ simul prælatos, simul & regni principes ad se cum omni celeritate præcipit euocari. quibus in præsentia sua constitutis, fidem suam piè ac religiosè articulatim aperiens, in spiritu contrito & humiliato, præsentibus pontificibus peccata cõfitens, carnis solutus ergastulo, animam cœlis intulit, cum electis principibus, auctore Domino, coronam immarcessibilem percepturus. Obijt autem anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo secundo. Regni eius anno uigesimo quarto, Idus Februarij, ætatis uerò tricesimo tertio. liberis non extantibus, fratre regni hærede instituto. Inde Hierosolymam cum summa reuerentia, & regalibus exequijs, cum uniuersorum gemitu & lachrymis deportatus, occurrente ei clero & uniuerso populo ciuitatis, in ecclesia Dominici sepulchri ante Caluariæ locũ, ubi pro salute nostra crucifixus est Dominus, honorificè inter suos prædecessores sepulturæ traditus est. Tantam autem mœstitiam &

tot intimi doloris argumēta in nostro uel in alio regno, pro defectu alicuius principis extitisse, nulla tradit historia, nulla præsentium hominum tenet memoria. nam exceptis ciuibus, in quorum urbes funus introducebatur regiū, quorum luctus & dolor sine exemplo uidebatur: descendebat de montibus fidelium multitudo, cum eiulatu prosequens præcedentes exequias. Sicq́ à Berythensi urbe Hierosolymā diebus quasi octo continuis, nō defuit lamentum iuge, & luctus horis penè singulis renouatus. Dicuntur nihilo minus & hostes de eius morte doluisse: ita ut quibusdā suggerētibus Noradino, quod nostros fines ingrediens interim dum exequijs operam daremus, terram depopularetur, dicatur respondisse: Compatiendum est, & humanè indulgendum iusto eorum dolori: eo quod principem amiserint, qualem reliquus hodie non habet orbis. Nos autem de operibus eius hunc librum consummantes, oramus, ut cum pijs & electis eius anima sancta requie perfruatur.

LIBER DECIMVSNONVS.

Domino Balduino Amalricus frater eius succedit in regno. Caput I.



Domino igitur Balduino tertio, Latinorum Hierosolymis Rege quarto, absq́ liberis (ut dictū est) defuncto, successit in eadem ciuitate sancta, Latinorū Rex quintus, dominus Amalricus, frater eius unicus, comes Ioppensis & Ascalonitanus, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio: à liberatione uerò eiusdē Deo amabilis ciuitatis, sexagesimo secundo, præsidente sanctę Romanæ ecclesiæ D. Alexādro, pontificatus eius anno tertio: sanctæ uerò Resurrectionis ecclesiæ, D. Amalrico Patriarcha nono, pontificatus eius anno quarto: sanctæ aūt Antiochenę ecclesię, D. Americo, Latinorū in eadē ciuitate Patriarcha tertio, anno pontificatus eius uigesimo: sanctę uerò Tyrēsis ecclesię, D. Petro, Latinorū in eadē ciuitate post urbē captā, Archiepiscopo tertio, pontificatus eius anno decimotertio. Post fratris tamen obitū dissonantib. inter se regni principib. & de Regis substitutione aliter & aliter affectis, paulominus se interposuit, regens cū periculo & schismate ortū scandalū. Sed optatò affuit diuina clemētia, quæ reb. periclitantib. competētia nouit aptare remedia. subitò enim, fauente sibi potissimum clero & populo, paucisq́ de magnatib. euacuatis aliter affectorū molitiminibus, in ecclesia Dominici sepulchri, à suprà dicto D. Amalrico Patriarcha, præsentibus & cooperantib. Archiepiscopis, Episcopis, & uniuersis ecclesiarū prælatis, Regię unctionis gratiā, & diadematis insigne adeptus est, et in regni soliū hæreditario sibi iure debitū, duodecimo Cal. Martij sublimatus est, die octaua post fratris obitū. Hic statim, ex quo miles factus est, arma cœpit gestare militaria. Factus est Comes Ioppensis, cui postea frater eius inclytę recordationis D. Balduinus, eximiā Philistinorū metropolim Ascalonā, diebus suis expugnatā, & Christiano post longa tempora nomini restitutam, Regia liberalitate concessit: sicut superius, dum de regno eiusdem D. Balduini disseremus, diligentius cōprehensum est. Viginti & septem annorū erat D. Amalricus, cū regnare cœpisset. Regnauit aūt annis undecim, mensibus quinq́.

FVit igitur uir experientia præditus seculari, prudēs admodū, & in agendis circumspectus: linguæ aliquantulum impeditioris, non adeò tamen, ut ei pro uitio multum posset imputari, sed ita, ut illam sponte fluētis eloquij non haberet elegātiam. Consilijs longè melior, quàm uerborum affluentia, uel ornatu. In iure consuetudinario, quo regebat Regnum, subtilis plurimū, & nulli secundus: imò qui regni principes & mentis acumine & discretionis præiret synceritate uniuersos. In periculis & summis necessitatibus quas frequenter incurrit, dum pro regno ampliando uiriliter & sine intermissione decertat, fortis & prouidus, & animū regia quadā constantia cōseruans imperterritum. Modicè literatus erat, & fratre multo minus: sed ingenij uiuacitate, & tenacis memoriæ beneficio, interrogatione frequenti: legendi studio, cum aliquid ocij occupationes indulgebant, excellentior. iuxta id quod Regibus solet cōtingere, satis cōmodè erat instructus: in quæstionibus argutior, in eorū solutionib. plurimū recreabat. Historiarū præ cæteris lectionib. erat auidus auditor, memor perpetuò, & fidelissimus recitator. Totus erat in serijs: in iocis uel alea nunquam. Accipitrum & herodiorū uolatu & præda libentius delectabatur. Patiens erat laboris, sicut erat corpulentior & pinguis nimiū, algoris calorisque inclementia nō multum angebat. Decimas in ea parte uir Euangelicus, cum omni integritate, & sine molestia ecclesiæ dari præcipiebat. Missam omni die (nisi ægritudo aut ingruens præpediret necessitas) audiebat deuotus. Maledictorū conuiciorumque in eum & publicè & sæpius, & clàm quæ ferebant, etiā à cōtemptibilibus & uilib. personis, patientissimus exceptor, & dissimulator egregius: ut nec quæ audierat, ea audisse uideretur. In cibo potuque sobrius, in utroque ebrietatē abominabat. Procuratorib. etiam suis tantā dicebat habere fidē, ut ex quo eos negotijs præfecerat suis, nec rationē ab eis exigeret, nec de eorum infidelitate suggerentib. aurem præberet: quod tamen quidā ducebant pro uitio, quidā uirtuti adscribētes, argumentū synceræ fidei asserebant esse. His animi dotib. & bonis potiorib. detrahebant, quędam in eo notabilia quæ prius dictis nubē quandā inducere uidebant. Taciturnus enim erat ultra decens, & eximię urbanitatis expers. Affabilitatis gratiam, quę maximè principib. subiectorū corda conciliat, penitus nō habebat. Rarò, uel nunquam quenquā alloquebat, nisi compulsus necessitate, aut sermone prius lacessitus. tantoque in eo notabilior occurrebat iste defectus, quanto in fratre fuerat sermonis iucundi & amplectēdæ affabilitatis gratia cumulatior. Lubrico etiam carnis, ut dicit, impatienter laborans: quod ei clemēter Dñs indulgeat, aliena matrimonia attentare dicebat. Libertatisque ecclesiarū uehemens impugnator, earū patrimonia crebris & indebitis exactionib. diebus suis, usque ad supremā exinanitionē attriuit: ita quod ære alieno grauari compelleret loca uenerabilia, super suarum obuentionū uires. Pecuniæ cupidus suprà quàm regiam deceret honestatē. Interuentu munerum auferebat sæpè, differebat sæpius, aliter quàm censuræ rigor, & iuris modestia pateret. auaritiæ tamen suæ excusationē prætendens, mihi etiam familiarius colloquenti, causas nitebatur assignare, dicens: Principem quemlibet, & maximè Regem, semper hāc debere penes se prouidentiam habere, ne egeat, propter duo: tum quia tuta est opulentia

lentia subiectorum, ubi non eget Imperator: tum quidem ut præ manibus habeat, unde necessitatibus regni sui, si fortè inopinatæ occurrant, consulat: & in eo casu, Regem prouidum, oportere esse abundè munificum, & sumptibus omnino non parcere, ut non sibi, sed regni usibus, quicquid id est, uideatur possidere. Horum alterum in eo fuisse, nec inuidi eius possunt negare. Nam in regni necessitatibus nec expensis parcebat, nec proprij corporis fatigatione reuocabatur. Sed non erat tuta subiectorum opulentia: ad quorum exhaurienda patrimonia, sumpta qualibet leui occasione, frequentius recurrebat.

De corporis eius habitudine, & de quadam quæstione, quam cuidam suo familiari soluendam obtulit. Caput III.

CORporis autē quadā fauorabili statura quasi proportionaliter erat modificatus, ut mediocribus maior, & longissimis minor esset. Facie uenusta, & quæ ignotis etiam reuerēdi principis meritò prætenderet maiestatem & dignitatē. Oculis fulgentibus, mediæ quantitatis, naso instar fratris aquilino & decenti. Capillo flauo, refugoq; pusillum. Barba, genas mentumq;, grata quadam plenitudine uestitus. Risum tamen habebat incompositum, & quo totus in ridendo concutiebatur. Prudentibus & discretis uiris, & remotorum locorum peritiam habentibus, & externarum cōsuetudinum tenentibus experientiam, libentissimè cōfabulabatur. Memini me semel, ab eo familiariter euocatum, dum in castello Tyrensi, febricula lenta, non multum periculosa laboraret, horis quietis & lucido interuallo, sicut interpolatis febribus solet contingere, secretius multa cum eo contulisse, & ad quasdam eius quæstiones, quantum pro tempore occurrebat, adhibuisse solutiones: multum enim nostra collatione recreabatur. Inter quas unam nobis obtulit quæstionem, unde me multum mouit interius: tum quia inusitatum erat illud quęri, quia nec quęstione dignum uidebatur, quod fides uniuersalis edocebat, & firmissimè tradiderat credendum: tum quia animo grauiter uulnus imprimebat, si princeps Orthodoxus, & Orthodoxorum filius, in re tam certa pateretur scrupulum, & in conscientia dubitaret. Quæsiuit sanè, si præter doctrinam Saluatoris et sanctorum qui Christum secuti sunt, de qua non dubitabat, posset ratio inueniri, qua posset probari argumentis euidentibus & necessarijs, resurrectionem futuram? Ad quod nouitate permotus uerbi, respōdi: Sufficere Domini ac redemptoris nostri doctrinam, qua manifestissimè multis locis in Euangelio, carnis resurrectionem futuram docet: uenturum se iudicem, iudicare uiuos & mortuos et seculum per ignem. Promittit daturum se electis regnum, pręparatum à constitutione mundi: Impijs aūt ignem æternū, qui paratus est diabolo & angelis eius, pollicetur. Sanctorum quoq; Apostolorū, & patrum etiā ueteris Testamēti sufficere piam assertionem. Ad quod ille: Hæc omnia firmissimè teneo, sed rationem quæro, qua alicui hæc neganti, & doctrinam non recipienti, futurā resurrectionem & aliam uitam post istam mortem probari possit. Cui ego: Assumite ergo uobis huius hominis sic affecti personam, & tentemus aliquid circa hoc inuenire. Placet, inquit. Tum ego: Deum iustum confiteris esse? tum ille: Ni-

hil ucrius, confiteor. Tum ego: Iusti autem est, pro bonis bona, pro malis mala retribuere. Tum ille: Verum est. Ego: In præsenti uita aūt non fit istud. Nam & boni quidam in præsenti seculo non nisi molestias patiuntur, & aduersa: mali uerò quadam felicitate gaudent continua, sicut rerum quotidianarum exempla nos edocent. Tum ille: Certum est. Ego uerò processi: Ergo in alia uita fiet, quia non potest Deus non esse iustus retributor: ergo in alia uita erit huius carnis resurrectio, in qua meruit quis bonum uel malum, in ea debet recipere præmium & remunerari. Tum ille: Placet supra modum, ita ut in ore, & omnem detersisti de corde meo dubitationem. His & similibus plurimum recreabatur collationibus. Sed ad propositum redeamus. Pinguis erat supra modum, ita ut more fœmineo mamillas haberet, cingulotenus prominentes. Cæteras autem corporis partes, manu traxerat natura lætior benigniore, ut non solum mediam prætenderent uenustatem, uerū quadā gauderēt formæ prærogatiua. In sumenda quoq; corporis refectione sobrium, uiniq; abstinentissimum, nec inimici negare possunt.

Quod antequam coronaretur, coactus est ab uxore sua, quam contra sacros canones duxerat, discedere. Caput IIII.

Denique dum adhuc frater eius in rebus ageret humanis, & regnum feliciter administraret: uxorem duxit Agnetem, Ioscelini iunioris comitis Edissani filiam (ex qua uiuente fratre, prolem suscepit geminam, filium uidelicet Balduinū, quem patruus de sacro Fonte suscepit, & filiam natu priorem nomine Sybillam, Comitissæ sororē utriusq;) hanc tamen uxorem suam, defuncto iam fratre, dum regnum ad se iure hæreditario deuolutū uendicaret, coactus est abiurare. Nam & in initio dum eam duxisset, inuito domino Patriarcha Fulchero, bonæ memoriæ, ei contradicēte, sibi eam matrimonio copulauit, eo quod quarto consanguinitatis gradu se dicebātur cōtingere, sicut postea in facie ecclesiæ per communes consanguineos solenniter est comprobatum. Præsentibus enim domino Amalrico, bonæ memoriæ Patriarcha, domino quoq; Ioanne, sanctorum Ioannis & Pauli presbytero Cardinale, & Apostolicæ sedis legato, iuxta iuris ecclesiastici solennitatē, consanguineis utriusq; corporaliter iuramenta præstantibus, & asseuerantibus sic esse ut dicebatur, interueniente diuortio, solutū est matrimonium. Hoc addito tamen, ut qui ex ambobus nati erant, legitimi haberētur, & in bona paterna successionis plenum ius obtinerent. Quæsiuimus sanè nos postea diligenter, tanquam circa talia curiosi, quarto consanguinitatis gradu se contingerent, quia nondum de scholis redieramus, sed trans mare adhuc, circa liberaliū artium studia detinebamur, quando Hierosolymis hæc facta sunt. Et tandem inuenimus per dominam Stephanam Abbatissam ecclesiæ sanctæ Mariæ maioris, quæ Hierosolymis ante sepulchrum Domini sita est, quæ domini Ioscelini senioris, comitis Edissani filia fuit, ex sorore domini Rogerij, filij Richardi Antiocheni principis, religiosam, & nobilē carne & moribus, feminā iam natu grandæuā, sed memoriter hæc tenentē, quod eorum generatio sic erat: Dominus Balduinus de Burgo, secundus Hierosolymorum Rex, uir per omnia magnificus (de cuius uita & moribus, & tam de dextris quam sinistris

euentis,latius differuimus suprà, dum de regno eius tractaremus) & dominus Ioscelinus senior, duarum sororum filij fuerant. De domino Balduino nata fuit Melesendis regina. Ex Melesende nati sunt dominus Balduinus,& dominus Amalricus reges. Item ex domino Ioscelino seniore, Ioscelinus iunior, ex quo prædicta Agnes Comitissa (domini Amalrici de facto, non de iure,uxor) & tertius Ioscelinus,nunc regis Marescalcus, & domini regis Balduini, qui hodie regnat, auunculus. Porrò domino rege Amalrico absque coniugio perseuerante, illa statim nobili & magnifico uiro domino Hugoni de Ibelim, senioris Baliani filio, Balduini Ramatensis (qui nunc prædictam urbem post fratrem sine liberis defunctum possidet) & Baliani iunioris, qui uiduam domini Amalrici regis hodie habet uxorem, fratri, copula coniuncta est maritali. Eoq; defuncto, domino Amalrico adhuc superstite, apud dominum Raynaldum Sydoniensem, domini Gerhardi filium, eadem affectione se contulit: cum quo minus licitum, quàm cum domino Amalrico prius, dicitur habere contubernium. Nam prædictus pater eius Gerardus, tanquam utriusq; consanguineus (sicut & pro certo erat) consanguinitatem inter prædictas personas esse, sicut à maioribus suis audierat, proprio iureiurando firmauit. unde et secutum fuit diuortium, ut prælibatum est.

Rex in Aegyptum descendit, cum Dargan Soldano pugna committitur. Sanar Syraconum introducit in Aegyptum. Dargan ad Regem, pacem postulans legatos dirigit. Caput V.

CONfirmato igitur domino Amalrico in regni solio, in primo eius anno negantibus Aegyptijs annuam tributi pensionẽ persoluere, quam cum fratre suo pepigerant: congregatis militarib. copijs, et exercitu copioso, Cal. Septembribus descendit in Aegyptũ. ubi cum innumera multitudine occurrens ei regni illius procurator, qui lingua eorum Soldanus dicitur, Dargan nomine, citra Aegyptũ in solitudine cum eo cõgredi nõ est ueritus: ueruntamen nostrorũ impetus nõ ualens sustinere, plurimis suorũ interfectis, captis nonnullis, in fugam compulsus, in urbẽ proximã, quę lingua eorum Belbeis dicit, cum residuo coactus est se recipere. Timentes autẽ Aegyptij, ne dominus Rex eo confecto, ad ulteriora regni cum exercitu suo uellet contendere, nullum aliud remedium contra impetus nostrorũ arbitrati se habere, ruptis aggeribus, qui fluuium restagnãtem usq; ad certa tempora cohibere solent, Nilum, qui iam consueta susceperat incrementa, exuberantẽ inducunt, ut saltem uel his repagulis nostrorum cohiberẽt incursus, & se fluminis beneficio restagnantis tuerentur. Dominus uerò Rex, habito ex hostibus trophæo: rebus feliciter compositis, in regnũ suum inde uictor cum gloria reuersus est. Porrò Dargan iste, quem totius regni procuratorẽ diximus, & Soldanum alium quendam potentem admodum, Sanar nomine, paucis ante diebus ab eadem administratione partim dolo, partim uiribus expulerat, qui cum amicis & familiaribus, & copijs quas secum poterat deportare, fuga elapsus, ad Arabes contribules suos, auxilium ab eis postulaturus se contulit. Expectãs igitur rei exitum, & euentum bellorum operiens, latebat apud suos, ut diximus, tempore opportuno aliquid contra æmulũ moliturus. Audiens ergo, quod dominus Rex in regnũ suum rediret, & quod suus aduersarius, in sua

Q iij admini

administratione solito insolentior,& quasi gloriosior, eo quod tantum principem in prælio sustinuerat, quodq; regno non multum læso abierat, in eodem principatu potēs & fortis perseueraret: ad Noradinum potentissimum principem Damascenorum Regem properat, implorās ab eo auxilium: quo fretus in Aegyptum rediens, excluso æmulo regnum resumere posset. Cui Noradinus, muneribus & promissis illectus, sperans quod si semel exercitus eius Aegypti fines posset introire, regnum sibi posset comparare uiolenter, facilem præbuit assensum: tradensq; ei principem militiæ suæ, uirum industrium, & in armis strennuum, liberalem supra uires patrimonij sui, gloriæ cupidum, & in re militari exercitatum, militibus charum efficente munificentia, & acceptum, Syraconum nomine, cum ingenti militia in Aegyptum dirigit. Erat autem homo iam senior, pusillus statura, pinguis multum & corpulentior, ex humili locupletior factus, & suffragantibus meritis, ex seruili conditione princeps constitutus, in altero oculorum habens albuginem, laboris patientissimus, sed & sitim & famem æquanimiter tolerans, supra id quòd ætas illa soleat sustinere. Verùm intercurrentibus nuncijs, & fama publica Soldanus Dargan edoctus, hostem quem prius expulerat, cum infinitis Turcorum milibus aduentare, diffidens rebus proprijs, ad emendicata recurrit suffragia. Legatos enim cum uerbis pacificis, ad dominum Regem mittit, orans & petens, ut contra ingruentes hostes auxilium ferat: tributum autem non solum, quale cum domino Balduino rege fratre constitutum, uerùm multo maius, & pro domini Regis arbitrio præstandum, pollicens, subiectionem perpetuam, fœdusq; perenne, datis obsidibus, firmare paratus erat.

Dominus Petrus Archiepiscopus Tyrensis defungitur: succedit ei Fredericus Acconensis episcopus. Caput VI.

PEr idem tempus dominus Petrus, uenerabilis archiepiscopus Tyrensis, piæ in Domino recordationis, anno prædicti Regis undecimo, mense Martio, prima die mensis, uiam uniuersæ carnis ingressus est. Cui intra paucos dies, eodem mense substitutus est, D. Rege plurimum ad id aspirante, eiusdem ecclesiæ suffraganeus: dominus uidelicet Fridericus, Acconensis episcopus, uir secundū carnem nobilis, corpore procerus admodum, natione Lotharingus, modicè literatus, sed militaris supra modum.

Dargan in Aegypto, dolo suorum occiditur. Sanar Soldanus efficitur: Regem inuitat, Rex in Aegyptum descendit: Syraconus uiolenter expellitur. Caput VII.

DVm hæc cum domino Rege prædicti Legati tractarēt, peneq; eorum desiderijs esset satisfactum, antequā ad propria redirent, prænominati Sanar & Syraconus, in Aegyptum cum suis auxilijs iam descenderant: & cum Soldano Dargan hostiliter congressi, primo conflictu inferiores, et grauiter prostrati: antequam secundo eadem lege conuenirent, sępedictus Dargan, à quodam ex suis sagitta percussus, suis lugendus interijt. Quo mortuo, Sanar tanq; uictor, uotiq; compos, Cahere ingressus, quoscūq; de amicis, consanguineis, & familiaribus illius reperire potuit, gladijs confossis, iterum potitus est sua dignitate. Nam summo eorū principi pro minimo est,

uter de contendentibus aut succumbat, aut obtineat, dummodo non desit, qui sua & regni negotia procuret, & se illius mancipet seruituti. Syraconus uerò inuadens ciuitatem finitimã Belbeis nomine, eam sibi quasi propriam constanter cœpit uendicare, significans opere, & fortasse sermone idipsum contestans, quod reliquas eiusdem regni partes suæ ditioni, si ita daretur, inuito Soldano & Calypha, uellet mancipare. Timens ergo Sanar, ne hospitem talem introducendo, suam & Domini sui conditionem fecisset deteriorem, ne'ue talem suscepisset, qui tanquam mus uipera & serpens in gremio, male remuneraret hospites suos: cum omni festinantia Legatos & uerba pacis dirigit ad dominum Regem, in Syriam, qui iuxta conuentiones inter dominum Regem, & Dargan Soldanum, prius initas, non solum uerbo, sed etiam opere, statim adimplerent: et si opus esset, supererogarent ampliora. Pactis igitur hinc inde firmatis, Rex cum uniuerso suo exercitu anno regni eius secundo, iter arripiens, descendit denuò in Aegyptum. Vbi occurrens ei Sanar cum suis Aegyptijs, sæpedictum Syraconum in ciuitate Belbeis, quasi in proprium præsidium se recipientem, obsederunt, dictumq; obsidione & alimentorum inopia fatigatum, ad deditionem compulerunt: interpositis conditionibus, quod cum suis omnibus liberum, & sine molestia haberet exitum, & reditum ad propria: quod ei concessum est. quo obtento, ciuitatem deserens Syraconus, per solitudinem reuersus est Damascum.

Noradinus circa partes Tripolitanas uincitur, & fuga uix nostrorum manus euadit. Caput VIII.

NOradinus interea circa partes Tripolitanas, in eo loco qui uulgo appellatur La Boccha, moram faciens, dum prosperis elatus, aliquantulum se gerit incautius, damnum incurrit penè irreparabile. Aduenerant illa tempestate quidam nobiles, de partibus Aquitanicis, Gaufredus uidelicet qui cognominatus est Martel, domini Comitis Angolismensis frater, & Hugo de Liuiziaco senior, qui cognominatus est Brunus, orationis gratia. Hi completis de more orationibus, ad partes se contulerunt Antiochenas. Cognito ergo quod Noradinus circa partes Tripolitanas, in loco supradicto, cum suo exercitu moram faceret, minusq; securè & sine sollicitudine, ocio resolutus quiesceret, conuocatis militaribus auxilijs, super eius exercitum irruentes subitò, multis captis, pluribus gladio peremptis, exercitum eius usque ad supremam exinanitionem deleuerunt. Ille uerò relicto gladio, & omissis impedimentis uniuersis, nudus altero pede, iumẽto insidens, confusus nimium, & de uita desperans, uix fuga elapsus, nostrorum manus euasit. Nostri uerò spolijs & multiplicibus locupletati diuitijs, uictores ad propria redierunt. Fuerunt autem huius expeditionis Duces, Gilbertus de Laci, uir nobilis, & in armis exercitatus, Præceptor fratrum Militiæ templi in partibus illis: & magni duo prædicti uiri, & Robertus Mansel, qui Galensibus in eadem expeditione præerat, & alij pauci.

Noradinus in partibus Antiochenis castrũ Harenc obsidet: Princeps Antiochenus, Comes Tripolitanus, Calamannus Ciliciæ procurator, capiuntur. Caput IX.

NOradinus autem casu cõsternatus sinistro, ira succensus, indutus confusione & reuerentia, infamiam abolere cupiens, ad ulciscẽdam suam, suorumq; iniuriam proximos & amicos sollicitat, uniuersos penè Orientis principes nũc prece nũc precio supplex inuitat, uires reparat, militaria suffragia colligit undecunq;. Collectis igitur immensis copijs, & innumeris milibus conglobatis, oppidum quoddam nostrum in finibus obsidet Antiochenis, Harenc nomine, & ordinatis per gyrũ, ut mos est, machinis oppidanos cœpit acriter, nullaq; data requie incessanter urgere. quod factum, postq; principibus nostris innotuit, D. Boamundus tertius, Raymundi filius, Antiochenus princeps: dominus quoq; Raymundus iunior, Comes Tripolitanus, filius Raymundi Comitis: Calamannus etiam præses Ciliciæ, D. Imperatoris consanguineus, & Imperialium in illa prouincia procurator negotiorũ: Toros quoq;, Armeniorũ princeps potentissimus, sociatis sibi quæ undecunq; potuerunt peditũ equitumq; suffragijs, ordinatis agminibus, et in aciẽ dispositis, obuiam ire festinãt, & obsidionẽ soluere inuitis hostibus aggrediuntur. sanè Noradinus, & qui cũ eo erãt Parthorũ principes, cõmunicato consilio, tutius opinãtes, obsidione sponte soluta discedere, quàm cum hostibus iam penè instantibus incautè congredi, cõpositis sarcinis, recedere moliebantur. Nostri uerò nihilominus eis instantes, dato successu & prosperis abutentes, dum eis non sufficit, quod oppidanos obsidione tantorũ principũ expedierant, dum incautius insequunt, dissolutisq; agminibus, & contra militarẽ disciplinam passim discurrentibus euagant, recurrentibus subitò animũq; & uires resumẽtibus Turcis, quibusdã locorũ palustriũ angustijs cõprehensi, primo franguntur impetu: quibus prius fuerãt formidini, ludibrio satis miserabiliter exponuntur. Profligati enim, & fracti turpiter hostiũ gladijs, uictimarum more cæduntur. Non est qui meminerit uigoris præteriti, qui paternæ memor uirtutis, aut propriam propulsare studeat iniuriã, aut pro merenda libertate & honore patrio gloriosus decertare. præcipites ergo, & suæ dignitatis immemores, armis depositis, uitã indigna supplicatione merentur, quam pro patria uiriliter decertando, excellẽtius fuerat impendisse, & exempli ad posteros fauorabilioris. Porrò Toros Armenius, uidens hostiũ præualere cuneos, nostrorum uero acies è conuerso corruisse, fuga saluti consulẽs, bellicis se exemit tumultibus. Displicuerat sibi sanè ab initio, quod hostes ab obsidione discedentes, fuerant insecuti: & dissuadere adorsus erat, sed præualuit inutilior aliorum sententia. Dominus autẽ Boamundus princeps Antiochenus, dominus quoq; Raymũdus Comes Tripolitanus, Calamannus etiã Ciliciæ procurator, Hugo de Liuiziaco, de quo superius fecimus mentionem: Ioscelinus etiam tertius, Comitis Edissani secundi Ioscelini filius, & multi alij nobiles, ut uitæ cum probro & ignominia consulerent, hostibus se tradentes, uinculis tanq; uilia mancipia miserabiliter alligantur: & Alapiam traducti, spectaculũ facti sunt populis infidelibus, & carceribus mancipati. Successibus tandem & prospera nimiũ fortuna, Noradinus, & qui cum eo erant, erecti, Castrũ quod prius obsederãt, cõfidentius repetũt, & obsidione

iterum

iterum uallantes, intra paucos dies expugnāt, & potenter occupāt uiolenter expugnatū. Factū est hoc anno ab incarnatione Dñi millesimo centesimo sexagesimoquinto. Regni uerò D. Amalrici anno undecimo, quarto Idus Augusti, dum ipse adhuc in Aegypto detineret proprijs negotijs occupatus.

Comes Flandrensium Theodoricus in Syriam descendit. Noradinus Paneadem obsidet, & occupat obsessam. Caput X.

REbus nostris interea tanta rerum mutatione, tamq́ sinistris euentis, usq; ad supremā exinanitionē penè afflictis, cum neq; superesset spei saltē residuū, iam iámq; animo consternati per singulos dies deteriora formidarēt uniuersi, ecce Comes Flandrensis Theodoricus, D. Regis sororius, cū uxore religiosa & Deum timente fœmina, & aliquanta militū manu applicuit: cuius tanta lætitia suscepit aduentū omnis populus, ut quasi post immoderatū solis odorem, auram gratissimā & præsens remedium uiderer suscepisse: sperabant enim, quod freti eius auxilio, D. Regis & Christiani exercitus possent aduentū præstolari. Sed hæc quale quale serenū, orta subito nubes caliginosa, mutilauit miserabiliter, cōuertit et in tenebras. Noradinus enim rebus secundis, & casu propiore factus sublimior, uidens regnum solitis carere solatijs, & maioribus regni principibus, quos ipse captiuos tenebat, destitutum: ad hoc & D. Regē & militiæ robur abesse uniuersum, sumpta ex tempore occasione opportuna, apposuit et Paneadensem obsidere ciuitatē. Est aūt Paneas urbs antiquissima, ad radicē Libani famosissimi promontorij sita, antiquissimis temporibus & Israelitici populi diebus, Dan dicta, terminus à septētrionali plaga possessionis eorū, sicut & Bersabee ab Austro. Vnde quoties longitudo terrę promissionis describit, ducit à Dan usq; Bersabee. Diebus autē Philippi, senioris Herodis filij, qui erat Tetrarcha Iturę, & Traconitidis regionis, sicut in Luca legitur, eam ampliauit in honorē Tiberij Cæsaris, & in perpetuā sui nominis memoriā Cæsarea Philippi dicta est. Dicitur aūt & Paneas: sed nostri Latini corrūpentes nomen, sicut penè omniū aliarū urbium, Belinas uocant. Est aūt ab Oriente agro Damasceno cōtermina, iuxta quem fluentorum suorū Iordanis habet originē. Hęc est illa ciuitas, de qua in Euāgelio dicitur: Quod Iesus uenit in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos. Vbi & Petrus Apostolorū princeps, ob egregię cōfessionis meritum, regni claues Dño tradente accepit. Hanc obsidens, & immunitā reperiens, absente D. Hemfredo regis Cōstabulario, & cum D. Rege morā in Aegypto faciēte, cuius erat hæreditaria possessio, episcopo quoq; eiusdē loci absente, populo quoq; clade imminuto, machinis et tormētis bellicis in gyrū collocatis, suffosso muro, turribus assiduo lapidū iactu ex parte maxima debilitatis, intra paucos dies expugnat: eos qui intus erāt ad deditionem cōpellens, pactis interuenientibus, quod cum rebus suis omnibus egrediētes, liberum haberent & pacificū exitum, ciuitatē recepit, anno ab incarnatione Do M. C. LXVII. Regni uerò D. Regis Amalrici, anno decimoquinto, Calendis Nouemb. Cōmiserat autem eandē ciuitatē, proficiscens in Aegyptū D. Constabularius, cuidam militi fideli suo, qui dicebatur Galterius de Quaisneto, quem in custodia loci quidā dicunt negligentē fuisse. Addunt etiam, et in deditione cum quodam sacerdote Rogerio nomine, qui Canonicus erat illius

ecclesię, sumpta pecunia, malitiosè uersatum: unde & in reditu domini Regis ex Aegypto, timuerunt admodum, uerentes ne imputaretur eis ad mortem. Nos autem horum nihil pro certo compertum habemus, nisi hoc, quod ciuitas hostibus tradita est.

Rex ab Aegypto rediens, Antiochiam proficiscitur. Princeps data pro se pecunia restituitur libertati. Spelunca Sydoniensis hostibus traditur. Item trans Iordanem aliam Speluncam hostes accipiunt. Caput XI.

HIs interea sic gestis in Syria, D. Rex, Syracono de Aegypti finibus expulso, Sanar uerò in sua administratione cõfirmato, ad propria cum gloria uictoriosus remeauit. Vbi etsi ita prius audierat, compertis quae in regno acciderant tristibus, & calamitatibus ex integro cognitis: uocatus ab Antiochenis ut rebus eorum penè desperatis subueniret, uocantibus eis, fraterna miseratione compatiens, assumpto secum Flandrensi Comite, maritimis itineribus Antiochiam properat, eorum afflictioni optata solatia praestiturus. Adueniens ergo, praesensq; factus, negotia D. Principis tanta diligẽtia, tantaq; sollicitudine, quanta uix propria tractare consueuerat, fideliter, diligenterq; administrans, nobiles & plebeios multa mansuetudine pro utroq; moderamine regens: dispositisq; per urbes singulas prudentibus uiris, qui res ad Dominicalia principis pertinentes, bona fide, sanoq; consilio procurarent: ad propria reuersus, non desinens tamen, sed cum eiusdem fidelibus & amicis satagens, de eiusdem redemptione tractare. Effectum est autem per eius industriam, quod in eadem aestate, multo tamen interueniente precio, princeps Antiochiae, uix per annum integrum apud hostes detentus, libertati simul & honori pristino restitutus est: qui Antiochiã reuersus, non quieuit deses: sed uiuacitate qua potuit, ut obsides quos dederat, soluto pro eis precio, recipere non moraretur: ad Imperatorem Constantinopolitanum festinat, qui paucis ante diebus sororem eius in uxorem, Mariam iuniorem duxerat. Vnde ab eo honorificè susceptus, benignè tractatus, munificentissimè donis Imperialibus cumulatus, intra paucos dies Antiochiam reuersus est. Videtur autem mirũ, quod Noradinus tam prudens, tamq; prouidus princeps, & qui captiuos nostros tam inuitus à suis dimittebat carceribus, & in hoc maximè gloriabatur, quod multos ex nostris praesertim nobilibus, suis haberet uinculis mancipatos, cur Antiochenũ principem tam citò permisit libertati restitui? Super quo duae nobis oriuntur solutiones: uel quia domini Imperatoris preces timebat, ne fortè gratis dominus Imperator uellet eum habere, cui aliquid tale negare uerecundaretur: uel, quia cum esset iuuenis, nihilq; bonae spei de se promitteret, uerebatur ne si diutius eum teneret, Antiocheni fortiorem surrogando, sibi consulerent, & ei durior obijceretur aduersarius. tutius enim uidebatur uiro discreto, & circumspecto plurimum, quòd hic, de quo non multum benè sperabatur, Antiochenae praeesset prouinciae, quàm uice eius aliquis prudentior robustiorq; eandem administraret regionem, cum quo periculosius esset negotia partiri. Haec nobis uidetur uiri uigilantissimi mens fuisse. Eadem tempestate, Syraconus, unde superius fecimus mentionem, uir argumentosus, in nostram perniciem, municipium quoddam nostrum, in territorio

Sydoniensi

Sydoniensi situm, speluncam uidelicet inexpugnabilem, quæ uulgo dicitur Cauea de Tyrum, corruptis (ut dicitur) precio custodibus, subitis & improuisis occupat machinationibus. Argumentum est, quod per consensum illorum quibus custodienda tradita fuerat, in manus hostiũ deuenisset, quia statim tradito municipio, qui intus erant, omnes ad hostiũ fines declinauerunt, excepto eorum domino, qui casu fortuito comprehensus, suspẽdio apud Sydonem, uitam infœlicem finiuit. Eodem anno Vuilhelmus inclytæ recordationis, Siciliæ Rex, domini Rogerij regis filius, extremum clausit diem, morte præuentus. Per idem quoque tempus, eiusdem generis præsidium, spelunca iterum inexpugnabilis, ultra Iordanem in finibus Arabiæ situm, fratrum Militiæ templi diligentię deputatum, eidem Syracono traditur: ad quam eripiendam dominus Rex properans cum multa militia, dum supra Iordanem castrametatus esset, recepit nuncium, quòd præsidium in manus iam deuenerat inimicorum. quo audito, dominus Rex cõfusus & ira succensus, de fratribus Templi, qui hostibus castrum tradiderãt, patibulo fecit suspendi prope duodecim. sicque rebus nostris eo anno, qui erat domini Amalrici tertius, peccatis nostris exigẽtibus, plurimum accessit detrimenti: ita ut regnum uniuersum in arcto nimis esset constitutum.

Syraconus in Aegyptum descendit, multam secum trahens militiam. Caput XII.

DVm hæc circa nos aguntur, rumor frequens personuit, & fama celebri diuulgabatur, quod sæpedictus Syraconus cum magnifico apparatu, conuocatis infinitis milibus, ab orientali et septentrionali tractu, in Aegyptũ denuò parabat descẽsum: nec erat uana opinio. Adierat enim illũ maximum Saracenorum principem, qui quasi singularis monarcha, cunctis excellentior, omnibus intelligitur præesse, Calypham uidelicet de Baldac. ad quem perueniens, exhibita solita reuerentia, cœpit exponere diligenter, innumerabiles Aegypti diuitias, bonorum omnium, & singularum cõmoditatum copias admirabiles: principis illius inæstimabiles thesauros, census, uectigalia, de terrestribus & maritimis urbibus, annuas obuentiones quantitatis infinitæ. Ad hoc populum delicijs deditũ, rei militaris expertẽ, longa quiete dissolutum adijciens & inculcans, & ad memoriam frequenter reuocãs, quomodo tam hic, qui illi regno præerat, quàm eius progenitores, contra eũ suosque prædecessores sedem sibi erexerant æmulam, singulari eum excellentiæ, imprudenter se pacificantes. quod etiam legem aliam, contradictoriasque traditiones docere præsumpserant. His & alijs Calyphæ animum reuerberans, quæ intẽdebat, persuasit. Scripsit ergo uniuersis territorij sui principibus, districte præcipiens, ut uires conferant, impendant auxilium, eumque sequãtur. Audiens hæc dominus Amalricus, uolens illius molimina præuenire, Curiam apud Neapolim conuocat generalem: ubi præsentibus domino Patriarcha, Archiepiscopis, episcopis, & alijs ecclesiarum prælatis, principibus & populo, necessitates regni docet ex ordine: omnium suppliciter implorans auxilium. Decretum est ergo, & cõmuni uoto susceptum, ut omnes generaliter, nemine excepto, ad regni subsidium, uniuersarũ mobilium decimas darent: quod & factum est. Rumor interim erat non remissior, quod procul dubio Syraconus, sumptis necessarijs ad dies multos alimonijs, utribusque aquas

aquas deferens, per solitudinem, qua populus Israël ad terram uenerat promissionis, iter arripuerat. Rex autẽ collatis, quos habere poterat, militibus, obuiam exiens, usq; ad Cadesbarne, quę est in solitudine, cum omni celeritate properat, ut euntem impediret: eoq; non in uento, celerius reuertitur.

Rex Syraconum subsequens, similiter descendit in Aegyptum: Aegyptijs auxilium ministraturus. Caput XIII.

CONuocatis ergo ex urbibus singulis per uocem præconiam, tam equitum quàm peditum uiribus uniuersis, & apud Ascalonam unanimiter congregatis, tertio Cal. Februarij, cœptum aggredientes iter, assumptis sibi ad dies constitutos necessarijs alimentis, uastitatem solitudinis, quæ interiecta est media inter Gazam ultimam regni nostri ciuitatem, & Aegyptiacam diœcesim, recensito numero, & nouissimis expectatis, apud Laris, antiquissimum eiusdem solitudinis oppidum, maturatis transierũt itineribus: tandem apud eam quæ dicitur Belbeis ciuitatem, unde frequentem fecimus mentionem, quæ olim dicta est Pelusiũ (cuius frequens memoria est in prophetis) uniuersus applicat exercitus. Cognito ergo domini Regis aduentu, Sanar Soldanus, de nostrorũ subito stupefactus cõcursu, timens ne aduersus eum strueretur omnis apparatus, & de fide nostrorũ dubitans, formidine nimia corripitur. nam licet alias uir prudens & industrius, prouidusq; plurimum haberetur, in ea tamen parte tam supinus, tamq; crassa laborans ignorantia repertus est, ut uix caussam nostrorũ edoctus, uix crederet, peneq; serò, lentusq; miserat exploratores per solitudinem, qui ei certa de hostium exercitu nunciarent. Redeuntes autem qui missi fuerãt, Turcorum expeditiones, ad eum locum qui dicitur Attasi peruenisse denunciant. Tunc uerò Soldanus fidei nostræ admirans, & laudibus attollens sinceritatem, diligenter cõsyderans, quãtam pro amicis sollicitudinem Christianus impendisset exercitus, uniuersas regni & Calyphæ regis obsequijs exponit diuitias, uniuersorũq; mandatorum eius sedulum ab illa die se prębuit executorem, eiusq; D. Rex, ad omnia necessarijs utebatur ministerijs.

Describitur Cahere, & quis eius loci primus fundator fuerit, aperitur. Caput XIIII.

TRansceuntes igitur Pelusium & Cahere, ubi regni solium & totius Aegypti culmen, magnificis decoratum ædificijs monstratur, ad læuã habentes nobilem & egregiam metropolim, quę uulgo Babylonia dicitur, lingua uero Arabica mater appellatur, super ripã fluminis castra locauerant. Huius ciuitatis nomen non potuimus reperire antiquius: nam Babylon, siue Babylonia ciuitas fuit antiquissima in Oriente. Iuxta enim ueteres historias, nulla unquam in Aegypto huius nominis audita est ciuitas. Vnde uerisimile est, post tempora Pharaonum, qui primi in Aegypto regnauerant, & Ptolemęorum qui posteriores: sed etiam post Romanorum tempora, qui regnum Aegypti in prouinciam redegerunt, hanc urbem conditam: sicut de Cahere constat, quod Iohar, princeps militiæ Mehezidinalla, qui tunc in Aphrica regnabat, postquam domino suo Aegyptiorum omnem diœcesim acquisiuit, fundasse dinoscitur: quod qualiter acciderit, in sequẽtibus dicemus. Aliqui tamen confidenter asserunt, quod ista sit illa antiqua nobilis & famosissima Memphis, cuius in ueterib. historijs, & in prophetis multa est memoria, quæ

quæ totius regni illius, & multarum finitimarum prouinciarũ caput & moderatrix dicitur fuisse usq; hodie. Tamen ultra Nilum, qui hanc (de qua loquimur) urbem præterfluit, quasi ad decem miliaria, apparet urbs annosa, infinita, uetustæ nobilitatis, & eximiæ magnitudinis argumenta præferens: quam etiam incolæ regionis Memphim ueterem fuisse, pro certo asseuerãt. Probabile est ergo, aut necessitate impulsum, aut maioribus cõmoditatibus tractum, Mempheos populum citra flumen domicilia transtulisse, nomenq; uel tum, uel postea mutasse pristinum. Cęterum fixum tenemus, quod Iohar (ut suprà diximus) qui exercitibus magni principis Mehezedinalla, ad expugnandam Aegyptum ab Aphrica missus fuerat, iuxta hanc eandem ciuitatẽ, subacta uniuersa regione, & populis tributarijs constitutis, Cahere construxit, quasi domino suo præcipuum futurum & familiare domicilium, anno à regno Mahumet trecentesimo quinquagesimo octauo: quẽ Mehezedinalla tertio postea anno, relicta Carrea, ubi regni sui sedes per aliquot annos fuerat, secutus, iuxta principis sui dispositionẽ, prædictũ locum regni soliũ constituit, & domestica habitatione reddidit gloriosum, anno à regno Mahumet trecentesimo sexagesimo primo, regni uerò sui uigesimo: sicut alibi in historia, quam de principib. Orientalibus cõtexuimus, diligẽtius est digestũ.

Accedenti Syracono, Rex occurrit obuiam: ille Regem præueniendo, transit flumen. Caput XVI.

Locatis igitur nostris supra ripã fluminis, uix à prędicta urbe stadijs duob. cõmunicato cõsilio, libratisq; multa deliberatione partibus, optimũ ducũt, Syracono, suisq; anteq; fluuiũ transeãt, occurrere, eũq; à regni finibus arcere, potius q; flumine transmisso, cũ eis cõserere, quos postea cõmeandi difficultas redderet acerbiores. Solutis igitur castris, ad locũ ubi hostes esse dicebant, festinãt. Is autẽ ab eo loco, ubi nostri prius castrametati fuerãt, quasi miliarib. decẽ dicebatur distare. Postq; uerò ad prędictũ cõueniunt locũ, ipse iam tanq; dux uigilantissimus, cum uniuerso penè exercitu flumen trãsierat: paucis relictis, quos nostri capiẽtes, uinculis alligarũt. Interrogati tamẽ de trãsitu eius, de militũ numero, deq; multis necessarijs nostros instruxerũt. ibi quiddã sanè quod nostris erat incognitũ, eorũ patuit relatiõe: uidelicet, quod in solitudine, postq; Syriã Sobal transierãt, oborto subitò uentorũ turbine immanissimo, tantus ex harena puluis in modũ nubiũ & densæ caliginis per aëra dispersus est, ut oculos uel ora, ut sibi colloquerentur qui in exercitu erant, aperire omnino nõ auderent, de equis descendentes, ad terrã prostrati, manibus quanto altius arenę imprimere poterant adhęrentes solo, ne ui turbinis raperentur in sublime, iterũ ad terrã casuri. Solent enim in illa solitudine ad instar maris, arenarum quasi quidam fluctus attolli, deponiq;, in modũ procellarũ, ita ut nõ minus quàm per aquas nauigantibus periculosum sit, per illa ut impor tuna loca transire. Amissis ergo camelis, & alimentorũ parte maxima, uix de uita sperantes, extinctis pluribus, multis etiam per uastitatẽ latè patentiũ arenarum dispersis, reddita demum aëris clemẽtia, incertis itineribus magis deuiantes, quàm de uia certi, post dies aliquot, ut prædictum est, peruenerũt in Aegyptum. Porrò uidens exercitus noster, quod ille cum suis flumen transierat, recursa per quam uenerant uia, iuxta eandem urbem, quam prius dimiserant, supra fluminis ripam castra iterum locauerunt.

Soldanus, ut Regem detineat pactis innouatis, elaborat. Caput XVI.

VIdens igitur Soldanus, quod hostem, quem intra regni fines susceperat, nullatenus aut sustinere, aut à regni finibus nisi per dominum Regē poterat expellere, solicitus erat, quo pacto Regem posset in Aegypto detinere. uerebať eñ, ne laboris immensitate fatigatus, redire ad propria disponeret: nec alia ratione, quod dominus rex in terra morē faceret, posse fieri penitus illi uidebať nisi maior ei tributorū summa statuereť, & sufficientes sibi & suis principibus designarentur impensæ. Placuit ergo sibi, & idipsum uisum est nostris expedire, uetera innouare pacta, pacisq; perpetuæ fœdera inuiolabili stabilitate inter dominū Regem & Calypham firmare, annuaq; tributa ampliata possessione, domino Regi certa stipendia de ærario Calyphę constituerentur. Videbatur enim res nō facile finem habitura, sed laboris exigere diuturnitatem, & temporis plurimum postulare. Conuentionum autē & facti huius mediatores, pertentatis hinc inde partium desiderijs, & uoluntate prægnita, decernunt domino Regi quadringenta aureorum milia: ducenta milia statim soluentes, reliqua ducenta milia, placitis temporibus sine difficultate soluturos se spondētes, ea conditione, eoq; tenore: Quod dominus Rex bona fide, sine fraude & malo ingenio, propria manu firmaret, quod de regno Aegypti non egrederetur, nisi prius Syracono, omni exercitu eius penitus extincto, aut de omnibus Aegypti finibus propulso. Placuit autem partibus conditio. Dominus Rex his qui à Calypha missi fuerant, super placitis conuentionibus dexteram dedit. Missus est autem dominus Hugo Cæsariensis, miræ prudentiæ iuuenis, & supra id quod solet ætas illa ministrare, circumspectus: & cum eo quidam alij, in cuius manu Calypha, iuxta consonantiam placitam, pacta firmaret; non enim sufficiens uidebatur, si in eo Soldanus se solus obligaret.

Mittuntur ad Calypham qui fœdus innouent: & describitur regiæ domus magnificentia. Caput XVII.

ET quoniam singularem, & seculis nostris incognitā habet illa principis domus consuetudinem, libet diligenter annotare, quę fidei relatione eorum qui ad illum tantum principem sunt ingressi, de statu & magnificentia, & immensitate diuitiarum, & gloriæ multiplicitate, comperimus. non enim erit minimum profecisse, nec intellexisse diligentius. Prædictus ergo Hugo Cęsariensis, & cum eo Ganfredus Fulchera, frater Militiæ Templi, in principio obeundę legationis, ducente Soldano, Cahere ingressi, ad palatiū, quod lingua eorū Casdere diciť, accedētes, tum apparitorū numerositate maxima, qui cum gladijs & strepitu præcedebant per angiportus, & loca luminibus egentia ducti, ad singulos introitus armatorū Aethiopum crebrę cohortes, salutationis officium certatim Soldano exhibentes, repererunt. Transeuntes autē primam & secundā custodiam, ad quędā diffusa & magis spaciosa loca, soli peruia, & diuo exposita, intromissi, deambulatoria inueniunt, columnis subnixa marmoreis, auratis laquearibus, & prominentibus celata operibus. Pauimento strata uario, ita ut omni suo ambitu, regiam prætenderent dignitatem: quibus tanta inerat materię & operis elegantia, ut transeuntium etiam inuitos detinerent oculos, & quodam uidendi auiditate, inuitante operū eximia

mia nouitate, intuentium aspectus non finerent satiari. Erant ibi piscinæ marmoreę, aquis redundantes limpidioribus: erãt auium multimodarum, quas noster non nouit orbis, uarij garritus, formę incognitę & coloris peregrini, figurarum quantum ad nos prodigiosarũ: cuiq; gustus iuxta speciem suam, & edulium cuiq; uarietati eorum consentaneum. Inde ad ulteriora, præuijs eunuchorum principibus, admissi, iterum ædificia tanto prioribus elegãtiora inueniunt, quanto prius uiderant uulgaribus & usitatis præstantiora. Videbatur hic quadrupedum stupẽda uarietas, qualem pictorũ manus lasciua depingere solet, qualẽ solet poëtica licentia mentiri, aut somniãtis animus uisionibus imaginari nocturnis, qualẽ orientis & Austri solent diœceses ministrare: occidẽs aũt uidere nunq̃, audire uerò rarius cõsueuit. Videbatũ procul dubio, quod ex ijs locis, Solinus noster Polyhistoris sui deduxerit historiã.

Complentur pacta, & in eorum confirmationem Calypha dexteram dat Hugoni Cæsariensi. Caput XIX.

ETiam per multos anfractus, & uaria diuerticula, quæ etiam negotiosos poterant sui contemplatione detinere, uentum est ad ipsam regiam: ubi maiores armatorum cunei, satellitum quoq; stipatus numerosior, habitu & frequentia domini gloriam incõparabilem fatebantur: ita quoq; locorum facies domini opulentiam, & supereminentes diuitias prętendebant. Ingressis porrò eis et in interiorẽ partẽ palatij admissis, Soldanus de more consuetam dño exhibens reuerentiã, semel & secundò humi prostratus, quasi in eo debitũ cultũ, & quoddã adorationis genus cœpit supplex impẽdere. Tertiò iterũ prostratus ad terram, gladiũ quem de collo gestabat suspensum, deposuit: & ecce subitò cõtractis mira uelocitate uelarijs, margaritarum uarietate auroq; cõtextis, quæ media dependebãt, & obumbrabant soliũ, reuelata facie, throno sedẽs aureo, habitu plusq̃ regio, paucis circa eum de domesticis & familiaribus eunuchis, apparuit Calypha. Tunc accedens cũ omni reuerẽtia Soldanus, sedentis pedibus osculũ humiliter imprimẽs, aduẽtus legatorũ causam, et tenorem pactorum, regni etiam urgentissimam necessitatẽ, hostes im manissimos, in medijs astare uisceribus: quid etiam ab eo exigatur, quid'ue ei à domino Rege impendatur, sub uerborum cõpendio aperit. Ad hæc ille benignè multum et placida tranquilli uultus hilaritate respondit: se iuxta initas & utrinq; admissas conuentiones, dilecto suo D. Regi, larga interpretatione cuncta adimplere paratũ esse. Petentibus nostris, ut hoc propria manu firmaret, sicut dominus Rex fecerat: prima facie uisi sunt, qui ei familiarius astabant, auriculares & cubicularij, penes quos cõsiliorum regiorum erat authoritas, rem nimis tanquam à seculis inauditam abhorrere: tandem uerò, post multam deliberationem, & Soldani diligentem instantiã, manum porrigit, inuitus nimirum, sed uelatã: cui prædictus Hugo de Cæsarea, multum admirantibus & stupentibus Aegyptijs, quod tam liberè summo principi loqueretur, dixit: Domine, fides angulos non habet: sed in fide media, per quam se solent obligare principes, omnia debent nuda esse & aperta, & cum synceritate colligari & solui conuenit uniuersa, quæ fidei interpositione, pactis quibuslibet inferuntur. Propterea aut nudam dabis, aut fictum aliquid, & minus puritatis habens, ex parte tua, cogemur opinari. Tunc demum

inuitus plurimũ, et quasi maiestate detrahens, subridens tamen, quod multũ ægrè tulerũt Aegyptij, dexteram suam in manum domini Hugonis nudam præbuit, eundem Hugonem, pactorum formam determinantẽ, eisdem penè syllabis sequens, tenorem conuentorum bona fide, sine fraude & malo ingenio se obseruaturum contestans. Erat autem, sicut dominus Hugo nobis retulit, iuuenis, prima pubescens lanugine, fuscus, procerus corpore, facie uenusta, liberalis plurimum, innumeras habens uxores, nomen eius Elhadech, filius Elpheis. Quibus dimissis, regiæ liberalitatis insigne, munera legatis dirigit, quæ tantum principem sua quantitate et specie cõmendarent, ut à facie tanti principis iucundũ haberent egressum, & ad suos remitteret lætiores.

Dicitur quare princeps Aegyptius dicatur Mulene. *Caput* XX.

ET quoniam de magnificẽtia eius, secundum quod audiuimus ab his, qui uiderunt, et oculata fide inspexerunt, dictum est: de nomine quoq; dignitatis, et ortu, et processu eius, quantũ nobis nosse datum est, tum ex relatione ueterum historiarum, tum ex multorum ueridica relatione, in medium proferamus: non enim erit absq; historiæ compendio, in hac parte lectorem reddidisse doctiorẽ. Princeps igitur Aegyptius, apud suos duobus appellatur nominibus. dicitur enim Calypha, quod interpretatur successor uel hæres: eo quòd summi eorum prophetæ uicem teneat, et successionem iure hæreditatis. Dicitur et Mulene, quod interpretatũ Dominus noster. Posterioris nominis ratio inde uidetur traxisse initium, ex quo Ioseph noster, tempore Pharaonis omnem Aegypti regionẽ præ angustia famis possessiones suas emit, subiecitq; eas Pharaoni, & cunctos populos eius à nouissimis terminis Aegypti, ad extremos fines eius, dicens agrorum cultoribus: Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto uobis in sementem, & in cibos familiares, & domib. uestris & liberis. Emit ergo prius possessiones, deinde personas. unde est, quòd arctiori uinculo tenentur Aegyptij domino suo, & amplius sunt ei obligati, quàm aliorum habitatores regionum magistratib. suis. Quippe qui & eos & eorum possessiones precio interueniente comparauit. unde & seruili nexu, et extrema conditione ei tenentur annexi. Ita ergo per optimi procuratoris sui egregiam solicitudinem temporibus Pharaonum, deinde Ptolemæorum, & postea temporibus Romanorum, qui eam more aliorum regnorum redegerunt in prouinciam, consuetudo hæc obtinuit, ut serui sint Aegyptij, & ea reuerentia consueuerunt appellari. Nihilominus autem & ueteris consuetudinis portio est, quod idem princeps ocio uacans perpetuò, & delicijs deditus, tumultuum ignarus, & solicitudinis expers, procuratorem habet, qui uniuersa administrat regni negotia, tanquã alter Ioseph, & potestatẽ gladij, & omne uice domini ius adimplet. Hic Soldanus dicitũ, et in hac administratione erat Sanar, unde nobis uerbũ est tam frequens.

Subiungitur quare idem ipse dicatur Calypha: & quomodo sit aduersarius Baldacensi Calyphæ. *Caput* XXI.

PRioris aũt nominis hæc est ratio, Mahumet propheta eorũ, imò subuersor, qui primus Orientales populos ad huiusmodi traxit superstitionẽ, successorẽ habuit statim quendam de cooperatoribus suis, Beberce nomine. Post quem successit in regno Hamar filius Chata. post hunc Tthemeni: post quem

quem Haly filius Bethaleb. Hi omnes dicti sunt Calyphæ: sicut & deinceps qui ei successerunt, & eius erant hæredes. Iste enim ab eo quintus, Haly uidelicet, cum esset cæteris qui cum præcesserant, magis in armis strenuus, & in re militari supra omnes illius tēporis exercitatus, & impius, Mahomet patruelis indignari cœpit plurimum, quod filius diceretur successor, & non magis Propheta eximius, & multo maior illo haberet̃. Nec satis uisum est ei ita de se uel alios opinari, nisi id publicè prædicaret. adiecit etiam illud blasphemiæ plenum, dicere, & per uulgus disseminare, quod angelus legislator Gabriel, ad se missus fuisset diuinitus, sed errore deceptus eā Mahomet cōtulisset, unde fuit grauiter à Domino correptus. Hæc etsi absona quibusdam eorum, & aliorum traditionibus multum dissentire uidebat̃, inuenit tamen populū qui sibi crederet; sicq; regente illa, exortū est schisma, quod postea nō defecit usq; in præsentem diem. alijs dicentibus: Mahomet maiorē esse, & omniū eximiū prophetarum, & hi lingua eorum dicūtur Sumni: alijs dicentibus, Haly solū esse prophetam Domini, & isti dicuntur Sya. Occisus est autem prædictus Haly, & obtinuit pars aduersa principatū, & fuit penes sequaces Mahomet monarcha in Oriente, & alios contrariæ opinionis uiros opprimebāt, tanq; potestatē habentes. Anno igit̃ ducentesimo octogesimo sexto, à regno sæpe dicti seductoris, surrexit uir quidam nobilis, nomine Abdalla, filius Mahomet, filij Iaphar, filij Mahomet, filij Hab, filij Husseret, filij Haly maioris, de quo præmisimus. hic egressus de Semelia ciuitate, quę est in Oriēte, transiuit in Aphricā, & occupatis uniuersarū illarum partium regnis, uocauit se Mehedi, quod interpretat̃ Complanans: quasi qui uniuersa ad quietē dirigat, & uias sine offendiculo, populo faciat planiores. Aedificauitq; ciuitatē de nomine suo maximā, Mehedemiā, quam regnorū suorum uoluit esse caput, & supereminentē metropolim. Hic classe ordinata, cepit Siciliā, & quasdā Italiæ partes depopulatus est. Hic primus omniū post Haly attauū suum, ausus est dicere, & se nominare Calyphā, nōn quod Mahumet se diceret successorem, quem execrabat̃: sed maximi & eximij prophetæ Haly, de cuius stirpe descenderat, ut præmisimus. Ausus est etiā nihilominus in Mahumeth & sequentes eius, maledicta publicè iaculari, aliumq; ritum, aliumq; modum orādi tradidisse. Huius nepos Abuthamin, cognomēto Ebuthediualla, subiugato sibi Aegypto, per Iohar principē militię suę, constructaq; Cahere, quod interpretat̃ Vincens, eo quòd domini eorū pręcipui & summi principes oia uincentes, futurū erat domiciliū. Egressus de Caroca, quę est in diœcesi Aphricana, in qua prędecessores eius quatuor habitauerant, descēdit in Aegyptū, & pręDictū locū constituit regni soliū. Ab illa igit̃ die, usq; in pręsens, nō defuit Calyphę Oriētali, qui tot annos fuerat monarcha, æmulus in Aegypto regnās, tum de paritate contendens, imò etiā se pręferens. Hęc si quis plenius scire uoluerit, illam legat historiā, quam de Orientalib. principibus et eorū actibus, à temporib. prędicti seductoris Mahumet uidelicet per annos quingentos septuaginta septē, usq; in pręsentē diē, qui est annus ab incarnatione Dñi millesimus centesimus septuagesimus secundus, cum multa scripsimus diligentia, instante & regnante domino Amalrico inclitæ memorię, & exēplaria Arabica ministrāte.

PActis, ut prædiximus, renouatis, & utrinq; ad cōsonantiam redactis, ad opus conceptū unanimiter se accingunt, parati hostē insequi, et de regno expellere uniuerso. Nox interim irruens, caussam parauerat quietis. manè sa cto, rerum inueniunt aliquā mutationē. nam Syraconus illa nocte ueniēs, su pra ripā fluminis eiusdē oppositā, è regione nostri exercitus castra posuerat. Cōportatis igit̄ nauibus & trabibus palmaceis, quales illa regio cōsueuit ha bere, D. Rex pontem præcipit ordinari. iungebant̄ naues binæ, desixisq; an choris, reddebātur stabiles: desuperq; trabibus ordinatis, terra supponebat̄: demum turribus ligneis machinis superérectis, armabant̄. Sicq; per dies ali quot, usq; anni medium, productum est opus. nam reliquū exequi, et ad ulte riorē ripā procedere, hostiū formido uetabat. Hic iam per mensem & eo am plius omnis belli euentus, suspensus tenebat̄, nostris nō ualentib. amnē tran sire, hostib. nō audentibus ne nostri à tergo irruerent, ulterius euagari. Dum hæc circa Cahere agunt̄, misit Syraconus partem de suis qui in insulam, quæ uicina erat omnibus referta copijs, si possent occuparent, & nostros aliquan do illuc descensuros præuenirēt. quod & factum est. Sed postq; D. Regi in notuit, hostes in insulam descendisse, misit illuc D. Milonē de Planci, & Che mel Soldani filium, cum parte militię: qui ad insulā tandē peruenientes, Tur cos in ea reperiunt, in loci illius habitatores immanissimè sæuientes. quibus facti obuiam, cōmisso inter eos prælio, uiriliter hinc inde pugnatum est. Sed tandem Dño iuuante, nostri superiores facti, cōpulerunt eos in flumē proxi mum se dare præcipites: ubi qui gladios euaserant, submersi sunt in aquis ue hementibus. Perierunt ergo ex eis illa die, uarijs casibus equites quingenti. quod postq; Syracono nunciatū est, cœpit de proposito amplius diffidere, animo plurimum cōsternatus. His ita se habentibus, quidam de nostri regni principibus, Hemfredus uidelicet de Torono, Regius Cōstabularius, item Philippus de Neapoli, qui cum D. Rege ex caussis familiaribus, morā domi facientes, egressi non fuerāt, cum multa uelocitate exercitum secuti, castris no stris se applicant: quorum aduentum cum multa hilaritate & plausu nostræ susceperunt cohortes. Erant enim uiri fortes, et in armis strennui, in re quoq; militari à primis annis plurimū exercitati. Inito ergo cōsilio, deliberant quid facto opus sit: tandemq; cōmuni uoto decernūt, classem uniuersam intempe stæ noctis silentio, clam hostibus in insulam, quę inferius erat, uix octo milia ribus ab eo loco, in quo castra erāt, remota, deducere, exercitumq; omnem, circa primam noctis uigiliam, illuc transfretare: eo uidelicet intuitu, ut hosti bus ignorantibus, flumine transito, de nocte super incautos irruerēt, damna quanta possent irrogaturi. Mandatur ergo executioni cōsilium, & classis, ne scientibus aduersarijs, ad prędestinatū locum descendit. Exercitus uerò cum summo silentio sequens, & nauibus subitò transuectus, insulam occupat. & dum alteram fluminis partem, eodem modo, iuxta cōdictum exsuperare ni tuntur, exacto repentè turbine uentorum, opus implere prohibiti sunt: unde & in ea parte, quæ ulteriorē ripam respicit, castrametari coacti sunt. Relique runt tamē de nostris, qui pontem cœptum perficiant, & perfectū tueant̄: eiq; præficiunt D. Hugonem de Hybelim, uirum magnificum & potentem, qui ut prædiximus, relictam D. Regis uxorem duxerat.

Describitur insula, & quot & quibus ostijs mare ingrediatur Nilus. Nostri eiectis hostibus insulam occupant. fugit Syraconus in solitudinem. Caput XXIII.

INsula hæc, unde nobis sermo est, apud eos Mahelech dicitur, bonis omnibus copiosior, & gleba ubere lætissima, ex diuisione fluentorũ Nili, fit. ibi enim diuidit̃ fluuius in partes, quas ab inuicẽ separat, usq; ad mare iterũ non recepturus. sed tamẽ iterum non cõueniens, quatuor ostijs mari se immiscet. Prima pars quę nostrã Syriam respicit, inter duas urbes antiquissimas mari timas mare ingredit̃, inter Taphiũ & Pharamiam: sed alterius ædificijs uicinior, locũ præterfluendo alluit, ab altera aliquantulũ quasi miliaribus tribus aut quatuor distat. Secunda apud Damiatã urbem antiquã et nobilem fretis adiungitur. Tertia apud Sturionẽ. Quarta apud Reffith: qui locus Alexandriæ conterminus est, uix ab ea distans miliaribus quatuor aut circa, id mari nis fluctibus excipitur. Quærentibus sanè nobis & inuestigantibus diligenter, nulla alia amnis huius occurrunt hostia: unde miramur plurimum, antiquos Nilum septẽfluum dixisse, quasi septẽ ostijs mare ingrediatur. Nec aliud nobis pro solutione occurrit, nisi aut serie seculorum antiquissima locorum faciem alteratam', fluuiumq;, sicut alijs etiam amnibus solet crebrius accidere, alueum mutasse: aut pristinæ ætatis uiros, rei ueritatem non esse assecutos: aut fortasse exuberãte flumine, & solitis incrementis facto redundantiore, uias pręter istas quatuor, tumidioris sui tempore aquarum decursus reperit, per quos postea infra alueũ receptus, pelagus desinit introire. Quas si quæ sunt, quia iuges nõ habent aquas, sed more torrentium, certis tantũ temporibus defluunt, inter ostia non cõputauimus. Occupata igit̃ insula, minor pars fluminis restabat: iamiamq; inclarescente die, hostes somno soluti, nostros uidentes abijsse, classe subducta, ad arma cõuolant, subitũ nostrorum timentes incursum. Inde celeritatem secuti, secus fluuiũ agmina trahentes, nostros cõspiciunt insulam occupasse, eamq; quæ transeundum restabat fluminis portionem, classe immissa, quasi propriã uendicare. Castra igitur locant ex aduerso, longè tamen à crepidine aluei aliquantulum, unde non habebant prorsus liberum ad aquas accessum. Vnde etiam equos ad aquam trahẽtes, inferius descendebant. Sequenti igitur die, propositum fuerat modis omnibus fortunam tentare, & aperire ferro uiam, cum ecce nocte illa nobis ignorantibus, hostes discedunt. mane autem facto, uidẽtes eos abijsse, flumine celerius transmisso, hostes insequi nostri festinant. Hic sanè accelerandi gratia, quo expeditius equites proficiscerentur, relictis pedestribus auxilijs, D. Rex cum solis equitibus ad iter accingitur. Dimisit tamẽ D. Hugonem de Ibelim, & Chemel Soldani filium, cum multa tum nostrorum tum Aegyptiorum militia, qui Cahere, pontemq; quem nostri perfecerãt, à subitis hostibus incursibus tuerentur. Hic traditæ sunt nostris turres, & uniuersæ nobilis illius urbis munitiones, domusq; Calyphæ nostris hactenus incognita, cis peruia facta est, ita ut & ipse dominus & omnis familia eius, salutis spem omnem in nostris tantum habebant. Tunc reuelata sunt nostris illa sancta sanctorum à seculis abscondita, & stupenda prius & paucis familiaria patuerunt arcana. Misit etiam dominus Rex, Gerardum de Pugi, & alterum Soldani filium Mahadam nomine, in ulteriorem fluminis ripam, cum utriusque gentis expeditione: qui si forte hostes amnem transire tentarent, ipsi

eorum conatibus reniterent. Depositis igit, ut prędiximus, ex maxima parte impedimentis, D. Rex hostē insequitur, cōtra decursus aquarum. ipsa enim regionis forma, certum dabat insequētibus de hostiū itinere argumentum.

Describitur Aegypti regio, & qualis sit aperitur. Caput XXIIII.

OMnis enim Aegyptiacus tractus, à prioribus auspicijs suis, quibus Aethyopum regioni cōtinuari dicit, inter duas solitudines iacet arenosas, perpetua sterilitate dānatas. nec aliquando sentit aut pręstat fructuarios prouentus, cuiuscūq; generis, nisi quantū ex beneficio exuberātis Nili certis temporibus fœcundatur. Fluuius aūt non nisi quantum locorū adiacētium opportunitas permittit, sua reddit irrigatione frugibus aptā regionē. nam ubi circa se planiorem reperit superficiem, liberius effusus, latius etiam terrā cultui præbet hilariorē, & diffusiorem glebę porrigit ubertatē. A Cahere ergo inferius, uersus mare, planiora penitus inueniēs loca, excursus habet liberos: unde & fœcunditatē liberius latiusq; procurat, et regno maximū dans incrementum, fines eius dilatat. Nam ab eo oppido quod dicit Phacus, quod Syriam respicit, usq; Alexandriā, quæ nouissima illius regni ciuitas, arentē contingit Libyā, centū & amplius miliaribus culti fœcundiq; cōmoditas diffunditur. A Cahere uerò suprà usquequo perueniat Chus, Aegyptiæ diœcesis ultimam ciuitatē, quæ regno Aethiopiæ dicit esse cōtermina, tantas patitur arenosorū collium angustias, ut raro septē uel octo miliaribus, frequentius quatuor aut quinq;, aut alrinsecus, aut ex una tantū parte diffusus, ad suę exundationis modū, regni fines laterales uel cōtrahat, uel producat. nā quæ loca nō irrigat fluuius, solis ardoribus & perpetuę, ut diximus, sterilitati deputantur. Superior igitur regio lingua eorū Sereh appellatur. Cuius nominis nullam aliam adhuc potuimus inuenire rationem, nisi quod priscis temporibus in superioribus Aegypti partibus legitur fuisse una ciuitas antiquissima Says nomine, cuius mentionem Plato noster in Timeo, sub persona Critiæ discipuli sui, Solonē præcipuè auctoritatis uirum introducēs facit: cuius uerba ad maiorem euidētiam ponenda indicauimus, ne quid deesse auctoritati uideatur. Est (inquit) regio Aegypti, Delta nomine, cuius è uertice Nili scinduntur flueta, iuxta quam Says nomine, ciuitas magna, quam regit mos uetus, qui lex Satyra nuncupatur. Ex hac urbe Amasus fuit Imperator, &c. Est tamen quædā alia regio ad eandem pertinens Aegyptum, à Cahere distans itinere diei unius, per terrā inhabitabilem, quæ eiusdē fluminis beneficio per quosdam meatus uisitata, opimum & fertile nimis habet solum, agrorum & uinearum multa gaudens opulentia. Hāc Aegyptij lingua sua Phium uocāt, hanc ut ueterum tenet traditio, prudentissimus procurator Aegypti, & optimus utilium prouisor Ioseph, cum prius solū inutile, aratri prorsus ignarū, & culturæ & curæ expers omnino à mundi iacuisset initio, sicut eiusdem solitudinis partes aliæ, considerato loci situ, quia circum adiacentibus locis finitimis humilior uidebatur, & quod solutis quibusdā aggeribus, qui medij erant inter habitabilem tractum & eandem solitudinis partē, facile posset recipere fluminis beneficium, depositis aggeribus, & media quæ interiacebat superficie cōplanata, Nilum restagnantē, paratis aquæductibus introduxit, & à seculis solo incognitā familiarem fecit fœcunditatē. Nos autē antiquum eius uocabulum non tenentes, opinamur, priscis temporibus Thebaidam dictam,

dictam, unde sanctorum Thebæorum Legio (quæ sub Diocletiano & Maximiano Augustis apud Agaunū martyrio coronata est) legitur fuisse, cuius primicerius magnus Martyr Mauritius dicitur fuisse. Et aliud argumētum accedit, quod opium optimum, quod nusquā inuenitur, quod medici Thebanum uocant, ibi nascitur. Nam terra Gessen, quę fratribus Ioseph data fuisse legitur, in ea parte Aegypti est, quæ Syriam respicit, sicut ex lectione libri Geneseos deprehenditur, quod diligens lector facilè inueniet. Hęc autem oppositam Aegypti partem & ulteriorem fluminis ripam habet uiciniorē quæ Libyam respicit. Est autem regio non modica, imò trecentas sexaginta sex tam urbes, quàm suburbana, finibus suis dicit coercere. Hac igitur (ut diximus) lege loci, quia regnum erat ita angustum, nec ad dexterā, nec ad læuam poterāt declinare, & etiam crebris exploratorū nuncijs edoctus D. Rex & Soldanus de itinere hostium per triduum continuum, secuti quarto deinde die, sabbato uidelicet, quæ illam Dominicā pręcedit, qua in ecclesia Dei cantatur Lætare Hierusalem, nunciatur hostes esse in proximo.

Inter Regē & Syraconū pugna cōmittitur in solitudine, maximo utriusq; periculo. Cap. XXV.

COmmunicato itaq; ad debitum cōpendium consilio (nam ferias liberiores, instans non patiebat necessitas) prudenti cōsilio & animositate prouida opus esse dicūt, omniumq; desiderijs bellum decernitur, gladijs cōferendum acclamat. Verùm nimis impar erat accinctorum ad præliū distributio. Syraconus em̄ habebat Turcorū duodecim millia, ex quib. nouē millia loricis galeisq; tegebantur, reliqua tria millia arcubus tantum & sagittis utebantur. Præterea Arabū aut decē aut undecim millia lanceis pro more utentiū. Nostri uerò equites uix erant CCCLXXXIIII absq; Aegyptijs uilibus et effœminatis, qui potius impedimento & oneri erant, q̄ utilitati. Erant præterea nobis equites leuis armaturæ, quos Turcopoles uocāt, sed nescimus ad quē numerū. multorū quoq; relatione audiuimus, quòd illa die in tanto cōflictu, ex maiore parte, prorsus fuerunt inutiles. Cōpertum ergo habētes, tā nostri de hostiū in ciuitate, quàm ipsi de nostrorū aduentu, prout res exigere uidebat, acies ordinant, cuneos disponūt, arma exerunt: qui rei militaris exercitatione pristina erant prudētiores, alios hortant, rudes instruunt, sermonibus exhortatorijs inflammāt animos, promittūt uictoriā, uictoriæ fructū laudē immortalē. Erat aūt locus in quo cōmittendum erat, in cōfinio cultę terrę, & solitudinis locus inæqualis arenarum collibus uallibusq; medijs interpollatus, ita ut neq; aduenietes de remoto uidere, nec abeuntes longius liceret intueri. Nomē loco Beben, quod interpretat, portę: eo quod inter colles oppositas transitus arcet. Nam Lamonia, unde quidā huius diei præliū solent denominare, ab eo loco decē miliaribus erat remota. At uerò hostes sollicitudine nō pigri, nihilominus instructis aciebus à dextris & à sinistris colles occupauerant, ad quas tum propter cliuum, tum propter arenarū mollitiē nostris durū erat cum impetu accedere, eāq; cui Syraconus pręerat, mediā posuerat cohortē, cęteris utrinq; collocatis. Etiam uentū erat ad hoc, ut cominus rem agi oporteret: egressiq; nostri qui in acie regis erant, unanimiter cohortem cui Syraconus pręerat, uiriliter prosternūt: prostratos gladijs obtruncāt ipsum etiā insequunt in fugā uersum. Porrò Hugo Cæsarieñ in aciē cui pręerat

Salahachinus, Syraconi nepos, impetũ faciẽs, à suis destitutus deficit, deficiens capit: multi etiã cũ eo capti, plures interfecti. Ibi cecidit uir nobilis, et in armis strenuus, Eustachius Cholet de regiõe Põtini. Hoc successu elatæ cohortes, aliæ cõuenientes adinuicẽ, & undiq; uallãtes, aciẽ illã, quæ impedimentis & sarcinis conseruandis deputata erat, aggrediunt statimq; dissolutã prosternũt. ibi occubuisse dicit uir nobilis, Hugo de Creona. Dissipata igit acie mortuis pluribus, qui gladios euadere potuerũt, fuga saluti cõsulũt. Hostes uerò impedimẽta & sarcinas liberè occupãt, et secũ trahũt occupata. Interim dissolutis hinc inde agminibus, & per dictas ualliculas dispersis, uarijs euentibus pugna cõmittitur, testibus ijs qui cõferebant. nã alijs non dabat uidere: erat aũt anceps præliũ, & nunc ij, nunc illi fiebãt superiores, ignari quid alibi ageretur. Vtriq; alibi reputant se uictores, alibi uictos. Venerabilis quoq; frater noster, D. Radulphus Bethleemita, archiepiscopus, D. regis Cãcellarius, cui postmodũ nos in eodẽ officio successimus, grauiter uulneratus, uniuersa impedimẽta sua in eodẽ tumultu amisit. Anceps diù præliũ, certũ de uictoribus iudicium differebat: donec iam inclinata dies, dispersos ad signa hortatur redire. tunc demũ noctis irruentis metu, iam incipiunt, qui liberi erant, ad suos festinare: regemq; studiose quærendo, ex uarijs partibus prodeuntes, iterum se colligunt. Dñs autẽ Rex, in eo loco quo pugnauerant, uictor, fœliciter rem gesserat. Alij autẽ forte uaria in diuersis partibus martẽ experti sunt, hic prospera, ibi aduersa usi fortuna, unde neutrã partẽ certa coronauit uictoria. Rediens uerò cum paucis admodũ, collem quendã occupans, aliquantulũ sublimẽ, erecto uexillo, ut ad se recolligerent quo dispersi erant, socios operiebat. Quibus pro parte reuocatis, hostes ante se in collibus geminis, qui impedimentorũ dissoluerant aciẽ, & partim occiderãt, partim occupauerãt, conspiciunt dissolutos. Nec aliunde nostris patebat ad redeundũ uia, nisi inter medium collium prædictorũ pertransirent. Habentes igit redeundi propositũ, in aciem ordinati, per hostes medios, quos à dextra læuaq; cõtuebantur, iter agunt gradu lento: cõtra quos cũ tanta cõstantia proficiscẽtes, nihil ausi sunt aduersitatis hostes moliri, sed iuncto agmine uiris fortioribus & armatis optimè per gyrũ locatis, ad quendã fluminis portionẽ peruenerunt, & eã uado pertransierũt incolumes nostri. Ea igitur nocte tota abeuntes nostri, per uiã unde prius uenerãt, redeunt. Peruenientibus aũt Lamoniã, occurrit eis Gerardus de Pugi, qui cũ quinquaginta equitibus & Turcopolis centũ, & Mahadam filio Soldani, oppositã fluminis partem tenuerat, ut hostes si fortè fluuium transire uellẽt, impediret. Venit autem optato. nam plurimum eis D. Rex timebat, ne seorsum inuentos, siue citra siue ultrà fluuium hostes eos aggrederẽtur. Sed & pro pedestribus turbis, quas post se dimiserat, ut prædiximus, nihilo minus erat sollicitus, timens ne hostibus subitò & incautè occurrerent. Vnde apud prædictum oppidum per triduũ eos sustinens operiebatur, quibus præerat nobilis homo & prudẽs Ioscelinus de Samosato. Quarto uix die receptis paulatim nostris, & peditum manu iterum sibi sociata, continuatis itineribus, Cahere peruenientes, ante Babylonẽ secus pontem castra metantur. Recensito igitur militum numero, centum ex eis deesse reperiunt, de hostibus uerò mille quingentos asserunt cecidisse.

Syracoi

Syraconus intra Alexandriam se recipit. Rex illuc properans, urbem obsidet. Caput XXVI.

AT uerò Syraconus, suis nihilominus qui superarant, in corpus unum reuocatis, per solitudinem nostris ignorantibus Alexandriam tendit, cui protinus Alexandrini ciuitatem tradunt. Rex autem ut primum rumorem comperit, uocatis ad se principibus, Soldano quoq; & filijs eius, & nobilibus Aegyptiorum, quid facto opus sit, studiosius quærit. Vbi post multas disceptationes, sicut in rebus dubijs solet contingere, quoniā Alexandria ex se alimentorum copiam, nec frugum quippiam, nisi quantum sibi de superioribus Aegypti partibus nauigio ministrat, noscitur habere, placuit classem in flumine ad custodiam locari, ut inde Alexandrinis cōmerciorum omnino nihil posset inferri. Quo facto, ipse cum uniuerso exercitu ad partes illas descendēs, inter locum qui dicitur Toroge & Domenehur castra ponit, qui locus ab Alexandria octo distat miliaribus. inde loca finitima & etiā remota per solitudinem, missis excursionibus, penetrans, & discutiens, ne fortè aliquis aut opem ferat obsessis, aut inde aliquos exteriores ad eorum adminiculū sollicitet. Nihilominus & classis, quoslibet transire uolentes, aut transitum prorsus inhibet, aut cognitum non nisi diligenter quæsitum, descendere permittit. Euoluto igit̄ unius mensis spacio cum ciuitas illa, nihil omnino alimentorū, medio tēpore aliunde suscepisset, cœpit cōqueri populus quod panis defecerat in cistarijs, & quod uictum non haberent: quod intelligens Syraconus, timens ne eum alijs ipse cum suis inedia tabefieri compelleretur, relicto nepote Salahadino, quasi cum mille equitibus in ciuitate, ipse nocturnis itineribus per solitudinem, prope tamen nostram expeditionem euadit in superiores Aegypti partes, unde paulo antè descenderat. quod postquam regi innotuit, impigrè subsequitur, quousq; Babylonem peruenit. Hic iam cum in procinctu uniuersus esset exercitus, compositisq; sarcinis sequi decreuisset, repente nobilis & potēs Aegyptius Benecarselle, regem adijt, Alexandriamq; summa inopia laborare docet, consanguineos se in eadem urbe asserit habere potentissimos, & ciuitatis moderatores, qui facile possint populū fame afflictū, in quam partem uelint trahere, & ciuitatē cum omnibus Turcis qui in ea relicti erant, in manum domini Regis dare. Motus itaq; Rex ad hoc uerbum: quærit à principibus, Quid eis uideatur? tandemq; consonantibus omnium desiderijs, approbante etiam Soldano, Alexandriā redeunt, eamq; gemino circundant exercitu.

Describitur Alexandriæ situs. Caput XXVII.

ALexandria totius Aegypti diœcesis, in ea parte quę Libyam respicit, & in occidentē protenditur, omniū ciuitatum est nouissima, in cōfinio cultis soli et arētis solitudinis sita, ita quod extra ciuitatis mœnia uersus solis occasum, uasta protinus heremus adiacet, culturæ & curæ omnino non sentiens beneficium. Hanc ut antiquæ tradunt historiæ, Alexander Macedo, Philippi filius, cuius etiam nomen appellatione sua prætendit, condidisse dicitur. Condita est autem, ut ait Iulius Solinus, duodecima, centesima Olympiade, Lucio Papyrio L. filio, & Caio Petilio, Gai F. Coss. quam metatus Dinocrates architectus, secundum post conditorem inter memorabilia locum obtinet. Sita est autem non longè ab ostio Nili, quod Heracleoticon quidam,

quidã, alij Canopicon appellãt. Hodie uerò locus à quo denominatur ostiũ Nili, illi conterminũ ciuitati, deletis antiquis nominibus, Ressith appellatur: distat autem à fluminis alueo quinque aut sex miliaribus. sed tamen quibusdã meatibus, tempore soliti incremẽti, fluuij pars urbẽ influit: quam aquarum influxionem cisternis amplissimis, ad hoc specialiter deputatis, ad usus proprios toto anno diligenter conseruant: sed & ad pomeria, quæ sunt extra urbem procuranda, occultis draconibus portionem ex ea dirigũt necessariam. Sita est autem, quãtum ad celebranda commercia, cõmodissimè. Portus habet duos, lingua quadam interiacente, ualde angusta, disiunctos. In capite autem illius interstitij turris est miræ altitudinis, qui Pharos appellatur, quàm Iulius Cæsar ad usus necessarios dicitur erexisse, & illuc deduxisse coloniã. De superioribus autem Aegypti partibus per fluenta Nili, omnimodorum alimentorum copiam, & rerum penè omnium suscipit ubertatem. Verùm & de regionibus transmarinis, si qua sunt quę Aegyptus non habet, nauigio omnis opulentia ministratur: unde amplius qualibet urbe maritima omnibus commoditatibus dicitur abundare. Ad hæc ex utraque India, Saba, Arabia, ex utraque etiam nihilominus Aethiopia & Perside, & alijs circumadiacentibus prouincijs, quicquid aromatum, margaritarum, gemmarũ orientalium, gazarum & peregrinarũ mercium, quibus noster indiget orbis, per mare rubrum, unde gentibus illis ad nos iter est, in superiores partes Aegypti, ad eam quæ Aydeb dicitur, super ripam eiusdem maris sitam infertur, id totum ad flumen & inde Alexandriam descendit. Sic ergo orientalium & occidentalium illuc fit concursus populorum. Estque eadem ciuitas forum publicũ utrique orbi: clara sanè & antiquis titulis & modernis, sed & beati Marci, principis Apostolorum spiritualis filij, diuinitus ad eandẽ ecclesiam missi, illustrata prædicatione, & uerbo sanctorum patrum Athanasij & Cyrilli prælatione, & tumulis decoràtã, secundũ inter Patriarchas locum obtinens, Aegypti, Libyæ, Pentapolis, & multarum prouinciarum reuerẽda metropolis. Deducitur illuc classis uniuersa, portũque & omnem aditũ obsidentes, nemini accedendi licentiam permittunt.

Rex obsidionem continuans, ciues Alexandrinos molestat grauissimè. Caput XXVIII.

INterea qui in Syria remanserant, audientes quod dominus Rex Alexandriã obsederat, & quod nauigatione continua intra paucos dies illuc possent peruenire, certatim iter arripiunt, & correptis armis, nauibus uictui imponunt necessaria, & seipsos inuitantes læti nimiũ proficiscuntur. Inter quos & dominus Fridericus Tyrensis Archiepiscopus, prædecessor noster, zelo motus aliorum, et speciali erga dominum Regem tractus affectu, cum honesto satis comitatu, nauigio descendit in Aegyptũ: sed aquis Niliacis caussam præstantibus, dysenteria cœpit periculosissimè laborare. unde antequã domino Regi traderetur Alexandria, coactus est, inualescẽte ægritudine, domũ redire. Hic demum sumptis nauium malis immensæ quantitatis, uocati artifices, lignorum cæsores, castellum erigunt mire altitudinis, unde totam erat respicere ciuitatem. machinæ quoque, quas uulgo Petrarias uocant, unde immissi molares graues & magni, muros cędebant, congruis stationibus locatæ, intolerabilem ciuibus, horis penè omnibus inferebant terrorem. Erant

circa eandem ciuitatem ad instar syluarum & frondosi nemoris grata amœnitate, & plena fertilitate arboribus consita fructiferis, & herbis referta salutaribus: pomœria, quæ & sui cõtemplatione transeuntes, meritò inuitarent ad ingressum, & ingressos hortarentur ad requiem. In hæc ingressus noster ex magna parte exercitus, prius ex occasione colligendę & erigendis machinis, materiæ, deinde solo nocendi affectu, et damni inferendi consideratione, aromaticas & multis usibus aptas, tanto studio ad terram prosternunt arbores, quanto uix labore ab initio fuerunt procuratæ. Fitq; subitò ut solo complicato, prioris status nulla remanerent uestigia: idq; fuit, in quo se maximè læsa ciuitas, & eius damnificatos habitatores, post adepta pacis fœdera conquerebantur. Instabant ergo nostri, & artes quibus obsessis possent officere, satagentes inuenire, omnem tentabant nocendi aditum: et argumẽtis quibus poterant, in eorum læsionem se instruebant. Assultus quoq; assidui requiem negabant fatigatis. Erant sanè ciues negotiationibus assueti, rerum militarium expertes, quiq; usum præliandi non haberent: unde molestius insuetum laborem poterant portare. Turci autem qui illic remanserant, tum quia pauci erant, tum quia ciuibus uarij & inconstantis animi non cum multa fiducia se cõmittebant, rari ad conflictus, & in congressionibus remissiores, nõ multũ alios animabant. Quid ult' ã? Quotidianus cõflictus, cædes suorũ continuę, uigiliæ perennes, nocturni timores, alimentorum super omnia defectus, populum attriuerãt, deiecerant animos, & iam urbem deserere, & libertatis immemores, quibuslibet populis mancipari magis eligerent, quàm in domesticis laribus cũ paruulis & uxoribus famis acerbitate consumi. Serpebat ergo murmur in populis, iamiam ad plures sermo manifestus diffundebaẽ, urbe pellendos esse hospites pestilentes, qui tantam ciuibus intulerant afflictionẽ. Quærendum quocunq; pacto esse, quomodo ciuitas, depulsis ingruentibus molestijs, obsidione soluta, pristinis commoditatibus, & solitæ restitueretur libertati. Sensit hoc Salahadinus, & occultis citatisq; nuncijs, statum urbis miserum, populi à se deficientis propositũ, alimentorum supremam inopiã, patruo suo ex ordine pandit: utq; rebus desperatis præsens remediũ satagat inuenire, & pereuntibus consulere modis omnibus, implorat. Interim populum simul cum patribus alloquitur, monet pro uxoribus & liberis usque ad mortem decertandum. hortatur ut legis & paternarum traditionũ sint æmulatores, pro foribus salutẽ adesse. Syraconum quoq; patruum suum, pro eorum liberatione, & pro amouẽdis hostibus Aegyptum circuire, in proximo cum infinitis copijs adfuturum. At dominus Rex cognito quòd inter ciues esset dissẽsio, ciuitatem urgeri monet incessanter: quantoq; eos amplius nouit afflictos, tanto acrius instare præcipit. Soldanus quoq; succinctus ad omnia impiger, sedulus plena solicitudine circuit principes uniuersos, manu profusa impẽsas porrigit ad cõstruendas machinas; & sumptus ad omnem belli usum liberales, artificibus competẽtia salaria largitur, pauperibus & egenis, præsertim saucijs, ut sui curam haberent, munera donat.
Bellicosis quoq;, & quos in prælio nouit strenuos, aliquid distribuitur.

S Syraco

Syraconus hæc audiens, cum Hugone Cæsariensi de pace loquitur. Caput XXIX.

DVm hæc apud Alexandriam ita aguntur, superiores Aegypti Syraconus peragrat regiones: perueniensque usque Chus, tentat expugnare ciuitatem: uidensque quòd nō proficeret, & prolixiora huiusmodi exposceret tempora, ipsum autem ad alia nepotis necessitas urgeret negocia, sumpta ab illis urbibus pecunia, maturat reditū, & ad inferiora reuocat exercitū quem trahebat. Cumque regrediens Babylonē peruenisset, uidēs quòd Rex Cahere & Ponti Hugonē de Hibelim dimisisset tutorē, & longè secus quàm arbitratus esset, omnia se haberēt, Hugonē Cæsariensem, quē captiuū tenebat, familiari cōpellat alloquio: utque uir eloquens & urbanè facundus, sermone cōposito cœpit cū conuenire: Magnus princeps es, nobilis, & apud tuos clarissimus, nec est de nostris principibus quispiā, si mihi libera daretur optio, cui magis hoc meum cōmunicare secretū cupiā, et uerbi huius participē cōstituere. Obtulit spontè fortuna, & euētus donauit bellicus, quod alijs multis conatibus esset quærendum, ut tuæ experientię mihi ad opus pręsens fieret copia. Fateor sanè, quod gloriæ cupidus sum, sicut mortalib. solet contingere, & regni tractus opulentia, de indigenarū quoque imbecillitate cōfisus, spē aliquādo cōcepi, ut in manus meas regnū hoc aliquādo traderetur. Ideo cum sumptibus & laborib. infinitis, infructuosis tamen, ut uideo, cum equitatu copioso nobiliū, qui omnes eodē studio trahebantur, per tot pericula descendi in Aegyptū, aliter ratus de rerum euentu quàm occurrit. Aduersa enim, ut uideo, fortuna ingressus sum, utinā uel prospera redire liceat. Homo nobilis es, ut dixi, Regi charus, sermone potēs & opere, esto inter nos pacis mediator, prosperum fiat in manu tua uerbum. dic D. Regi: Ocium terimus, & effluunt tempora sine fructu, domi multa restant: ipsius etiā regno, plurimū esse necessariā regis præsentiā, nunc alijs consumit operā. nam postquam nos repulerit, miseris omnibus & uix uita dignis, huius regni relinquit opulentiam. Recipiat suos quos in uinculis habeo, ipse quoque obsidione soluta, et quos in uinculis habet, et quos in ciuitate cohibet Alexandria, restituat: & ego suscepta prius ab eo securitate, quod in itinere nihil nobis difficultatis per suos occurrat, paratus sum exire.

Hugo cum Rege & principibus fœderis complet tenorem. Caput XXX.

AVdito hoc uerbo dominus Hugo, sicut erat uir prouidus & discretus, multo apud se libramine uerba oblata cōpēsans, licet utilē nostris pacis formam & tenorē fœderis nō dubitaret: tamen ne uideretur plus libertatis propriæ capi desiderio, quàm utilitatis publicę, hoc uerborū tractatu prouidere honestius iudicat per alios primos tentari aditus. Hanc suam intentionē ipse nobis postmodum familiariter exposuit. Missus est uerbi baiulus, qui similiter captiuus tenebatur, quidā Regis familiaris, Arnulfus de Turuassel, qui cum D. Hugone, ut pręDiximus, in eodē pręlio captus fuerat: qui suscepto uerbo, ad regē properat, legationis causam diligēter aperit. Cōuocato cœtu in principū cōsistorio, pręsente Soldano, & filijs eius, conceptū uerbū & cōpositionis formā proponit. Placet omnib. pacis tenor, & sufficere uidetur ad gloriā, & ad plenā pactorū inter regē & Calyphā initorū fidē: ut ciuitas per deditionē in D. Regis trāseat potestatē: & tā hi de hostibus, qui obsidione claudebantur, quàm qui Syraconū secuti, per Aegypti fines erāt dispersi, solutis quoque captiuis,

uis,quos de nostris trahebāt,in uinculis, suis etiam nihilominus receptis, de uniuersis Aegypti finibus compellantur exire. Sanar Soldanus cum uniuersis Aegyptiorum Satrapis pactum approbat, fœderis consonantiam libens amplectitur, dummodo hostis suspectissimus & regni æmulus excludatur, sibi plenius dicit esse satisfactū. Tandem D. Hugo, suā exhibens præsentiā, uerbis hinc inde tractatis, nouissimam manum, & placitū finem apposuit.

Resignatur regi ciuitas, & pax indicitur Alexandrinis. Caput XXXI.

INdicitur uoce præconia cohortibus singulis, & omnibus generaliter prœliandi finis, & per legē edictalē ne Alexandrinis inferāt molestia interdicit. Egrediunt igitur concessa pace, lætantes, qui diuturna fuerant obsidione macerati, angustias quas pertulerāt fastidientes, deambulationes tędij releuandi gratia, amant & appetūt liberiores. Inuenta etiā alimentorū copia & cōmerciorū libertate permissa, inedia tabefactorū corporū ruinam restaurare satagunt, & refocillare animas iam labātes. Iuuat agmina uidere parata, quæ paulo ante se horruerant & oderant: et eorū colloquijs perfrui, quos antę modicum timuerant, periculorū suorū ministros & mortis procuratores. Nostri quoque nō segnius urbem ingrediunt optatā, & liberis discursibus, uias, portus, mœnia lustrātes, diligēter uidendo colligūt, unde ad propria reuersi, suis aliquādo texere possint historias, & audientiū animos gratis cōfabulationibus recreare. Huic splēdidæ ciuitati turris imminet miræ altitudinis, Pharos dicta: ad quā facibus accēsis, & igne copioso, more sideris micantem, ignari locorū nocturnas nauigationes dirigūt. Nam Alexandria cæco mari, & periculoso nimis accessu, & uadis fallacibus aditur. quò antequā ingrediant nauigantes, ignibus, qui cōtinuo fomite et sumptis publicis super eā nutriunt, edocti imminentia uitāt naufragia, et ad cursus se erigūt salutares. Super hāc uictorię signū, D. Regis uexillum erigit: & quod prius paucis innotuerat, fit omnib. signo contuito manifestū. Quo uiso, qui cautius se habētes ad prima tracti fœderis uerba, nostris se cōmittere pertimuerāt, iā de pace facti certiores, unū prę omnibus admirātes, quod tantā ciuiū multitudinē, tantamque ad uenarum numerositatē, qui omnes ad tutelā ciuitatis fideliter operam ministrabant, tam modicus exercitus intra urbis mœnia facilè coercuerat, & ad ignominiosam iuxta libitum cōpulerant deditionē: uix enim de nostris equites erāt quingenti, peditū aut quatuor aut quinque millia: obsessorum autem, qui arma poterant educere, supra quinquaginta millia.

Rex uictoria potitus, receptis suis uniuersis, ad propria reuertitur. Caput XXXII.

EGressus igit Salahadinus ad D. regē, quousque iter ad redeundū arripuit, in castris mansit: dato sibi custode, qui eū tractaret honestè, & temerariorū ab eo propulsaret iniurias. At uerò Soldanus cum tubarū clangore, cum tympanis & choris, & omni genere musicorū instrumentorū, stipatus agminibus, pręcurrēte innumera apparitorū manu, uociferantib. armorū turmis per portas ciuitatis, cū triumpho tamque uictor ingressus, terrore ciues cōcutit, hos damnat, illos absoluit: et delicta discutiēs, potēter omnibus distribuit prœmia meritorū. Tandē in certa pecuniæ quātitate, ciuibus condēnatis, procuratores tributorū ordinat, uectigaliū & ciuiliū functionū instituit exactores. Exacta itaque infinita pecunia, fidelib. suis curā iniungēs ciuitatis, in castra

gloriosus se recepit. At uerò nostri ad reditum adspirantes, qui nauigio uenerant, sumptis ad iter necessarijs, naues cōscendunt, & se flatibus cōmittentes, ad propria cum gaudio reuertunť. Rex quoq; incensis machinis, & compositis sarcinis, uersus Babylonē iter dirigit. Adiunctis ergo sibi quos ibi dimiserat, Soldano in sua administratione confirmato, exclusis hostibus, suis qui capti fuerant receptis, duodecimo Cal. Septēbris Ascalonē ingressus est, anno regni eius quarto, Ab incarnatione Domini uerò millesimo centesimo sexagesimo septimo.

LIBER VIGESIMVS.

Dominus Ernestus Cæsariensis episcopus, & Otto de sancto Amando regius pincerna, à Constantinopoli redeunt, uxorem futuram domino Regi secum ducentes. Rex in ecclesia Tyrensi coronatur, & uxorem ducit. Caput I.

INterea dominus Ernestus, bonæ memoriæ, Cæsariensis Archiepiscopus: Otto quoq; de sancto Amando, tūc regius pincerna, procuratam tam prudenter quàm fideliter, domini Regis legatione, per quam missi fuerant, apud dominū Manuelem Imperatorem Constantinopolitanum, impetrato quod petierant, post exactum biennium, nauigio redeuntes, domini Imperatoris Protosebasti filiam, domino Regi uxorem futuram ducentes, apud Tyrum applicuerāt. Quo cognito, dominus Rex cum celeritate Tyrū peruenit, conuocatisq; ecclesiarum prælatis, & regni principibus, eandem Mariam regiæ unctionis & consecrationis munus adeptā, ipse quoq; habitu regio insignis, & aureo diademate laureatus, per manum domini patriarchæ Almarici, bonę memoriæ, in ecclesia Tyrensium, debita magnificentia quarto Calend. Septembris uxorem duxit. Hic Iohannes Protosebasto, cuius filiam (ut diximus) Rex duxit, eiusdem domini Imperatoris ex fratre natu prior, ortus est nepos. Misit autē D. Imperator cum prędicta nepte sua, uiros illustres & magnificos, imperialis eminentiæ familiares, dominū Palæologum, & Manuelem Sebaston, cōsanguineum suum, cum multis alijs, qui magnificè eam domino Regi tradiderant, ut de iniunctis solēnitatibus nihil finerent præteriri. Tyrensi autē eccle ſię præerat, in qua hæc facta sunt, D. Fridericus, qui ex Acconensi ecclesia ad illā fuerat translatus. Hic triduo pòst quàm Rex in eadem ciuitate fuerat coronatus, & nuptias celebrauerat, pręsente et rogāte domino Rege, & alijs multis honestis uiris, Archidiaconatum eiusdem ecclesię, unde dominus Vuillhelmus ad Acconensem ecclesiam fuerat uocatus, nobis liberaliter contulit.

Andronicus quidam Imperatoris consanguineus, dominam Theodoram, domini Balduini Regis uiduam, secum per terras hostium abduxit. Caput II.

PEr idem tempus Andronicus quidā nobilis Gręcus, & potens, D. Imperatoris Cōstantinopolitani consanguineus, de partib. Sicilię adueniens, cum multa militia, dum D. Rex adhuc in Aegypto detineretur, usque ad eius aduentum apud nos moram fecit nobis consolatoriam, sed more serpētis in gremio, & muris, uipera malè remunerauit hospites suos: uerum esse docēs, quod à Marone dictum fuerat, Timeo Danaos & dona ferentes.

Cui

Cui dominus Rex statim post reditum suum urbem dedit Berythensem: ad quam gratia uidendi ciuitatis, dum dominã Theodoram, domini Balduini regis uiduam, quæ urbem Acconẽsem nomine donationis propter nuptias possidebat, nepotis sui filiã, apud quam diu fuerat hospitatus, inuitasset, fraudulenter (ut dicitur) abduxit, & in terram hostiũ, Damascum prius, deinde in Persidem, fauente Noradino, abduxit.

Petracensis ecclesiæ & Hebronensis episcopis datis ordinantur. Stephanus Regis Siciliæ Cancellarius, & Panormitanæ ecclesiæ electus, in Syriam descendunt. Comes Neuernensis Vuillhelmus apud nos defungitur. Caput III.

EOdem anno nihil penè memoria dignum accidit, nisi quod circa quadragesimale tempus duæ ecclesiæ in regno susceptis episcopis ordinatæ sunt: quarum altera ab ingressu Latinorum in terram promissionis, Latinum nõ habuerunt pontificẽ: uidelicet Petracensis, quę ultra Iordanẽ in finib. Moab sita est, secundæ Arabiæ metropolis. altera uerò, Hebronensis uidelicet, ut dicitur, nunq̃: sed tempore Gręcorũ prioratus fuerat, sicut & Bethleemitica fuisse dinoscit̃ ecclesia. Sed & Bethleemitica ob natiuitatis Dominicæ reuerentiam prius statim post sanctę & Deo amabilis ciuitatis liberationẽ, tempore D. Balduini Regis primi, cathredrali gaudere prærogatiua meruit. Hebronensis quoq; intuitu seruorũ Dei, quorũ memoria in benedictione est, Abraham uidelicet, Isaac & Iacob, eadẽ tum dignitate primũ meruit insigniri. Præficit̃ ergo Petracensi ecclesię, & secundæ Arabiæ metropolitanus efficit̃ dominus Guerricus, Canonicus regularis in templo Dñi: Hebronẽsi uerò, dominus Raynaldus, D. Fulcherij pię recordationis Patriarchę nepos. Aestate igit̃ sequente, uir nobilis D. Stephanus, D. Regis Siciliæ Cancellarius, & Panormitanæ electus ecclesiæ, adolescens bonæ indolis, & egregius forma, D. Rotholdi Comitis de Parthio frater, agitantibus eum & aduersus eum conspiratis regionis illius principib. inuito Rege puero, & matre eius reniti non ualente, regno expulsus, cum paucis uix eorum euasit insidias, & ad nos nauigio peruenit: qui non multum postea ualida correptus ægritudine, mortuus est, & Hierosolymis in templi Domini capitulo honorificè sepultus est. Per idẽ quoq; tempus, D. Vuillhelmus Nemorensis Comes, magnus princeps, nobilis & potens, de regno Francorũ cum honesta militia Hierosolymã uenit, propositũ habẽs, in seruitio Christianitatis cõtra hostes fidei nostræ, suis expensis militare: sed eius pia et honesta studia, mors immatura felicibus eius inuidẽs actibus, miserabiliter pręuenit. nam subito & diuturno languore correptus, post longas corporis molestias, in primo gratissimę iuuentutis flore, cum multis omnium suspirijs & gemitu uitam finiuit.

Imperatoris legati ad Regem accedunt, pacta quædam à domino Rege postulantes. Mittitur Tyrensis Archidiaconus, & pacta propositorum Imperatori complet. Caput IIII.

EAdem æstate, Comes Alexander de Grauina, & quidam Michael Hydrontinus, domini Imperatoris Cõstantinopolitani familiares ac legati, ad dominum regẽ, adhibitis quos Rex de suis uerbis participes uoluit fieri, secretius conueniunt, uiæ causas exponunt, & super his omnibus scripta porrigunt imperialia. Summa autem legationis hæc erat: Senserat dominus Imperator,

perator, quòd Aegypti regnum potens admodū hactenus, & opulentū ualde, in manus peruenerat debiliū & effœminatorū: & quod finitimis populis in notitiā uenerat, tam dñi, q̃ principū suorū impotentia, infirmitas et insufficientia. Vnde, quia uidebaẽ quòd non posset diù in statu se continere præsenti, quin ad gentes alienas, eius dominiū et moderamẽ oporteret transire, concœpit apud se, quòd auxilio D. Regis facile posset illud in suā iurisdictionem recipere. Vnde super hoc prædictos miserat Legatos. Sunt nonnulli qui dicunt, quòd super codẽ facto prius fuerat à D. Rege per nuncios & frequentes epistolas solicitatus, quod uerisimilius est, ut militarib. copijs, classe quoque & impensis eum iuuaret, certas partes tum regni tum manubiarum sub interpositis conditionibus recepturus. Hac ergo gratia, memorati Legati regem adeuntes, firmatis conuentionibus, ad placitā utrinq; consonantiam, adiunctus sum ego comes, de Regio mandato, ut Regis et regni uniuersi cōsilium, cum eorum literis ad D. Imperatorem, properans deferrem: & pactis medijs, quale à me exigeretur, sub certa tamẽ forma, robur imponerem. Assumptis igitur præfatis D. Imperatoris apocrisarijs, qui apud Tripolim, ut eis Rex literis suis signauerat, nostrum præstolabantur aduẽtum, ad urbem Regiam profecti sumus. Detinebaẽ porrò eo temporis articulo Imperator in Seruia, quæ regio montosa & nemoribus obsita, difficiles habens aditus, inter Dalmaciam & Hungariam & Illyricum media iacet, rebellantibus Seruijs, & cōfidentibus de introituū ad se angustijs, & de imperuio situ. Habent uetustæ traditiones, hunc omnem populum, ex deportatis & deputatis exilio, qui in partibus illis ad secanda marmora, & effodienda metalla damnati fuerant, originem habuisse, & inde etiam nomẽ traxisse seruitutis. Est autem populus incultus, absq; disciplina, montium & syluarum habitator, agriculturæ ignarus, gregibus & armentis copiosi, lacte, caseo, butyro & carnibus & melle, & cæteris uberius abundantes. Hi magistratus habent, quos Supanos uocant, & D. Imperatori aliquando seruiunt: aliquando de montibus & syluis egredientes, omnem circa se regionem, ut sunt audaces & bellicosi uiri, depopulantur. Ob hæc ergo intolerabilia uicinis eorum maleficia, ingressus erat ad eos in uirtute multa & innumera manu D. Imperator. Quibus subactis, & præcipuo eorum principe mancipato, redeunti D. Imperatori post multiplices uiarū labores, in prouincia Pelagonia, in ciuitate quæ uulgo dicitur Birtella, occurrimus, iuxta illam antiquam & Domini fœlicissimi & inuictissimi, & prudentis Augusti patriam, D. Iustiniani, ciuitatem uidelicet Iustinianam primam, quæ uulgo hodie dicitur Acreda: à D. Imperatore honorificè suscepti, benignè et Imperiali elemẽtia tractati, legationis & uiæ caussam, formamq; pactorum diligenter exposuimus. quę omnia lęta mente suscipiens, & gratanter amplectens, quod prędordinatum fuerat, approbant. Præbitis ergo corporaliter hinc inde iuramentis, eius auctoritate interposita, confirmata sunt quæ prius per nuncios fuerunt ordinata. Receptis ergo Imperialibus literis, pactorum formam ex integro continentibus & consummata fœliciter legatione, munificentissimè de more solito dimissi, Calendis Octobris iter ad reditum accipimus.

Rex in Aegyptum cum suis descendit, & contra foederis formam, quam cum Aegyptijs pepegerat, eis bellum infert. Caput V.

INterea statim post exitum nostrum, antequã reuerteremur ad propria, antequam de auxilio D. Imperatoris per nostrã legationẽ certior fieret Rex, fama publica personuit, ut dicit, quod Sanar Soldanus Aegyptius, frequentes ad Noradinũ dirigebat legationes, & eius implorabat subsidium, dicẽs: Quod à pactis cum Rege initis uellet recedere, & quod inuitus cum inimico populo aliquo pacis foedere iungeretur: quod si de eius auxilio certus fieret, pacta frangeret, ab eo penitus recedens. Vnde Rex, ut dicit, iusta indignatione motus, conuocato regno uniuerso, collectis equitum peditumq́ copijs, in Aegyptum festinat descendere. Sunt qui dicunt, prædicta omnia ficta fuisse, & quod Sanar Soldanus innocenti, & nihil tale merenti, pacta et conuentionum tenorem bona fide seruanti, cõtra phas & pium illatum sit bellum. sed ut factum tam notabile aliquam haberet excusationẽ, hic color uidetur quęsitus: unde & Dominum iustum, secretorũ & cõscientiarum arbitrum, omnem nostris conatibus subtraxisse fauorem, asserunt, & prædictis moliminibus, iustitia uacuis, prosperos negasse successus. Caussam porrò et incentiuã huius mali, ut aiunt, ministrabat Gerbertus, cognomento Assalit, magister Hospitalis domus, quæ est Hierosolymis, uir magnanimus, & quadam liberalitate donandi profusus: tamen instabilis. Hic omnes eiusdem domus thesauros exponens, insuper et infinitę quantitatis pecuniam, mutuam sumens, omnia militibus erogauit, quoscunq́ inuenire potuit sibi alliciens: unde prædictam domum, tanta æris alieni mole grauauit, quod nõ erat spes solutum iri. Ipse etiam postmodũ desperans, officiumq́ suum deserens, et administrationi renuncians, in centum millibus aureorum dimisit domum obligatam. Ea tamen consideratione tot & tantas impendisse dicitur expensas, quod capta & subiugata Aegypto, Belbeis, quę olim dicta est Pelusium, cum uniuerso territorio suo, iuris eiusdem domus, ex pacto prius cum rege inito, cederet in perpetuum. Fratres autem Militiæ templi, eidem se subducẽtes pacto, aut quia eis contra conscientiam suam uidebatur: aut quia Magister, æmulæ domus, huius rei auctor, & priores uidebatur uires penitus ministrare: aut regem, sequi negauerunt. Durum enim uidebatur eis, regno amico, et de nostra fide præsumenti, contra tenorem pactorum, & contra iuris religionem, immeritis & fidem seruantibus bellum indicere.

Obsidetur ciuitas Belbeis, & expugnatur obsessa. Soldanus Regem infinita promissa pecunia decipit. Caput VI.

ACcinctus igitur, & præliari instructus apparatu, regni uiribus conuocatis, anno regni eius quinto, mense Octobri, descendit in Aegyptum: & transcursa heremo, quæ media iacet, quasi itinere dierũ decem, Pelusium applicat, quam mox intra triduum uiolenter expugnat, expugnatamq́ ferro aperit, & suos immittit incunctanter. Accidit aũt hoc, tertio Nonas Nouembris. Capta igitur ciuitate, ciuibus eius ex parte maxima gladio peremptis, non parcitur ætati, aut sexui: & qui mortem tum quocunq́ casu inueniebantur declinasse, iacturam libertatis, quæ honestis uiris omni genere mortis suspectior est, incurrentes, miseræ seruituti subiugabantur. Capti sunt

inter cęteros eiusdem conditionis Mahatzam filius Soldani, & quidam eius nepos qui urbi præerant, exercitus illuc congregati tutamen habentes. effracta igitur ciuitate, irruentibus passim & sine delectu cuneis, penitiores domiciliorum penetrant aditus, reserant penetralia, & eos qui mortem delitescendo effugisse uidebantur, cōpeditos educentes, ignominiose ad mortem protrahunt: quos ætatis integræ & armorū potentes reperiunt, gladijs transuerberant. Vix senibus parcitur & paruis, & secundę sorti nō plenius indulget. Facta sunt desiderabilia eorum, hostium præda, & quęq; speciosa in sortem, dum sibi diuidunt spolia. His igitur rumoribus Sanar mente consternatus, quid faciat ignorat, deliberatq; prout tempus & rerum in arcto positarū patiebatur angustia, an muneribus tentet Regē expugnare, & indignationem eius data emolliat pecunia? an finitimos superstitionis suæ principes, ad sui auxilium precibus, preciòq; sollicitet? tandem placet, utrunq; maturata prouisione tentare. Missa ergo legatione ad Noradinū, implorat subsidium, & impetrat imploratum: uocato enim Syracono, cuius sæpius fecimus mentionem, partem exercitus, & nobilium suorū partem non modicam, cum satrapis qui partē sollicitudinis portarent, tradit: sumptisq; alimētis ad iter necessarijs, & camelis, ad deuehenda onera sufficientibus, eos in Aegyptū dirigit.

Expugnata urbe Belbeis, Soldanus Regem infinita pecunia promissa, decipit. Caput VII.

Rex interim euersa Pelusio, cum uniuersis agminibus uersus Cahere cohortes dirigit, sed lento nimis gradu, uix unius iter diei decē diebus conficiens: tandemq; ante urbem castrametatus, machinas parat, crates erigit, & cætera ad tales usus profutura disponit. Videntur quæ foris struuntur promittere impetus proxime futuros, & obsessis incutere formidinem, & quandam mortis imaginem intentare. Qui aūt facta illius archana norunt, huius caussam fuisse asserunt, quod Soldanus interea, aduenientis exercitus terrore concussus, prolixiores deliberandi haberet inducias, & pro cōmouendo exercitu pecuniam pacisceretur. tota enim illuc properabat intentio regis, ut à Soldano pecuniā emungeret: malebat enim precio redemptus abire, quam urbes, sicut de Pelusio contigerat, popularibus ad rapinā exponere, sicut manifestius infrà dicetur. Soldanus uerò interea per suos & regis familiares omnem prætentat aditum, omnem explorat subintrandi uiam. tandem regis animum pecuniarum cupidum, promissionibus eneruat, infinitam spondet pecuniam, quam uix uniuersum regnum, corrasis undiq; copijs persoluere posset. Promittit enim, ut aiūt, aureorum uigesies centena millia, ut redditis sibi filio ac nepote, amotisq; expeditionibus, rediret ad propria. Hoc autem, ut postea patuit, non eo moliebatur intuitu, ut promissionum summa spes esset, aliquando solutum iri: sed ne subitò incursu accedens ad Cahere, impabratum immunitumq; reperiens, repentinis eruptionibus expugnaret. quod procul dubio, ut constanter asserunt, qui interfuerunt, si citatis itineribus capta Pelusio, deiectis adhuc & stupidis à recenti clade, & insperata tantæ urbis calamitate, Aegyptiorum animis, illuc noster peruenisset exercitus, accidisset. Verisimile enim uidet, quod uiri molles & effœminati, delicijs à multo retro tempore dediti, rerum militarium expertes, adhuc fumante uicinæ

urbis

urbis incendio, & innumero ſuorũ interitu conſternatus, ſibi timẽtes, quod alijs uidebant contigiſſe, nec inde animos uel uires habuiſſe reſiſtendi.

Claßis noſtra per Nilum immiſſa, noſtro ſe adiungere exercitui conatur: ſed re infecta, domum reuertitur. Caput VIII.

DVm hæc circa Cahere aguntur, ecce noſtra quàm Rex de noſtris finibus exiens, maturare præcepit, claſſis, per mare uentis uſa proſperis, applicuiſſe dicitꝰ, per illius fluminis oſtiũ, quod uulgo dicitꝰ Carabes, ingreſſa, Ciuitatẽ antiquiſſimã, ſupra illam fluminis ripã, Tapiũ nomine, ſitã, uiolẽter occupant: quę ſtatim noſtris in direptionẽ data eſt, & prædã. Dũ ergo noſtri per fluminis alueũ ad Regẽ feſtinare contendunt, Aegyptij nauibus ſuis, alueum fluminis obſidentes, tranſitũ negabant. Miſit ergo Rex, Hemfredũ de Torono, Conſtabularium ſuum, ut illuc collecta ueniens militia, alteram ſaltem fluminis ripam, ut eis ex illa liber fieret tranſitus, uiolenter occuparet: quod ſatis expeditè factum eſſet, niſi quod interim rumor de aduentu Syraconi conſilium mutari compulit. Mandatum eſt ergo eis, ut ad mare deſcendentes, reditum maturarẽt ad propria: quod & factum eſt, unam tamen Galeam imprudenter amiſerunt.

Rex obſeſſa Cahere urbe, pecuniã à Soldano promiſſam expectat. Soldanus uerò à pactis reſilire tentat, & Turcorum implorat auxilium. Caput IX.

SOldanus interea, & ſui, moliri nõ ceſſant, quomodo Regẽ à ſe repellant: doliſq; peragunt, quod uirtuti ſentiunt deeſſe: & fraudis commercio rediment, uirium defectus. Promiſſa igitur pecunia, inducias pro ſolutione poſtulant. allegant quantitatem multam nimis eſſe, nec in uno loco poſſe totam reperiri: tempus auctius indulgendum, ut pactis pareatur. datis tamẽ in continenti centum millibus, filium recipit & nepotem Soldanus: pro ſumma reliqua duos nepotulos ſuos, adhuc impuberes, obſides exhibet. Rex uerò obſidione ſoluta, quaſi per miliare recedens, circa hortum Balſami caſtra ponit: ubi per dies octo crebris, ſed inutilibus Soldani legationibus uſus, tandem ad eum locum qui cognominatꝰ Syriacus, transfert exercitus. Soldanus interim frequẽtibus nuncijs uniuerſum regnũ ſollicitat, quicquid armorũ ubiq; eſt, congerẽs, undecunq; auxilia cõuocat, alimenta inducit, infirma urbis circuit & conſolidat, omnem reſiſtẽdi uiam percurrit, ad pugnam pro ceruicibus, pro libertate, pro uxoribus & liberis, ſermonib. ſuaſorijs inuitat, caſum proximæ ciuitatis lamentabilẽ ante oculos ponit, captiuitatis acerbitatẽ, dominorũ iugũ intolerabile, ſeruitutis extremã omniũ conditionẽ exponit.

Milo de Planci ſiniſtro conſilio Regis mentẽ ſubuertit, Syraconus ab Aegyptijs uocatus accedit. Rex ei occurrit in ſolitudine: ſed eo non inuento, redit ad propria. Caput X.

ERat in eodem domini Regis exercitu, uir quidam ſecundũ carnem nobilis, ſed moribus degener, neq; Deum timẽs, neq; ad homines habens reuerentiã, Milo uidelicet de Planci, homo inuerecũdus, clamoſus, detractor, ſeditioſus. Hic immoderatam D. Regis cognoſcẽs auaritiam, uolens potius ei morem gerere, quàm ſalutaribus eum monere cõſilijs, conſiliũ dederat ab initio, & obſtinatè ſeduloq; perſuadebat, ut ad hoc potius daret operam, ut regno in prædicta quantitate pecuniæ multato, cum Calypha & Soldano tentaret componere, quàm Cahere & Babyloniam uiolenter effringeret.

non

nō quia ut dicitur, posse fieri desperaret, sed ut elusis militibus, & cæteris qui ad prædam manus & animos intenderunt, uniuersum tanti laboris emolumentum, in regis fiscum uideretur introducere: expugnatis enim uiolēter urbibus, longe uberiores solēt exercitus de spolijs reportare fructus, quàm ubi regibus & principibus sub quodam fœderis nexu, certis cōditionibus, ipsis tantū dominis utilibus mancipātur. Ibi enim, utpote in tanto tumultu & depopulatione confusa, quod cuiq; quocunq; casu occurrit, iure belli occupanti conceditur, & uictoris auget peculium: ibi uerò solis regibus tractātur utilia, & quæ sic accedunt, fisci iuribus uendicantur. Et licet regibus & sublimioribus potestatibus accedens incrementum, in subditorū uideatur redundare diuitias, & omnium opulentiam cumulare, tamē auidius queruntur, quæ familiares ditant, lares & domesticis inseruntur rationibus. His itaq; altercationibus dissidebant: pars maxima, diripi cuncta, & ferro decerni petebat. Rex autem cum suis partem amplectebatur oppositam: præualuit tamē sententia posterior, & regiæ satisfactum est uoluntati. Locatis igitur nostris in uico prænominato, qui à Cahere quinque aut sex distat miliaribus, penè continuus & pro cuiusq; ætate erat interpretum & nunciorum discursus. Dum igitur quasi succedētes sibi ad Regem Soldanus dirigit legationes, & quàm sedulus sit in colligenda pecunia significat, orat etiam ne moram caussetur, sed patienter exspectet. Monet etiam & consulit, ne propius accedendo, Calypham uel populum de contracto pacis fœdere, plenius confidentem, deterreat: subitò futurum, ut censu tradito, fœlicibus auspicijs redire ualeat. Dumq; huiusmodi quasi delusorijs præstigijs nostros deludit apparatus, & recta persuadentium consilia, & salubriores monitus potiora suggerentium euacuat: ecce rumor insonuit, quòd Syraconus adueniens, innumeram Turcorum secum traheret multitudinem: quo comperto, solutis castris, compositisq; sarcinis, Rex Pelusium redit. Vbi sumptis ad iter uictualibus, relictis qui ciuitatem tuerentur, tam equitum quàm peditū copijs, octauo Calend. Ianuarias, Syracono in solitudinem obuiam exit: cumq; iam aliquantulum esset in heremo processum, significatur Regi per exploratores locorum gnaros, & quibus erat fides habenda, quod Syraconus cum suis legionibus iam transierat. Hic iam opus erat nouo consilio. Nam duplicatis hostium uiribus, non erat tutum, diuturniorem moram facere. Mora enim enorme secum trahebat periculū. nam neq; cum eis sanè tutū uidebatur conserere, nec Soldanus de cætero pactorum finibus stare uolebat, nec nos eum ad legem placitorum obseruandam compellere poteramus. Ad hoc enim de industria, & studiose dilatorijs ambagibus uidebatur rem protraxisse, ut sic Turcis superuenientibus exire compelleretur. Redeunt igitur nostri Pelusium, ibiq; recepta parte exercitus, quæ ad urbis illius tuitionem relicta fuerat, altera post Calendas Ianuarias die, ordinatis agminibus, redeundi in Syriam iter arripiunt.

Syraconus Aegyptum occupat, Soldanum interficit, & ipse paulo pòst uita defungitur. Caput XI.

PORrò Syraconus uidens temporum opportunitatem uotis suis consonare, & rege abscedente, non esse quippiam quod eius desiderijs præstet impedi-

pedimentũ, quod prius conceperat, mandat effectui. Castra igitur locat ante Cahere: & quasi pacificus esset eius introitus, patienter per aliquot dies sustinet, tanquã uir prudentissimus, nihil spirans asperum, nihil prætendens amarum, uersutia qua plurimum callebat, celans propositum. Egrediebatur ad eum Sanar Soldanus in castra quotidie, cum multa gloria & maximo comitatu, & impenso cotidianæ uisitationis officio, & deuotæ salutationis affatu, datis etiam muneribus, reuertebat. Iamq; prosperi ingressus & regressus assiduitas, securitatem uidebatur polliceri: & quod heri & nudiustertius cum reuerentia fuerat susceptus, consuetudinem inducebat fidentiorem. Securum igitur & nimis de Turcorum fide præsumentẽ, sceleris minister præuenit, occultè suis præcipit, quod dum die sequente, summo mane, quasi deambulaturus ad aquas egreditur, ea hora qua Soldanus uisitationis consuetudinem faciens, uenientem confoderent. Sanar uerò, diei parte solita, ut consuetæ uisitationis & debitę salutationis dependat alloquium, egreditur ad castra. cui occurrentes mortis eius ministri, executioni mancipant, quod fuerat imperatum. Deiectum enim ad terram, capite minuunt, gladijs obtruncant. Quod uidẽtes eius filij, citatis equis in Cahere se recipientes, ante Calypham consternati, & genibus prouoluti pro uita supplicant. Quibus ille dicitur respondisse, ea conditione de uita sperandum, si nihil occultè cum Turcis molirentur. qui pactorum formam statim uiolantes, clàm per internuncios cœperunt cum Syracono de pace tractare. quod audiẽs Calypha, utrunq; iussit gladio interire. Sic ergo rege abeunte, Sanar de medio sublato, Syraconus uotis satisfacit suis, regnum occupat. Et ingressus ad Calypham, reuerẽtiam impendit debitam. Ipse quoq; uersa uice plurimum honoratus, dignitate & officio Soldanatus insignitur: & gladij recipiens potestatem, Aegyptum sibi uendicat uniuersam. O cęca hominum cupiditas, et omni crimine maior, ô nefanda cupidæ mentis & insatiabilis animi rabies: ecce à quàm quieto & tranquillo penitus statu, in quàm turbulentum & anxietatibus plenũ nos deiecit immoderatus habendi amor? Aegypti copiæ, opulentiarum immensitas, nostris usibus famulabãtur: ex ea parte nostrum regnum tuta habebat latera, nõ erat quẽ ab Austro formidaremus. Mare uolentibus nobis adire, uias præstabat pacatiores. nostri quoq; negotiationis & commercionis gratia, sine formidine, bonis conditionibus in Aegypti fines poterant introire. Ipsi quoq; uersa uice, peregrinas inferentes diuitias, commercia nostris incognita secũ trahentes, utilitati simul & honori nobis erant, dum ad nos ingrediuntur. Præterea census annui immensa pręstatio, tam fisco regio, quàm domesticis singulorum peculijs uires pręstabat, inferebat incrementũ. At nunc uice uersa, cuncta calculum sunt sortita deteriorem, mutatus est color optimus, & uersa est in luctum cithara nostra. Quocunq; me uertam, suspectas inuenio partes. Mare portus negat aditus, omnis uicina per circuitum regio hostibus paret, & in nostram se accingunt perniciem regna cõtermina. Hæc omnia hominis unius inuexit cupiditas, & auaritia radix omnium uitiorum nostra obnubilauit data diuinitus serena. Sed ad historiam redeamus.

Salahadinus Syraconis ex fratre nepos, defuncto succedit, & regnū Aegypti obtinet. Caput XII.

MOrtuo Soldano & filijs eius, quibus contra pietatis formam, necis uidelicet caussas præbuimus, Syraconus uoti compos obtinuit principatum. uerùm hoc successu non diu est lætatus. nam uix anno potitus est imperio, rebus humanis eximitur. Cui successit Salahadinus, fratris eius Negemedini filius, uir acris ingenij, strenuus, & supra modum liberalis. Hic primis auspicijs sui principatus, ad Calypham dominum suum, ut solitam illi exhiberet reuerentiam, ingressus, claua quam gestabat in manibus, dicitur eum ad terram prostratum, occidisse, omnemq; eius gladio transuerberasse progeniem, ut ad nullum superiorem habens respectum, sibi & Calypha & Soldanus esset. timebat enim, ut ad se ingredientem aliquando, quia iam Turci populo inuisi habebātur, iugulari præciperet. Peremit ergo eum, & sibi more domini nihil tale uerenti mortem intulit, quam eidē ille, ut dicitur, parabat intentare. Mortuo igitur Calypha, regiam gazam & thesauros & cuncta illius domus desiderabilia, pro libero diripiens arbitrio, cuncta liberaliter nimis, militibus erogauit, ita ut intra paucos dies euacuatis uestiarijs, ipse mutuam sumens pecuniā, graui pondere se obligaret æris alieni. Nō defuerunt tamen, ut dicitur, qui de filijs Calyphæ occulte quosdā eriperent, ea intentione, ut reddita Aegyptijs aliquādo regni administratione, nō deesset qui prædecessoribus suis, nominis, dignitatis & sanguinis hæres existeret.

Dominus Bernhardus Monasterij montis Thabor, Abbas, Liddensi ecclesiæ præficitur. Dominus Fridericus Tyrensis Archiepiscopus ab Occidentalibus principibus petiturus auxiliū, ad partes dirigitur occiduas. Caput XIII.

DOmino Rege in regnum reuerso, nihil memoria dignū prima illius anni parte gestum est, nisi quòd defuncto Raynero, bonæ memoriæ Liddensi episcopo, Bernhardus Abbas ecclesiæ montis Thabor, in eadem ecclesia inthronizatus est. Vere tamē sequēte, quod erat sexti anni domini Amalrici initium, uidentes regni prudentiores, quòd ui subiugata Turcis Aegypto, plurimum nobis decesserat, & multo deterior facta erat nostra cōditio. nam uiolentissimus hostis noster, Noradinus per mare poterat classe numerosa ex Aegypto proficiscente, regnum nostrum arctare, non modicum, & quamlibet ex maritimis urbibus utroq; uallare exercitu. Et quod formidabilius erat peregrinis ad nos transitum impedire aut negare penitus, consulunt opus esse, ut de prælatis ecclesiarum uiri uenerabiles, prudentes & eloquentia prædití, ad Occidentis principes dirigerentur, qui doceant & diligenter insinuant regni pressuras importabiles. Et populi Christiani afflictionem, & casus asperos fratribus imminentes. Electi sunt ergo de communi consilio in opus ministerij huius dominus Patriarcha, dominus Ernestus Cæsariensis archiepiscopus, dominus Guilhelmus Acconēsis episcopus: sumptisq; tam domini Regis, quàm uniuersorū episcoporum literis, ad D. Fridericum Romanorū Imperatorem, ad D. Ludouicū Francorum regē, ad D. Henricum regem Anglorū, ad D. Vuilhelmū Siciliæ regem: ad Comites quoq; nobiles & inclytos Philippum Flandrensem, Henricū Trecensem, Theobaldum Carnotensem, & ad reliquos occidentalium partium principes, nauem conscendūt. Sed subitò sequēti nocte oborta tempestate maxima, naue quassata, fractis

fractis remigijs, malis depositis plurimum turbati: post triduum uix euaden tes naufragium, reuersi sunt. Successit eis in eadem legatione dominus Fredericus Tyrensis Archiepiscopus, multa precum domini Regis & principum deuictus instantia: ducens secum dominum Ioannem Paneadensem episcopum, eiusdem ecclesię suffraganeū. Qui melioribus auspicijs nauem ingressi, feliciter ad optatū portum nauigauerunt: parum tamen in negotio quod eis iniunctum fuerat, proficientes. Nam prædictus postquam in Franciam peruenit, statim apud Parisios ultimum clausit diem. Dominus uerò Archiepiscopus completo biennio, omnino uacuus reuersus est.

Imperator Constantinopolitanus pactis uolens satisfacere, classem in Syriam dirigit, & quosdam de suis principibus. Caput XIIII.

TRanscursa illa æstate, absque factis memorabilibus, circa primi autumni sequentis initia, fidei memor, & pacta memoriter tenens, quę cū domino Rege per nostram mediationē, & per interpositum studium dominus Imperator firmauerat, classem dirigit promissam, in eo facto plurimum cōmendabilis. nam imperiali magnificentia pactorū legē plenius interpretatus est, promissum enim uberiore cumulauit solutione. Erant sanè in præfato exercitu, naues longæ, rostratę, geminis remorum ruderibus instructę, bellicis usibus habiliores, quæ uulgo galeæ dicunt, centum quinquaginta. Item his maiores ad deportādos equos deputatę, ostia habentes in puppibus, ad inducendos educendosq́ eos patenter: pontibus etiā quibus ad ingressum & egressum tam equorū quàm hominum procurabat cōmoditas, cōmunitæ sexaginta. Item harum maximè, quę dromones dicunt, alimentis uarij generis armisq́ multiplicibus, machinis quoq; & tormentis bellicis usq; ad summū refectæ, decem aut duodecim. Misit autē cum classe de suis principibus Megelducas consanguineum suum, quem uniuersis pręfecit: quendamq́ alium Maureſiū nomine, sibi ualdè familiarē, de cuius experientia (sicut postea plenius patuit) plurimum confidebat: nam eundē postmodum uniuerso suo præfecit imperio. Comitem quoq; Alexandrum de Conuersana, nobilem de Apulia uirū: quem ob insignem fidem, & multam erga se deuotionē, dominus Imperator habebat acceptū. His curam sui cōmittens exercitus, in nostrum dirigit Orientē: qui prospera usi nauigatione, circa finē Septembris portū ingredit Tyrensem. Inde Accon profecti, inter fluuiū et portū placida statione cōponūt.

Rex in Aegyptum descendit cum suis expeditionibus: Græcis quoq; tam nauigio quàm per terras eum sequentibus. Caput XV.

ANno igit ab incarnatione Dñi millesimo centesimo sexagesimo nono, à liberatione uerò urbis sexagesimo octauo, regni uerò domini Amalrici anno sexto, Idib. Octobris: cōpositis regni negocijs, relicta etiā militia, quæ in regis absentia ab insidijs et incursionibus Noradini, quam circa partes Damascenas cōmorantē reliquerat, ut regnum tuerent: congregatus uniuersus exercitus tam Latinorū q̃ Græcorum apud Ascalonā, classe iam à portu Acconensi per dies aliquot egressa, & iter contra fines Aegyptios agentes, xvij. Calend. Septembris ab urbe prædicta egredietes, per mansiones competentes, ubi ne aquarū deesset cōmoditas, & peditū phalanges supra uires grauarent, itineribus moderatis, Pharamiā urbem antiquissimā, nona demum die

T perue

perueniunt. Mediā autē hanc uiam, maritimā oram sequi uolentibus, fortuitus quidam casus reddiderat productiorē. Euictis namq; uerbere assueto, & pene continuo assultu quibusdam arenarum aggeribus, qui medij inter planiora quædam loca & fretum uicinum interponebant, mare uioletèr fractis obicibus, uiam sibi effecerat, & liberū sibi introitum ad illam ulteriorem uendicauerat planiciē. Quo licentia influens liberiore, stagnū effecerat ore quidē angusto, sed intus campos obtinēs patētiores. Vbi ab illa die marinis influxionibus tāta solet pisciū includi multitudo, ut nō solū finitimis, uerum etiā remotis urbibus, uberiores et inauditas prestet cōmoditates. Occupatis igit' solo restagnāte locis mari uicinioribus, uolentib. secus æquora trāsire, et in Aegyptū descēdere, obiectū est dispendiū, quod stagnū circuire, et miliaribus decē uel eo amplius digredi, anteq; ad littus iterū redeat, quadā necessitate compellat. Hoc autē gratia miraculi, & de nouo factæ irruptionis interseruimus, & quod pars solitudinis prius obnoxia solis ardoribus, nunc subiecta fluctibus, natantium facta familiaris nauigijs, patens piscatorū implet retia, & præter solitum facta fœcundior, fructus reddit incognitos. Pharamia uerò, unde suprà fecimus mentionē, ciuitas deserta, olim multo frequentata habitatore, iuxta primū Nili hostium, quo marinis excipit' fluctibus, sita est, quod uulgò Carabes dicitur, heremo iuncta inter fluuium, mare, & solitudinem posita. distat tamen ab ostio fluminis miliarib. tribus: ad quam nostri peruenientes, classem nostram reperiunt aduenisse. Vbi aptatis nauibus cum remige necessario, uniuersus in ulteriorē ripam deportat' exercitus. Relinquentes igitur à læua Tapium, eximiam olim metropolim, nunc autem paruissimi ad instar redactam oppidi, inter loca palustria & maris littus uiam carpētes mediam, quasi miliaribus uiginti, duobus diebus Damiatam perueniunt.

Rex Damiatam obsidet: & in eius expugnatione tam Latinorum quàm Græcorum inutiliter desudat exercitus. Caput XVI.

EST autē Damiata inter Aegypti metropoles antiqua & nobilis plurimū, secus ripam Nili sita citeriorē, ubi secundo ostio prædictus fluuius mare ingreditur, inter fluminis alueum & mare, situ ualde cōmodo posita: à mari tamen, quasi miliario distans: ad quam sexto Calend. Nouembris noster peruenienș exercitus, inter urbem & mare castrametati, classem expectātes, quæ maris inclementia & uentorū aduersis flatibus detinebat'. quę post triduum, pacata maris unda, & uentis usa secundis, alueum amnis ingressa, inter ciuitatem & mare secus ripā placida se statione locauit. Porrò in ulteriore fluminis ripa erat turris singulariter erecta, armatis sufficienter ad sui præsidiū munita. Ab hac usq; ad ciuitatem cathena protendebatur ferrea, quę nostris maximum dabat impedimētum, ita ut ad superiora nullus omnino pateret transitus. Ad eos de superioribus à Babylonia & Cahere liberè & absq; impedimento poterant naues quælibet introire. Classe igit' composita, nostri quoq; pomeria quæ inter castra & urbē media iacebant, transeuntes, urbi uiciniora figunt tentoria, unde liber ad mœnia erat discursus. Vbi dum per triduum assultus differunt, experimēto discunt, quàm uerum sit illud, Nocuit differre paratis. Aduenientes enim de superioribus Aegypti partibus, Turcorū infinitæ multitudines, & armatis onustæ naues, nostris uidētibus, nec impedire

ualentibus,

ualentibus, urbem, prius pene uacuam, replebant. Et quam primo accessu uix primos impetus sustinere posse iudicauerant, nunc non nisi machinis & tormentis bellicis expugnandam asserũt. Eliguntur ergo artifices, & pro uotis subiecta materia, sumptu numerosiore & labore maximo erigitur castellum miræ altitudinis, septem habens solia, unde ciuitas tota uideri poterat. Construuntur & aliæ uarij generis machinæ quædam, quibus magnis molaribus cædantur mœnia: quædã, quibus quasi caueis occultis, fossores muros urbis suffodiant, & subterraneis meatibus suffossos compellant ad ruinam. Fabrefactis interim machinis, & per itinera complananda secus murum collocatis, qui in castello erant urbanos sagittis, saxis pugillaribus & armis, qualia furor & loci angustia ministrabat, urgebant cum instantia. Qui uerò sub iaculatorijs tormentis, missis molaribus, certatim mœnia, et iuncta mœnibus domicilia deijcere adoriuntur. Hoc uidentes oppidani, ut artem arte deludant, & nostris moliminibus eadem subtilitate obuient, è regione nostri castellum educunt in sublime, armatos imponunt, qui nostris renitantur à pari & eis æquipollenti conatu respondeant. Tormenta nihilominus tormentis obijciunt, & ad nostra confringenda argumentis quibus poterant, tota sollicitudine se suspendunt. Fiunt autem ad sui tuitionem solertes, & ingeniũ à necessitate uires sumit. Quicq; prius arbitrabantur se ad hoc non sufficere, necessitatis pressi articulo, uias inueniunt prius incognitas, & ad propriæ salutis tutelam fiunt ex obtusis subtiliores. Ibi erat experimento cognoscere, quam uerum sit illud prouerbialiter dictum: Miserisq; uenit solertia rebus. Nostri uerò cum instare acrius debuissent, timidè gelideq; cœperunt cuncta ministrare: erant qui fraudi, erant & qui incuriæ & negligentiæ imputarent. Ibi profectò patuit statim, nostros aut minus experientiæ habuisse, aut à solita defecisse prudentia, aut exercitus moderatores maliriosè uersatos: cum castellum quod erectum fuerat, per loca cliuosa & penè inuia muris applicari iusserũt. Nam cum essent in eadem parte ciuitatis mœnia in multis locis humiliora, & infirma nimis, & loca multis assultibus & expugnationibus facilius peruia, castellum erexerũt in ea parte ciuitatis quæ firmior & magis munita habebatur. & ubi cum tanta difficultate mœnibus est applicatum, quanta alibi nusquam occurrisset: nec ibi ciuibus quicquam inferebat molestiæ, aut eorum ædificijs, sed solum Basilicæ sanctæ Dei genitricis, quæ iuxta muros sita est. Illud sanè nihil habet ambigui, quia de malitia Græcorum processerit, quod primo nostrorum aduentu dilata est urbis impugnatio. nam uacuam reperientes eam, dum non nisi domesticos haberet suos, uiros imbelles, effœminatos, præliorum ignaros, si pro debito animosius institissent, primis congressionibus eam occupassent uiolenter. Concessæ nanq; feriæ, tantum uirium obsessis intulerunt, tantamq; medio tempore uirorum fortium & egregiè armatorum accessit numerositas, ut non solum intra mœnia, sed etiam in campestribus nostrorum impetus possent sustinere.

Oritur in castris fames, & nostra classis penè tota incenditur. tandem soluitur obsidio, opera consumpta inutiliter. Caput XVII.

ACcessit præterea miserabile quiddam, quod omnis illa Græcorum quę uenerat in classe multitudo, tanta cœpit inopia alimentorum laborare, ut omnino panis eis omnibus deficeret, nec ciborũ quippiam apud eos inueniretur. Cędebatur ad usus uarios sylua palmarum castris contermina: deiectis certatim ad terram arboribus, in summo earum, unde rami habẽt originem, Græci fame laborantes, quærebant summo studio quandam teneritudinem, unde ramis humor uiualis ministratur, esui quodammodo habilem: unde suam, licet miserè, consolabantur esuriem. Quęrẽdi uictus artem fames auxerat, & uentris appetitus rugientis solertiam induxerat ampliorem. Hoc sanè per dies aliquot edulio uitam miserè protrahentes, famẽ laborabant depellere. Quibusdam tamen, qui nõ erant penitus alimonia destituti, auellanæ passæ, & siccæ castaneæ contra famis importunitatem solatia ministrabant. Nostris autem panis, & uarij generis alimentorum non deerat sufficientia: sed cogitantes de crastino, sacculis parcebant, timentes ne si ipsi cibos non habentibus, incautè diuiderent, aliquando & ipsis deficeret. Iterum & de mora incerti, tempus prolixum habebant suspectum. Præterea tanta imbriũ abundantia, tanta pluuiarum intemperies per idem tempus incubuit, ut neq; tugurijs pauperes, nec papilionibus diuites arte qualibet arcere possent stillicidia, imò nymborũ abundantiam. Vallo igitur cingentes tentoria, ut illuc pluuiarum deflueret impetus, uix in tuto se poterant collocare. Accidit quoque per eosdem dies grande nimis infortunium. Nam cum galeas, & cęteras diuersi generis naues, à mari eductas, in fluminis alueũ introduxissent, & iuxta ciuitatem tuta, ut uidebatur, statione ordinassent: uidentes oppidani quod uentus à superioribus descenderet, & quasi Nili fluenta sequeretur aliquantulum uehementius, quod conceperant, in opus trahere nituntur. Accipientes enim mediæ quantitatis cymbam, lignis aridis, pice, & liquamine, & omnibus his quæ solẽt ignibus incentiuum ministrare, eam usq; ad summũ eius replentes, ignem subijciũt: & accensam, in classem nostram, flamine eam gratis deferente, dirigunt. sed & aderãt Austri flatus, qui suppositis ignibus, ministrarent irritamentum, sumpta occasione ex subiecta materia. Descendens igitur incensa nauicula in classem, reperiensq; eam quasi contiguam, transire non ualens, hæsit inter rates: præbitoq; quod gestabat incendio, sex ex rostratis nauibus, quas galeas uocant, usq; in fauillas exussit. uniuersamq; classem ignis inualescens penitus occupasset, nisi domini Regis sollicitudo, qui comperto incendio, nudis adhuc pedibus, equum uelociter conscendens, nautas ad resistendum ignibus, manu, multisq; clamoribus excitasset. Diuidentes itaq; eas abinuicem, latè uagantis incendij furorem declinabãt. Sic uerò quæ uicini ardore incendij conflagrare cœperant, ignis fomitem, uel in fauilla, uel alio modo secum trahentes, beneficio fluminis, & uicinarum aspergine aquarum, remedium consequebantur. Fiebant præterea, sed diebus interpolatis, in urbem assultus, in quibus, secundum hoc quod bellorum dubius solet esse euentus, nunc nostri, nunc hostes deteriorem calculum reportabant: frequentius tamen nostri pugnandi occasionem ministrabant. Nam hostes

rarò nisi lacessiti, ad congressum prouocabant: nonnunquã tamen per adulterinam portam, quæ Græcorũ respiciebat castra, in eos irruptiones subitas faciebant oppidani, nescimus qua fiducia adducti, aut quod nostris eos audierant naturaliter inualidiores, aut quia fame periclitantes, ad sustinendos impetus minus reputabant idoneos. Eorum tamen magistratus Mægalducas, & alij, uiriliter & satis strenuè, quoties opus erat, in acie decertabant. Vnde eorum exemplo inferiores animati, plerunque etiam supra solitum & instabant acrius, et animosius resistebant. Augebantur porrò ciuibus tam per terras quàm nauigio turbæ militares, ut iam de cætero nostris magis essent formidini, qui intra mœnia tenebantur, quàm molestiæ aliquid pati qui dicebantur obsessi, uiderentur. Murmur ergo iam serpebat in populo, & erat omnium penè una sententia, nostros operam inutiliter consumere, irata diuinitate hoc opus cœpisse: tutius esse redire ad propria, quàm in Aegypto fame tabescere, uel hostium gladijs deputari. Mediantibus ergo nostris, & de satrapis Turcorum nonnullis, & maximè quodam eorum principe, fideliter operam dante, Iuelino uidelicet, consentientibus in idipsum Græcis, occultis quibusdam conditionibus fœdus initur, mox uoce præconia pax indicit.

Reuocatis expeditionibus, Rex ad propria reuertitur. Græcorum classis in redeundo penè tota deperit, sinistris acta flatibus. Caput XVIII.

EGrediuntur ergo tam de ciuibus, quàm de his qui in eorum subsidiũ uenerant, ad nostrorum castra, pro libero arbitrio: nostris quoque uolẽtibus urbem introire, liber introitus & egressus sine difficultate patebat. Hîc tandem mutuorum data facultas cõmerciorum, & quod cuique libitũ erat emere uel permutare, facta est licentia. Sic ergo quasi per triduum nostri communi cum hostibus usu rerum uenalium foro, ad iter se accingunt. Depositis igitur machinis, & igne succensis, qui terrestri uenerant itinere, dominum Regem secuti, eadem qua uenerant uia in Syriam reuertentes, maturatis gressibus, duodecimo Calend. Ianuarias Ascalonem peruenerũt. Dominus uerò Rex gratia uicinę festiuitatis, Accon properanter in uigilia natiuitatis Dominicę, eandem attigit ciuitatem. Qui autem nauigio uenerant, omine sinistro & infaustis auibus naues conscenderunt: nam statim in primo obeundi itineris initio, exorta subitò ualidissima tempestate, fretorum experti insuperabilem malitiam, confractis nauibus, & collisis ad littora, omnes penè passi sunt naufragium. Sic itaque de tanta classe, quæ ad nos descenderat, tam de maioribus, quàm de minoribus, paucæ naues reseruatæ sunt incolumes, & quæ ad redeundum ex seipsis præstarent habilitatem. Infecto igitur negocio, omni tamen diligentia, qua compleri debebant, à nuncijs domini Imperatoris impensa, & debita solicitudine procurandis negotijs exhibita, domum redeũt, deiecti animo, fati aduersitate consternati: timentes, ne sibi præter meritum Imperialis excellentia sinistrum imputaret euentum. & quod casus ineuitabilis attulerat, ira accensus eorum dominus, indebitè eorum adscriberet aut malitiæ, aut neglectui. Meminimus tamen, post reditum nostrum, tam à domino rege, quàm à quibusdam regni principibus, sollicitè & diligenter quæsiuisse, quę nam causa fuerit, quod tantus exercitus, tantorum principum stu

mescit. Sufficit cuiq; dolor suus, & dum quemlibet cura frangit domestica, alij differt molestias inferre. Facta est, sed breuis, pax, studio hominum procurata, & foedus compositum, diuinorum iudiciorum timore conscriptum: & dum indignationem peccatis suis debitam expectat quisq; desuper, ab ijs quae solent hostiliter inferri manum reuocat, & impetus moderatur. Nec ad horam, ut plerunque solet, fuit ista irae Dei reuelatio, sed tribus aut quatuor mensibus, uel etiam eo amplius, ter aut quater uel plerunq; saepius, uel in die uel in nocte, sentiebatur motus ille tam formidabilis. Omnis motus tam suspectus erat, & nusquã tuta inueniebat quies. Sed & dormientis animus plerunq;, quod uigilans timuerat, perhorrescẽs, in subitum saltum, rupta quiete corpus agitari compellebat. Superiores tamen nostrae prouinciae, Palestinae uidelicet, & horum omnium, fuerunt Domino protegente expertes malorum.

Salahadinus nostros fines ingreditur, & castrum cui est nomen Daron obsidet. *Caput* XX.

EOdẽ anno, mense Decembri, & anno uidelicet domini Amalrici sexto, frequens fama circumuolat, & crebris nuncijs diuulgatur, quòd Salahadinus cõuocatis ex uniuersa Aegypto, & finibus Damascenorũ militaribus copijs, ampliatoq; ex plebeis & secundae classis hominibus militũ numero, regnũ nostrũ depopulaturus, ad partes Palestinas moliebat̃ accedere. Quo audito, D. Rex sub omni celeritate in fines ascendit Ascalonitanas. Vbi fida suorum relatione, pro certo cognouit, quod praedictus magnus & potentissimus princeps cum exercitu copioso ualde, & solito amplıore, castrũ cui nomen est Daron, per biduũ obsederat: tantamq; illo biduo, obsessis nulla data requie, intulerat molestiam, tantis tamq; frequẽtibus sagittarum immissionibus, eos qui in praesidio erant, lacessiuit, ut omnibus penè saucijs, pauci pro loci defensione arma possent corripere. Muro etiam suffosso, & effracto uiolentius, partem municipij iam occupauerat: oppidanis in arcem, quę munitior uidebatur, de necessitate se recipiẽtibus. Eius quoq; turris partem inferiorem, effracto & incenso ostio, uiolenter irruperant, militibus qui intus erant eius partes superiores adhuc tuẽtibus. ita domino Regi nunciabatur, & uerè sic erat. Erat̃ autem eidem praesidio dux, & custos datus, uir nobilis & in armis strennuus, religiosus ac timens Deum, dominus Ansellus de Paz: cuius si forte praesentiam illa die praedictum castrum non habuisset, procul omni dubio in manus hostium deuenisset. quo comperto, Rex, tactus dolore cordis intrinsecus, & succensus ira, quantũ angustia temporis & hostium uicinitas patiebatur, conuocatis undecũq; tam equitum quàm peditum suffragijs, urbe Ascalona egressus, octaua decima die mensis praedicti Gazam contendit. Affuit ibi cum eo dominus Patriarcha, cum uenerabili & praecioso uiuificae crucis ligno. Adfuerunt & uiri uenerabiles, dominus Radulphus Bethleemita episcopus, & regni Cancellarius. Item dominus Bernhardus Liddensis episcopus, & de regni principibus pauci admodum. Recensitoq; suorum numero, uix inueniũt equites ducentos quinquaginta, de peditibus uerò ad duo millia. Illã ergo noctem in praedicto loco prę sollicitudinis & curarum pondere, insomnẽ trahentes, assumptis sibi fratribus templi, qui

illuc pro tuitione loci cōuenerant, circa ortum solis urbem unanimiter egrediuntur, iter suum ad prędictum castrum dirigētes. Est autem, ut credimus, prædictum castrum in Idumæa, ipsa est Edom, situm trans torrentem illum qui dicitur Aegypti, qui etiam terminus est Palęstinæ & prędictæ regionis. Hoc idem ipsum D. Rex Amalricus paucis ante annis in loco aliquantulum eminente fundauerat: occasione uetustorum ædificiorū, quorum ibi aliqua adhuc supererant uestigia. Traditur autem à senioribus illarum partium incolis, quod priscis temporibus ibi fuerat monasterium Græcorum, unde & adhuc nomen tenet, Darum: quod interpretatur domus Gręcorum. Fundauerat autem, ut prędiximus, D. Rex illic castrum modicæ quātitatis, uix tantum spacium intra se continens, quantum est iactus lapidis, formæ quadræ, quatuor turres habens angulares, quarū una grossior & munitior erat alijs: sed tamen absq; uallo erat, & sine antemurali. Distat autem à mari quasi stadijs quinq;, à Gaza uerò milliaribus quatuor. Conuenerant autem aliqui ex locis finitimis agrorum cultores, & negotiationibus quidem operā dantes, ædificauerant ibi suburbium & ecclesiam non longè à præsidio, facti illius loci habitatores. Erat enim locus cōmodus, & ubi tenuiores homines facilius proficerent quàm in urbibus. Condiderat aūt Rex ea intentione prædictum municipium, ut & fines suos dilataret, & suburbanorum adiacentium, quæ nostri casalia dicunt, & annuos redditus, & de transeuntibus statutas consuetudines plenius & facilius sibi posset habere.

Rex cum modica manu Salahadino occurrit: plures ex nostris tam in urbe Gaza, quàm in itinere, ab hostibus obtruncantur. Caput XXI.

EGressus ergo Gaza noster exercitus, & in edito quodā loco, qui in ipso itinere erat constitutus, castra uidet hostium: & præ nimia multitudine territi, cœperunt se solito arctius comprimere, ita ut præ turbæ densitate uix possent incedere. Illi statim in nostros irruentes, tentabant, si unquā eos possent ab inuicē separare: sed nostri, propitia diuinitate, solidius inter se conglobati, & hostium sustinebāt impetus, & iter maturatis gressibus cōficiebant. Tandē uentū est ad locū destinatū, ibiq; defixis tentorijs, stetit uniuersus exercitus: dn̄oq; Patriarcha in arce locato, reliqui omnes extra & iuxta suburbiū castrametati sunt. Erat aūt hora diei quasi sexta. Habitis ergo illa die singularibus conflictibus, & per turmas nōnullis, nostri & audacter institerūt, & restiterunt uiriliter. Nocte autem accedente, Salahadinus, ordinatis agminibus uersus Gazam suos dirigit exercitus, nocteq; illa secus torrētem quieuerunt. facto mane, ante Gazam constituti, urbi cœperūt approximare. Fuit autem Gaza urbs antiquissima, Philistijm metropolis egregia, cuius in historijs tam ecclesiasticis quàm secularibus, multa fit mentio. cuius etiam hodie, uetustæ nobilitatis, in nobilibus ædificijs, multa extant argumenta. Iacuit autem multis temporibus deserta, ita ut nec uno incoleretur habitatore, quousque dominus Balduinus, illustris memoriæ Hierosolymorum Rex quartus, ante captam Ascalonam, collectis regni uiribus & publicis sumptibus, castrum in quadam parte ciuitatis munitum satis ædificauit, constructumq; statim fratribus Militiæ templi donauit, iure perpetuo possidendū. Castrum ergo totum collem, supra quem ciuitas fundata fuerat, ut prædiximus.

mus, non potuit occupare: sed conuenientes quidam ad loci illius habitationem, ut tutius ibi morarentur, reliquam partem collis, portis et muro, sed humili & infirmo, tentauerant munire. Audito ergo hostium aduentu, loci illius habitatores, cum uxoribus & liberis decreuerant in præsidium introire (erant enim homines inermes, agrorum cultores, talibus inassueti) reliquam uerò ciuitatis partem immunitam hostibus exponere. Sed Milo de Planci, quidam de regni magnatibus, sed uir nequam, uolens quasi populum animare, introire penitus prohibebat, & ad tuendam urbis partem inualidiorem hortabatur. Erant porrò iuuenes ibi expediti, & ad arma prompti sexaginta quinque, de partibus Hierosolymitanis, de uico qui dicitur Macomena. Hi ad exercitum properantes, casu nocte illa in eandem urbem deuenerant: qui dum de mandato prædicti Milonis, secus portam exterioris ciuitatis, pro libertate & patria strennuè decertant, & hostibus uiam ferro aperire uolentibus fortiter resistunt, hostes ex alia parte in ciuitatem irruentes, inter præsidium & dictam portam, adhuc introitum hostibus negantes, reperiunt: irruentesque à tergo incautos uallant undique, & etiam resistere non ualentes, gladijs obtruncant. Sed tamen multis ex eis peremptis, uulneratisque pluribus, cruentam de eis uictoriam retulerunt. Volentes autem loci habitatores iterum in præsidium introire, receptis ab hostibus intra mœnia, & eos passim & sine delectu neci tradentibus, non est permissum ingredi, nec ulla alia salutis occurrebat uia. Irruentes igitur Turci ciuitatem occupauerunt, nec ætati parcunt, nec sexui: & uagientes saxis allidentes, iram uix poterant satiare. Qui autem in præsidio erant, hostes à turribus & muris lapidum iactu, & crebra telorum immissione longius arcentes, castrum propitio Domino seruauerunt incolume. Sic ergo occupata ciuitate, ciuibus interemptis, quasi palmam tenentes, uersus Darum reuertuntur. dumque proficiscũtur, inueniunt de peditibus nostris quasi quinquaginta, qui ad exercitum nostrum incautè properabant. Hos satis uiriliter se tuentes, & resistentes fortiter, gladijs enecant, & interficiunt uniuersos.

Salahadinus ad propria reuertitur. Rex quoque reparat castrum, quod ex parte dirutum fuerat. rediſt Ascalonam. Caput XXII.

COmpositis igitur agminibus, & in aciem prout rei militaris exigit disciplina, digestis, quadraginta duas instruũt cohortes, quarũ uiginti duas littus iubent sequi marinum, ut inter Daron & mare proficiscantur: reliquas autem Rex iter mediterraneum tenere præcipiunt, quousque castro prgterito, omnes in unum corpus iterum se recipiant. Videntes ergo nostri, hostes instructis redire ordinibus, ad conflictum se præparant. Et licet pauci sint, confidunt tamen de Domini clementia: inuocatoque de superius auxilio, accinguntur ad prælium, Domino ministrante uires & animorum constantiam, nihil putantes eis certius, quàm eos ad hoc redire, ut cum nostris congrediantur. at illi longe aliud habentes propositum, nec ad dexteram nec ad læuam declinantes, in Aegyptum redire festinabant. Quod postquam regi per certos constitit nuncios, quod iter arripiunt non redituri, relictis qui castrum semidirutum reædificarent, reædificatum muniant amplius, &

munitum fideliter custodiant, Ascalonã Domino ducente iterũ reuersus est. Dicebatur ab ĳs qui frequentius in regno expeditiones uiderãt, quod nulla ætate tantam Turcorum multitudinem collectam audierant: reputabaẽ hostium numerus, in quibus non nisi equites erant, ad millia quadraginta.

Hoc anno gloriosus martyr Christi, Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, in propria occiditur ecclesia. Caput XXIII.

PEr idem tempus, quarto Cal. Ianuarias, in Anglia apud Cantuariã, nobilem & eximiam eiusdem prouinciæ metropolim, celebrata est passio beatissimi & gloriosissimi martyris, Thomæ, eiusdem ciuitatis Archiepiscopi. Hic fuit natione Lundoniensis, & sub bonæ memorię Theobaldo Cantuariensis ciuitatis antistite, meruit in Archidiaconatũ eiusdem ecclesiæ promoueri. Vnde ab Henrico secundo, eiusdẽ prouincię rege, in partẽ Regiæ solicitudinis uocatus, factus est eius Cancellarius, & uniuersi regni fidelis & prudens, & maximus dispẽsator et procurator. Tandẽ suffragãtibus meritis, & post prędicti beati patris obitũ, ad Cantuariensem, ordinante Dño, uocatus ecclesiã, dum pro ecclesiæ suæ iustitia uiriliter & cõstantissimè, contra tyrannicas decertaret impietates, eundẽ regem persecutorẽ fugiẽs, exiliũ cõpulsus est subire, quod in Francia septennio cõtinuo mirabili & prædicãda tulit patientia. A quo dum pacem promissam exspectat, rediens, impiorũ gladĳs, intra eandem ecclesiam, cui autore Domino præsidebat, cõtumelĳs affectus, pro persecutoribus orans, capite cæsus, proprio sanguine laureatus, fœlici commercio, coronatus est. per quem pius & misericors Deus, in sæpe dicta ecclesia, & uniuersa prouincia, tot & tanta diebus penè singulis operari dignatus est miracula, ut Apostolorum uideantur innouata tempora.

Rex assumptis secum aliquot principibus suis, Constantinopolim proficiscitur. Imperator eum multiplici honore præuenire satagit. Caput XXIIII.

SEquenti anno, qui erat regni D. Amalrici septimus, uidens sæpedictus Rex, quantis molestĳs regnũ cotidie fatigabatur, et quod hostiũ incessanter augebatur numerus, uirtus suscipiebat incrementũ, in immensum quoq; facultates eorum multiplicabantur & diuitiæ: Regni aũt nostri prouidi principes & discreti iam penitus defecerant, & in eorum loco soboles succrescebat perniciosa, quę locũ tantorum uirorum inutiliter occupabat, & bona paterna in usus dilapidabant detestabiles: unde regnũ in tantam deuenerat debilitatem, quantam cognoscere poterant, etiam qui sensus habebant minus exercitatos. Conuocat igitur uniuersos regni principes, ibiq; eis pręsentibus regni necessitates aperit, expetit ab eis consiliũ, quod neq; ad impugnãdum aduersarios, neq; ad sustinẽdos eorum impetus sufficiebat. Opus esse dicũt, ut implorato occidentalium principum auxilio tentent his malis resistere: aliam autem salutis uiam asserunt se omnino inuenire nõ posse. Visum est demum, & de communi cõsilio placuit, ut honestas personas ad sollicitandos, & de regni anxietatibus edocendos, dominum Papam, & illustres dominos Romanorum Imperatorem, Francorum, Anglorum, Siciliæ & Hispaniarum reges, & inclytos Duces & Comites, dirigant, qui ab eis contra imminentia pericula auxilium implorent. Decretum est etiam, ut domino quoque Imperatori Constantinopolitano, quia nobis uicinior, & cæteris longẽ

opulen-

opulentior,facilius optata nobis posset ministrare suffragia,regni status anceps & periculosus significetur. Adduntetiam,ut talis ad eum persona dirigatur,quæ prudentia,facundia,& auctoritate tanti principis animum ad nostra sciat et possit inclinare desideria. Dum super hoc,quis ad tantam legationem implendam idoneus esset,deliberaretur, Rex habito cum paucis & familiaribus consilio,propositū pandit,et coram omnibus mentis reuelat conceptum,dicens:Istud per neminem posse fieri,nisi per eum. adiecit etiam,Se paratum esse pro regni necessitatibus subleuandis,& labores & quælibet subire pericula. Hic cum stupidi & admiratione pleni maiores regni dicerent, Durum est nimis, ut absq; regis præsentia, regnum quasi desolatum inueniatur. respondit: Regat Dominus regnū suum,cuius minister ego sum. apud me fixum est ut uadam: non est qui hoc à proposito me possit reuocare. Assumpto ergo domino Vuilhelmo Acconense episcopo,& de regni magnatibus Guarimundo Tyberiadense, et Ioanne de Arsur,Gerardo de Pugi Marescallo,Reardo Hierosolymitano Castellano,Reynardo de Nemphis(nam Philippum Neapolitanū, qui iam Militiæ templi deposuerat magistratum; per terras præmiserat) & maximo Comitatu,qualis Regiam decebat maiestatem, sexto Idus Martij iter aggreditur in galeis decem. Vnde propitio Domino,prospera usus nauigatione, fauces Abydenas,& ostia Bosphori, quod uulgari appellatione Brachium S.Georgij dicitur, fœliciter ingressus est. Audiens ergo dominus imperator,uir magnificentissimus,prouidus,& discretus,& per omnia commendabilis,quod tantus princeps, & tam famosi & Deo amabilis regni moderator, imperium suum præter solitum ingrederetur,primum uehementer admirans,quæ nam tanti laboris & insueti itineris caussa posset esse: deinde gloriæ suæ considerans incrementum,honoris amplitudinem, gratię cœlestis donum incomparabile,quod sibi gratis uideretur oblatum diuinitus, quod nulli prædecessorum suorum legitur accidisse,uidelicet quod Rex Hierosolymorum, locorū uenerabilium Dominicæ passionis et resurrectionis defensor,& aduocatus,ad se ueniat,plurimum exhilaratur,& aduenientem eum multiplici disponit honore preuenire. Accersitoq; Ioanne Protosebasto nepote suo,& inter sacri palatij principes eminentissimo,cuius filiam idem dominus Rex uxorem habebat,ei dirigit in occursum,ut iuxta pristinam & inuiolabilem imperij disciplinam,& incomparabilem magnificentiam,in urbibus & locis ad quæ perueniret, eum faceret haberi honestissimè,& instrueret tanquā filium,ut de introitu eius in urbem Regiam domini Imperatoris nuncios expectaret. Tunc idē magnificus princeps,cum honesto Comitatu domino Regi occurrēs,usq; Calliopolim peruenit,quæ est in littore Bosphori sita,à faucibus non multum distans Abydenis. Inde quoniam uentus ad urbem Regiam uolentibus properare, nō multum erat idoneus, descendens de galeis usq; Heracleam, quæ in eodem maris est sita littore, cum suo familiari comitatu eques peruenit: ubi & classem suam,quæ recepta aura secundiore,prosperis usa flatibus, eius iter præuenerat, in portu reperit. Vnde iterum classem conscendens,uento prosequente fauorabili, Constantinopolim usq; peruenit.

Intro

Introductus ante Imperatorem, honeste tractatur, & frequentia cum eo de rebus necessariis miscet colloquia. Caput XXV.

Est autem in ipsa urbe super littus maris, ad orientem prospiciens, Imperiale palatium, quod Constantinianum appellatur, introitum habēs ad mare, miro & magnifico tabulatu: gradus habens marmoreos, usque in id ipsum mare; leones habens & columnas, fastu erectas Regio, ex eadem materia. Huic soli Augusto solet introitus patēre, ad superiora palatij: sed domino Regi, honoris intuitu præcipui, præter communes regulas, aliquid indultum est, ut ea parte ingredi permitteretur. Ibi uerò occurrentibus ei magnis Sacri palatij principibus, cum maximo Curialium numero in summa honorificētia receptus est, unde per angiportus & miræ uarietatis diuersoria, multis tam suorum quàm palatinorum stipatus ordinibus, usq; ad supereminentem Regiam, ubi dominus Imperator cum suis illustribus residebat, deductus est. Dependebant ante consistorium uelaria preciosę materiæ, & operis non inferioris, imò quibus illud Nasonis merito posset aptari, Materiam superabat opus. Extra quas maiores principes domino Regi occurrentes, introduxerunt eum intra prædicta uelaria. Hoc autem dicitur factum esse, conseruandæ Imperialis gloriæ caussa, & pro recōcilianda sibi domini regis gratia. nam in cœtu procerum suorum, solis astantibus inclitis, dicitur ei familiariter assurrexisse: quòd si præsente generali curia factum fuisset, nimis uisus esset dominus Imperator suę derogasse maiestati. Ingresso ergo domino Rege, contractis subitò uelarijs, his qui extra uelaria fuerāt relictis, apparuit dominus Imperator throno sedens aureo Imperiali, uestitus schemate: iuxta eum dominus Rex throno sedens honesto, humiliore tamē. Hic nostris principibus & pacis osculum, & debitæ salutationis, cum multa humanitate dependens affatum, de salute domini Regis, & principum suorum quærens diligentius uerbo & uultu, significat cum multa mentis hilaritate, eorum suscepisse aduentum. Præceperat autem dominus Imperator domesticis suis, & sacri palatij sui procuratoribus, quædam miræ excellentiæ diuersoria intra palatij ambitum, domino Regi suisq; familiaribus aptari. Suis autem principibus singulis singula honesta multum in urbe, non tamen longè à se, hospitia præparari. Sumpta igitur licentia à facie domini Imperatoris, dominum Regem secuti recesserunt ad tempus: statutaq; hora, qua ad eum redirēt, dominus Rex principes suos iubet ad propria descendere hospitia. Singulis ergo diebus, horis ad hoc specialiter deputatis, tum cū domino Imperatore, tum secum de negotijs pro quibus uenerat solicitus, habentes tractatus omnimodam dabant operam, quomodo consummata tanti laboris & itineris caussa, cum fine optato redire possent ad propria. Habitis ergo frequenter cum domino Imperatore colloquijs tum seorsum, tum in cœtu illustriū suorum familiaribus, uiæ caussam aperit, regni necessitates edocet, immortalitatem famæ, quam dominus Imperator in subiugando sibi Aegypti regno cōparare posset, diligētius exponit, facultatem quoq; obtinendi propositi euidentibus astruit argumētis. Quibus persuasus, aurem benignam dominus Imperator eius assertionibus accōmodat, & desiderijs plenum & optatum pollicetur effectum. Interim munerum immensitate, iuxta Imperialem magnifi-

gnificentiam tam dominum Regem, quàm eius principes honorat multipliciter, frequentibus uisitationibus de eorum statu et incolumitate sollicitum se ostēdit. Interiores etiam palatij partes, penetralia nō nisi domesticis suis peruia, lares quoq; secretioribus usibus dedicatos, basilicas uulgarib. inaccessas hominibus, thesauros & uniuersorum desiderabiliū repositiones auitas, eis tanquam familiaribus suis præcipit reserari. Sanctorum etiam reliquias, dispensationis quoq; Domini nostri Iesu Christi preciosissima argumenta, crucem uidelicet, clauos, lanceam, spongiam, arundinem, coronam spineam, syndonē, sandalia, exponi iubet: nō est archanum, non est mysticū à temporibus beatorum AVGG. Constantini, Theodosij, Iustiniani, in abdytis sacri cubiculi repositum, quod eis nō reueletur familiariter. Interdum etiam ferijs intermissis, dominum Regem cum suis ad recreationes, et ludorum nouitates, quę utriusq; nō dedeceant honestatem, aliquoties inuitat: ubi & musicorum genera instrumentorum uaria, et cantus admirandæ suauitatis, consonantijs distinctos artificialibus: choreas quoq; uirginum, & histrionum gesticulationes admiratione dignas, seruata tamen morum disciplina, præcipit exhiberi. Sed & spectacula quoq; publica, quæ nos ludos theatrales uel Circēses cōsueuimus appellare, urbanis, domini Regis gratia, cū multis sumptibus, & solita magnificentia præcipit exhiberi.

Completis negocijs, & muneribus cumulati, tam Rex quàm eius principes, ad propria reuertuntur. Caput XXVI.

FActa autem per dies aliquot in palatio Cōstantinopolitano mora, causa inducendæ uarietatis, quæ maximè solet releuare fastidium, ad palatium nouum, quod Bachernis dicitur, se et dominum Regem transtulit. ubi etiam plenis humanitatis legibus infra palacium suum honestis cōclauibus, deputatis in ipsis penetralibus patrum suorum, eum per dies aliquot benignè habuit. Sed & suis nihilominus nō longè ab eodē palatio honesta simul & commoda fecit hospitia præparari. Vbi etiam, sicut & prius, impensas nō solum necessarias, sed uoluptuarias superfluè habentes: & hi quibus id officij deputatum erat, magnificè & superabundanter non cessabant ministrare. Sed & urbem totā, tum interius, tum exterius, simul & ecclesias & monasteria, quarum penè infinitus erat numerus, columnas etiā trophæorum argumenta, arcus quoq; triumphales, ducentibus eum magnis proceribus & locorum gnaris, dominus Rex peragrauit, & singulorum rationē & causam inquirēs à uiris antiquissimis & prudentibus, plenius edoctus est. Descēdit etiam per eosdē dies idem D. Rex per Bosphorū, usq; ad ostia maris Pontici, unde est introitus & initiū huius influxionis, quæ Bosphorus dicit, in mare mediterraneū. Circuibat itaq; loca incognita, tanq; uir curiosus, & causas rerū scire desiderans: quib. ad plenū cognitis, in urbē rediens, iterum ad familiares D. Imperatoris recurrit affatus, negocijs quæ uię causam præbuerant, finem cupiens optatū imponere. Habitis ergo ferijs competētib. tractatis necessarijs, completo feliciter & pro uotis negotio, pactis hinc inde ad placitam utrinq; consonantiam redactis, utriusq; bulla signata, sumpta licentia, & uniuersorū gratia prosequente, ad iter se accingit. Ibi tunc primum in D. Regem & suos imperialis quasi prodiga, sed planè cōmendabilis, claruit munificentia. nā im

mensa D. Regi conferens auri pondera, holosericorumque multitudinẽ, simul & peregrinarũ eximia bona diuitiarũ: suos etiã usque ad puerorũ nouissimum donis ingentib. cumulauit. Sic & Protosebasto in omnes tanque uir inclytus suam effudit liberalitatẽ. Sed & reliqui principes eodẽ zelo accensi, certatim se mutuò munificentia uincere cupientes, munera D. Regi offerũt: quibus & materię dignitas, & operis elegãtia, & fauor nõ deerat in utroque. Composita ergo classe, negocio feliciter consummato, descendens in Bosphorũ, qui Europę Asiæque terminus esse dinoscitẽ, ducentis ab urbe miliarib. per illud mare nauigans, inter Seston & Abydon urbes famosissimas, Leandri Heroque domicilia, mare ingreditur mediterraneum. inde secũdis actus flatibus, decimo septimo Calend Iulij, ad urbem applicat Sydonensem.

Rex apud Sephorim exercitus conuocat. Dominus Fredericus Tyrensis Archiepiscopus ab ultramontanis partibus redijt. Vuillhelmus Acconensis Episcopus in Romania moritur. Caput XXVII.

INgressus itaque in regnum, audiens quod Noradinus in finibus Paneadensibus cum exercitu copioso resideret, timens ne in regnum irruptiones inde moliretur, sollicitudinẽ contra hoc, quantũ expedire uidebatur, obiiciens, in Galilęam descendit: & conuocatis regni principibus, iuxta fontem illum celeberrimũ, qui inter Nazareth & Sephorim est, castrametatus est: ut quasi in centro regni constitutus, cõmodius inde ad quaslibet regni partes, si uocaret necessitas, se transferret. Illuc enim tam ipse, quàm sui prædecessores conuocare exercitus eodem intuitu consueuerant. Eisdẽ diebus D. Fredericus Tyrensis Archiepiscopus prædecessor noster, missus ad hoc, ut à principib. Occidentalibus, nobis consilium & auxiliũ implorarer, cõpleto biennio, spe frustratus, nihil obtinẽs eorum quæ nostro nomine petierat, uacuus redijt. Comitẽ tamen Stephanũ, uirum quidem carne nobilẽ, moribus uerò nõ ita, D. Theobaldi senioris Blesensium, Carnotẽsium, Trecensium Comitis filium, ante se præmiserat, quem D. Rex per eundẽ Archiepiscopũ ad hoc, ut filiam suam uxorem ei daret, euocauerat: qui in regnũ perueniens, & super eodem uerbo à D. Rege benignè cõmonitus, oblatas & prius placitas renuit cõuentiones, & turpiter & immundè in regno conuersatus per menses aliquot, per terras redire disposuit. Cumque Antiochiã peruenisset, & inde in Ciliciam, ut per terram Soldani Iconiensis, impetrato prius eius ducatu, Constantinopolim properaret, cõtigit quod iuxta Mamistrã urbẽ Ciliciæ in insidijs, quas ei prætenderat Milo Armeniorũ princeps potẽtissimus, frater Thoros, casu incidit. Et irruentibus in eum qui latebãt in insidijs, uniuersa quæ secũ asportabat preciosa & desiderabilia multũ, prædæ datus, amisit: uixque à prędonib. equũ uilem quo deferretẽ, multa obtinuit precũ instãtia. Inde cũ paucis multo labore Constãtinopolim, uniuersorũ Orientaliũ eum odio prosequẽte, ignominiosus peruenit. Eodẽ anno comes quoque Stephanus æquiuocus eius, sed morũ honestate longè dissimilis, uir modestus, & planè cõmendabilis, filius comitis Vuillhelmi de Souna, & dux Burgundiæ Henricus iunior, superioris Stephani ex sorore nepos, in regnum orationis gratia & deuotionis intuitu ingressi, & moram modicam facientes, per Imperatorem Constantinopolitanũ ad propria reuersi sunt, ab eo suscepti honorificè, & cum multis muneribus dimissi. Sequẽti anno, qui erat regni D. Amalrici octauus, D. Vuillhelmus

helmus bonæ memoriæ, Acconensis episcopus, ab urbe Constantinopolitana, à D. Rege in Italiã directus, peragratis eius partibus & omni uia ad obtinendum, quod petebat, prudẽter fideliterq; prętentata, dũm in redeundo ad propria reuerso itinere ad D. Imperatorẽ ex cõdicto rediturus, apud Adrianopolim secundæ Thraciæ clarã metropolim peruenisset, casu sinistro mortẽ immeritus subijt inauditã. Nã dum hora meridiana, longo fatigatus itinere, post sumptũ cibũ membra sopori cõcessisset, quidã Robertus de comitatu eius, quẽ ipse ad sacerdotiũ prouexerat, & inter familiares receperat, in eodem in quo D. Episcopus cõclaui iacens, iam de longa ægritudine, qua plurimum laborauerat, cõualescens, furia inuectus, D. Episcopũ dormientẽ, accepto gladio pluribus inflictis uulneribus, lętaliter cõfodit. Quem cum sui qui exterius erant clamantẽ audirent, & præ mortis angustia gemitus edentem & suspiria intelligerent, uolentes irruere, ut laboranti ferrent opẽ dño, ostio ab intus firmiter obserato ingredi non potuerunt. Tandẽ effracto uiolenter ostio, dñm semianimẽ & adhuc circa præcordia modicũ spiritus habentem, repererunt. Volentes igit̃ prædictũ maleficũ uinculis mancipare, & homicidarũ lege ad pœnas rapere debitas, uoce et manu prohibuit, orans & petẽs, ut pro remedio animæ suæ ei plenior fieret indulgentia, nec ad mortẽ ei præsens factũ imputaretur: postulans anxius, ultimũ Domino tradidit spiritum, tertio Cal. Iulij. Huius aũt tanti maleficij caussam hactenus nõ potuimus certam deprehendere. Quidam enim dicunt, prædictum Robertum, tanti sceleris perpetratorẽ, longa ægritudine laborasse, & in cõualescẽtia positũ, phrenesis raptũ uiolentia, in tam piaculare flagitium descẽdisse nescienter. Alij dicunt, odio cuiusdã cubicularij eius, qui de D. Episcopi nimis præsumens gratia, tam eum q̃ reliquos male dicebat̃ tractare, tam immane scelus perpetrasse. Eodẽ anno quidam totius eiusdem ecclesiæ Canonicus, & subdiaconus, nono Cal. Decembris in eadem ecclesia substitutus est.

Melier Armenius, frater D. Thoros, Noradino coniunctus, partes uexat Antiochenas. Rex illuc properat, ut eius compescat malitiam. Caput XXVIII.

PEr idem tempus defuncto magnifico & nobili uiro, de quo frequenter fecimus mentionẽ, Armeniorũ principe maximo D. Thoros, quidam frater eius Melier nomine, uir nequissimus, ut eius hęreditatẽ sibi posset uendicare, accessit ad Noradinũ, petẽs ab eo, & cũ omni instãtia postulãs, ut militares eius copias ei cõcederet, quib. fratris hęreditatẽ sibi posset uiolenter occupare: eius aũt fratre defuncto, quidã Thomas, cõmunis ex utriusq; sorore nepos, uocantibus eum regionis principibus, omnẽ auunculi principatũ tranquillè possidebat. Erat aũt uir Latinus, sed minus habens industriæ, nec multum prudens, eis qui se uocauerant liberalem se & conformẽ exhibere. Interpositis itaq; conditionibus, quales Noradino uidebant̃ posse placere, obtinuit apud eum, ut partem militiæ suæ non modicam ei concederet: cuius fretus auxilio, præter morem patrum suorũ in paternã & auitam hæreditatem primus infideles introduxit. Ingressus itaq; uiolenter in terram patris, nepotem expulit, & sibi regionem uendicauit uniuersam. statimq; potestatẽ consecutus, quicquid fratres Militiæ templi in partibus habebant Ciliciæ, licet eorum frater aliquando fuisset, primis auspicijs sui principatus funditus ab-

 stulit,

stulit, tanto fœdere deinceps Noradino & Turcis coniunctus, quanto uix inter se solent fratres conuenire. Factus ergo tanquam infidelis, lege Domini neglecta, Christianis quantũ poterat, inferebat dispendia, captosq́ casu siue in prælio, siue in expugnatis municipijs, uinculis mancipatos, in terras hostiũ inferebat uenales. Princeps ergo Antiochenus, & de regione illius maiores & prudentes, audiẽtes quolibet hostium proteruius prædictum nequam hominem in Christianos desæuire, arma contra eum corripiunt: licet exemplũ sit periculosum, fideles contra eos qui eadem professione censent, arma corripere, instarq́ belli ciuilis uideat habere: mala tamen confratribus illata nõ audent dissimulare, sed bellum inferunt, & hostẽ publicum denunciant. Interea dominus Rex audiẽs, quod in partibus illis exortum esset scandalum, partes suas in his quæ ad pacẽ sunt, interponere cupiens, cum familiari comitatu ad partes descendit Antiochenas: inde domesticos nuncios ad immanissimum & à Deo destitutum Melier dirigit, petens ab eo, & obnixè postulans quatinus cum eo in loco sibi bene placito, die competẽte ad colloquium descenderet. cumq́ ter uel quater dominus Rex idipsum per nuncios tentasset efficere, in fine tamẽ maliciosi hominis deceptus ueneficijs, in ea parte non profecit. Tandẽ collectis de uniuersa prouincia militaribus copijs, in terram eius omnis illarũ partium Christianus descẽdit exercitus: ubi in campestribus Ciliciæ (nam cõscendere in montes durũ erat, & difficile) regionẽ obambulãt, fruges incendunt, municipia contendunt expugnare: ecce nuncius uerbi fini stri baiulus ad D. Regem accedit, significans, quod & uerum erat, quod Noradinus secundæ Arabiæ metropolim Petram, quæ alio nomine Herac appellatur, obsederat. Quo audito, D. Rex anxius plurimũ, cum suo familiari comitatu, sumpta à D. Principe licentia, cum omni celeritate reuertitur: sed antequã se in regnum reciperet, principes regionis prudẽter & strenuè regni robur collegerunt uniuersum: domino quoq; Radulpho Episcopo Bethleemita crucẽ Dominicã deportante, D. Hemfredo cõstabulario exercitus curã cõmittunt. Dumq́ impigrè, & sine dilatione ad locũ properãt destinatũ, ecce nuncius proficiscẽtibus occurrit, dicens (sicut & uerum erat) salua urbe, obsidione soluta, ad propria reuersum. Aduenieins ergo Rex in regnum, præter spem, uotis tamen consonam, inuenit tranquillitatem.

Salahadinus trans Iordanem castrum, cui nomen est Mons Regalis, obsidet: sed nihil proficiens, ad propria reuertitur. Caput XXIX.

ANno sequente, Salahadinus cum ingentibus copijs, et infinito equitatu circa initium autumni, in regiones nostras introitũ parat, ex omni Aegypto copias educens innumerabiles: transcursaq́ solitudine, ad eũ locũ peruenerat, qui dicitur Caunenm Turcorum. Rex autem eius aduentum præsentiens, exercitus suos collegerat: & assumpto sibi domino Patriarcha, cum mirifico et uenerabili Dominicę crucis ligno, circa Bersabee castra locauerat, ut de uicino aduenientib. hostibus cõmodius posset occurrere. Distabat aũt locus, ubi ille cũ suis expeditionib. dicebat̃ esse à castris regijs uix miliarib. sedecim: nondum tamen apud D. Regem pro constan ti habebat̃, quod ad illũ locum peruenisset. Verum tamen erat, quod aquarũ cõmoditatẽ secutus, ibi

castra

castrametatus erat. Habita igitur deliberatione cum principibus suis, quasi de industria eius occursum declinarent, diuersas studiosè ingrediuntur uias. Expeditiones igitur, & omnem populum uersus Ascalonam dirigunt, eius occursum uerbo quærentes, quem in proximo positum declinauerant studiosè. Deinde ad Daron uenientes, indeque ad locum suprà nominatum reducentes exercitum, inutiliter impensas & operam consumpserunt. Ille enim Idumææ campestria secutus, in Syriam Sobal cum suis cohortibus ascendens, castrum Montem regalem, quod uniuersæ regionis caput est, & singulare præsidium, obsidet. & quantum loci patitur opportunitas, studijs impugnat ardentibus. Erat autem municipium in colle situm edito, turribus, muris, & antemuralibus egregie munitum: eratque ei suburbium extra præsidium suum in decliuo collis, in loco tamen adeò sublimi & arido, ita ut neque assultus, neque arcuum uel machinarum formidarent ictus: erantque loci illius habitatores fideles uniuersi, quo amplior eis fides haberi poterat. Præterea armis & uictu, & uiris pro captu loci sufficientibus diligenter satis erat instructum. Vbi cum per dies aliquot inutiliter consumpsissent operam, uidens quod non proficerent, indicto suis reditu, uiam solitudinis ingressus, in Aegyptum reuersus est.

Salahadinus terram uniuersam trans Iordanem depopulatur. Rex in loco cui nomen Carmelus, exercitum detinet. Comes Raymundus Tripolitanus de carcere reuertitur. Caput XXX.

SEquenti anno, qui erat regni domini Amalrici decimus: uidens idem Salahadinus, quod anno præcedenti non multum profecerat, uolens prædictos redimere defectus, congregata ex uniuersis Aegypti finibus infinita militia, & ingentibus copiis, in regnum iterum introire disponit. Et ingressus solitudinem, ut magis occultè accedat, tantoque maiorem nocendi inueniat habilitatem, eandem regionem, in quam anno proximè præterito ascenderat cum suis exercitibus, mense Iulio ingressus est. Rex autem eius aduentu, uniuersæ militiæ regni robur secum trahens, illi usque in solitudinem occurrit: ubi cum ei nunciatum esset, quod in Syriam Sobal sicut anno prædicto declinasset, timens cum illuc sequi, ne fortè Regem audiens post se uenientem, ex opposita parte regnum depopulaturus ingrederetur: ascendit in montes, & locum sibi eligens ad stationem congruam, secessit in Carmelum. Est autem hic Carmelus non ille mons, qui in maritimis situs est Heliæ familiaris: sed uiculus quidam, ubi olim stulti Nabal domicilium legitur fuisse. Hunc ergo locum prudenter sibi elegit, propter aquarum commoditatem. erat enim ibi uetus & ingentis magnitudinis piscina, quæ ad usum uniuersi exercitus aquarum ministrabat copias. Sed & uicinus erat ei regioni quæ est trans Iordanem locus prædictus, ita ut sola uallis illustris, in qua mare iacet mortuum media, utranque disterminet regionem. Facilius ergo & crebrius erat nostris de factis hostium audire noua, & eorum statu cognoscere. Interea Salahadinus, dum Rex propter prædictam causam ad prædictas partes dubitat accedere, quicquid extra præsidia reperit, tradens incendijs, arbusta succidens & uineas, suburbana confringens, in regionem totam pro arbitrio desæuit. Tandem pro uotis tyrannide potitus, in Aegyptum circa finem Septembris reuersus est. Per idem tempus dominus Raymundus iunior, Raymundi senioris filius, Comes Tripolitanus, octauo anno captiuitatis suæ, quibus in mendicitate & ferro apud hostes detentus fuerat,

datis pro se aureorum milibus octoginta, pristinę se restituit libertati, ad auitum rediens comitatū. quem D. Rex benignè suscepit redeuntem: & terram suam, quam medio conseruauerat tempore, sine difficultate restituit. Insuper etiam, ut ad persoluendum redemptionis suae precium esset idoneus, Regia liberalitate plurima in eum cōtulit. Sed & principes suos & ecclesiarum prælatos, exemplo sui itidem facere cum effectu persuasit.

Describitur Assysinorum secta, & missio Legati eorum ad D. Regem. Caput XXXI.

ACcidit eisdem diebus apud nos res periculosa nimis, & detestabilis regno, ecclesiæ usq; in præsens tempus & fortasse in perpetuum lugēda. Quod ut plenius innotescat, sumendum est altius narrationis exordium. In prouincia Tyrensi, quæ Phoenicis dicit, circa episcopatū Antaradensem, est quidam populus, castella decem habens cum suburbanis suis: estq; numerus eorum, ut sæpè audiuimus, quasi ad sexaginta millia, uel amplior. Hi non hæreditaria successione, sed meritorum prærogatiua, magistrum sibi solent præficere, et eligere pręceptorem: quem spretis alijs dignitatum nominibus, Senem uocant. cui tanto subiectionis & obedientiæ uinculo solent obligari, ut nihil sit tam durū, tam difficile, tamq; periculosum, quod ad magistri imperium, animis ardentibus non aggrediantur implere. Nam inter cætera, si quos habent principes odiosos, aut genti suæ suspectos, data uni de suis, uel pluribus, sica, non considerato rei exitu, utrum euadere possit, illuc contendit, cui sica mandata est, & tam diù pro complendo anxius imperio, circuit & laborat, quousq; casu iniunctum peragat officium, præceptoris mandato satisfaciens. Hos tam nostri, quàm Sarraceni (nescimus unde deducto nomine) Assysinos uocant. Hi etiam annis quadringentis Sarracenorum legem, ęt eorum traditiones tanto zelo coluerunt, ut respectu eorū omnes alij quasi præuaricatores iudicarentur, ipsi autem legem uiderentur implere. Contigit autem diebus nostris, quod magistrum sibi præfecerūt facundissimum, subtilem, & acris ualde ingenij. Hic præter morem maiorum suorum, cœpit habere penes se Euangeliorum libros, & codicem Apostolicum. quibus continuato studio incumbens, miraculorum Christi & præceptorum seriem, sed & Apostoli doctrinam, multo labore aliquantisper assecutus erat. Inde conferens Christi & suorum suauem & honestam doctrinam, cum ijs quæ miser & seductor Mahumet complicibus suis, & deceptis ab eo tradiderat, cœpit sordere quicquid cum lacte biberat, & pędicti seductoris immunditiam abominare. Eodemq; modo populum suum erudiens, ab obseruantia illius superstitionis cessare fecit, oratoria quibus antea usi fuerant deijciens, eorum ieiunia soluens, uinum & suillas carnes suis indulgens. Tandem ad interiora legis Dei uolens procedere, uirum prudentē, in consilijs prouidū, eloquentem, & magistri sui doctrinam redolentē, nomine Bohadelle, ad D. Regem dirigit, uerba secreta deferentem: quorum pręcipuus & maximus erat articulus, quod si fratres Militiæ templi, qui castella regioni eorum habebant contermina, duo millia aureorū, quæ singulis annis de hominibus eorum quasi pro tributo solebant assumere, eis uellent remittere, & fraternam deinceps obseruare charitatem, ipsi ad fidem Christi & baptisma conuolarent.

Occiditur

Occiditur à fratribus Militiæ templi, Assysinorũ Legatus, & ingens in regno excitatur tumultus. Dominus Radulphus Bethleemita episcopus uita decedit. Caput XXXII.

Rex autem eorum legationẽ læto animo & gratanter suscipiens, petitioni eorum, sicut uir discretissimus erat, plenius annuẽs, aureorũ duo millia, quorum ipsi annuã præstationem relaxari postulabãt, de suis proprijs redditibus, prędictis fratribus refundere, ut dicit, paratus erat: nunciũq; quẽ apud se pro uerborum cõsummatione diu detinuerat, ad propriũ magistrũ, dato sibi ducis itinere, et proprij corporis custode, ut oblatũ uerbũ penitus absolueretur, remisit. Qui dum cum itineris consorte, & dato conduce Tripolim pertransisset, fines suos ingressurus, in proximo, subitò de fratribus supradictis, ex improuiso strictis gladijs irruentes, hominẽ de Regio ducatu, & nostræ gentis fidei synceritate præsumentẽ, incautum, & nihil uerentẽ, tale lęsæ maiestatis crimen incurrentes, occiderunt. Quod audiens Rex, prę facti atrocitate ira, & quasi insania succensus uehemẽter, cõuocatis regni principibus, in iniuriam suã quicquid acciderat, asserens redundare: instrui quærit, quid eum oporteat facere. Tandemq; de cõmuni principum consilio, consulitur, uerbum quod acciderat non esse negligendũ. nam in eo & auctoritas Regia uidebatur deperire, & Christiani nominis fides & constantia immeritã contrahere infamiã, et Orientalis ecclesia, Deo iam paratum incrementũ amittere. Mittuntur ergo de cõmuni cõsilio, nobiles quidã, Seyher de Mamedimi, & Godescaldus de Tuchotrit, ad hoc specialiter selecti, qui à magistro prædictorum fratrũ, Ottone de sancto Amando, exigant, ut tanti excessus & tam piacularis flagitij, Regi & regno uniuerso satisfactionẽ exhibeant. Dicebaẽ autẽ quidã frater eorum Galtherus, uidelicet de Maisnilio, uir nequã & monoculus, cuius spiritus in naribus eius, omnino penes se nihil discretionis habens, de cõscientia tamen fratrum hoc fecisse. Vnde, ut dicit, ei præter debitum parcendo, D. Regi per nuncios significauit, fratri qui hoc cõmiserat pœnitentiam iniunxisse, & ita cum iuncta pœnitentia, se eum ad D. Papam directurum. Inhibere autem ex parte D. Papæ, ne in prædictum fratrem manus quis auderet injcere uiolentas. Adiecit etiam & alia à spiritu superbiæ, quo ipse plurimũ abundabat, dictata, quæ præsenti narrationi nõ multum necessarium est interserere. Rex autem pro eodẽ negotio apud Sydonem cõstitutus, eundem magistrum cum multis ex fratribus eius, & eodem malefactore reperit: habitoq; consilio, cum ijs qui eius uiam illuc comitabantur, prædictum maiestatis reum, de domo eorum uiolẽter educi fecit, & Tyrum traductum, in uinculis carceri fecit mancipari. Tandem huius uerbi occasione paulo minus uniuersum regnum habuit ruinam irreparabilem sustinere. Rex tamen & apud Assysinorum magistrum, cuius tam sinistro casu legatus deperierat, de sua allegans innocentia, immunis apparuit: & cum prædictis fratribus, temperato satis usus moderamine, usque ad obitus diem rem dimisit indiscussam. Dicitur tamen, quod si de suprema illa sua conualuisset ægritudine, cum regibus & principibus orbis terrarum, quæstionem illam proposuerat per honestissimos nuncios diligentius pertractare. Vere autem proximè subsecuto, uenerabilis frater dominus Radulphus fœlicis memoriæ Bethleemita episcopus, & Regius Cancellarius, uir liberalis

LIBER VICESIMVSPRIMVS.

De primis auspiciis Balduini quarti, Hierosolymorum regis sexti: de moribus, etate & forma corporis. Caput I.



SExtus Hierosolymis Latinorũ Rex fuit, D. Balduinus quartus, D. Amalrici, illustris memoriæ regis filius, de quo prædiximus, ex Agnete Comitissa Ioscelini iunioris, Edissani Comitis filia, cuius sępe in superioribus fecimus mentionẽ. Hãc, ut prædictum est, dum ad regnũ auitum & iure hæreditario debitum uocaretur, cõpellente D. Almarico, bonæ memoriæ, tunc Hierosolymorũ Patriarcha, D. Fulcherij prædecessoris sui uestigijs inherendo, coërctione ecclesiastica coactus est dimittere. Dicebat̃ em̃, sicuti uerè sic erat, proxima cõsanguinitatis linea se cõtingere: sicuti diligentius compræhensum est à nobis, dum de regno D. Amalrici in ordine tractaremus. Hũc puerum adhuc, annorum circiter nouem, dum nos Archidiaconatũ administraremus Tyrensem, pater multũ pro eius eruditione sollicitus, multis precibus, et sub obtentu gratię suę, nobis erudiendum tradidit, & liberalibus studijs imbuendum. Dumq; apud nos esset, & ei uigilem curã, & quantum regio puero cõuenit, tum in morum disciplina, tum literarum studio sollicitudinem impenderemus, accidit, quod colludentibus pueris nobilium qui secum erãt, & se inuicem, ut mos est pueris lasciuientibus, unguibus per manus & brachia uellicantibus, alij sensum doloris clamoribus significabant, ipse autem quasi doloris expers patienter nimis, quãuis ei coętanei eius nõ parcerent, supportabat. Hoc autem cum semel ac sæpius accidisset, nihilq; nunciatum esset, credidi prius, de uirtute patientiæ & non ex insensibilitatis uitio procedere: uocansq; eum, percunctari cœpi, Quid nam esset: tandemq; cõperi brachium eius dexterũ, manumq; eandẽ pro parte dimidia obstupuisse, ita ut penitus uellicationes, aut etiã morsus nõ sentiret. Dubitare cœpi, reputans mecum illud Sapiẽtis uerbum: Certum est à salute plurimũ abstinere membrũ quod obstupuit, & ægrum nõ sentientẽ periculosius laborare. Sed nunciatum est hoc patri: consultisq; medicis, crebris fomentis, unctionibus, pharmacis, ut ei subueniretur, diligẽter, sed frustra procuratum est. Erat enim, ut processu temporis ipsi rerũ experimento postea plenius cognouimus, incurabilis doloris initiũ, quod pręmittebat̃: quodq; siccis oculis dicere non possumus, cũ ad pubertatis annos cœpit exurgere, morbo elephãtioso cœpit periculosissimè laborare. quo per dies singulos ingrauescente nimiũ, extremitatibus maximè læsis, & facie suorũ fideliũ corda, quoties eum intuebant̃, cõpassionis affectu molestabat. Proficiebat tamẽ in studio literarũ, singulisq; diebus magis & magis bonæ spei & amplectendæ indolis succrescebat. Erat aũt iuxta illius conditionẽ, forma uenusta, & præter morẽ maiorũ suorũ equis admittendis regendisq; aptissimus, memoriæ tenacis, & confabulationũ amator: parcus tamen, sed & beneficiorum pariter & iniuriarum ualde recolens: patri per omnia, non solum facie, uerùm toto corpore, incessu quoq; & uerborum modificatione similis. ingenij uelocis, sed uerbi impeditioris. Historiarum more patrio auidus auditor, & salubribus monitis ualde obtemperãs.

Quo tempore inunctus & coronatus fuerit. Caput II.

HIc defuncto patre, uix erat annorũ tredecim, habens sororem Sibyllam nomine, natu se priorẽ, ex eadem matre, quæ in claustro sancti Lazari in Bethania, apud dominā Iuetam, eiusdē loci Abbatissam, patris eius matertera, nutriebatur. Defuncto igitur patre, conuenientibus in unum uniuersis regni principibus, tam ecclesiasticis quàm secularibus, consonante omnium desiderio, in ecclesia Dominici sepulchri solenniter & ex more, à D. Amalrico, bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarcha, cum ministrantibus Archiepiscopis, episcopis, & alijs ecclesiarum prælatis, Idibus Iulij, quarta die post patris obitum, inunctus est, & coronatus: præsidente sanctæ Romanæ ecclesiæ, D. Alexandro, Papa tertio: sanctæ uerò Antiochenæ ecclesiæ, domino Americo, Hierosolymitanæ D. Amalrico, Tyrensi uerò D. Friderico: Imperante apud Constātinopolim, inclytæ recordationis & piæ memoriæ D. Manuele, apud Romanos D. Friderico, apud Francos D. Ludouico, in Anglia D. Henrico Gaufredi Comitis Andegauensiũ filio: in Sicilia D. Vuilhelmo secundo, domini Vuilhelmi senioris filio. Antiochiæ autem præerat D. Boamundus, Raymundi principis filius: Tripoli uerò, D. Raymūdus iunior, senioris Raymundi Comitis filius.

Anno regni eius primo, classis Siculorum regis, Alexandriam ueniens, damnum incurrit enorme. Comes Tripolitanus regni procurationem, & regis tutelam, tanquam agnatorum proximus, poscit. Caput III.

HVius D. Balduini, anno primo, circa Augusti initiũ, ducētarum nauiũ classis à D. Vuilhelmo Siculorum rege, ad impugnandā Alexandriam missa, honestas tam peditũ quàm equitũ copias deferens, descendit in Aegyptum. Vbi dum eius procuratores & primicerij incautius se habent, amissis ex utroq; ordine quàm pluribus, tam captiuatis q̃ perēptis gladio, per moram quinq; aut sex dierũ, quam circa urbẽ fecerant, cõfusi recesserũt. In regno uerò nostro, procurāte Milone de Planci regni negocia, obortæ sunt graues inimicitię, inter eum & quosdā regni principes: inuidebāt ẽi, & anxiè mouebant, quod ipsis ignorantibus, nec uocatis, ipse solus, nimiũ de se præsumẽs, spretis alijs, regi semper assisteret: & cæteris à Regia familiaritate exclusis, eis inconsultis, regni negotia procuraret. Interea Comes Tripolitanus, ad D. Regem accedens, apud principes, qui tunc fortè aderant, regni procurationem petit, allegans D. Regis adhuc infra pubertatis annos degentis, tutelam legitimā, iure agnationis sibi deberi. Hāc multiplici ratione sibi dicebat cõpetere, tum quia cõsanguineorum suorũ omnium erat proximus, tum quia ditissimus & potentissimus erat omnium regis fidelium. Tertiā quoq; annectebat rationem ualidissimam, quod dum ipse captus fuisset, ex ipso carcere, fidelibus suis, sub obtentu fidelitatis, præcepit, quatenus D. Regi Amalrico patri eius, uniuersam terram suam, arces & castella traderent, & eius mandatis & omnimodæ ditioni suæ ponerent uniuersa. Hoc adijciens etiam, in calce uerborum, quod si humanitus in carcere uitam finire contingeret, prædictum dominum Regem, quia consanguineorum suorum omniũ esset proximus, ex asse cõstitueret hæredem. Pro ijs omnibus, hāc sibi rependi uicissitudinem magis honoris gratia, quàm spe futuræ alicuius utilitatis, postulabat.

Dilata est itaque ad has D. Comitis allegationes responsio, eo prætextu, quod paucos haberet D. Rex de regni maioribus secum, quorum consilio in præsenti uteret. Promisit tamen, quod tempore opportuno eos citius & generalius conuocaret: habitoque eorum consilio, congruũ super hoc, auxiliante Domino, omnibus daret responsum. His ita gestis, Comes ad sua se contulit. fauebat autem Comiti populus pene omnis. De baronibus uerò Hemfredus de Torono, regius Constabularius: Balduinus Ramatensis, Balianus frater eius, Raynaldus Sydoniensis, episcopi uerò omnes.

Milo de Planci apud Accon occiditur, Tyrensis Archiepiscopus moritur. *Caput IIII.*

PRædictus ergo Milo de Planci, unde prediximus, nobilis homo erat, de Campania ultramontana, de terra Comitis Henrici Tyrẽsis, fueratque D. Amalrico regi nimiũ familiaris, & cõsanguineus, ita ut regni sui eum Senescallũ cõstituerit. Tandẽ mortuo Hemfredo iuniore, senioris Hemfredi filio, Stephaniã eius uiduã, Philippi Neapolitani filiã, uxorẽ ei dedit. Erat autẽ ex parte uxoris dominus. Syriæ Sobal, illius uidelicet regiõis quæ est trãs Iordanẽ, quæ uulgo dicit Montis regalis. Susceperat tamẽ ex priore marito sobolẽ geminã prædicta uidua, filium uidelicet & filiam. Hic ut prædiximus cõfisus de nimia familiaritate, quam apud D. Regẽ huius patrẽ habuerat, regni principes, etiam se maiores, despectui habebat. Erat aũt homo incircumspectus, superbus quoque & arrogans, uerborũ inutiliũ prodigus, & de se plus æquo præsumens. Hic ut uideretur aliquorum lenire inuidiam, arte quadã, sed nimium manifesta, ad colorem quæsitũ, alium quendã Robardum nomine, arcis Hierosolymitanæ custodẽ, gregarium hominẽ, & minus sufficientẽ, subornauerat, tanquam is præesset, Milo uerò obsequeret eius mandatis. Erat autẽ uersa uice unus, qui nomen magis splendidũ quam solidũ gestabat: ille sub hoc colore, de regni negotijs pro sua uolũtate tractabat. Dum ergo incautè se gerit, dum imprudẽtius loquit, et omnia regni negotia, inuitis alijs, ad suã reuocat sollicitudinẽ, omnia disponit, omnia pro arbitrio dispensat, cõflato aduersus eum odio pertinaci, subornati sunt quidã, qui uitæ eius insidias molirent: quod cum ei nunciatũ esset, pro nihilo duxit. Dumque more solito incautè se habẽs, in Acconensi ciuitate morã faceret, circa primũ noctis crepusculũ, in uia publica gladijs cõfossus turpiter, et ignominiosè tractatus, interijt. Porrò de eius nece uariæ sententiæ ferebant in populo, dicẽtibus alijs, quia pro sua fidelitate, quam D. Regi deuotus exhibebat, hoc ei acciderat. Alijs è contrà, quòd sibi regnum occultè parabat, missis nuncijs ad amicos & notos suos in Franciã, ut ad eum properarent, quorũ suffragijs regnum sibi uidebat posse obtinere. Nobis aũt neutrum horũ pro certo cõpertum est. Notoriũ tamen erat, Balianũ Ioppensem Reardi prædicti fratrem, ad partes transmontanas missum, cum regijs epistolis & muneribus, cuius in dies præstolabat aduentum. Per idem tempus eodẽ mense, D. Fridericus Tyrẽsis Archiepiscopus, prædecessor noster, uir secundũ carnẽ nobilis admodũ, cuius supra fecimus mentionẽ, dum apud Neapolim ægritudine aliquandiu esset grauissima detentus, tertio Cal. Nouemb. uiã uniuersæ carnis ingressus est. Cuius funus decentibus exequijs & debita honorificentia Hierosolymã delatum est, & in capitulo templi Dñi, unde prius Canonicus fuerat regularis, sepultus est.

Describitur Comes Tripolitanus, quibus moribus & quibus maioribus fuerit, quomodo regni procurationem susceperit. Huius historiæ Conscriptor, Cancellarius Regius efficitur. Caput V.

EOdem quoque tempore, conuocatis regni principibus & ecclesiarũ prælatis, dum Rex esset Hierosolymis, Comes Tripolitanus iterum rediit, auditurus super petitionibus suis de obtinẽda regni procuratione, quas porrexerat prius, responsum. Iteratoque uerbo, dum eisdem insisteret, habita Rex per consilium biduum deliberatione, nouissimè de communi omnium conniuentia, in capitulo dominici Sepulchri tradita est ei uniuersa regni, post dominum Regem, populo acclamante, procuratio & potestas. Et quoniam de Comite nobis sermo, rerum serie sic exigente, se obtulit, dignum est ut de eo quæ pro certo comperimus, posteris memoriæ tradamus: nõ quòd panegyricos propositũ sit scribere, sed ut quantum cõpendiosæ historiæ sermo patitur succinctus, quis qualisque fuerit edoceamus. Hic de quo nobis sermo est, Raymundus Comes, à domino seniore Raymũdo, sementinam traxit carne originẽ. Qui in exercitu Domini, cuius opera & studio & laboribus, regnũ Orientale Christi seruitio restitutum est, tantus princeps fuit, quemadmodum superius diligenter edocuimus, cũ de primis principibus, qui in prima expeditione uenerant, tractaremus. Prædictus igit dominus Comes senior Raymundus, bonæ memoriæ, filium habuit Bertrandum nomine, qui post mortem patris, & Guilhelmi Iordani necem, qui prædicti Comitis nepos erat, Tripolitanum obtinuit Comitatum. Hic filium habuit Pontium nomine, qui eundem Comitatum post mortem patris hæreditario iure possedit: qui Ceciliam Philippi regis Francorum filiam, Tancredi uiduã, duxit uxorem. Ex qua suscepit filium Raymũdum nomine, qui eidem in Comitatu successit. Hic hodiernam domini Balduini Hierosolymorum Regis secundi filiam, duxit uxorẽ, ex quibus iste Raymũdus, de quo nobis in præsenti est sermo, natus est: qui patri in porta urbis Tripolitanæ, ab Assysinis repentinis inuasionibus occiso, in eodem Comitatu successit. Erat ergo prædictus Comes domini Amalrici, & domini Balduini Regum ex parte matris, cõsobrinus: erãt enim duarum sororum filij. ex parte patris erat uno gradu inferior: eius namque auia, mater patris uidelicet Cecilia, de qua prędiximus, soror fuit domini Regis Fulconis, patris dominorum Balduini & Amalrici regum, ex eadem matre, nõ ex eodẽ patre. Nam utriusque mater, soror domini Amalrici de Montfort, Fulconi seniori Andegauensium Comiti in uxorem tradita fuit: quæ postmodũ Fulcone iuniore iam edito, maritũ deserens, ad Francorum Regem, dominum Philippum, se conferens, hanc Ceciliam & quosdam alios filios edidit. Rex autem nihilominus uxorem suam legitimam, unde iam Ludouicum & Constantiam susceperat, extra legem ecclesiasticam, amore prædictæ Comitissæ infatuatus, expulerat. Ita ergo ex utroque parente, uinculis consanguinitatis sibi inuicem erant connexi, dominus Comes, & prædicti reges duo. Erat autem prædictus Comes uir carne tenuis, submacilentus, statura modestè procerus, facie aquilus, capillo plano, mediocriter fusco, acutis luminibus, erectus humeris, mente compositus, prouidus multum, & in actibus suis strennuus, cibo & potu quasi supra hominẽ sobrius,

alienis

alienis munificus, suis uerò non ita affabilis admodum: & quod in hostium uinculis summo labore collegerat, literatus modicè, sed magis tamen naturali mentis uiuacitate, scripturarum intelligentiam more domini Amalrici regis nitebatur apprehendere. Frequens in quęstionibus, si pręsentem haberet quem ad earum solutionē arbitraretur sufficere. Is eodē anno quo regni procurationem suscepit, dominam Eschinam, domini Galtherij principis Galileę uiduam locupletem, ualde filijs foecundam ex priore marito, duxit uxorē: sed postquam ad eum peruenit, causa occulta parere desijt. quam cum filijs ita tenerè dicitur diligere, tanquam ei uniuersos illos peperisset. Verùm decursa breuiter hac digressione, ad historiæ seriē redeamus. Per idem tempus, quia præcedente tempestate dominus Radulphus bonæ memoriæ, Bethleemita Episcopus, regni cancellarius, ex hac luce migrauerat, ut esset qui regiarū epistolarum curam haberet, de consilio principum suorum, nos ad prædictū uocauit officium, & Cancellarij nobis tradidit dignitatem.

Salahadinus, uocantibus eum Damascenis, Damascum obtinet, & reliquas regionis partes. Dirigitur contra eum Tripolitanus comes, qui eius obsistat moliminibus. Caput VI.

EOdē anno Salahadinus Negemendi filius, Syraconi ex fratre nepos, qui patruo suo Syracono in Aegypti regno successerat, uocātibus occultè cū Damascenis optimatibus, legitimo eorū D. Melche Salah, filio uidelicet Noradini adhuc impubere, apud Alapiam commorante, cōmissa Aegypti cura cuidam fratri suo Seyfedin nomine, ut regnum Damascenorum occuparet, per uastitatem solitudinis in Syriam festinās, Damascum peruenit. Vnde nō post multos dies ciuitate, tradentibus ciuibus, recepta, uersus Coelesyriā properat, sperās quod omnes illius urbes, in suam sine bello ditionem reciperet: nec spe frustratus est. nam intra modicum tempus, tradētibus locorum incolis, & ultrò referantibus aditus, contra fidelitatem domini sui, cuius seruus fuerat, omnes illius prouincię urbes recepit, Heliopolim gręcè uidelicet, quę hodie Malbec dicitur, Arabicè dictam Bahalbeth: Emissam, quæ uulgò Camela dicit: Hamam Cęsar, quę uulgò dicit Cęsarea magna. Præsumebat aūt præterea Alapiam, & ipsum puerū, per quorundam proditorū operam sibi tradi: sed illud casu quodam impeditum est. Nam dum hæc in partibus illis aguntur, D. Rex, cōmunicato cōsilio, quid in tam subito euētu, & in tanta rerū permutatione opus esset factu, dum diu cū principib. suis deliberat, placuit demū uniuersis, quod D. Comes cum exercitu tam de regno ꝙ de suo comitatu, ad partes Coelesyrię quantocyus deproperet. Additur etiā in mandatis, quatenus omni conamine profectib. Salahadini contrariū se obijciat: & meritò. suspectū em̄ nobis erat omne eius incrementū, et quicquid ei accedebat, nobis totū decedere uidebat. Erat enim uir cōsilio prouidus, armis strenuus, supra modum liberalis, in quo prudentiorib. nostris maximè erat suspectus. Nam nullo alio in se hodie subiectorū, & etiā quorumlibet aliorū hominum corda magis solent principibus conciliari, nihilq; alienos animos magis obligat, quàm munificētia, maximè principis. Suspectus ergo nimirū nobis erat, ne geminatis pensionibus, duplicato cū uiribus imperio, acrior in nos insurgeret, & fatigaret uehemētius. Quod tamen euacuatis nostris moliminibus, lachrymosis hodie inspicimus oculis, quod tantus terra mariq; in nos insur-

ter, post alia quæ uiolenter occupauit regna, nostra memoria nobilẽ & egregiam Medorum metropolim Rages, alio nomine Edissam dictam, fidelibus qui in ea erant, neci datis, cum omnibus finib. suis occupauit uioleter. Itẽ Noradinus eius filius, expulso Damascenorũ rege, magis fraude suorũ quàm uirib. proprijs, regnum illius sibi uendicauit, atque ad paternam adiecit hæreditatẽ. Nouissimè idẽ Noradinus per ministeriũ & industriã Syraconi, regnũ Aegypti antiquissimũ, et opulentum nimis, sibi mancipauit: sicut superius, dum de regno D. Amalrici tractauimus, latius disseruimus. Sic ergo, ut diximus, omnia uicina nobis regna, unius parent imperio, cuius nutibus seruiunt uel inuiti. Ab unius nomine, quasi uir unus in nostrã armanť læsionẽ non est qui dispari rapiať studio, nõ est qui dñi mandata impunè prętereat. Hæc sanè oĩa Salahadinus, de quo sæpe mentionẽ fecimus, uir genere quidẽ humilis, extremæ cõditionis homo, secunda nimis arridẽte fortuna, possidet. Ex Aegypto & finibus adiacentib. auri primi & purissimi, quod obryzum diciť, inęstimabilẽ habens copiã: ex alijs prouincijs equitum, pugnatorũ, & aurum sitientiũ turmas habens innumeras: quas auri habentibus copiam, facile est satis congregari. Sed nunc ad historiam redeamus. Placuit igiť omnibus, ut præmisimus, qui aduenerant, quod huic uiro tam magnifico, & ita per successus cõtinuos ad supremum culmen acceleranti, modis omnib. resisteret: ne cum amplius posset, in nos durior insurgeret aduersarius. Assumptis igitur regni principibus, congregatisque undique militaribus auxilijs, ad partes Tripolitanas dominus Comes festinans contendit: ibique circa fines Archenses castrametatus, in ea regionis parte quæ dicitur Galypha, consedit.

Mussule dominus in nepotis subsidium uenire proponit. Salahadinus proficit, regionem occupat uniuersam. Comes cum eo paciscitur. Obsides recipit. Caput VIII.

DVm hęc apud nos geruntť, audiens filij Noradini patruus, princeps maximus, & inter Orientalis gentis Parthorũ potentissimus, nomine Cotobedi, quòd fratre mortuo, Salahadinus spretis humanitatis legibus, immemor factus suę cõditionis et beneficiorũ sibi à patre pueri collatorũ ingratus, ita cõtra dñm suum adhuc impuberẽ insurrexisset, cõgregata equitũ numerosa manu, quorũ maxima diciť esse illi copia, Euphrate trãsmisso, cõtra proditores suos, nepoti opẽ laturus aduenit. Erat autẽ hic maximus princeps, dominus illius antiquissimę & famosissimę ciuitatis Niniuę, quæ olim longę prophetæ exhortationis uerbo in cinere & cilicio diciť egisse pœnitentiã. Nunc autẽ mutato nomine, loco etiã non multũ longè ab illa antiquiore remota, ex residuis ædificiorũ et populi restituta, Mussula diciť: retenta adhuc metropoleos dignitate, in omni Assyria. Hic postquam aduenit, in campestrib. circa Alapiam castra locauit. Salahadinus interea nihilo segnius Bostra primę Arabię metropoli maxima, Heliopoli quoque, quę hodie uulgò diciť Malbec, spontanea ciuium traditione sine bello receptis, urbẽ Emissenã, quæ diciť Camela, obsederat, & absque cunctatione aliqua tradita est ei à ciuibus eiusdem urbis pars inferior. nam in colle aliquantulũ edito erat ciuitatis præsidiũ, satis munitum, in quod fideles prędicti pueri se contulerant, quod tamen armis & alimentis prius satis & attẽtius cõmunierant. Susceperat etiã nihilominus eiusdem prouinciæ urbes illi conterminas, tradẽtibus locorum incolis Hamam,

 Cæsaream,

Cæsaream, & regionem uniuersam, usque ad ipsam Alapiam. Hi ergo qui in arce erant ciuitatis Emissenę, missis nuncijs ad Comitem Tripolitanum, & nostros qui erant in castris, ut prędiximus, expectantes, ut ab alterutra parte, in tanto tumultu optatis conditionib. euocarentur, rogant, ut ad eos uenire non pigritarentur, pollicentes nō absque emolumento & condigno fructu esse, si sibi contra huiusmodi pestilentem hominem subsidia ministraret. Porrò D. Comitis obsides in eodem municipio seruabantur, quos pro sua redemptione & certa pecunia usque ad quadraginta milia aureorum, Noradino patri pueri, dum à carcere solutus egrederetur, obligauerat. Erant etiam ibidem & D. Raynaldi Sydoniensis pro fratre suo Eustachio obsides nōnulli. Sperātes ergo, quod aliquo pacto eos pro spe subsidij, quod postulabāt, à principe arcis, in qua erant, possent recipere, illuc celerrimè cum omni militia contendunt. ubi cum nihil ponderis in eorum uerbis reperissent (erat enim spes eis, per supradictum principem suum posse obsidionem solui) post multas tamen deliberationis uarietates, in castra unde prius exierant, reuertuntur. Salahadinus interea uidens, quod nostri indignati recesserant, factus inde erectior, & de eorum absentia præsumens plurimum, Alapiæ uicinius approximans, exercitum prędicti principis cœpit ad pugnam lacessere, crebrisque irritare incursionibus. quo sępius instigante, cōmissum est, & cominus & grauiter inter eos pugnatum. Tandem deficientib. Niniuitis proditione suorum, ut dicitur, pecunia corruptorum, uictoriam obtinuit Salahadinus. Inde Emissam rediens, sicut prius ciuitatem, ita demum ciuitatis præsidium recepit. Inde ad Comitem legationem dirigēs, D. Comitem orat, ne suis successib. se opponat, sed permittat se cum filio Noradini, & alijs qui in auxilijs ei uenerant, experiri: ne autem & hoc ipsum sine condigna retributione contenat, obsides suos ad D. Raynaldi gratis offert restituēdos. Placuit hoc uerbum D. Comiti, receptisque obsidibus, prout pactis fuerat insertum, cæteris quoque nobilib. qui in eadem expeditione erant, nō sine decēti munificentia dimissis, solutis castris, ad propria remearunt. Dicebatur horum omnium uerborum D. Hemfredus de Torono, regius Constabularius, mediator fuisse, qui prædicto Salahadino nimię familiaritatis affectu deuinctus arguebatur. Factum est igitur contra propositum nostrum, ut cui penitus fuerat obuiandum, ne cōtra nos factus potentior, solito uehementius insolesceret, eidem fauor noster accederet, et de nobis auderet sperare, qui in nostrum cōtinuè ampliabatur detrimentum. Egressi itaque à nobis circa Calend. Ianuar. Calend. iterum Maij domum reuersi sunt.

Mainardus Berythensis Episcopus moritur: huius conscriptor historiæ, ad Tyronensem Metropolitanum promouetur. Caput IX.

Isdem diebus dominus Mainardus, bonę memorię, Berythensis Episcopus, dum in urbe Tyrensi languore aliquantulum correptus ægrotasset, morte præuentus est septimo Cal. Maij, cuius anima requiescat in pace. Eodem mēse, cum Tyrensis ecclesia septem uacasset mensibus continuis, consonante cleri & populi uoto: Regis quoque, ut moris est, conueniente assensu, Dei patientia potius, quàm meritis nostris, ad regimen illius ecclesię uocati sumus, & infra decem dies in ecclesia Dominici sepulchri, per manus domini Amalrici Hierosolymitani Patriarchæ munus consecrationis sexto Idus Iunij, autore Domino suscepimus, licet indigni.

Rex Damascenorum regionem ingreditur, eam depopulatur. Hernestus Cæsariensis Archiepiscopus defungitur. Caput X.

PEr idem tempus Salahadino circa partes illas arctius occupato, nunciatū est D. Regi, Damascenorum fines absq; militia, & sine rectore patere, satis apertè ad prædicta & ad alia incōmoda sustinēda, quæ hostibus iure belli possunt inferri. Quo comperto, congregatis militaribus copijs, Iordanē transiens, per syluā quę Paneadensi adiacet ciuitati, & ab ea nomen ducit, Libanū firmissimū promontoriū habens ad læuā, agrum Damascenū attingit. Erat autē tēpore messis. Discurrentes ergo nostri, & totā regionē obambulantes liberè, fruges siue in areis comportatas, siue solo hærētes, siue per agros manipulatim cōgestas, incēdijs tradunt. Homines autē pręcognito eorū aduētu, ad loca munitiora cum uxoribus & paruulis se cōtulerunt. sicq; pro arbitrio nostri regionē habentes, peruenerunt usq; Dariam. Is locus suburbanus est, Damasco conterminus, uix ab ea distans miliarib. quatuor. inde etiam Bedegene, qui locus ad radicē Libani situs pspicuas emanat aquas, unde domus uoluptatis dicit, perueniunt: & inuitis, & multū renitentib. incolis, occupant locum uiolēter. spolijs inde ditati, prędam & manubias secum trahentes, nec contradicere ualentibus Damascenis, sani & incolumes post dies aliquot reuersi sunt. Per idem tempus dominus Hernestus bonæ memoriæ, Cæsariensis Archiepiscopus defunctus est: in quo loco eius, dominus Heracleus Hierosolymitanus Archidiaconus delectus & consecratus est.

Rex iterum fines hostium ingressus, uallem cui cognomentum est Bachar, deprædatur. Raynaldus de Castellione, & Ioscelinus Regis patruus, à uinculis hostium soluuntur. Caput XI.

ANno secundo regni D. Balduini quarti, Salahadino adhuc circa partes Alapiæ negotijs occupato, mense Augusto, prima die mensis, cōuocatis regni magnatib. & collecta militia, iterum D. Rex hostiū fines ingreditur, pertransiensq; agrum Sydonēsem, & montana quę media sunt inter nostros & hostium terminos cōscendens, peruenit ad locū bonis temporalib. cōmodum penè omnibus, gleba uberē, fontib. irriguū, cui nomē Messahara: inde in uallē quæ dicit Bacar descēdens, terrā reperit, ut legit, lacte et melle manantem. Hanc regionē existimant quidā dictam fuisse olim Ituręā, cuius in Euangelio Lucæ, Philippus Herodis senioris filius tetrarcha dicit, simul ac Trachonitidis regionis. Antiquitus autē, uidelicet tēpore Regū Israël, saltum Libani nuncupata, eo quòd ad radices Libani porrecta distendit uallis, opimo solo, aquis salubribus, populorum numerositate, suburbanorum frequētia, & aëris grata temperie cōmendabilis. In huius partibus submissiorib. ostenditur ciuitas usq; hodie ualidis mœnib. circumsepta, multa prętēdens nobilitatis pristinis ædificijs argumēta, cui nomen est modernum Amegara. hanc quidā antiquitatis perscrutatores, arbitrant esse Palmyrenā, nobilē quondā in Phœnice coloniam: cuius memoriam facit Vlpianus Tyrius Digesto nouo, tit. de Censibus. Huc peruenientes nostri, cœperūt omnē regionē liberè, nemine contradicente, perlustrare, incendijsq; uastare uniuersa. incolę autem regionis ad montes confugerant, ad quos non erat facilè iter nostris peruiū. greges uerò & armenta, pro maxima parte in paludibus, quæ erant in uallis medio, ubi pascua erant uberrima, aduentu nostrorū præcognito, collocaue

runt. Interea Comes Tripolitanus, ex cōdicto per agrum Biblienſem, iuxta caſtrū quod Monothera dicit̄, ſubitò in fines Heliopolitanos ingreſſus, in ea ualle, cum ſuis cuncta incendijs cremare nunciatur. Quod audientes noſtri, obuiam illis properantes, illi quoq; nihilo minus occurrere nobis optantes, cōuenerunt quaſi in uallis medio. quod audiens Semſedolus Salahadini frater, qui Damaſci reſidebat procurator, congregata militia, locorū etiā incolis conuenientibus, reſiſtere tentat, acies inſtruit, noſtris obuiam ire parat. Noſtri quoq; ordinatis agminibus animo pro more occurrunt forti, decertatur utrinq; uiriliter: ſed diuinitate propitia multis interfectis, captis innumeris, hoſtis in fugam uerſus eſt. Semſedolus cum paucis euadēs, ad montis ardua ſe cōtulit. Noſtri uerò hoſtilibus onuſti ſpolijs, cum armētis & maxima præda redeunt: paucis tamen, qui imprudenter paludes præliandi gratia fuerant ingreſſi, dum uias ignorant, & noſtrorum ita ſubitum nō opinantur egreſſum, amiſſis. Reuerſus ergo dominus Rex, et ſui, cum omni ſoſpitate, trahentes boum armenta, ouiumq; greges & ſupellectilem omnimodam, uictoriæ argumenta & fœlicitatis inſignia, Tyrum auctore Domino peruenerūt. Comes quoq; Tripolitanus, eodem quo uenerat itinere, ſecum etiam prædam referens innumeram, ad propria fœliciter cum ſuis omnibus ſe contulit. Eodem anno D. Raynaldus de Caſtellione, qui D. Raymundo principi Antiocheno, in eodem principatu ſucceſſerat, uxorem eius Conſtantiam nomine ducens, poſt multos annos captiuitatis ſuæ, quam apud Alapiam duram nimis paſſus fuerat, interuenientibus amicis, & multæ quantitatis pro eo numerata pecunia, libertati reſtitutus: ſimulq; cum eo Ioſcelinus, Ioſcelini Comitis Ediſſani filius, D. Regis auunculus, ſtudio & induſtria Agnetis Comitiſſæ, uxoris Raynaldi Sydonienſis, ſororis ſuæ, matris uidelicet regis, ereptus à uinculis, in priſtinā libertatem ſe recepit. Eodem anno, menſe Maio, ſecunda menſis die, per noſtrum miniſterium in eccleſia Tyrenſi, munus conſecrationis ſuſceperunt, D. Otto Sydonienſis electus, qui eiuſdem eccleſiæ Tyrenſis fuerat præcentor: & D. Raynaldus, Berythenſis electus.

Dominus Imperator Conſtantinopolitanus, apud Iconium ignominioſē conficitur. Caput XII.

EOdemq; tempore Manuel Imperator Conſtantinopolitanus, illuſtris memoriæ & in Chriſto recordationis, cuius beneficia & liberalitatem eximiam uniuerſus penè ſentit mundus, dum contra immaniſſimā Turcorū gentem, & impium eorum ducem Iconij Soldanum, pro ampliando Chriſtiano nomine, pietatis cōmendabili motu decertat, peccatis noſtris exigentibus, ſuorum ſtragem infinitā, & copiarū Imperialium, quas ſecum ſupra hominum etiam opinionem trahebat, enormia circa Iconium paſſus eſt diſpendia: ubi etiam de conſanguineis eius uiri illuſtres, & inclyta recordatione digni in acie occubuerunt. inter quos Ioannes Protoſebaſtos eiuſdem D. Imperatoris ex fratre nepos, uir egregiæ liberalitatis & memorandæ magnificentiæ, cuius filiam Mariam dominus Amalricus uxorem duxerat, dum ſtrenuè reſiſtit hoſtibus, multis confoſſus uulneribus interijt. Ipſe tamen, ex plurima parte receptis exercitibus, ſed ſiniſtro caſu, mente ſupra modum cōſternatus, in ſuos fines corpore incolumis ſe recepit. Dicitur autem ſuorum du-

ctu qui præibant agmina, magis imprudentia quàm hostium uiribus id accidisse. nam cum patentes amplæq; uiæ, ad producẽdas acies, & sarcinarum moles commodè trahẽdas, & impedimentorũ omne genus subuehendum, quod numerum dicebatur excedere & mensuram, non deessent, incautè nimis in periculosas locorum angustias præcipites se dederunt. Nec hostibus qui loca eadẽ iam occupauerant, dabatur resistere, nec referendi uices copia ministrabatur. Ab ea die, huius tam sinistri casus, prædictus dominus Imperator, adeò uehementem dicitur impressisse memoriam, ut de cætero nec solitam mentis hilaritatem, qua singulariter præeminebat, exhiberet, nec corporis sospitate qua plurimum pollebat, usq; in supremum uitæ diem frueretur: ita sanè continua facta refricatione urebaẽ, ut animo nec quies, nec menti consueta tranquillitas indulgeretur.

Guilhelmus iunior, Marchio de Monte ferrato, in Syriam ueniens, domini Regis sororem uxorem duxit. Caput XIII.

TErtio eiusdem domini Balduini regni anno, circa Octobris initium, dominus Vuilhelmns Marchio, qui cognominatus est Lõga spatha, filius Marchionis Vuilhelmi senioris de Monte ferrato, uocatus à domino Rege, & uniuersis regni principibus, tam secularibus quàm ecclesiasticis, apud Sydonem applicuit: cui intra quadraginta dies, postquã aduenit, quoniam anno præcedente dum ad hoc specialiter citaretur, id per manum D. Regis, & omnium principum iuramentis corporaliter præstitis firmatum fuerat, dominus Rex sororem suam, natu se priorem, dedit uxorem: & cum ea Ioppen & Ascalonam urbes maritimas cum pertinentijs suis, & uniuerso Comitatu, sicut prius pactis insertum fuerat, eidem contulit: inuitis tamen & palàm contradicentibus quibusdam, quorum consilio uocatus fuerat, nec satis attendentibus, quàm uarij & inconstantis hominis est, aduersus sua facta uenire. Erat autem prædictus Marchio, adolescens decenter procerus, forma commendabilis, crine flauus, animosus uiriliter, iracũdus, ita ut modum excederet, liberalis plurimum, profusus mente, et qui nihil unquam uellet occultare propositi: talem se suis exhibens, qualem intus gerebat animum: multum in cibo, in potu quoq; superfluus, non usq; tamen ad animi læsionem. armorum usum & experientiam, ab ipsa ineunte ætate plenius dicebatur habere. Nobilis secundum seculi dignitatem, ita, ut in eo aut nullum, aut rarissimum diceretur habere parem. Pater quippe eius domini Philippi Francorum Regis auunculus erat, matris eius uidelicet frater: Mater uerò eius, domini Conradi, illustris Romanorum Imperatoris, soror fuerat: domini Friderici, qui nunc post dominum inclytæ recordationis, Conradum, patruum suum, strennuè Romanum administrat Imperium, amita: & ita utriusque illorum illustrium Regum, pari gradu consanguinitatis, erat præfatus Marchio. Ducta demum uxore, cum uix tribus mensibus cum ea fuisset corpore incolumis, decidit in ægritudinem difficilem nimis: qua quasi mensibus duobus sine intermissione laborans, sequenti Iunio, domino quoq; Rege apud eandem Ascalonam grauiter ægrotante, in fata cõcessit, uxore prægnante relicta. cuius corpus Hierosolymã deuectum, in uestibulo ecclesię domus Hospitalis, intrantibus ad læuã, magnificè satis per nostrũ ministerium

tumulatum est. Circa id temporis Hemfredus de Torono regius Constabularius, dominam Philippam, D. Raymundi Antiochiæ Principis filiam, D. Boamundi tertij, qui nunc eundē regit principatū, & dominæ Mariæ Imperatricis Constantinopoleos sororem, uxorem duxit, quam Andronicus D. Imperatoris cōsanguineus prius uxorē habuerat: hacq; dimissa, Theodorā, D. Regis Balduini uiduā, neptem suā, imprudenter nimis, sed & impudicè non minus, clàm abduxit. Hic de quo prædiximus, D. Hemfredus, statim ex quo illam in domum traduxit suā, cœpit desperabiliter infirmari. illa quoq; nihilo minus languore nimio correpta, intra paucos dies uitam finiuit.

Comes Flandrensium diu exspectatus regnum ingreditur. *Caput XIIII.*

QVarto anno regni eiusdem D. Balduini quarti, mense secundo, circa Cal. Augustales, diu expectatus Philippus Flandrensium Comes, apud Acconensem applicuit ciuitatem. cuius aduentu D. Rex, qui ab Ascalona Hierosolymam, in lectica adhuc ægrotans se fecit deferri, exhilaratus plurimum, mittēs de principibus suis & ecclesiarū prælatis, multiplici fecit eum honore præuenire. Cui etiam postquā Hierosolymam peruenit, ubi adhuc Rex grauiter infirmabatur, cōmunicato consilio, domino uidelicet Patriarchæ, archiepiscoporum, episcoporū, abbatum, & priorum, magistrorum quoq; Hospitalis & templi, & omniū principum Laicorū obtulit ei potestatem, & liberam & generalem administrationē super regnū uniuersum, ut & in pace & in guerra, intus & foris, super maiores & minores plenā habeat iurisdictionē, & ut super thesauros & redditus regni liberè exerceret arbitriū. Qui habito consilio cum suis respondit, Quod ipse nō uenerat ad hoc, ut potestatem aliquā acciperet, sed ut seruitio se manciparet diuino, cuius gratia uenerat: nec erat eius propositi, quod alicui administrationi se obligaret, quin liberè posset, cum eum sua reuocarent negotia, ad propria redire. Sed D. Rex in regno suo procuratorē ordinaret quem uellet, & ipse tanquā domino suo Francorum regi, ob regni utilitatē ei uellet obedire. Videntes ergo quod ita penitus, quod obtuleramus, renueret, iterū per principes suos D. Rex eum fecit deuotissimè rogari, ut saltē expeditionis in proximo futuræ, quam multo prius tempore cum D. Imperatore Constantinopolitano ordinauerat, & uniuersi exercitus Christiani dux uellet esse, & prælia Domini contra Aegyptios procuraret. Ad quod uerbum, sicut et prius respondit. Constituit ergo D. Rex, sicut & prius ante introitū Comitis fecerat, regni & exercituum procuratorem D. Raynaldum, quondam Antiochiæ principem, uirum approbatæ fide & mirabilis constantiæ. Qui si D. Rex in propria persona uenire non posset, administraret regni negotia, cum consilio tamen D. Comitis per omnia regeretur. Cum hoc ipsum D. Comiti nunciatum esset, respondit, Quod nō uidebatur ei talis procurator necessarius, sed talem ordinaret, cuius & belli gloria si Deus ita prouideret, & dedecus, si dominus ita pateretur, esset proprium, & cui regnū Aegypti cederet, si Dominus id in nostram traderet ditionem. Ad hoc respondimus nos, qui missi à Rege fueramus: Quod si non posset D. Rex constituere procuratorem, nisi eundem regem crearet: quod neq; D. Regis, neq; nostri erat propositi. His ita se habentibus, tandem aperuit euidentius mentis arcanum, & quò tota eius properabat

intentio,

intentio,non habuit occultũ,dicens: Mirum esse quod de matrimonio consanguineæ suæ nullus cum conueniret. Audientes hoc uerbum, admirati sumus hominis malitiam,& sinistrum mentis conceptum,quod qui tam honestè à D. Rege susceptus fuerat,contra leges cõsanguinitatis,hospitalitatis immemor,in supplantationem D.Regis hæc moliri attentaret.

Qui cum Comite uenerant,seducunt eum,monentes ne regni principibus acquiescat. Caput XV.

Libet paulisper digredi, ut plenius sensibus auditorũ ingerat, quid'nam sit,in quo prædictum Comitem,maliciosè uersatum, tum ex multorum relationibus,tum etiam ex eius confessione cognouimus. Quidã potens homo,cum D.Comite peregrinationis illius comes uenerat,aduocatus uidelicet de Britannia:qui duos secum traxerat filios iam adultos.Hic ut suffragio usus Comitis Vuilhelmi de Mandeuilla, qui cum eodẽ Comite, eadem uia uenerat,D.Comitem circumueniens,persuadere cœpit, quod maximis sibi compendijs uti posset D.Comes, in facto regni: dicens se amplissimum habere patrimonium,in eius Comitatu, quod uniuersum D.Comiti hæreditario iure possidendum daret,si elaboraret prædictus Comes, ut duæ filiæ domini Regis Amalrici,apud duos filios suos nuptui locarentur. Erant autem D.Amalrici profectò duæ filiæ,una quæ uxor fuerat Marchionis, altera intra annos nubiles constituta, cum domina Regina matre eius apud Neapolim degens. His ergo uerbis assensum præbens Comes, pronum se dabat, ut hoc uerbum effectui mandaretur.sed nunc redeamus ad propositum. Intellecto ergo quorsum spiritus Comitis anhelabat, respondimus, Quod domino Regi id prius oporteret nunciari:quodq́ illi uideretur de cõmuni consilio respondendum,die crastina nunciaremus. Facto mane,prius tamen habito consilio,redeuntes ad Comitem,respondimus:Quod apud nos consuetudo erat,usu approbata longæuo,Quod uiduam,& maximè prægnãtem, intra annum luctus non sit honestum,ad uota migrare secunda: & uix præterierunt tres menses à morte mariti. Vnde esset nobis imputandum ad malum, si contra disciplinam temporum & regionis nostræ, de matrimonio prędictæ dominæ ullum haberemus tractatum. Tamen uniuersis nobis gratum esse & acceptum,si cum eo,ex quo præsens erat,consilio, de uerbo prædicto tractaretur. nam pro certo D.Rex,& in hoc, & in omnibus alijs negotijs,eius semper proposuerat specialiter regi consilio, & eius quantũ cum suo honore posset, deseruire uoluntati. Præiret ipse in uerbo, & nominaret aliquam personam,ad hoc idoneam:& nos de cõmuni uoluntate,in facto pręsenti,parati erimus procedere. Quod uerbum molestè ferens, dixit: Se id omnino non facturum,nisi prius uniuersi principes iurarent, quod sine contradictione eius starent uerbo. nam hoc esset personam alicuius nobilis dehonestare,si eo nominato,repulsam pateretur. Nos autem respondimus:Quod illud omnino contra domini Regis,& nostram esset honestatem, si eius sororem personæ ignotæ,& cuius etiam nomen ignoraretur,traderemus. Tandem cognita regis & omnium principum uoluntate,licet plurimum indignatus, & iratus,ab hoc uerbo destitit.

Imperat

Imperatoris Constantinopolitani Legati petunt instanter pacta, quæ cum domino eorum Rex inierat, impleri, ut contra Aegyptum expeditiones præparent. Caput XVI.

ERant per idem tempus Hierosolymis, D. Imperatoris nuncij, uiri inclyti & eminentes, D. Andronicus, qui cognominatur Angelus, D. Imperatoris ex sorore nepos: Ioannes uir magnificus, Megaltriarcha: uir nobilis Alexãder, Comes Rupecanensis de Apulia: Georgius Syrahites, aulę Imperialis familiaris. Hi ex pręcepto imperiali ad D. Regem uenerant, arbitrantes esse tempus, sicut & sperabãt, ut in aduentũ D. Comitis Flandrensis, pacta, quæ aliquando inter D. Imperatorẽ & D. Regem Amalricum inita fuerant, postmodum inter Dominũ eundem Imperatorem, et D. Balduinum qui in præsenti regnat, non dissimilibus cõditionibus fuerãt innouata, auctore Domino, traherent ad effectum. Et ob hoc curia generalis apud candẽ sacratissimam urbẽ indicta fuerat, conuenientibus in unum uniuersis regni magnatibus. Erat omnibus spes una, cacꝫ quasi souebat uniuersos, quod auxilio & consilio prædicti Comitis & suorum, regnũ Deo amabile, optatum suscipe ret incrementum, & de conterendis Christi hostibus diligens haberetur tractatus: cum subitò, ut pręmisimus, in sinistrum latus mutatus est Comes, & promissorum immemor, ad alia se conuertit negotia, omne spei nostrę firmamentum euacuãs. Instant tamen Imperiales Apocrisarij, ut pactis staret, allegantes, morã periculum secum trahere: per eos nõ stare, quo minus in concepto negotio procederet: uerùm se paratos esse asserũt, omnes pactis insertas cõditiones, fideliter & larga interpretatione uelle adimplere. Nos aũt audientes legatorum uerba, deliberatione habita, uisum est expedire, ut D. Comiti uerbum ex ordine panderet. quo accito, & pręsente, propositus fuit ei pactorum inter nos et D. Imperatorẽ in scriptis fideliter tenor, eius aurea bulla munitus. Quo diligẽter lecto, & intellecto plenius, quæsitũ est ab eo, Quid sibi uideret? Qui respondit, Se hominẽ esse peregrinũ, locorũ ignarũ, et maximè regionis Aegypti, quæ longe ab omnibus alijs regionibus, alterius dicit esse cõditionis, quæ certis temporibus aquis irriget, & occupetur uniuersa. Nos autẽ melius nosse & locorum faciẽ, & adeundi opportunitatẽ: tamen se audiuisse ex eis qui frequẽter in Aegyptũ descenderãt, tempus ad eius impugnationẽ non conuenire. Adiecitqꝫ, quod hyems in proximo erat, Aegyptus uero aquis Nili restagnantis operiebat. Iterum infinitã Turcorum multitudinem illuc confluxisse audierat. Timebat prætereà, & maximè, ne iter agentibus, aut etiã peruenientibus, alimenta deficerent, & inedia conficeretur exercitus. Adiecit etiã, quod ipse & qui eum sequerentur, fame perire cõpellerentur. Ad hoc nos, uidẽtes quod caluas quęreret occasiones, ne sub hoc prætextu uiã declinaret, obtulimus ei sexcentos camelos, ad uictualia, arma & cętera impedimentorũ genera per terras deportanda: & naues quotquot haberet necessarias, ad machinarũ moles per mare deuehẽdas. Quibus omnibus spretis, subintulit: Quod omnino in Aegyptũ non descenderet nobiscũ, ne fortè ipse, qui cõsueuerat, per opulentas regiones suos trahere exercitus, egere cogeret, nec possent sui huiusmodi tolerare inopias: sed eligeremus alias partes, ubi cõmodius & facilius ad Christiani nominis incrementũ, & exercitus ducere, & hostes Christi conterere possemus: & ad hoc ipse cum suis libenter se accingeret.

Comes

Comes factum impedit,ab honesto alienus proposito. Caput XVII.

POrrò nobis nec tutum erat, nec honestũ à pactis discedere. Nam D. Imperatoris nuncij, praeclari & nobiles uiri, cum infinita pecunia praesentes erant, paratos se asserentes, ut praemisimus, conuentiones inter nos & dominum Imperatorem initas adimplere. Habentes in portu Acconensi septuaginta galeas, exceptis alijs nauibus, ad iter & opus condictum sufficientes: item iuramentis nostris obuiare, inhonestum nimis & periculosum uidebatur. Quod si etiam cum assensu Imperialium nunciorum res in aliud tempus differri potuisset, praesens domini Imperatoris auxilium deserere, non reputabamus tutum, timentes indignationem eius, quae nobis poterat esse nimis periculosa. Igitur iuxta condictum nostrum, secundum quod prius conuenerat, consentientibus partibus utrisq;, iter nostrum firmauimus, ad opus nos accingentes, quod ante multo cum domino Imperatore tempore constitueramus. Quo audito, Comes Flandrensis iterum cõtra nos uehementius coepit inflammari, dicens: Quod per nos in eius contumeliam totum hoc fuerat fabricatum. Et factum est post multa, ut eius quocũq; modo satisfaceremus uoluntati, quod de cõmuni tam nostrorũ quàm Graecorum consilio, iterum expeditio dilata est, usq; per totũ Aprilem. His ita gestis, D. Comes, cũ Hierosolymis quasi per quindecim dies fuisset, cõpletis orationibus & sumpta palma, quod est apud nos cõsummatae peregrinationis signũ, quasi omnino recessurus, Neapolim abijt. Vnde post dies aliquot, ad nos misit Hierosolymam aduocatũ de Britannia, cum quibusdã alijs de suis hominibus: qui nobis ex parte D. Comitis nunciarunt, quod Comes paratus erat, & haec erat eius deliberationis summa, quócunq; nobis uidet̃ optimũ, siue in Aegyptũ, siue ad partes alias nos sequi. Quo cõperto, & si nobis uideret̃ ridiculum toties mutare sententias, & nimiae instabilitati uideretur meritò imputandum, nulli certo haerere proposito: tamen Graecos, licet inuiti cõuenimus, uidentes Comitis intentionem. non enim erat eius propositi, dicta compensare operis: sed ad id summa ope nitebatur, quod nos in culpam traheret, & scribere ultramontanis principibus posset, per nos stetisse, quo minus in negotio esset processum. Culpã ergo suã in nos retorquere uolens, praedictos ad nos miserat: nullo modo arbitrãs, quòd Graeci ad nostrã iterũ redirẽt uoluntatẽ.

Imperatoris Legati ad propria redeunt: Comes uersus partes Antiochenas contendit. Balianus D. Regis Amalrici uiduam uxorem duxit. Caput XVIII.

COnuenimus ergo Graecos, tentãtes eos, si uellent iterũ pactis stare prioribus. Et si Comes nobiscũ ueniret, utrum uellent in Aegyptũ descendere? Qui respondentes: Quãuis tempus esset arctũ nimis, ut exercitus possent p̃parare suos, tamẽ si Comes propria manu uult iurare quòd ueniat nobiscum, & si cõtigit, uel hic uel in uia eum infirmari, quod suos mittat, & quod in tota expeditione bona fide, sine fraude & malo ingenio, pro Christianitatis incremento laboraret: & quod nõ sit in cõsilio uel auxilio, quod pacta inter dominum Regem & D. Imperatorẽ tractata & conscripta, ex aliqua parte infringantur: & idipsum suos homines iurare fecerit, licet nobis nimis durum, & contra uirilem constantiam uideatur, toties mutare consilia, tamen ut regni Deo amabilis, & domini Imperatoris amplietur gloria, ueniemus.

Hic

Hic cum suum iuramentum, aduocatus & qui cum eo missi fuerant, super dictis conditionibus offerrent, nec omnia tamẽ prędicta in suo iuramento uellent comprehendere, nec Comitis promitterent iuramentum, noluimus amplius uerbis inutilibus insistere: solutum est colloquium nostrum. sumptaq; licentia, Imperiales Legati, negotium sæpedictum, usq; in tempus opportunum differentes, ad propria redierunt. Post hoc cœperunt nunč Comitis quærere, ex quo prædicta non posset esse in præsenti expeditio, Quid nam cum auxilio regni dominus Comes posset facere, ne omnino uideretur ocio sus. Placuit tandem ijs, quibus uerbum erat hoc propositũ, quod in Tripolitanam aut Antiochenam regionẽ proficisceretur: ibi enim uidebatur quod ad honorem suum, & Christianitatis incrementum, aliquid posset operari. Erant autem nonnulli, qui domino Principi Antiocheno, qui præsens erat, & domino Comiti Tripolitano imputabãt, quod Comes ita erat aduersus profectioni in Aegyptum. nitebãtur enim, ut dicitur, ad suas eum partes trahere, sperantes eius auxilio aliquid adoriri, ad incrementum suarum regionum respicientes. sed spe sua frustrati sunt: quod nec apud eos, nec apud nos quippiã memoria dignum ei datum est diuinitus cõsummasse. Dignũ quippè erat, ut cui Dominus suam subtraxerat gratiam, in nullo prosperaretur. Quia superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam. Promisit tamen dominus Rex, se cooperatorem & adiutorem futurũ: tradiditq; ei illuc eunti, centum equites de suis, & peditum duo millia. Et in hoc statu erant res nostræ, circa Cal. Octobris. Assumptis ergo suis, & domino Comite Tripolitano, Magistroq; domus Hospitalis, & multis ex fratribus Militiæ templi, ad partes contendit Tripolitanus. Per idem tempus dominus Balianus de Ibelim, frater domini Balduini de Ramis, uiduam domini Regis Amalrici, Reginam Mariam, filiam Ioannis Protosebasti, unde superius fecimus mentionem, domino Rege id promittẽte, uxorem duxit: cum qua etiam Neapolitanam urbem, quam illa possidebat nomine donationis propter nuptias, in uita uxoris habendam suscepit.

Comes Flandrensis, unà cum principe Antiocheno & Tripolitano, castrum Harenc obsidet, & sine fructu laborat. Caput XIX.

PEruenIens igitur ad partes destinatas Comes, compositis ad iter necessarijs, ordinatisq; agminibus, cum Tripolitano Comite & suis terras hostium ingreditur, circa Emissenam & Hamam, morã facientes aliquam, non sine hostium damno. Sahaladinus enim cõpletis pro uoto in illa regione negotijs, facta cum filio Noradini pro suo arbitrio pace, in Aegyptum descenderat: timens ne ille de quo prædiximus, agnatus Imperium arriperet: & diu promissa expeditio, illuc, sicut dispositũ multo antè fuerat, properaret. Traxerat ergo secum quoscunq;, & undecunq; eos in regione poterat habere, maximas militum copias, illuc robur congerens, ubi uidebanẽ maiora emergere posse negotia. Inueniẽtes igitur Comes & sui regionem uiribus uacuã, liberius poterant euagari: municipia tamen, & ciuitatum pręsidia, alimentis, armis & custodibus satis erant & sufficienter munita. Cognito uerò dominus Princeps, quod hostium fines ingressi essent, sicut ex condicto inter eos conuenerat, ipse uerò alia uia properans, adiungit se illis. Conuenientes itaq; copiæ,

copiæ, conuenerunt & mente: idq; temporibus præsentibus magis opinãtes expedire, placuit ut castrum Harenc obsiderent. Est autem prædictus locus, in territorio Chalcidẽsi, quæ ciuitas hodie uulgò appellat̃ Artasia, nobilis aliquando, nunc ad instar paruissimi redacta oppidi. Distat autem uterq; locus ab Antiochia quasi miliaribus duodecim. Ad quem locum ubi peruentum est, locatis in gyrum castris, locum ex omni uallant parte, ut nec obsessis exitus, nec ad eos subsidium ministrare uolentibus, liber pateret introitus. Proinde machinas quę ad usus huiusmodi solẽt esse necessarię, cõstruunt: & quãdam quasi perpetuitatem obsidionis & propositi constantiam promittẽtes, casas componunt uimineas, & propter urgentem hyemem uallis castra muniunt, ne torrentũ impetu damna rerum sustineant in aliquo. Porrò ab Antiochia & suburbanis confinibus incolæ, & illius professionis homines, certatim student necessariam ministrare alimoniam. Erat sępe dictum castrum filij Noradini, idq; solum in partibus illis Salahadinus ei dimiserat. Vallato igitur undiq; municipio, temporibus certis, & per uices, more solito, oppidanis dabant assultus, & machinis & tormentis quatientes, obsessis negabant requiem.

Salahadinus cum multitudine infinita ab Aegypto ueniens, regnum ingreditur, ante Ascalonam se locat. Rex cum uniuersis regni uiribus illi obuiam occurrit: ante prædictam urbem conflictus cum hostibus habetur maximus. Caput XX.

INterea dum hæc in partibus Antiochenis geruntur, Salahadinus audiẽs, quod Comes, & totius exercitus Christiani robur, quodq; ipse non sine timore uehementi in Aegypto præstolatus fuerat, ad partes se contulerat Antiochenas: arbitratus nõ imprudenter, quod regnum uiribus uacuum nõ impunè posset euadere, & duorum alterum facilius obtinere, aut obsidionẽ ab obsesso dimouere municipio, aut hostibus illic perseuerantibus, de his qui in regno remanserant, obtinere triumphum. Collectis igitur undiq; militarib. copijs, in multitudine graui, & armis & omnibus penè quæ in bello usui esse solent, solito instructiore egressus de Aegypto, per uastitatem interiectę solitudinis, maturato itinere peruenit ad urbem antiquissimam desertam, Laris nomine. ubi deposita impedimentorũ parte, & sarcinarum onere subleuato, assumptis sibi qui expeditiores, & pugnãdi peritiores uidebant̃, relictis post se oppidis nostris Daro & Gaza urbe famosissima, subitò ante Ascalonam, præmissis quibusdã præcursoribus, irruit. Dominus uerò rex, aliquot dieb. antè, de aduentu eius pręmonitus, id quod residuum erat in regno militiæ, celeriter conuocans, cum suis eandem urbem, paucis ante diebus ingressus fuerat. Aberat (ut præmisimus) comes Tripolitanus cum centum ex nostris militibus, de multo numero electis. Magister quoq; Hospitalis cum fratribus suis, & pars maxima Militiæ Templi: reliqua uerò pars fratrum in Gazam se receperat, timentes ne eam, quia prima de urbibus nostris ei occurreret, Salahadinus obsideret. Itẽ Hemfredus regius Constabularius, ægritudine maxima (ut diximus) laborabat. Paucos igitur secum habens dominus Rex, ut comperit, quod per campestria nobis contermina liberè & hostiliter uagarentur & discurrerent hostes, inuocato diuino auxilio, relictis qui ciuitatem tuerentur, urbe cum suis egreditur, tanq; cum eis pugnaturus. Salahadinus

uerò prope ciuitatem gentem suam in unum collegerat. Egressus autẽ Christianus exercitus, inspecta partis aduersæ multitudine infinita, qui sensus habebant magis exercitatos in talibus, tutius esse dicebãt, in se subsistere, quàm dubijs belli euentibus inconsultè se cõmittere. Ita ergo usq; ad uesperum, habitis tamen interdum singularibus conflictibus, quamuis proximæ essent utrinq; acies, eorum impetus sustinuerunt nostri. Aduesperascente autẽ die, periculosum credentes, in tam modica manu, castris se cõmittere illa nocte, præsertim cum tanta esset hostiũ immensitas, in ciuitatẽ Ascalonam iterum prudenter se receperunt. Quod factum, in tantam Salahadinum cum suis erexit præsumptionem, ut iam non in se solidè subsisteret, sed ambularet in mirabilibus super se: & iam quasi uictor, cõmilitonibus suis regni subiugati portiones certas designaret. Cœperunt ergo de cætero, quasi pro uotis obtinentes omnia, incautius discurrere, habere se imprudentius, passim per turmas inordinatis agminibus uagari.

Hostes regionem longè lateq; depopulantur, urbes & suburbana succendunt. Caput XXI.

NOcte ergo illa opinati sumus, quod ante urbem castra locarẽt sua, in ea regione, ubi pridie fuerant, aut urbi uicinius se conferentes, ipsam obsidione clauderent. Verum ipsi neq; sibi neq; alijs requiem indulgentes, cateruatim uniuersam perlustrantes regionẽ, prout cuiq; impetus erat, ad diuersa rapiebant. Erat autem inter eos satrapas quidam, Iuelinus nomine, uir bello strenuus, ad quælibet tentanda pronus, uir apostata: qui relicta mediatoris Dei & hominum fide, ad gentilẽ impietatem deuia secutus, se contulerat, natione Armenius. Hic cum acie cui pręerat, usq; Ramam urbem in campestribus sitam peruenit: inueniensq; eam uacuam, succendit: diffidentes em̃ illius loci ciues, eo quod nõ esset munita cõmodè, partim cum D. Balduino rege in expeditione apud Ascalonã fuerant, pars cum infirmiore manu cum mulieribus & paruulis in Ioppen se contulerant, pars in castrũ in montibus, situ munitũ satis, cui nomen Mirabel, ascenderant. Incensa igitur urbe prædicta, Iuelinus Liddam, finitimã urbem, cum omni suo comitatu properat, locum partitis agminibus, subitò uallat in circuitu. Deinde sagittarũ immissa grandine, & omni armorũ genere inclusos aggredit̃, & incessanter fatigat. Contulerat sanè se populus omnis super ecclesiam beati martyris Gregorij. Porrò tantus nostros inuaserat timor, ut iam nõ esset spei residuũ, nisi in fuga: nec solum his qui in campestribus habitabant, ubi tam liber erat hostiũ discursus, uerũm etiam & montiũ incolis tantus incumbebat horror, ut ciuitatẽ sanctã propè desererent eius ciues, & de urbis tuitione diffidentes, in arcem quę dicit̃ Dauid, reliqua parte ciuitatis neglecta, se certatim conferrent. Processerãt quippe excursores usq; ad locũ qui dicit̃ Calcalia, & obtexerant penè uniuersam superficiem terræ eorũ præambuli: & iam etiã dimissis in campestribus, ad montana conscendere disponebant. Hæc erat facies regionis dissolutæ, & oppressæ amaritudine, in die qua obtexit eam caligine Dominus, in furore suo ad iracundiam prouocatus: tamen non continuit in ira sua misericordias suas, nec oblitus est misereri, sed conuersus, consolatus est nos, & apposuit ut complacatior sit adhuc, & secundum multitudinem dolorum nostrorum, in corde nostro consolationes eius lætificauerunt animas nostras.

Rex Ascalonam egressus, hostibus occurrit: ordinantur utrinq; acies. procinctus fit ad dimicandum. Caput XXII.

DVm haec ita in partibus illis geruntur, Rex audiens quòd fines eius longè lateq; hostiū multitudo diffusa penitus occupauerat, ex Ascalona cum suis egreditur, ac hostibus obuiā ire parat: satius duces, etiā cū hostibus dubio euentu præliandi fortunā tentare, quàm prædam, incendia, suorum stragem intueri. Egrediēs igitur per maritimā oram, littus quoq; secutus, ut subitò et occultus posset inimicis occurrere, peruenit ad eum locum, ubi Salahadinus è regione erat in campestribus. Quò perueniens, aciem, omnēq; apparatum bellicum, tam equitum quàm peditum aduersus eum dirigit: ubi adiunguntur ei fratres Militiæ templi, qui in Gaza remanserant. Inde instructis ordinibus militū, hostibus obuiam ire parant. dumq; proficiscunt unanimes, iniurias suas ultum iri, incendijs quæ ex omni parte intuebant, & strage suorum audita, in uirilem audaciā diuinitus succensi, quasi uir unus facti, properant: cum ecce ex aduerso nō multum distantia hostium agmina cōtuentur. Erat autē hora diei quasi octaua. Sahaladinus interea audiēs nostros spe pugnandi aduentare, timens quem prius uidebat optasse cōgressum, missis qui suos passim dispersos congregarent, clangore quoq; buccinarū, & tympanorum strepitu, uerbis quoque, sicut in talibus fieri solet, manipulos suos ad conflictū animabat, & dictis uires addere nitebat. Erat ibi cum D. Rege, Otto de sancto Amando, magister Militiæ templi, cum octoginta ex suis: Princeps Raynaldus, Balduinus de Ramis, & Balianus frater eius: Raynaldus Sydoniēsis, Comes Ioscelinus, regis auunculus, et Senescallus. Omnes uerò quotquot erāt promiscuę cōditionis, uix trecenti septuaginta quinq; inuenti sunt. Hi omnes inuocato de superius auxilio, præuio uiuificæ crucis ligno mirabili, quod D. Albertus heremita episcopus gestabat in manibus, instructis ordinibus, ad dimicandū uiriliter se accingunt. At uerò interea ad hostium cuneos, qui largius prædā secuti, et procurantes incendia discesserant, certatim ex diuersis partibus addebātur, fiebatq; maior numerus: ita quòd nisi Dñs, qui non derelinquit sperantes in se, nostros interiore quadā inspiratione, clementius erigeret omnino, nō solū de uictoria, sed & de salute desperare cogerent. Ordinant aūt hi nihilominus acies suas, & iuxta militarē disciplinā agmina dirigunt, disponentes qui primi aggrediant, & qui eis sint subsidio.

Committitur pugna, uincitur Salahadinus, & in fugam cum supremo periculo & ignominia uertitur. Caput XXIII.

INterea accedētibus hinc inde gradatim bellatorū ordinibus, commissum est prælīū, prius casu dubio, sed uiribus longe imparibus. postmodum nostris animosius resistētibus, infusa cœlitus gratia, quæ eos solito redderet fortiores, cōfractis eorū legionibus, post multā stragem hostes in fugā uertunt. Quis aūt esset hostium numerus, inuestiganti mihi & quærenti diligentius, ueridica multorum relatione innotuit, quòd uiginti sex millia equitum expeditorū, exceptis ijs qui summarijs insidebāt, et camelis, intra fines nostros immiserat. ex quibus erāt octo millia egregiorum, quos ipsi lingua sua Toassin uocāt: reliqua uerò decē & octo millia erāt gregariorum, quos ipsi appellant Catagolam. De egregijs autē erāt mille, qui omnes induti croceis super lori-

cas exam͠etis, Salahadino cõcolores, eid͠e familiarius ad tutelã propriȷ corporis assistebant. Solẽt eñ Turcorũ satrapę, maiores principes, quas ipsi lingua Arabica uocant Emyr, adolescẽtes, siue ex ancillis natos, siue emptos, siue capta in pręlȷs mancipia studiose alere, et disciplina militari instruere diligẽter. Adultis autẽ prout cuiusq; exigit meritũ, dare stipẽdia, et largas etiã possessiones cõferre. In dubȷs autẽ bellorũ euentib. propriȷ conseruandi corporis solent his curã cõmittere, & de obtinẽda uictoria spem habere nõ modicã: hos lingua sua uocant Mameluc. Hi assistẽtes dño suo perseueranter, unanimiter ab eo nituntur propulsare iniurias, & usq; ad mortẽ nõ destituere. Hi sanè in cõflictu perseuerantes, quoadusq; fugit dñs eorum, unanimiter persistunt: unde contigit, quod cęteris fuga elapsis, hi penè omnes incũbunt. Conuersis itaq; hostibus in fugã, insecuti sunt nostri, usq; dum inclinata iam die nox irrueret: ab eo loco, qui dicit̃ mons Gisardi, usq; ad paludẽ illã, quę uulgò dicit̃ Cametũ Esturnellorũ: toto autẽ illo fugę tempore & spacio, nõ desȷt hostiũ strages fieri continua, per duodecim uel amplius miliaria: nec de omni numero superfuissent aliqui, nisi nox importunè irruens, gladiis persequẽtium eos eripuisset. Vt autẽ possent expeditius fugiẽdo saluti cõsulere, abiectis armis & uestibus, sarcinis expositis, relictis infirmiorib. qui fortiores erant, & equorũ uelociũ sessores, fugiẽdo pro uiribus, beneficio noctis imminẽtis, neci subtracti sunt. alȷ autẽ omnes aut capti, aut gladȷs interẽpti, grauiores exitus sunt cõsecuti. De nostris autẽ in primo cõflictu quatuor aut quinq; occubuerunt equites, pedites aũt ad certũ, quem nos ignoramus, numerũ. Peruenientes aũt, qui fuga fuerant elapsi, ad prædictam paludẽ, si quid residuũ erat oneris, uidelicet & caligas ferreas, in carectũ aquæ, & in ipsam aquã proiecerunt interius, ut et ipsi expeditius incederẽt, et arma in aquis proiecta, nostris nullo tẽpore possent esse aut usui, aut uictoriæ signo. Quorũ tamen utrunq; nostri postea sunt plenius assecuti: nã inhęrẽtes eorũ uestigȷs, & nocte instante, & sequenti die, prędictũ arundinetũ diligẽtius perscrutãtes, paludẽ quoq; ipsam contis & uncis percunctantes, quicquid illi occultauerãt, celerius reperẽt. Adiuimus à quibusdã fide dignis, quod centũ inde uiderant una die loricas extrahi, exceptis galeis & ocreis ferreis, & minoris põderis, rebus tamẽ utilibus & preciosis. Collatũ autẽ nobis est hoc tam insigne & seculis memorabile beneficiũ diuinitus, anno D. Balduini quarto, mense Nouẽb. octauo Cal. Decẽb. die festo sanctorũ martyrum Petri Alexandrini & Virginȷ. Reuersus autẽ D. Rex Ascalonã, expectauit quousq; suos reciperet, qui diuersis itinerib. insecuti fuerãt fugientes, quos intra dies quatuor recollegit. Videre erat redeuntes, manubȷs onusta trahentes mancipia, camelorum armenta, equos, tentoria referentes, exultantes secundum prophetæ dictum: Quasi uictores capta præda, quando diuidunt spolia.

Pluuiarum intemperies & frigus insolitum eos qui ex acie fugerant, fatigant supra uires: occiduntur ex eis innumeri, capiuntur quamplures. Rex Hierosolymam uictor reuertitur. Caput XXIIII.

ACcessit & aliud, in quo manifestè innotuit pręsentẽ esse diuinã nobis clementiã. nam sequẽti die, & per decẽ dies continuos, tanta uis imbrium, tanta algoris præter solitum uiolentia incubuit, ut uerè credi posset, etiã ipsa contra eos cõiurasse elemẽta. Equos nimirum omnes amiserant, quibus per

illud

illud triduũ, quo in finib. nostris morã fecerant, nec cibũ nec potum, nec ullã indulserant requiem. item indumenta, & uestium genera quælibet (ut pręmi simus) omnino ab se reiecerant. Accedebat ad miseriarum cumulũ, quòd nec uictum penitus habẽtes, frigore, inedia, uiarum tędio, & laboris insueti pondere tabescebant. Reperiebant̃ ex eis passim aliquando plures, aliquãdo pauciores, in quos quamuis etiã impotens & debilis, impunè poterat in eos desęuire: ignari em̃ locorũ ex eis pleriq;, putantes se domũ redire, nostris se uicis aut uiatoribus, aut eos quærentib. offerebant. Arabes interea, insidũ genus hominũ, uidentes quidẽ casum qui Turcis acciderat, properant: quos superius cum sarcinis apud Laris ciuitatẽ diximus relictos, nũciata suorũ strage, territos in fugam uertunt, eosq; nihilominus, qui quocunq; casu nostrorum manus euaserãt, durius insequunt̃: & qui à nobis elapsi uidebant̃, illis dabant̃ ęd prędã. ita ut impletũ uideret̃ quoq; illud Propheticũ, Residuũ locustæ comedit bruchus. Id em̃ moris huic generationi neq; esse dicit̃, ut sub quocũq; duce ingrediant̃ ad pręlia, anceps soleant declinare certamen: et quamdiu bellorũ dubius est euentus, de remoto conspicere: demumq; adhęrere uictorib. uictos uerò tanq; hostes insequi, et de eorũ locupletari spolijs. Igitur per dies multos de syluis, de montibus, de ipsa etiam solitudine educebant̃ captiui: aliquando etiã spõte nostris occurrebant, satius arbitrantes carceri & uinculis mancipari, q̃ frigore & inedia tabescere & cruciari. Interea D. Rex pręda & manubijs lege belli distributis, uotiuas gratiarum actiones pro collatis sibi à Dño beneficijs persoluturus, Hierosolymã properauit. Salahadinus aũt, qui cũ tanta superbia, & tam multiplici equitatu ascẽderat, diuina percussus manu, uix cũ centũ equitib. reuersus est, ipse quoq; camelo inuectus est. Intueri libet & cõsiderare interius, diuini huius muneris largitatẽ, & quomodo in exhibita nobis liberalitate, hãc uniuersam sibi uoluit pius cõsolator gloriã uendicare. Nam si præsenti operi diuinitus procurato, comes Flandrię, princeps Antiochenus, comes Tripolitanus, et illa militię multitudo quę aberat, interfuisset, more imprudentiũ, & qui solet in prosperis irrepere fastum, etsi non uerbo, saltẽ cogitatione nõ uererent̃ dicere: Manus nostra excelsa, & nõ Dñs fecit hæc oĩa. At nunc iuxta uerbũ suum, quod scriptũ est, Ego gloriã meã alteri nõ dabo: reseruata sibi penitus autoritate et gloria, nõ in multitudine, sed paucorũ usus ministerio: & Gedionis innouans clemẽter miracula, innumeram strauit multitudinẽ: significans, quod ipse sit, & nõ alius, cuius beneficio unus persequit̃ mille, & duo fugant decem milia. Ei ergo ascribit̃, à quo est omne datum optimũ, & omne donum perfectum: quia nõ est in præsenti articulo, quod operibus suis imputare possit homo. Diuinæ em̃ gratię munus est, & non meritis exhibitũ, pium est opus Domini. Extendisti enim manum tuam, & deuorauit eos terra, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti omnes aduersarios meos.

Qui in partibus Antiochenis castrũ Harenc obsederant, infecto negotio reuersi sunt ad propria. Caput XXV.

DVm hęc apud nos peragunt̃, Comes, & qui cum eo erant, in obsidione supradicti castri perseuerabãt, sed inutiliter: nam in dissolutionem dati, aleis & noxijs uoluptatibus maiorem dabant operã, quàm disciplina militaris aut obsidionis lex exposceret, continuis itineribus Antiochiam propera-

bant,ubi balneis,cõmessationibus,ebrietatibus,& cæteris lubricis uoluptati bus dediti, desidijs obsidionem deserebant. Sed neq; ij qui ibi iuges & assidui uidebant,negligentia torpentes aliquid utilitatis operabantur, terebant ocia,& palustres trahebant dies. Ipse etiam Comes singulis diebus minabatur,quod cum redire oporteret,quodq; inuitus ibi detinebat:quod uerbum nõ solum eos qui in obsidione erant exterius, ab honesto reuocabat proposito,sed etiam obsessos reddebat ad obsistendũ promptiores. sperantes aũt in uicino soluendã obsidionem, proponebãt hoc modico tempore melius esse cuncta tolerare,etsi dura uiderent quæ possent inferri, quasi municipiũ fidei suę creditum,inuisis prodere gentibus, & proditionis notam incurrere perpetuam. Erat autẽ prædictũ castrum in edito loco situm,in colle cõstitutum, qui ex maxima parte uidebat cõgestus, ex uno solo latere impugnantib. aditum præbẽs:in reliquis autem etsi assultus dare uolentibus minimè peruius, tamen undiq; machinis liberè poterat flagellari. Post uarios igit eventus & frequentes assultus,quibus si ex animo res gesta esset, & propitia esset Diuinitas,posse capi uiderent:decidit res in negligentiam,ut prædiximus,& peccatis nostris exigentibus,ita omnis nostrorũ emarcuit uirtus, et euacuata est omnis prudentia,ut cum iam qui inclusi tenebant,in supremam desperationẽ incidissent, nostri cœperint de reditu ad propria tractare. Admirari non sufficimus(res enim uidet amplior opinione hominum)quod tantis principibus tantam induxit Dominus mentis caliginem, et ita in indignatione sua eos cæcitate percussit, quòd nemine cõpellente, castrũ iam penè expugnatũ, sola stimulante inuidia,& negligentia reuocante,hostibus dimitterent. Videns ergo D.Princeps, quòd ita Comes Flandrię fixerat propositũ,quodq; in hoc uerbo irreuocabiliter erat obstinatus, sumpta ab obsessis,nobis incerta,quantitate pecuniæ,obsidionẽ soluit. Comes autem Flandriæ Hierosolymam rediens,cõpletis ibi solennibus sanctæ Paschæ diebus, ad reditũ se parat,aptatisq; galeis & nauibus ad onera deuehenda necessarijs,per D.Imperatorẽ Constantinopolitanum ad propria rediturus,à Laodicea Syrię,nauigationis suæ iter arripuit,in nullo relinquens post se in benedictione memoriã.Eodẽ tempore D.Fridericus Romanorũ Imperator,post uicesimum annum schismatis,cum D.Alexãdro Papa,apud Venetias pacificatus est. Per idem quoq; tempus cum sanctæ urbis Hierusalẽ,propter nimiã uetustatem, muri iam ex parte corruissent, facta collatione inter principes, tam seculares quàm ecclesiasticos, collecta est certa quantitas pecunię annuatim persoluenda,quousq; auctore Domino opus cõsummaretur:ut impleretur illud, Benigne fac in bona uoluntate,sic ut ædificentur muri Hierusalem.

Romæ generalis synodus indicitur. Rex super effluenta Iordanis,in faustis auibus castrum ædificat, ædificatum Templarijs tradit. Caput XXVI.

ANno ab incarnatione Domini, M.C.LXXVIII. qui erat regni D.Balduini quarti annus quintus, mense Octobri, cum anno præcedente indicta esset per uniuersum Latinorum orbem Romæ Synodus generalis, ad eandem Synodum uocati, profecti sunt de nostro Oriẽte,Ego Vuilhelmus Tyrensis Archiepiscopus,Albertus Bethleemita episcopus,Heraclius Cęsariẽsis Archiepiscopus,Radulphus Sebastenus episcopus,Iotius Acconẽsis episcopus,

scopus, Romanus Tripolitanus episcopus, Petrus prior ecclesiæ Dominici sepulchri, Raynaldus Abbas ecclesiæ montis Sion. Prædictus uerò Iotius nō solum in Synodū properabat nobiscū, uerùm ad D. Henricum Burgundiæ Ducem legatione fungebať, ut eum ad nos euocaret. Cōueneramus eñ unanimiter, ut D. Regis sororē, quam prius Marchio habuerat, eisdem cōditionibus eidē in matrimonio cōcederemus: quod uerbū cum idem Dux per manum prædicti D. Episcopi, prius gratanť suscepisset, & etiam, ut dicitur, iuramento propriæ manus, se uenturū firmasset, caussis quibusdā adhuc nobis incognitis uenire renuit, iuramenti quòd prębuit immemor, & fidei qua se obligauerat prodigus inuentus. Eodem mense quo nos iter ad Synodum arripuimus, D. Rex, cum omnibus regni uiribus, castrum quoddā super ripas Iordanis, in eo loco qui uulgo uadum Iacob appellať, aggressus est ædificare. Habent traditiones ueterum, cum esse locum, ubi Iacob de Mesopotamia rediens, missis nuncijs ad fratrē, factisq; duabus turmis dixit: In baculo meo transiui Iordanē istum, & nunc cum duabus regredior. Est autem in pago Cades Nepthalim, inter Nepthalim & Dan, quę alio nomine appellatur Paneas, alio etiam Cæsarea Philippi dicitur, quarum utranq; Phoenicis constat esse portionē, & Tyrensis metropolis, urbes suffraganeas. Distat autem à Paneade miliaribus decem. Porrò collis erat ibi mediocriter eminēs, super quem fundamenta iacientes, profunditate cōgrua murum mirę spissitudinis in quadrū ædificauit opere solidissimo, ad cōuenientem altitudinem, eumq; intra sex menses erexerunt. Cōtigit aūt, dum in ædificando ibi morā faceret, egressi sunt latrunculi de partibus Damascenis, qui uniuersas ita obsederant uias, quod nō nisi cum periculo ire ad exercitum, aut inde redire, aut uias carpere quaslibet uiatores possent. Erant autem prædicti latrunculi de loco in montibus sito, cui Baccades nomen, qui uulgo Buccahel dicitur. Hic locus in finibus Zabulon situs est, amoenus admodum. Et licet in summis montium, tamen aquis irriguus est, et arborum fructiferarum frequentia cōsitus, habitatores habens insolentes, armis strennuos, & numerositate superbos: adeò, ut uicinorum agros & suburbana finitima sibi facerent tributaria, maleficis & debita supplicia fugientibus, grassatoribus quoq; & uiarum effractoribus tutum apud se præbentes refugium, ob prædæ & ui raptarum rerum, quod eis dabatur, participiū. Erant ergo omnibus per circuitum propter intolerabilem eorum arrogantiam, tam nostris quàm etiam Sarracenis inuisi & odibiles facti, ita ut sæpius fuerit attentatum eos funditus extirpare: sed successum res non habuit. unde & singulis diebus fiebant proteruiores: quorum intolerabilem superbiam, furta commissa, perpetrata homicidia, dominus Rex non ferens, locum prædictum subitò & uiolenter occupans, quos comprehendere potuit, neci dedit: sed fugerūt ex parte maxima, præcognito domini Regis aduentu, & ad partes Damascenas cum uxoribus & liberis se cōtulerunt. Inde frequentes in partes nostras, occultè tamen, irruptiones, ueteris consuetudinis non immemores, facere consueuerant. Nunc autem adiunctis sibi eiusdem facinoris consortibus, fines nostros ingressi erant, ut præmisimus. Quod audientes nostri, indignati, quod huiusmodi homines uias publicas ita fecerant periculosas, locis competen-

tibus, eis ponentes inſidias operam dabãt ſollicitam, quomodo eos poſſent
præuenire. Accidit autem nocte quadã, quod ipſi facta præda de montibus
Zabulon deſcendẽtes, uolentes ſe ad partes unde exierãt cõferre, in noſtros,
qui eis inſidias parauerant, incidentes, uiarũ ſuarum fructũ collegerãt. captis
etenim ex eis nouẽ, ſeptuaginta & plures interfecti ſunt. Accidit aũt hoc men
ſe Martio, duodecimo Cal. Aprilis. Per idem tẽpus Romæ celebrata eſt Sy-
nodus in Baſilica Conſtantiniana, quæ dicit̃ Lateranũ, trecentorũ epiſcopo
rum. Pontificatus D. Alexandri uigeſimo, menſe Martio, indictionis duode
cimæ, quinta die menſis. Cuius ſi quis ſtatuta & epiſcoporum nomina, nu-
merum & titulos ſcire deſiderat, relegat ſcriptum quod nos ad preces ſancto
rum Patrum, qui eidem Synodo interfuerunt, cõfecimus diligẽter: quod in
Archiuio ſanctæ Tyrenſis eccleſiæ, inter cæteros, quos eidem cõtulimus ec-
cleſiæ libros, cui iam ſex annos præfuimus, iuſſimus collocari.

Rex in terras hoſtium ingreſſus, damna patitur enormia. Hemfredus regius Conſtabularius occaſionem mortis colligens, ibi defungitur. Caput XXVII.

CONſtructo igit̃ caſtro ex partibus ſuis abſoluto, nunciatum eſt D. Regi,
quod in eam ſyluam quæ Paneadenſi adiacet ciuitati, hoſtes incautè pa-
ſcua ſequentes, greges immiſerant & armenta, nõ habentes ſecum illas mili-
tum copias, quibus freti noſtris irruẽtibus poſſent reſiſtere. Arbitrant̃ ergo
noſtri quod inimicos eos, ſicut nunciatũ fuerat, & præliarib. auxilijs deſtitu
tos, facile poſſent opprimere, illuc occultè cõtendunt: & ut latenter & ex im-
prouiſo inuadere, celarẽtq; eorũ aduentũ hoſtib. poſſent, ac in eos irruere, de
nocte aggrediunt̃ iter, & de nocte accelerant. Mane igitur facto ad locũ deſti
natum perueniunt: ubi alijs ad alia præliandi gratia properantibus loca, alijs
lentè nimis, & de remoto ſubſequẽtibus, ea acies in qua Rex erat, impruden
ter nimis quibuſdã ſeptis lapideis ſe immergit, ubi ex hoſtibus latebãt nõ-
nulli. audito enim noſtrorũ aduentu, latẽre diſpoſuerant, ut declinato noſtro
rum impetu, propriæ ſaluti eo modo poſſent cõſulere. Videntes noſtros ſu
per eos irruiſſe incautius, licet inuiti & de uita deſperantes, facti ſunt, ipſa ne-
ceſſitate urgẽte, fortiores: & ſubitò exiliẽtes, uidẽtes noſtros inter anguſtias,
inſtant animoſius: & quibus prius ſatis fuerat, latendo poſſe declinare aduer
ſarium, interfectis equis, ſagittis eminus miſſis, noſtros comprimunt uiolen
ter. Videns itaq; D. Conſtabularius hoſtem ex inſperato emerſiſſe, eis cum
multo impetu ſe ingerit mediũ: dumq; de more uiriliter dimicat, dominũq;
Regem in arcto poſitum, ne in eum periculoſius irruat̃, fideliter protegit, &
ab iniurijs uendicat crebris, & uiolentis ictibus laſſatus, & letalibus confe-
ctus uulneribus: tandem ſuis eum eripiẽtibus, uix in equo reuocatus eſt. Ce-
ciderunt porrò in ea congreſſione uiri memorabiles, & pia recordatione di-
gni: Iuuenis quidam elegantis formæ, & honeſtis pollens moribus, nobilis
& diues, Abraham de Nazareth, & Godeſcalcus de Turohe, qui etiam bo-
nã ſui reliquit exiſtimationem, & alij pauci inferioris manus. His ita ſe haben
tibus, de caſu tam periculoſo D. Rex ſuorum ereptus opera, ad caſtra unde
exierat, reuerſus eſt: ubi ſuos qui ad uaria inordinatè diſperſi fuerant, recepit.
Dominus uero Hemfredus regni Conſtabularius, ingraueſcentibus dolori
bus, ad caſtellum nouum quod ipſe adhuc ædificabat, delatus eſt. Factum

eſt

est autē hoc, quarto Idus Aprilis. Decumbēs ergo ibi per dies quasi decem, cum dolore uitam pertrahens, supremo iudicio memoriter & prudenter ordinato, uir per omnia cōmendabilis, decimo Calend. Maij, patriæ perpetuo lugendus, uiuendi fecit finē: & in ecclesia beatæ Dei genitricis & semper uirginis, apud nobile & famosum castrum eius Toronum uidelicet, debita magnificentia sepultus est. Quo defuncto, statim intra eundem mensem, Salahadinus prędictum castrum, quod de nouo fuerat constructum, sexto Calend. Iunij obsedit, crebrisq; insultibus & denso sagittarum nimbo fatigare cœpit uiolenter inclusos: cum ecce unus de interioribus, cui nomen erat, ut dicitur, Raynerius de Maron, Iarum de ditioribus Admiraldi sagitta saucium, interemit: pro cuius obitu, omnes ita consternati sunt, ut infecto negotio, soluta obsidione discederent.

Salahadinus regionem ingreditur Sydoniensem. Rex conuocatis regni uiribus, hostibus occurrit. Caput XXVIII.

SEquenti mense, cū iam prædictus Sahaladinus, bis, uęl iam eo amplius in pago Sydoniensi uiolēter esset ingressus, & liberè satis, nemine cohibēte, prædam, incendia, hominū quoq; stragē exercuisset, adiecit iterato, introire: locatisq; castris inter urbē Paneadensem, & fluuium Dan, excursores pręmiserat frequenter, qui prædas agerent, incendiaq; procurarent. Ipse autē quasi pro subsidio castra non deserens, eorū reditum & aggressionū euentum expectabat. Nunciatum est interea D. Regi, quod ita per fines nostros Sahaladinus desæuiret. qui assumpto sibi Dominicę crucis ligno, cōuocatisq; suis, quoscunq; colligere undecūq; potuit, ad urbē properat Tyberiadensem: inde per oppidum Sepher, per urbem antiquissimam Naasson, ad prędictum Toronū cum suis peruenit. Vbi frequentibus nuncijs intercurrentibus, pro certo cōperit Sahaladinum cum exercitu suo, adhuc in eodem perseuerare loco, suos, aut læuioris armaturæ milites, qui præmissi fuerāt, agros Sydonienses hostiliter depopulari, cædes, incendia, prędas exercere. Habita itaq; deliberatione, placuit omnibus hostibus obuiā ire. Inde ergo iuxta condictū cōtra Paneadē exercitum dirigētes, perueniunt ad uicum qui dicit̄ Mesaphar: unde quia in summis montibus situm erat, prospicere erat totam subiectā regionem usq; ad radices Libani, castraq; hostium dabat̄ eminus intueri. Patébant quoq; nihilominus prospectibus singulorum inimicorum discursus et incendia. Descendētes igitur per montis decliuum, cum festinatione, turmas peditū secū trahere nō poterant. fessi em̄ erant oppidò, uię longinquitate, nec poterāt equites passibus adæquare. Vnde cū paucis peditibus, qui agiliores inuēti sunt, in planiciē quæ statim montibus subiecta est, deuenerunt in eum locum, qui uulgo Mergiū appellat̄. Per aliquot igit̄ horas, ut plenius deliberarēt quid facto opus esset, ibi substiterunt. Interea Sahaladinus de subito regis aduentu aliquantulū perterritus, timēs suis excursoribus, quos quasi à se & suis uidebat exclusos, timens item ne in castra irruerēt, impedimenta, sarcinas & omnem suppellectilem inter murum & antemurale uicinæ urbis cōportari præcepit, ut ad quēlibet belli euentū expeditior inueniat̄. Succinctus ergo & dubius plurimū, rei exitum pręstolabat̄. Verùm excursores qui prędatum ierāt, audito nostrorū aduentu, perterriti, postpositis alijs optimum

ducunt,

ducunt, si suorũ agminibus se possint aggregare. Transmisso ergo flumine, quod per medium diuidit Sydoniensium agros & prędictã planiciẽ, in qua diximus nostros esse, occurrunt nostris: ubi inito cominus prælio, nostri statim propitio Domino fiunt superiores, multis interfectis & ad terram deiectis, pluribus in fugam uersis, hostes ad castra suorum se conferre nituntur.

Committitur pugna: nostri uincuntur, capiuntur ex eis quamplures. *Caput* XXIX.

DVm hæc ita se haberent, Otto magister Militiæ templi, & cum eo Comes Tripolitanus, deinde alij sequentes, collem sibi quendã obuium ascenderũt, flumen habentes ad lęuã, à dextris uerò erat eis planicies maxima, & castra hostiũ. Audiens ergo Salahadinus suos grauari, expositos periculo, necìq; datos, parat eis subsidiũ ministrare. in quo proposito dũ fixus maneret, ecce suos qui euaserant uidet: Quibus occurrens, cognito rei statu, animos uerbis addit, in aciem reuocat, nostrisq; insequentibus et nimiũ securis, subitò se immergit. At uerò pedites nostri, de spolijs eorũ qui interfecti fuerant, ditati, putantes nihil superesse ad consummatã uictoriam, secus ripã fluminis castrametati, quieti consederant: equites uerò hostes super se, quos deuictos putabant, reparatis uiribus uidentes irruere, non habentes ferias uel ocium, ut iuxta militarẽ disciplinã acies instruerẽtur, ac ordinarent agmina, ordine confuso decertantes resistunt ad tempus, & hostiũ perseueranter sustinent impetus. Tandẽ uiribus impares, nec se cum dispersi essent, mutuò iuuantes, in fugã uersi succumbunt turpiter. Cumq; satis cõmodè hostes insequentes per alia loca possent declinare, & in tutum se locare, peccatis nostris exigẽtibus, deteriorẽ deliberationis partẽ secuti in angustias scabris rupibus oblitas, & penitus exitũ negantibus se immergũt: ubi nec ad anteriora procedere, nec nisi cũ mortis periculo per hostiũ manus redire permittebaẽ: qui fluuiũ transierunt uitæ & saluti cõsulentes, ex maxima parte, in municipium proximũ cui nomen Belfrot, se cõtulerunt: alij flumen transeuntes & ulteriorem ripã secuti, uersus Sydonem euntes, cõfusi, prælij æstum declinauerunt. Quibus cum D. Raynaldus Sydoniensis, cum suis qui ad exercitum festinabat, occurreret, intellecto quod acciderat infortunio, eis etiã monentibus Sydonem reuersus est: quod factum in illa die, multiplex damnũ diciẽ intulisse. Verisimile est enim, quod si in castrum suum cõtinuato itinere se recepisset, cooperantibus oppidanis, & rusticis locorũ peritis, multos eripuisset hostibus, qui nocte illa in cauernis, in rupibus latentes, sequenti mane discurrentibus et cuncta perlustrãtibus inimicis, inuenti, capti, uinculis mancipati sunt. Dñs aũt Rex, quorundam fidelium suorum fretus auxilio euasit incolumis. Comes quoq; Tripolitanus cum paucis Tyrum peruenit, Capti sunt ibi de nostris, Otto de sancto Amando Militiæ templi magister, homo nequã, superbus & arrogãs, spiritũ furoris habens in naribus, nec Deũ timens, nec ad homines habens reuerentiã. Hic iuxta multorũ assertionem, damni prædicti & perennis probri occasionem diciẽ dedisse. qui eodẽ anno, quo captus est, in uinculis & squalore carceris, nulli lugẽdus, diciẽ obijsse. Balduinus quoq; de Ramis, nobilis uir & potẽs: Hugo quoq; de Tyberiade, D. Comitis Tripolitani priuignus, adolescens bonę indolis, & acceptus plurimũ: & alij multi, quorum nomina non nouimus, nec numerum, capti sunt.

Salahadinus castrum quod de nouo ædificatum fuerat, obsidet, obsessum occupat, diruit occupatum: Henricus Comes Trecensis, Petrus domini Regis Francorum Ludouici frater, in Syriam ueniunt. Caput XXX.

Rebus igitur nostris sic se habentibus, & in imo collocatis, ecce D. Henricus Comes Trecēsis, uir magnificus, senioris Theobaldi Comitis filius (quem nos à Synodo redeuntes, apud Brundusiū ciuitatem Apuliæ dimiseramus) apud Acconensem ciuitatem, cum multo nobilium comitatu applicuit. Venerant, ut prēmisimus, nobiles multi in eodem transitu, dominus uidelicet Petrus de Corteniaco, D. Ludouici Francorū regis frater: dominus quoq; Philippus, D. Comitis Roberti, eiusdē D. Regis fratris filius, Beluacensis electus: quorum aduentu, nostri, anterioribus casibus plurimum consternati, aliquatenus tamen in spem erecti, sperantes quod tot tantorūq; nobiliū patrocinio propulsare præteritas, futurasq; ulcisci possent iniurias: uerum aduersa nobis diuinitate, nec priores depulerunt, sed etiā in maiores descenderunt molestias. Nā hostis noster immanissimus Salahadinus, dextris euentibus & prospera fortuna, in tantam est elatus superbiam, ut subitò antequā nostris ad modicum respirare liceret, castrū nostrū, quod nuper anno proximè præterito fuerat consummatū, obsideret. Traditum sanè fuerat sæpe dictum castrum fratribus Militiæ templi, qui omnem illam regionem de concessione Regum sibi uendicabant, statim postq; fuerat consummatū, eorumq; diligentiæ cōmissum. Quod ubi D. Regi fuit nunciatum, conuocans regni robur omne, & militiam uniuersam, accito quoq; D. Henrico Comite, & alijs nobilibus uiris, qui aduenerant, apud Tyberiadem properat: ubi collectis uniuersis regni principibus, opem ferre obsessis, hostes ab obsidione amouere contendit. dumq; expectat, & in diem apparatus differtur, nunciatur castrum prædictum, sicut uerè erat, ab hostibus uiolenter captum, funditusq; usq; ad solum dirutum, occisis omnibus aut captiuatis, qui in eo ad tuitionem relicti erant: sicq; accessit damnis prioribus, maior confusio. ut uerè dici possit, Recessit ab eis dominus Deus eorum. uerè iudicia Dei abyssus multa, uerè terribilis est Deus in consilijs super filios hominū. Nam qui tantam fidelibus suis, anno proximè præterito contulerat sui muneris immensitatē, tanta eosdē nunc indui reuerentia passus est, & cōfusione. At quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Quis es dñe Deus? quia hîc præsens multitudo, & nobilium numerus? subtraxisti gratiam, ne sibi ascriberent, quod meritis nō datur, sed gratia. Aut quia de collatis gratis prioribus beneficijs, non satis uberes tibi benefactori suo, gratiarum persoluerāt actiones: aut quia flagellas Domine filium quē recipis. Imple facies nostras ignominia, ut quæramus nomen tuum sanctum, quod est benedictum in secula. Scimus Domine, & confitemur, quia tu non mutaris. Tu enim dixisti: Ego Deus, & non mutor. quicquid tamē id est, scimus quia iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Per idem tempus renouatum est uerbum, quod anno proximè præterito de duce Burgundiæ motū fuerat, cum domino Henrico Comite, sperabatur in proximè futuro transitu: sed sicut postea euidenter patuit, caussis occultis adhuc uenire recusauit.

LIBER

LIBER VICESIMVSSECVNDVS.

Rex sororem suam, quæ Marchionis uxor fuerat, cuidam adolescenti Guidoni uidelicet de Lizimaco uxorem tradit: cum Salahadino paribus conditionibus præter solitum treuga firmatur. Caput I.



EOdem quoque tempore dominus Boamūdus Antiochenorum princeps, & D. Raymundus cum militia in regnum ingredientes, dominum Regem terruerunt, timentē, ne res nouas moliri attentarent: uidelicet ne rege, regno priuato, sibi regnum uellent uendicare. Premebatur solito acrius Rex ægritudine sua, & singulis diebus lepræ signum magis & magis euidens promi-nebat. Soror autē domini Regis, quæ Marchionis uxor fuerat, adhuc in sua uiduitate perseuerabat, Ducem, ut præmisimus, expectans. Cognoscens ergo Rex illorum nobilium, & licet uterque esset eius consanguineus, suspectum habens aduentum, sorori maturat nuptias: & quamuis nobiliores & prudentiores, & ditiores etiam in regno, tum de aduenis tum de indigenis potuissent reperiri, penes quos multo commodius, quantum ad regni utilitatem, illa posset locari: non satis attendens, quod male cuncta ministrat impetus, tamen caussis quibusdam interuenientibus, cuidam adolescentulo satis nobili, Guidoni uidelicet de Lizimaco, filio Hugonis Bruni, de episcopatu Pictauiensi, ex insperato traditur, intra Paschalia, præter morem, solennia. Prædicti uerò nobiles uiri, uidentes quòd eorum aduentus, domino Regi suspectus habebatur, orationibus deuotè cōpletis, domum reuersi sunt. Medio autem tempore, dum ambo apud Tyberiadem, per aliquot dies moram facerent, ignarus de eorum præsentia, in ipsam urbem impetum fecit Salahadinus: nihil tamen damni ciuibus irrogans, uerùm in fines Paneadenses se recepit: dumque ibi moram cum suis exercitibus haberet, exspectans, ut postea patuit, naualem exercitum, quem tota hyeme præcedente, quinquaginta galearum parari fecerat, dominus Rex, suspectam eius habens moram, nuncios mittit, qui de treuga haberent cum eo tractatum. quod uerbum ille, ut dicit, gratanter admisit, non quia de uiribus suis diffideret, aut nostros quos toties eo anno confoederat, aliquatenus haberet formidini: sed quia ariditate nimia & propter pluuiarum inopiam, omne alimētorum genus, tam equis, quam hominibus, in regione Damascena, per continuū defecerat quinquenniū. Factæ sunt igitur, tam per mare quàm per terras, tam aduenis quàm indigenis, & hinc inde iuramentis interpositis roboratæ, humilibus satis quantū ad nos conditionibus induciæ. quodque nunquā dicit contigisse, paribus legibus foedus initum est, nihil præcipuū nostris sibi in ea pactione reseruātibus.

Salahadinus partes Tripolitanas hostiliter inuadit, & segetes & terræ bona depopulatur. Caput II.

EOdem anno, æstate quæ proximè secuta est, idē Salahadinus, locata Damascena & Bostrensi in tuto prouincia, equitum copias omnes, uersus partes dirigit Tripolitanas, ibique locatis castris dirigit per uniuersam regionem militares copias. ipse autem cum suis in urbem Achis se cōtulerat, operiens si eis daret opportunitas cū hostibus absque graui periculo cōmittendi.

Porrò

Porrò fratres Militiæ templi, cum essent in eadē regione, in suis municipiis clausi tenebantur, expectantes omni penè hora uallari obsidione, nec se congressibus temerè cōmittere audebant. Identidem & fratres Hospitales, timentes in castrum suum, cui nomen erat * se contulerant, arbitrantes satis esse, si in tanto tumultu præfatum oppidum ab iniuriis hostium possent uendicare. Erant ergo media hostium agmina inter prædictorum Fratrum & domini Comitis expeditiones, ita ut mutuum sibi non possent ministrare auxilium, nec etiam dirigere internuncios, qui de singulorum statu ualerent instruere. At uerò Salahadinus per campestria, & maximè per loca culta passim obambulans, & nemine se opponēte, liberè cuncta perlustrans, fruges partim in area congestas, partim per agros manipulatim collectos, partim adhuc solo hærentes, suppositis ignibus incendit, prædas abigit, depopulatur uniuersa.

Classis Aegyptiorum ad insulam Aradum accedit. Comes Tripolitanus cum Salahadino fœdus init. Caput III.

DVm hæc in partibus illis geruntur, ecce circa Cal. Iunias, naualis exercitus eius in partibus subitò apparuit Berythensibus: cuius exercitus primicerij postquam pro certo cōstitit, quod Salahadinus cum domino Rege fœdus inierat, reuerētiam habentes ad leges pacis quas indixerat, timuerunt Berythēsium finibus & infra totius regni terminos, iura fœderis uiolare. Audiētes quoq;, quod eorum dominus in partibus Tripolitanis cum suis expeditionibus moram faceret, & insulam Aradum (quæ urbi Antaradensi opposita est) uix tribus miliarib. ab ea distans, galeis in portu cōmodè locatis, occupant. Hanc insulam dicitur primus habitasse, & in ea urbem munitissimam sui nominis ædificasse Aradius Chanaan filius, nepos Noë, unde Arados dicta est. Huic ab Oriente uicina est ciuitas olim ualde nobilis, quæ ex eo, quod prædictæ ciuitati è regione opposita est (ut superius diximus) Antarados, hodie uerò corrupta nuncupatione Tortosa dicitur: ubi apostolus Petrus Phœnicen circumiens, in honorem Dei genitricis dicitur Basilicam fundasse modicam, quæ multo populorum usq; hodie frequentatur accessu: & ubi diuinitus per eiusdem semper uirginis intercessionē multa dicitur indigentibus fidelibus præstari beneficia. Hæ urbes ambæ Tyrensi metropoli Suffraganeæ, cum alia illis contermina, quæ Maradeæ dicit, prouinciç Phœnicis tantum portio intelliguntur. Applicati ad prædictam insulam, regionē uniuersam terrore concutiunt, ibiq; mandatum domini sui operientes, supra portū Antaradensem damna intendere maiora ciuibus, sed incassum inferre molientes. Interea Salahadinus regionē pro suo arbitrio depopulatus, classi mandat ut redeat: ipse quoque reuocatis agminibus, in suos fines se recepit.

Paucis tamen postmodum euolutis diebus, inito fœdere cum domino Comite, interius in regionem se contulit Damascenorum.

Tyrensis Archiepiscopus ad Constantinopolim regreditur. Rex Francorũ uita decessit. Caput IIII.

PEr idem tempus cum per menses septem continuos, cum illustris memoriæ domino Manuele Constantinopolcos Imperatore magnifico, morã nobis & ecclesiæ nostræ perutilem fecissemus, quarta post pascha feria, licentiam redeundi ad propria, per multam obtinuimus instantiam. Qui cõmendatis nostrę deuotioni legatis suis, uiris nobilibus et magnificis, in galeis quatuor, quas nobis more Imperiali liberaliter nimis cõcesserat, transcursis Tenedo, Mytilene, Chio, Samo, Delo, Claro, Rhodo, Cypro insulis: à læua autem relictis Phrygia, Asia minore, Lycia, Lycaonia, Pamphilia, Isauria, Cilicia prouincijs, fauces Orontis fluminis, & Seleucię portũ, qui hodie dicitur sancti Symeonis, quarto idus Maias attigimus, propitia Diuinitate, saluis rebus, & corpore incolumes. Non uidetur tamen prætereundum, sed erit præsentis historiæ articulus non modicus, quod dum in urbe regia moram (ut prædiximus) tum ingruentis hyemis necessitate, tum felicissimi domini Imperatoris mandato faceremus, contigit. Cum paterna prouisione, & mente quodammodo præsaga, de maturo ex hac luce exitu cogitaret, geminam sobolem suam, filium uidelicet et filiam, matrimonij legibus alterum uxori, alteram uiro copulauit. Filio sanè adhuc impuberi, uix annorum tredecim, Alexio nomine, aui paterni nomen retinenti, illustris Francorum regis domini Ludouici filiam, uix annorum octo, Agnetem nomine, solẽniter contulit, imperialibus insignijs utrique collatis, in palatio domini Constantini senioris, in ea parte palatij quę dicitur Trullus: ubi & sancta & uniuersalis Synodus sexta, temporibus Constantini, filij Constantini, filii Heraclii, dicitur fuisse congregata. Filiam uerò nuptui collocauit apud adolescentem nomine Remetiũ, Vuillhelmi senioris marchionis de Mõte ferrato filium, dñi item Vuillhelmi fratrẽ, cui nos Regis nostri sororẽ cõtuleramus. Hunc quasi annorũ decem & septem, per suos apocrisarios D. Imperator fecerat euocari, qui ante nostrum aduẽtum in urbẽ regiam diebus circiter quindecim descenderat: factaq; mora tam in urbe quàm in expeditione cũ D. Imperatore, redeunte quoque D. Imperatore, circa Epiphaniarum dies in urbem uenit, mense Februario in palatio nouo, quod Blachernas dicitur, conuocata curia sua, cum imperiali magnificentia, per manum Theodosij eiusdem urbis Patriarchæ, eidem filiam suam nomine Mariam, uxorẽ dedit, & de nomine patris sui Ioannem appellatum, Cæsarem constituit. Hanc filiam, Hirene uxor eius prior, Imperatrix pię memorię, quæ ei de regno Theutonico in uxorem data fuerat, peperit. nam ex Maria, quam secundò duxit, solum Alexium, qui hodie imperat, suscepit. Verũ si ludos Circenses, quos ciues illius urbis Hippodromos nominant, & uariorum gloriam spectaculorum populo per illos dies cum solennitate exhibitam, si imperialem circa uestes, & proprij corporis indumenta in lapidibus preciosis & margaritarum pondere & numero excellẽtiam: si palatij supellectilẽ auream, argenteam, numero & pondere infinitam: si uelorum ad ornatum dependentium precium: si famulorum & curialium numerositatem scripto comprehẽdere tentemus, si apparatus, nuptiarum magnificentiã: si effusam in omnes, tam in suos quàm exteros immensæ liberalitatis munificentiam, per singula uelimus prosequi, immensitate ma

teriæ

teriæ sermo succumberet, etiam si specialis ad hoc deputaretur tractatus. Sed nunc ad historiam redeamus. Completis ergo apud Antiochiam, iniunctis nobis ab Imperiali excellentia, cum D. Principe, cum D. Patriarcha mandatis, D. Rege apud Berythum inuento, eoq; terrestri itinere Tyrum properante, nos propitia Diuinitate, continua nauigatione pridie nonas Iulij, post annum & menses decem, ex quo ad Synodum profecti eramus, ad Tyrensem reuersi sumus ecclesiã. Anno septimo, regni D. Balduini quarti, decimotertio Cal. Octobris pijssimus & Christianissimus Francorũ Rex, uir uirtutũ & immortalis memoriæ D. Ludouicus, onere carnis deposito, cœlis intulit animã, cum electis principibus præmia possessurus æterna: filio uno superstite & hęrede, Philippo nomine, ex Ala Regina, filia Theobaldi senioris, sorore D. Henrici Comitis Trecensium, Theobaldi Comitis Carnotensium, Stephani Comitis Saniforensium, D. Vuilhelmi Remensis Archiepiscopi. Mortuus est anno regni eius quinquagesimo, uitæ uerò sexagesimo. Sequẽti mense, pridie nonas Octobris, anno Pontificatus sui uicesimo secundo, D. Amalricus bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarcha, uir simplex nimium, & penè inutilis, uiã uniuersæ carnis ingressus est. In cuius loco, D. Heraclius Cæsariensis Archiepiscopus, intra dies decem substitutus est.

Rex sororem suam iuniorem, Hemfredo tertio uxorem tradit. Constantinopolitanus Imperator, uita defungitur. Caput V.

Eodem mense, dominus Rex sororem suam, uix annorum octo, cuidam adolescenti Hemfredo nomine, despondet. Hic tertius Hemfredus, iunioris Hemfredi filius fuit, ex Stephania Philippi Neapolitani filia. Qui secundus Hemfredus, senioris Hemfredi de Torono Regis constabularij, cuius suprà sæpius fecimus mentionem, fuit filius. Cuius auus maternus, uidelicet Philippus, dominus fuit Arabiæ secundæ, quæ est Petracensis, qui locus hodie Crach dicitur: & Syrię Sobal, qui locus hodie montis Regalis appellatur, quarum utraq; est trans Iordanem. Hic postea conuersus, factus est Magister Militiæ templi. tractãte ergo & plurimum elaborãte principe Raynaldo, matris eiusdem pueri iam puberis, tertio marito, celebrata sunt Hierosolymis prædicti adolescentis, & sororis domini Regis sponsalia. Communi cauit præterea patrimonium suum, quod in finibus Tyri per mortem aui paterni hæreditario iure ad se fuerat deuolutum, Toronum uidelicet, & Castrum nouum, & Paneadem, cum pertinentijs suis, cum domino Rege certis conditionibus: quarum tenor in Archiuijs regiis, nobis dictantibus per officium nostrum, continetur introductus. Eodem die, tertia eiusdem mensis die, uir eminentissimus & immortalis memoriæ, omnium principum terræ munificentissimus, dominus Manuel Constantinopolitanus Imperator, sarcina carnis deposita, animam cœlo reddidit: cuius memoria in benedictione, cuius eleemosynas & beneficia largissima enarrabit omnis ecclesia sanctorum. Defunctus autem dicitur anno Imperii sui quadragesimo, uitæ uerò (quantum adhuc nosse datur) quadragesimo primo.

Princeps Antiochenus occasione pellicis, quam uxori uiuenti superduxerat, anathemati subijcitur. In Alexium Imperatorem conspiratur. Caput VI.

PEr idem quoqꝫ tempus dominus Boamundus Antiochiæ princeps, relicta domina Theodora uxore sua, domini Imperatoris nepte, quandam Sibyllam, maleficijs utentē, ut dicit̄, ecclesiastica seruitute contempta, in uxorem ducere præsumpsit. Per idem tempus, cum dominus Ioscelinus Regis auunculus & Senescallus, à domino Rege missus pro quibusdā regni negocijs, in urbe Constantinopolitana, & D. Balduinus de Ramis pro redemptione sua, à D. Imperatore auxilium postulaturus, similiter in eadem ciuitate morā faceret, mortuo iam domino Manuele, piæ recordationis Imperatore, Cal. Martii detecti sunt quidā nobiles magni & illustres uiri, res nouas molientes, cōtra dominum Alexium Imperatorem, filiū domini Manuelis, conspirasse: quos comprehensos, tanquam maiestatis reos, uinculis mancipari, tradi carceribus, licet eius quidam ex eis essent consanguinei, præcepit Imperator, matris adhuc tutelæ, patris arbitrio suppositus. Inter quos erant, quasi totius factionis opifices, Manuel senioris Andronici (unde superius fecimus mentionem) filius: Alexius quoque Protostrator, Theodoræ Calusinæ nepris, domini Imperatoris filius. Insuper Logotheres, qui Canacliui utebatur officio: & alij quidam magnates eximij circiter duodecim. Sed & eiusdē domini Imperatoris soror, domina Maria, factionis eiusdem conscia, cum marito Marchionis filio (cuius superius etiam fecimus mentionē) ad ecclesiam sanctæ Sophię nocte confugiens, impendulo sortis dubiæ, septis ecclesię conseruabatur: ubi cum marito contra Imperatorem fratrem, eadem ecclesia armis & militibus communita, cum fautoribus & eiusdem propositi complicibus, tentabat aliquid moliri, fauente sibi eiusdem ciuitatis Patriarcha. Sed tandem conualescentibus Imperatoris partibus, Latinorum maximè fretus auxilio, illa cōfractis uiribus, de uita desperans, supplex per intercessores ueniam postulat, & fratri, indulta gratia, reconciliata est.

Hierosolymitanus Patriarcha Antiochiam dirigitur, ut rei periclitanti tentet afferre remedium. Dominus Alexander Papa uita decedit. Caput VII.

EOdem tempore, occasione pellicis, quam abiecta uxore legitima, Boamundus princeps Antiochenus subduxerat, turbatus est Orientalium Latinorum status, & maximè Antiochenorum partium principatus. Nam commonitus semel & secundo idem princeps, ut à tam manifesto adulterij commisso recederet, & uxorem ad se reuocaret legitimam: more peccatoris, qui cum in profundum uenerit uitiorum, contemnere solet, obturatis auribus, uocem noluit sapienter incantantiū exaudire, obstinatè in peccato perseuerans, sentētiam excōmunicationis in solatium meritò suscepit. Qui tamen non multum differens, sed delictum ingeminans, tam dominum Patriarcham, quàm eiusdem regionis Episcopos, & alios ecclesiarum prælatos, hostiliter persequi cœpit, manus in eos inijciens uiolentas, & uenerabilium locorum tam ecclesiarum quàm monasteriorum septa uiolans, res sacras diripiens, & eius nefario spiritu, & ausu temerario perturbans possessiones, ipsum etiam dominum Patriarcham cum clero, qui ad eum confugerat, in quodam

quodam ecclesiæ municipio firmo, armis quoque & militiâ simul & uictua-
libus sufficienter communito, dicitur obsidere, & frequentibus more hostili
eos impugna e congressionibus. Vnde quidam de magnatibus regionis il-
lius, eius non ferentes insaniam, cognoscentes se plus debere Deo quàm ho-
minibus, ab eo corpore & mente recesserunt, eius maleficia detestantes: inter
quos uir nobilis & potens Raynaldus cognomēto Mansuetus, in prӕsidium
suum inexpugnabile & munitissimū (adiunctis sibi quibus cordi erat causa
honestior, et timor Dei ante oculos) se recepit, in eo prӕbēs præsulibus à pro
prijs eiectis sedibus, et alijs indifferenter ob eam causam profugis, refugium.
Ob quod factū tota regio in tantū descendit tamq; periculosum discrimen,
ut uiris prudentibus, & sensus habentibus exercitatos, procul omni dubio
uideat̃, ut nisi nobis maturè diuina subuenerit elementia, hostibus ad nostrā
ruinā, & Christiani nominis perennē iniuriam patêre debeat introitus, & in
eorū potestatē uniuersa redire prouincia: de quorū manibus opitulante Do-
mino, fideliū principū solicitudine, & Christianæ plebis multis laboribus et
sumptibus est erepta. Vnus em̄ ueritatis sermo, & omni acceptione dignus:
Quia omne regnum in seipso diuisum desolabitur, & domus supra domum
cadet. Dominus aūt Hierosolymorū rex unà cum D. Patriarcha, & alijs eccle
siarum prælatis, simul & laicis principibus, debitā gerentes solicitudinē, con-
uenientes apud se, & quid in tam periculoso rerū statu agendū sit, summa dil
gentia laborantes, licet prædicti imprudentis & dissoluti principis merita ui
deantur exigere, uim inferre dubitant, ne fortè hostiū uiribus, & rogatis au-
xilijs, uolēs resistere, Turcis exponat regionē, unde eos postmodū, etiam uo
lens & enitens plurimū, nō possit amouere. Item apud hominū insanū, & ad
mala præcipitē, maleficijs præoccupatū, & precibus & salutaribus monitis
locum nō esse intelligētes (nam hoc esset surdo asino narrare fabulā, et uerba
uentis dare) mittere uiros prudētes & exhortationis habentes gratiā nō prӕ
sumunt. sustinent ergo malum hoc, ne deterius incurrant: ab eo expectantes
subsidium, qui solet cōuertere in profundo maris positos, et dare niuem sicut
lanam, mittens cristallū sicut bucellam panis: ut illa diuina uisitatione cōmo-
nitus, & ad cor rediens, ad frugem uitæ melioris se erigat, & optimi modera
toris uirtute induat̃ ex alto. Tandem uidētes nostri malū illud ingrauescere,
& nullum in proximo sperātes remedium (iam enim nō solum persona prin
cipis anathematis uinculo tenebatur astricta, uerùm uniuersa regio, propter
rapinas, incendia, quæ in bonis uenerabiliū fiebant locorum, interdicto erat
supposita, ita ut præter baptisma paruulorum, nullum de sacramentis eccle-
siasticis populo ministraretur) cœperūt nostri timere amplius, uidentes rem
in eum casum descendisse, in quo nō sine uniuersorū periculo diu stare pos-
set. Qui ordināt itaque de cōmuni consilio, ut dominus patriarcha, dominus
quoq; Raynaldus de Castellione, qui aliquando princeps Antiochenus fue-
rat, huius domini Boamundi iunioris nutricius: magister quoque Militiæ
templi frater Arnaldus de Troge, Magister quoq; domus Hospitalis, fra-
ter Rogerus de Moris, ad partes illas properent, tentantes, si, præuia Dei gra
tia, aut ad tempus, aut in perpetuum, tantis malis aliquod possit inueniri &
aptari remediū. Timebamus enim, ne fortè à domino Papa & transmarinis

principibus, nobis ad negligentiam, uel potius ad malitiam imputaretur, si uicinis nostris tam misera sorte laborātibus, nullum daremus compassionis signum, nullum studeremus adhibere remedium. Dominus igitur Patriarcha assumptis ex ecclesiarum prælatis domino Monacho Cæsariensi electo, domino Abbate Betthleemitico episcopo, domino Raynaldo Abbate montis Syon, domino Petro ecclesiæ Dominici sepulchri Priore, prudentibus uiris & discretis subsequētibus, cum alijs eiusdem itineris consortibus, ad partes illas descendit, assumptoq́ sibi Comite Tripolitano, eidem principi familiari admodum & accepto, ut eorum uerbum facilius effectui posset mancipari, apud Laodiceam conueniunt: tandemq́ tam dominum Principem, quàm dominum Patriarchā seorsim conuenientes, diem utrisq́ constituunt apud Antiochiam, non prætentato hinc inde uerbo, pacem constituunt temporalem: ita uidelicet, ut refusis tam domino Patriarchæ quàm episcopis, & locis uenerabilibus quæcunq́ amiserant, cesset interdictum, & populis ecclesiasticorum sacramentorum restituantur munera. Ipse autem in propria persona, ab episcopis latam patienter ferat sententiam: aut si penitus quærat absolui, pellicem abijciat, uxore legitima reuocata. His peractis, putantes se regionis incendium aliquantulū mitigasse, ad propria reuersi sunt. Princeps uerò nihilominus in eisdem sordibus obstinatus, irreuocabiliter perseuerat. Adiecit prȩterea, & quod regioni periculosius est, eo solo quòd eius factum eis dicebatur displicere, fidelium suorum optimos, inclytos, & nobiles uiros extra ciuitatem, et omnem terram suam expellere: uidelicet Constabularium suum, Camerariū quoq́, & Guischardum de insula, Bertrandum quoq́ filium Comitis Gisleberti, & Garium Gamart: qui ad dominum Rupinum Armeniorum principem magnificum necessariò declinantes, honestissimè ab eo sunt suscepti, ut singulis statim daret munera ingentia, & uictum singulis sufficientem assignaret. Eodem anno, mense Augusto, uicesima septima die mensis, pontificatus eius uicesimo tertio, dominus Alexāder Papa uiam uniuersæ carnis ingressus est, & in ecclesia Lateranensi sepultus: cui substitutus est dominus Lucius Papa tertius, qui & Hugbaldus, Hostiensis episcopus, natione Tuscus, Patria Lucensis, uir grandæuus admodum, & modicè literatus. Eodem quoq́ tempore, uenerabilis in Christo frater noster, piæ in domino recordationis, dominus Raymundus ecclesiæ Berythensium episcopus, Idibus Septembris ex hac luce subtractus est, lucis perpetuę, præuia Domini misericordia, præmijs perēniter potiturus. Cui postmodum in eadem ecclesia substitutus est honestus & literatus magister Otto, ecclesiæ nostræ archidiaconus, cui nos in ieiunijs Decembris & sacerdotij gradum, & pontificalem, auctore Domino, contulimus dignitatem.

Noradini filius moritur, domino Mussulæ consanguineo suo hæreditate relicta. Caput VIII.

PEr idem tempus mortuus est Melechsala, Noradini filius, adolescēs adhuc, cui de omni hæreditate paterna, sola manserat Alapia, cum paucis admodum municipijs. Hic moriens, testamēto nouissimo dicitur Alapiam & omnem suam hæreditatem, ex asse, in quendam patrui sui filium Hezedin nomine, filium Thehebet, Mussulæ dominum contulisse. Quo defuncto, prin-

cto, principes eius nuncios ad prædictum dominum Mussulæ, illustrem & & magnificum Turcorum satrapam, dirigũt, monentes, ut nõ differat cum omni celeritate ad eos uenire. qui suscepta legatione festinus adueniens, auita bona & sibi iure hæreditario debita suscepit, timens ne Salahadinus, qui prædictum patruelem suum, ex parte plurima exhæredauerat, ab Aegypto rediens, hanc etiam urbẽ inuitis ciuibus uiolenter occuparet: præsertim cum quidam de maioribus, occultum ei præstarent fauorem. Salahadinus uerò composita usq; ad completum biennium nobiscum pace temporali, in Aegyptum descenderat, ut sua ibidem studiosius procuraret negotia. Anxius enim plurimum sollicitabaẽ, eo quòd audierat classem Regis Siculi, cum ingenti apparatu et infinitis copijs in mare descẽdisse, et ad partes Aegyptiacas properandi habere propositum. superfluã autem super eo articulo conceperat formidinem. nam prædicta classis in Orientem iter arripuit, ad Baleares insulas Hispaniæ conterminas citeriori: quarum altera uulgari appellatione Maiorica, altera Minorica dicit, contendens: ubi infausta nauigatione, & sinistris acta flatibus, tota penè deperijt, circa Sacuam Albenguenam: & uiginti hominum millia ad urbes maritimas, freto intumescente, littoribus allisa. Interea dum regnum pace, ut prædiximus, gauderet temporali, natio quædam Syriorum, in Phœnice prouincia circa iuga Libani, iuxta urbem Biblensium habitãs, plurimam circa sui statum passa est mutationem. Nam cum per annos penè quingentos cuiusdam Maronis heræsiarchæ errorem fuissent secuti, ita ut ab eo dicerentur Maronitæ, & ab ecclesia fidelium sequestrati, seorsum sacramenta conficerent sua, diuina inspiratione ad cor redeuntes, languore deposito, ad Patriarchã Antiochenum Haimericum, qui tertius Latinorum nunc eidem præest ecclesiæ, accesserunt: & abiurato errore, quo diu periculosæ nimis detenti fuerant, ad unitatem ecclesiæ Catholicæ reuersi sunt, fidem Orthodoxam suscipientes, parati Romanæ ecclesiæ traditiones, cum omni ueneratione amplecti et obseruare. Erat autem huius populi turba non modica, sed quadraginta milliũ dicebatur excedere quantitatem, qui per Bibliensem Botriensem & Tripolitanum episcopatus, iuga Libani & montis deuexa, ut prædiximus, inhabitabant: erantq; uiri fortes, & in armis strennui, nostris, in maioribus negotijs, quę cum hostibus habebant frequentissima, ualde utiles. Vnde & de eorum conuersione ad fidei synceritatem maxima nostris accessit lætitia. Maronis autem error, & sequacium eius, est & fuit, sicut ex sexta Synodo legitur, quę contra eos lata esse dinoscitur, & in qua damnationis sententiam pertulerunt: quod in domino nostro Iesu Christo una tantam sit, & fuerit ab initio, & uoluntas & operatio. Cui articulo ab Orthodoxorum ecclesia reprobato, multa alia perniciosa nimis, postquam à cœtu fidelium segregati sunt, adiecerunt. super quibus omnibus ducti pœnitudine, ut prædiximus, ad ecclesiam redierunt Catholicam, unà cum Patriarcha suo & episcopis nõnullis, qui eos sicut prius in impietate præcesserant, ita ad ueritatem redeuntibus, pium ducatum præstiterunt.

Inter regem & Tripolitanum Comitem simultas oritur periculosa, & usq; ad odium manifestam procedit. Caput IX.

PORrò dum regnū ita, ut prædiximus, pace ad tempus inter dominū Regem & Salahadinum inita, quadam tranquillitate frueretur, non defuerunt filij Belial & impietatis alumni, qui spiritum habentes inquietū, turbas in regno mouerent, & mala intestina molirentur. Cum enim Comes Tripolitanus, quasi per continuum biennium circa partes Tripolitanas multiplicitate negotiorum impeditus, moram agens, in regnum non potuisset ascendere, accidit, quod inuitante sollicitudine, quam pro urbe gerebat Tyberiadensi, quæ uxoris erat hæreditas, in regnum ire disposuit: cumq; omnem ad iter prosequendum fecisset apparatum, & iam usq; Biblium peruenisset, prædicti uiri nequam, regem nimis simplicem, maligna suggestione conuenerunt, persuadentes, prędictum Comitem sinistra intentione uelle regnum introire, ut de eius supplantatione tractaret occultè: unde factum est, quòd eorum uerbis seductorijs, Rex aurem nimis credulam prębens, missa legatione, regni aditum ei incōsultè nimis interdixit. Quo facto, Comes, cui pręter meritum tanta irrogata erat iniuria, confusus, & iusta succensus indignatione, desistens à proposito, licet inuitus, sumptibus innumeris factis, inutiliter Tripolim reuersus est. Erat autem prędictorum ea intentio seductorum, ut absente Comite, qui uir industrius erat, & ad omnia circumspectus, ipsi negotia Regia pro libero tractarent arbitrio, & regis infirmitatem ad suum traherent compendium. Inter quos Regis mater, mulier planè Deo odibilis, & in extorquendo importuna: & eiusdem frater, Regius Senescallus, cum paucis eorum sequacibus, uiris impijs, Regē ad hoc proteruius impellebāt. Quod factum postquam regni principibus innotuit, eorum qui sensus magis habebant exercitatos, maximè corda molestauit. timebant enim, ne tanti principis patrocinio regnum destitutum, in præceps rueret, & iuxta Domini uerbum, in seipsum diuisum desolaret: maximeq; cum Rex inualescēte singulis diebus ægritudine, reddebat impotentior, & ad procuranda regni negotia minus minusq; fieret idoneus: imò uix in seipso potens subsistere, totus dissolueret. Videntes ergo regni maiores periculū, quod ex prędicto facto certum erat imminere, ad reuocandū Comitem, & eius mitigandam indignationem, omnimodam impendunt operam. & tandem post multos circuitus & diuersa consilia, Rege inuito, sed tamen permittente, prædictū illustrem uirum, iniurias sibi illatas prudenter dissimulantem, in regnum introduxerunt, pace inter eum & D. Regem plenius restituta.

Constantinopoli tumultus oritur, & præualente uiro nequam Andronico, Latinorum populus exturbatur. Caput X.

DVm hæc ita in nostro sic geruntur Oriente, apud Constantinopolim grandis circa Imperium facta est permutatio, & casus accidit uniuersæ Latinitati lugubris, & irrogans cum enormi damno contumeliam. Dolor enim, quem pridem perfida & fallax Græcia cōceperat, edidit & peperit iniquitatem. Defuncto enim domino Manuele, inclytæ recordationis Imperatore, successit ei, tum ex testamento patris, tum ex iure hæreditario, impubes filius, Alexius nomine, uix annorum tredecim. Quo sub matris tutela constituto,

ſtituto, dum per Alexium Protoſebaſto domini Imperatoris ſenioris nepotem ex fratre, ſe priore natu, imperialia procurarentur negotia, uiſum eſt tam maioribus quàm populo, ciuitatis illius, opportunitatem inueniſſe, ut quod aduerſus noſtros conceperant, poſſint effectui mancipari. Regnante enim Deo amabili dicto Imperatore, merito fidei & ſtrennuitatis ſuæ, tantam Latinus populus apud eum repererat gratiam, ut neglectis Græculis ſuis, tanquam uiris mollibus & effœminatis, ipſe tanquam uir magnanimus & ſtrennuitate incomparabilis, ſolis Latinis grandia committeret negotia, de eorum fide meritò præſumens, & uiribus. Et quoniam apud eum optimè habebantur, & erga eos profuſa liberalitate abundabat, ex omni orbe, quaſi ad benefactorem præcipuum, tam nobiles quàm ignobiles cōcurrebant certatim. Quorum exigentibus obſequijs, magis & magis in noſtrorum attendebatur amorē, & eos amplius in ſtatum promouebat meliorē. Vnde Græcorum nobiles, & maximè eius cōſanguinei, & reliquus populus odium inſatiabile aduerſus noſtros conceperant. Accedente etiam ad indignationis cumulum, & incendiorum fomitem & incentiuum miniſtrante ſacramentorum inter eos & nos differentia. Arrogātes enim ſupra modum, & à Romana eccleſia per inſolentiam ſeparati, hæreticum omnem eum reputāt, qui eorum friuolas non ſequitur traditiones: cum ipſi magis hæreticorum nomen adaptent, cum contra Romanam eccleſiam, & Apoſtolorum Petri & Pauli fidem, aduerſus quā portę inferi non poſſunt pręualere, nouas & peſtilentes opiniones gignunt, aut ſequunē. Denique ijs & huiuſmodi à multo retro tempore, ſimultatē hanc apud ſe cōceperant, opportunitatē quærentes, ut ſaltem poſt Imperatoris obitū inuiſum Latinorū populū, tam in urbe, quàm in Imperij finibus cōmorantem, delerent penitus, odium inexorabile ſanantes.

Cauſſæ tumultus & defenſionis aſſignantur. Caput XI.

PRædicto igitur rebus humanis exempto, dum, ut prædiximus, Alexius Protoſebaſto Imperiū procuraret, uiſum eſt non ſatis cōmodam adhuc ad complendā malitiam ſuam reperiſſe opportunitatē. nam et ipſe Imperatoris exemplo noſtrorū cōſilio utebaē & auxilio, eosque quantū poterat, ſibi reddebat familiariores: imò tamen tam à noſtris quàm omnibus, generaliter ſe penitus exhibebat odioſum. Quod licet Gręcorū more mollis eſſet ſupra modū, & carnis curā toto ſtudio immundis perficere ſatageret deſiderijs, auarus tamē erat, & theſauris parcebat Imperialibus, tanquam ſi eos proprio cōportaſſet ſudore. Dicebaē etiā cum imperatrice, uiuēte adhuc marito, ſed in extremis laborāte, cum uitā ſanctimonialem eſſet profeſſa, ſtupri habere conſuetudinē. Arrogans præterea, & neminē præ ſe ducens hominē, alijs incōſultis principibus, cuncta pro ſuo diſponebat arbitrio, ita ut de cæteris æquè nobilib. & uiris magnificis, nihil uidereē curare. Vnde factū eſt, quod per ſtudiū & operā principū palatij, qui ei plurimū ob ea quę pręmiſimus inuidebāt, euocatus eſt ex Ponto, cui præerat Andronicus ſenior, D. Imperatoris prædefuncti patruelis, ut ad cōplendam eorū malitiā cooperator accederet, et Alexiū Protoſebaſto depelleret ab adminiſtratione quam geſtabat. Erat aūt prædictus Andronicus, D. Imperatoris defuncti patruelis, uir perfidus et nequam, cōſpirationū ſeminator, & erga Imperiū ſemper infidelis: unde ob multiplicia

eius scelera, tempore D. Imperatoris uincula passus fuerat, & carceres, & exigentibus meritis ignominiosè tractatus, uagus & profugus super terram, orientem circuerat uniuersum, in ipsoq; suo exilio multa turpia commiserat, & animaduersione digna: nouissimè tamen uix tribus ante Imperatoris obitum mensibus, recõciliatus in gratiã redierat. Et ne more solito circa urbem turbas posset excitare, & cõspirationes moliri, ut regioni præesset, missus est in Pontum sub honoris prætextu præsidialis. Hũc igitur Imperatoris, & ipsius etiam Protosebasto cõsanguinei, & ij maximè in quibus maiorem uidebatur habere fiduciam, clandestinis euocauerũt legationibus, monentes, ut aduersus eum armaretur, qui eius filios & alios illustres quosdã ignominiosè in uincula coniecerat. Porrò hic, ut prædiximus, illustres quosdam in conspiratione deprehẽsos, carceri mancipauerat. Vocatus ergo prędictus Andronicus, innumeras Barbarorũ nationũ secum trahẽs copias, ad urbẽ accessit, et secus Hellespontum è cõspectu ciuitatis castrametatus, uniuersam occupauit Bithyniã. cõtra quẽ missi quidã potentes, ut eius resisterẽt moliminibus, proditorum more, ad eum se cõtulerunt: inter quos primi erant & præcipui Andronicus Angeli, princeps militię quæ contra eum directa fuerat, & Alexius Megalducas qui classi erat pręfectus, uterq; Imperatoris cõsanguineus: nec solum ij qui ita manifestè ad eum transfugerunt, partem nostrã reddiderant debiliorẽ, uerùm omnes alij tam illustres, q̃ ciuiũ multitudo, iam nõ occultè, sed in propatulo suũ Andronico præstabãt fauorẽ, & eius in urbẽ desiderabãt aduentũ, modis quibus poterãt, ut maturè transfretaret procurãtes.

Vrbem & palatia interfectis nobilibus Andronicus occupat, & uiolenta dominatione populum opprimit. Caput XII.

FActum est itaq; quod inualescente eorũ conspiratione, captus est Protosebasto, & priuatus oculis, & argumentis uirilibus decurtatus: unde nostri plurimũ mente cõsternati, timentes ne ciuiũ super eos repẽtina fieret irruptio, præmoniti à quibusdã qui cõiurationis habebant conscientiã, qui ualidiores erãt, alij in galeis quadraginta quatuor, quas in portu repererãt, Græcorum effugerunt molimina: alij in nauibus, quarũ in portu maxima erat copia, omnẽ domum imponẽtes, euaserunt discrimen. Qui aũt segniores erãt, uel infirmi reperti sunt, & ad fugã minus idonei, ij in domibus suis relicti, impietatis quam alij effugerant rabiẽ perpessi sunt. Nã parato clàm nauigio sępedictus Andronicus, uniuersas quas secum trahebat in urbẽ introduxit copias: quæ uix ingressæ, unà cum ciuibus in eam urbis partẽ, quam nostri incolebant irruentes, residuum populi, qui alijs abeuntibus aut noluerant, aut non poterant exire, desęuientibus gladijs peremerũt: & licet pauci essent qui ad arma possent sufficere, restiterunt tamen diù, & cruentã de se hostibus reliquerunt uictoriã. Immemores igitur fœderis, & obsequiorum quæ plurima Imperio nostri contulerant: perẽptis ijs qui resistere posse uidebant, ignẽ eorum domicilijs subijciunt, & uniuersam eorum regionem subitò conuertunt in fauillam. Mulieribus & paruulis, senibus & ualetudinarijs incendio consumptis. Nec sufficiebat eorum impietati, in loca desęuire prophana, uerũ ecclesias & loca, quælibet uenerabilia succendẽtes, qui ad ea salutis caussa confugerãt, cum ipsis pariter sacris ædibus cõcremabant. Nec erat differẽtia plebeio-

plebciorũ & cleri, nisi quod atrocius in eos desęuiebant, qui religionis & honestatis habitũ prętendebãt. Monachis enim & sacerdotibus primas irrogabant iniurias, & exquisitis perimebant cruciatibus. Inter quos uirum uenerabilem Ioannẽ nomine, sanctæ Romanę ecclesiæ subdiaconũ, quem pro negotijs ecclesiæ, D. Papa illuc direxerat, cõprehendentes, in cõtumeliam ecclesiæ decollauerunt, caput eius ad caudã canis immundæ religantes. Sed nec mortuis, quibus omnis parcere consueuit impietas, ut inter tam detestabiles & peiores parricidis sacrilegas, tuta erat quies, quos de monumentis extractos per uicos & plateas, quasi illatas sentirent iniurias, distrahebant. Accedentes præterea ad Xenodochium, quod dicebatur sancti Ioannis, quotquot in eo repererunt languidos, gladio peremerunt. Qui autem ex officio pietatis oppressorum meritò tenebantur afflictiones releuare, eorum sacerdotes uidelicet & monachi, dato precio, grassatores & siccarios, ad stragem inuitabant, disquirentes secessus & domorum penetralia, ne qui in eis delitescerent, ut mortis discrimen declinare possent, inuentosq́ & uiolenter extractos tradebant carnificibus: quibus etiam, ne gratis operam impenderẽt, precium sanguinis pro miserorum interfectione porrigebant. Qui autem clemẽtius cum eis uidebantur operari, hi eos qui ad se confugerant, & quibus spem dederant salutis, Turcis, & alijs infidelibus populis, in perpetuam uendebant seruitutem: ex quibus promiscui sexus ætatis, & cõditionis plus quàm quatuor millia barbaris nationibus, precio interueniente, distracta esse dicuntur. Sic ergo impius Græcorum populus, & genimina uiperarum, more serpentis in gremio, & muris in pera, nihil tale meritos, nihilq́ tale uerẽtes, male remunerauerunt hospites suos: quibus tamen filias suas, neptes quoq; & sorores, uxoresq́ dederant, & ex diutino coniunctu sibi reddiderant familiores.

Populus Latinorum, qui in galeas se receperat, insulas & loca maritima hostiliter depopulatur. Caput XIII.

VErùm non omnino tantum, & à seculis inauditũ facinus impunè comisisse dicunt. Nam qui, ut præmisimus, in galeis exierant, & qui postmodum eos alijs nauibus sunt secuti, habentes secum multitudinem maximã, & classem non modicã, circa urbẽ, satis in uicino se collegerant, rei expectantes exitum. Qui postq́ plenius cognouerũt, quod hi qui in ciuitate tumultũ excitauerant, eorũ succenderant regiones, uxores quoq; et liberos & omnẽ familiã partim gladio, partim cõsumpserant incẽdio, iusta indignatione cõmoti, exarserunt in iram. Et cupiẽtes uehementi feruore, ultũ iri suorũ sanguinem, circumierunt utrunq; Hellespontũ, littus ab ostio maris Pontici, quod ab urbe Constantinopolitana distat triginta milliaribus, usq; ad ostium maris mediterranei, quod ab eodem distat miliaribus ducentis, urbes & quælibet municipia, in utroq; sita littore cõprehendentes uiolenter, & eorum habitatores ferro perimentes uniuersos: sed & monasteria, quæ tam in utroq; eiusdẽ maris littore, quàm in insulis modicis, quæ per illud mare dispersæ sunt, sita erant, peruadentes, pseudomonachos & sacrilegos eorũ sacerdotes, in ultionem fratrum sanguinis gladio peremerunt, ipsa monasteria cum ijs qui ad ea confugerant, succendentes. Ex quibus locis, infinitas auri, argẽti, gemmarũ et holosericorum dicunt extraxisse copias. Vnde damnũ rerum amissarum, & di-

& dispendia bonorũ suorũ in duplici fœnore sibi poterant recõpensare. Nã præter Monasteriorũ diuitias innumeras, & thesauros infinitos, quæ à multis retro cõgesserant tẽporibus, ciues Cõstantinopolitani, ingentia ibidẽ deposuerant auri & cæterarũ gazarũ pondera: quę omnia secũ deferẽtes, et maris illius deferentes angustias, inter Seston & Abydon, urbes antiquissimas & maritimas, mare ingressi sunt mediterraneũ, littora Thessalię, et mari adiacentium prouinciarum urbes, et oppida perlustrantes diligentius, & cuncta incendio & rapinę tradẽtes, stragem innumeram operati sunt. Sed & galeas alias à prioribus circa Chrysopolim, urbem Macedoniæ, dicuntur reperisse decem, aliasq́ in locis aliis quamplures. Vnde sibi classem maximam & Grecis omnino formidabilem, in eorum perniciem dicuntur ordinasse. Alii uerò, qui stragem & rapinam abominabantur operari, cum uxoribus & liberis, & residuo substantiali suo, nauem ingressi, quorũ illis multus occurrebat numerus, à prædicto declinantes exercitu, ad nos in Syriam descenderunt. Andronicus interea urbem pro uotis obtinens, & nullum habens contradictorem, Imperatorem cum futura uxore, regis Francorum filia, in die festo Pentecostes solenniter fecit coronari, omnem ei exhibens reuerentiam. Sororem quoq; & sororis maritum, simul & matrẽ Imperatoris intra septa palatii adhuc tractans humanius: ipse tamen tam in urbe, quàm extra, quęlibet Imperii negotia, pro suo libero disponens arbitrio. timetur tamen, ne hanc fraude palliata, personis exhibeat humanitatem, quousq; Imperio paulatim occupato, et subiectis omnibus, liberius ostendat, qualem circa eos gerat uoluntatem. Factum est autẽ hoc, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo nono, mense Aprili.

Salahadinus fœdus quod cum rege inierat, rescindit. Rex illi ultra Iordanem occurrit. Turci uicum Buriam effringunt, habitatoribus eius in captiuitatem redactis. Caput XIIII.

INterea dum hæc in Græcia sic gerunt̃, nauis quædã mille quingentos peregrinos deferens, apud Damiatam, in finibus Aegypti flatibus acta sinistris confracta est: passis tamen naufragium, spes erat salutis, eo quod Salahadinus nobiscum, tam per terras quàm per mare treugam diceretur habere, & pacem temporalem. Sed longe aliter accidit eis, quàm uel pacis tenor, uel pactorũ series exigeret. Salahadinus enim prædæ uictus cupidine, & tantam Christianorũ turbam occasione nolens de regno suo exire liberam, omnes coniecit in uincula, & eorum sibi bona confiscari præcipit. missaq́ legatione ad dominum Regem, contra formam pactorum, & quæ penè impossibilitatem continebat, ab eo cœpit reposcere: adiiciens, Quod nisi pro omnibus illis, & pro uoto satisfieret, ipse nauim prædictam sibi uellet in compensationem detinere, & præterea renunciare paci, de qua inter eos conuenerat. Quod cum nõ obtinuisset eius nuncius, quoniam caluas occasiones magis innectabat, ut nauem sub aliquo quæsito colore detinere posset, quàm iustas caussas allegaret, soluto fœdere, cogitare cœpit, quomodo suo more, uetus exercens odium, regnum posset aggrauare. Conuocatis igitur expeditionibus, & uniuersis tam peditum quàm equitum copiis, simul & eorum multitudine, qui à Damasco & adiacẽtibus ei finibus annis præteritis, famis acerbitatem declinantes in Aegyptũ descenderãt, proposuit redire Damascum,

ut inde

ut inde quasi de uicino nos amplius molestaret. Adiecit etiam, ut in ueniẽdo regionem nostram, quæ est trans Iordanem, pro posse damnificaret, aut fruges succendendo, quæ iam albæ erant ad messem, aut plures de præsidijs nostris quæ in ea erant prouincia uiolenter expugnando. Id autem eo maximè dicebatur proposuisse intuitu, ut sibi satisfaceret, de principe Raynaldo, qui ei præerat regioni, eo quòd Arabes quosdã intra tempus fœderis cõtra legẽ pactorum cœpisse diceret, & repetitos reddere negauit. Cognito ergo per exploratores eius aduentu & proposito, Rex habita Hierosolymis curia generali, & super petitionibus Salahadini diligenti tractatu, de quorundã consilio, cum totis regni uiribus, in prædictam regionem, uallẽ pertransiens syluestrem, in qua est mare mortuum, peruenit, ut uenienti Salahadino occurreret, et se opponeret prouinciam uastare uolẽti. Porrò Salahadinus transcursa cum suis expeditionibus solitudine, quod iter cum multa difficultate uix diebus uiginti confecerat, iamq́ terram habitabilẽ in finibus nostris, iuxta præsidium nostrum, quod dicitur Mons Regalis, quasi ad decem miliaria castra metatus: expectãs ut de statu regionis, & ubi nam esset Rex cum suis expeditionibus, certificaretur. Rex uerò iuxta urbem ueterẽ, cui nomẽ Petra Deserti, in secũda Arabia sitam, castra locauerat, ab exercitu Salahadini triginta sex distans miliaribus, eratq́ ibi cũ eo uniuersum regni robur: sed & Comes Tripolitanus ibi inuitus detinebat. contra cuius consiliũ Rex illuc profectus erat, & reliquas regni partes inobseruatas, & absq; militia deliquerat: fauore enim prędicti Raynaldi principis, magis quàm consideratione maioris compendij, quidam ad hoc regem impulerant, nõ multum attendentes, quid interim regno uiribus destituto posset accidere. quod quàm impruděter factũ fuerit, rei exitus subsequens statim declarabit. Nam qui circa Damascũ, Bostrum, Bohabel & Emissam erant principes, uidentes regni robur abesse, & militia destitutam regionẽ uniuersam, cõuocatis clàm & sine tumultu copijs, Iordanem secus mare Galileæ, quod est Tyberiadis, transeũtes, fines nostros latenter ingressi sunt: & percurrentes ex parte Galileam, peruenerunt ad locũ qui est sub monte Thabor, cui nomẽ Buria, iuxta Naim urbẽ antiquissimã. Homines autem illarum partium de treuga præsumentes, quam nondũ nouerant defecisse, securi, minus minusq́ sibi prouidebãt. unde factũ est, quod clàm & de nocte super eos irruentes, locum ex omni parte uallauerunt, ita ut neq; ad montem, qui loco imminebat, fuga nõ pateret obsessis. Luce igitẽ reddita, uidentes loci habitatores infinitam circa se hostium multitudinẽ, in turrim quæ suburbio præerat, certatim se cõtulerunt: quem undiq; circumdantes, & cum summa instantia suffodientes, intra quatuor horarum spaciũ suffossam solo deiecerunt in ruinam. Tamen cum iam ruinã duceret, & casum minaretur, eos qui in eam confugerant, in deditionẽ susceperunt. Colligẽtes igitur pro libero, & sine contradictore, arbitrio, tum illius tum adiacentium locorum prædam uniuersam, exceptis his qui in conflictu ceciderunt, penè quingentas animas secum detulerunt in uinculis. Nam quia locus erat frugifer, & messis tempus aderat, multi ex locis finitimis metẽdi gratia illuc se contulerant, quos omnes (ut prædiximus) secum sine contradictore ducẽtes, iterum Iordane transito, sani & incolumes reuersi sunt ad propria.

Idem castrum in nostra regione Sueide, speluncam uidelicet munitissimã occupat uiolenter. Caput XV.

ACcidit præterea per eosdem dies, dum adhuc Rex & exercitus in Syria Sobal detineretur Christianus, casus periculosus admodum, & nostris perpetuò lugendus. Erat enim nobis in regione Suitæ trans Iordanem à Tyberiade sedecim miliaribus distans, præsidium munitissimũ, & (ut dicitẽ) inexpugnabile, ex quo nostris multa dicebatur prouenire utilitas. nam cum prædicta regio hostium magis esset cõtermina finibus, quàm nostris, & ipsi eam facilius pro suo possent tractare arbitrio, & eius habitatorib. cõfidentius imperare, huius tamen præsidij beneficio multis annis obtentum fuerat, et obtinebatur nihilo minus in præsenti, quod nostris & illis ex æquo diuidebatẽ potestas, & uectigalium par fieret distributio. Erat autem spelunca in latere cuiusdã montis sita, cui subiectum erat immane præcipicium. A parte uerò superiori nullus omnino accessus: ex altero uerò latere, tantũ arcta nimis semita, & per quam homini libero, & ab omni onere expedito, uix absque periculo iter præberetur. Erat autem cõmissum fidei & diligentiæ nobilis uiri & ditissimi Fulconis Tyberiadensis. Ad hunc locum accedentes prædicti hostium principes, qui Buriam (ut præmisimus) effregerant, & nostrum captauerant populum, repentè ante præsidium astiterunt, & intra quinque dies obtinuerãt expugnatum. Super quo facto, nõ eadem omnium erat opinio: quibusdam asserentibus, quod qui erant in præsidio, pecunia redemptũ locum hostibus tradiderãt. alijs uerò, quod ex latere speluncã effregerãt, quia lapis cretaceus erat, & facilè soluebatẽ, & uiolenter ingressi stationem primam quæ inferior erat, occupauerant. unde postmodum eos qui erant in medio & in supremo cœnaculo (nam ibi tres dicebantur esse mansiones) ad deditionem compulerunt. Compertum est autẽ postmodum, quod culpa magistratuũ, qui cæteris præerant, municipiũ ad hostes peruenerit: nam alijs resistere uolentibus, ipsi autoritate qua præeminebant, cohibebant defensionem, & postmodum resignando municipio ad hostes se cõtulerunt. Dicebantur autẽ esse qui loco præerant, Syri, qui apud eos effœminati & molles habentẽ. Vnde maior culpa in prædictũ Fulconẽ refunditur, qui tales loco præfecerat tam necessario. Erat sermò iste longè lateque diffusus per regnum, peruenitque usque ad nostros qui erant trans Iordanẽ, præpedire uolentes transitum Salahadini, ex Aegypto ascendentis in Syriam, & properantis Damascũ: quo comperto, consternati sunt animo uniuersi, & maximè Tripolitanus comes, ad cuius curam prædictum municipium respiciebat. Vnde factum est, ut qui regnum negligenter reliquerunt, ibi negligentius se habentes, nihil Deo placitũ, nihil regno utile operari possent. nã cum usque ad fines regionis nostræ aduenienti Salahadino debuissent occurrere, & regni præpedire introitũ, imprudenter nimis usque ad locum cui nomen Gethe, hostem permiserunt accedere, ubi aquarũ, quibus maximè sitiens indigebat exercitus, omnem reperit abundantiam: & inde missa expeditionum parte circa præsidium nostrum, cui nomen Mons Regalis, uineta succiderunt, & alia quædam oppidanis intulerũt damna. Quod si ad eum locum nostri peruenissent, eum proculdubiò oportuisset in Aegyptum redire: trahebat enim secum infinitam imbellis populi multitudinem, quibus & aqua iam defecerat in utribus, & panis in cistarijs, quos omnes in

solitudine oportuisset inedia deperire. nam procedere nō poterat, & cum nostris erat periculosum cōmittere. Audiētes ergo, quòd ad prædictū iam peruenisset locum, iterum decreuerūt nostri ad aquas Rasel Rasir, illi occurrere: quod si factum fuisset, per ulteriorem solitudinē oportuisset eum iter cœptū agere: quod nō nisi cum multa tam hominū quàm iumentorū potuisset consummasse iactura. Quod propositum cum nō fuisset effectui mancipatū, accessit ad prædictas sine difficultate aquas: & inde sine cōtradictore fines suos cum omni incolumitate ingressus, Damascū peruenit. Quod nostri cognoscentes, iterum eadē uia qua prius transierant, reuersi sunt ad propria: timentes uerò, ne à Damasco, in quam se cum omni suo comitatu receperat, regno aliquid insidiarum & damni moliret, congregatus est uniuersus regni populus ad fontē Sephoritanū, inter Sephorim & Nazareth: ubi habentes secum Dominicæ crucis lignū, pręsente rege, & Patriarcha, & alijs tam ecclesiasticis quàm secularib. regni principibus, de die in diē expectabāt hostiū incursus.

Salahadinus fines nostros uiolenter ingreditur, apud castrum Forbelet pugna committitur, ancipiti uictoria. Caput XVI.

SAlahadinus interea cōgregata ex uniuersis finibus suis, super ea, quam ex Aegypto proficiscens secū transtulerat, militia, propositū habens, ut fines nostros ingrederet, ad eum locum accessit, qui dicit lingua eorum Rasiline, quod interpretatur Caput aquæ. Is autē locus à nostris finibus ab urbe Tyberiadense modicū distare dicitur. Vbi cum per dies aliquot morā fecisset, subitò fines nostros ingressus est, inter duo flumina, in loco qui dicit Canan, qui à Tyberiade uix quatuor distat miliaribus, castrametatus. Quod ubi nostris per exploratores cognitum est, ad urbē pręd ictā sub omni celeritate exercitū dirigunt, ut militares copias, quę ad eius loci & finitimorū municipiorum tuitionem, Saphet uidelicet & Beluoir, deputatæ erāt, secū assumerent, hostē protinus insecuturi. Porrò Comes Tripolitanus, uir prudens & in armis strennuus, & in re militari plurimā habens experientiā, duplici tertiana ibi laborabat periculosissimè: unde nostris, qui de eius cōsilio et prudētia plurimū præsumebant, multa accreuit mœstitia, eo quòd tanti principis solatio, in tanto necessitatis articulo, fraudarent. Conuocatis tamen ex locis finitimis auxiliaribus copijs, erectis uexillis hostē insecuti sunt. Salahadinus uerò nostrorum audiens aduētum, transito Iordane, cum suis expeditionibus in partes Scytopolitanas se contulit. Est autē Scytopolis tertiæ Palestinæ metropolis, inter montes Gelboe & Iordanem, in campestribus & agro sita irriguo, quæ alio nomine dicta est Bersan, cuius prærogatiua Nazarena hodie, quæ in eadē diœcesi sita est, gaudet ecclesia. Nā urbs præscripta, raro hodie incolitur habitatore, ad instar modici redacta oppidi. Ad quē locum peruenientes hostium cunei, præsidiū modicum quod ibi est in paludibus situm, cœperūt fortiter impugnare. sed resistentibus uiriliter oppidanis, uidentes quod non proficerēt, uersus castrū nouum, cui nomen est hodie Beluoir, inter prædictā urbē & Tyberiadē in montibus situm, ut nostris occurrerēt, acies direxerūt. Nostri uero Iordanis fluenta secuti, ubi ad prędictū peruenerūt locum, descendentes uallē, ascenderūt in montes: multa tamē immensi caloris, qui supra modum proficiscētibus incubuerat, incōmoditate fatigati, ubi noctē illā uicinis

hostibus suspectam continuatis excubijs transegerũt, mane facto, descenden tes in planiciem, quæ inter prædictum oppidum & uicum, cui nomen Frobolet, hostes uiderunt circumpositos, in tanta multitudine, quanta uidere nõ cõsueuerant. Dicebãt enim à seniorib. regni principibus, quod à primo Latinorum in Syriã introitu, nunquã tantas uidissent hostium copias. Eratque numerus expeditorum ad pugnam, quasi ad uiginti milia: nostri aũt equites uix reputabant septingenti. Erat autẽ Salahadino & principib. eius una & communis intentio, nostros ex omni parte uallare, ut nec unus euadere posset: nã de iam dicta multitudine præsumentes, nostram contemnentes paucitatem, quod eis nostri possent resistere, nullatenus arbitrabantur. Verùm ei, cui nõ est difficile in paucis maiorẽ superare multitudinẽ, aliter uisum est. Nam præuia misericordis Dei clementia, licet eorum respectu nostri nulli uidebantur, tamen ordinatis iuxta militarem disciplinã agminibus, & in hostium cuneos solita irruentes animositate, & hostium impetus multa sustinentes constãtia, in eo conflictu superiores inuẽti sunt: licet multi de nostris, quos nominatim tangere supersedemus, ignominiosissimè, & cum perpetuo opprobrio bellicis sudoribus se subtraxerint. Optimè se habuerũt illa die, strenuè & uiriliter decertantes, Balduinus Ramatensis, & Balianus frater eius. Sed & Hugo iunior, D. Comitis Tripolitani priuignus, cum acie Tyberiadensiũ, memoriã ea die meruit & benedictionẽ celebrandã. qui licet esset adolescentior, tamen supra illius ætatis uires, cum acie supradicta, cui præerat, tres hostium cuneos uiolenter effregit, & conuertit in fugam, ad suos per Dei gratiam rediens illæsus. Ceciderunt in eo conflictu de nostris, ex equestri ordine pauci, sed sanctorum adepti consortium: de popularibus uerò plures. hostium autem maior facta est strages. sed & de principibus eorum ceciderunt aliquot, quorum cæde consternata pars aduersa, campũ deseruit certaminis. Sed ne illud prætereundũ est cum silentio, quod tanta per eos dies præter solitum fuit caloris inclementia, quod ex utroque exercitu non pauciores caumatis ceciderunt importunitate, quàm gladio. De numero aũt interemptorum hostium nihil certum colligere potuimus. nam ut suorũ casum nostris occultarent, eos qui in acie ceciderant, secum deportabant: quos sequenti nocte in castris occultè sepelierũt, ne eorum manifestatus interitus, nostros redderet fortiores. Dicimus aũt, utroque supradicto casu, de eis quasi ad mille cecidisse. Quo facto, uidens Salahadinus, quod præter spem ei acciderat, & quod duriores, quàm esset arbitratus, inuenerat aduersarios, cõfusus, transito iterum Iordane, reuersus est ad propria: et in eodẽ loco, unde egressus fuerat, denuò castrametatus est. Nostri uerò reuocatis agminibus, ad fontẽ Sephoritanũ, unde prius egressi fuerant, reuersi sunt. Quo itinere, quidam Dominici sepulchri Canonicus, Balduinus nomine, ecclesiæ thesaurarius, & uiuificæ crucis baiulus, caloris immensitatem nõ ferens, delatus in lectica, sub monte Thabor, iuxta torrentem Cyson, expirauit. Sed & alter quidam eiusdem ecclesiæ frater & Canonicus, Ganfredus uidelicet de Nouo uico, qui prædicto Balduino in eo itinere deputatus erat ad solatium, dum alienis capitur studijs, in prædicto conflictu sagitta cõfossus interijt. Dignum est enim, ut qui gladium accipit, iuxta uerbum Domini, gladio debeat perire.

Salahadinus classe uocata ex Aegypto, urbem obsidet Berythensium. Caput XVII.

DOmino igitur Rege cum suis expeditionib. ad locū supradictū reuerso, Salahadinus ægre ferens nimiū, quod ita eius & suorū euacuatus esset conatus, iterū conuocat copias, iterum omnia percurrit argumentorum genera, anxiè cum suis deliberās, quomodo iterū nostris recidiua posset inferre grauamina. Vidēs aūt quod nulla uia cōmodius nostros posset opprimere, quàm si ex pluribus partibus nostros attentaret molestare, fratri quem suorū procuratorē negociorū reliquerat in Aegypto mandat, & districtè præcipit, quatenus sub celeritate classem ab Alexandria et uniuersa Aegypto dirigat in Syriam, significans ei propositū, quòd in uotis haberet, classe recepta, Berythensium urbem, tam per mare ꝙ per terras obsidione uallare. & ne regni populus ad eius liberationē cū rege posset accelerare, eidē præcipit, ut collectis equitū uirib. quæ in Aegypto erāt residuæ, ipse etiam ab Austro ingrediens, omnē Gazā & Ascalonā, & Darū, quæ sunt regni nostri oppida nouissima, Aegyptiacā respicientes diœcesium regionē, depopulaturus ingrederet. Hęc autē eo tractabat studio, ut dum regni pars illis qui ab Aegypto irrumperēt, tentaret occurrere, debilitatis cæteris, & factis paucioribus, ipse urbem obsessam acrius & liberius oppugnaret. Factumꝙ est iuxta mentis illius conceptum, & mandati formā. Nam intra paucos dies, & classis nauiū rostratarū triginta affuit iuxta condictū: & frater quas ex uniuersa Aegypto corradere potuit, circa Darū introduxit copias. Ipse autē ut aduenienti classe paratior inueniret, in eam regionē quæ uulgari appellatione dicit uallis Bacar, expeditiones dirigit, cōstitutisꝙ exploratorib. super montes illos qui medij sunt inter regionē prędictā & agrū Berythensiū, in mare prominētes, qui de aduētu galearū ipsum redderēt instructiorē. Ipse autē hoc interuallo ex locis adiacentibus pedestria conuocabat auxilia, & quæ in futurā obsidionē arbitrabat necessaria solicitus procurabat. Nec mora, circa Augustales Calend. sępe dicta classis in littore appulit Berythensiū: quod ut prędicto Salahadino per deputatos ad hoc specialiter nunciatum est exploratores, illicò sine mora superatis medijs montibus (de quib. prçmisimus) uniuersas expeditiones suas dimisit in campestria, et urbē sępè nominatā, prout diu antè destinauerat, undiꝙ uallat obsidione. Nostris aūt qui ad Sephorū in castris erant, uarius de Salahadini proposito rumor ferebat, dicētib. alijs, quod urbē Berythensiū, sicut pro certo patuit, obsidere decreuisset. alijs uerò asseuerantib. quod circa obtinendam Alapiā, tota eius anhelabat intētio: nōnullis etiā asseruentib. quod dño Mussulę, magnifico & potenti Turcorū satrapę, qui eius quędā oppida circa Euphratē obsidere dicebat, tentabat occurrere. Verū dū hic sermo tā dubius in castris uerteret, affuit nuncius, uerbi ambiguitatē dirimens, qui urbē Berythensiū procul omni dubio asserebat obsessam. Adfuit nihilominus, qui eiusdem Salahadini fratrē cū ingentib. copijs fines nostros circa Darū inuasisse, & triginta sex leuis armaturę milites, quos Turcopolos appellāt, interfecisse, & quędā succēdisse suburbana pro certo nunciāt. Quo cōperto, Rex habita cū principibus deliberatione, elegit morbo periculosiori occurrere, & urbē obsessam ab ingruente molestia liberare. nam ei suæ sufficere nō uidebantur copiæ, ut utrunꝙ hostem à suis finibus eodem momento posset arcere.

Rex ad Berythi obsidionem soluendam properans,usq; Tyrum peruenit. Salahadinus obsidionem soluit. Caput XVIII.

Conuocatis igitur expeditionibus, & translato uniuerso exercitu, Rex usq; Tyrum peruenit. Classem quoq; nihilominus quam tum in Acconensi,tum in Tyrensi portu reperit, præparari præcipiens, subitò & præter spem omniū,intra dies septē,armatā optimè, & uiris fortibus instructā Galearum triginta trium classem ordinauit. Interim tamen,dum hæc apud nos studiose nimis & uotis ardentibus præparant,Salahadinus,ut prędiximus, urbem obsidens,quantas poterat molestias, utroq; circa id desudante exercitu,ciuibus inferebat.nam ordinatis circa urbem legionibus, & sibi uicissim succedentibus agminibus,tantas per triduum continuum obsessis intulit angustias, ut negata requie nec ad refectionem corporis necessariam ferias indulgeret aliquas. Machinas tamen seu iaculatorias,seu alterius generis, quibus solent ab hostibus expugnari præsidia,nullas secum detulerat, aut quia absq; eorum adminiculo urbē subitò,& sine difficultate se arbitrabatur posse effringere,& obtinere uiolenter:aut quia nostrorū celerem expectans aduentum,tantam operā inutiliter consumere recusabat. quod tamē absq; machinis poterat,diligenti studio & tota procurabat sollicitudine. Nā,ut præximus, infinitam multitudinem sibi per uices alternatim succedentem, seriatim circa urbem collocauerat,quę tantam in eos, qui in muris erant & turribus & ad tuitionem urbis desudabant, sagittarum immittebant multitudinem,quòd instar grandinis et urbem replerent & mœnia. Nec solum eo modo obsessos,ab urbis tuitione nitebantur arcere,uerū & fossores,qui ad hoc specialiter ut murum suffoderent,uocati fuerant, uiolenter laborabāt intromittere,ut antemuralia murosq; effringendo et aditus, quibus armatorū copiæ, inuitis ciuibus ingrederentur, ut & ipsi liberius huic studio operā possent impendere. Alij,ut pręmisimus,arcubus instabant & balistis,& infinita telorum immissione:& tanta instabant proteruia,quod uix sine mortis periculo,qui intus erant,digitum audebant exerere. Ciues tamē licet pauci essent admodum,pręfecti tamen urbis & episcopi maximi,quorum multa in eo facto,meritò commendatur uirtus & constantia, monitis & exhortationibus acquiescentes.His omnibus argumentis, argumenta obtinebant contraria, & nullam resistendi artem relinquebant intentatam. Nam & contra exteriores sagittarios tela & sagittas,arte nō dispari uel studio retorquebāt, & causas mortis illis irrogabant frequētius,qui cum maiore proteruia uidebantur instare.Et his qui murum uidebantur suffodere,arte occurrebant eadem,ita ut ipso opere desudātibus plerunq; aut mortem inferrent, aut fodiendi auferrent instrumenta. Nec solum qui per terras aduenerant, has tantas ciuibus obsessis inferebant molestias : uerùm & qui nauigio accesserant,non minus proterue hostiliter obsessis instabant. Ipse autem Salahadinus non longè ab urbe in colle cōstitutus & propria pręsentia, exhortationis uerbo suos ad instantiam animabat: eatenusq; profecit, quod quidam de principibus eius,Cohelinus nomine,scalas mœnibus applicandas decerneret, & uiolenter ingrediendum esse denunciaret. Turpe etenim ei uidebatur & ignominiosum,quòd tantę, tantorum uirorum multitudini, populus tam modicus

posset

posset uel auderet resistere. In quo proposito dum perseueraret attentius, & alios tum uerbo tum exemplo animaret, subitò sagitta iuxta oculum in facie percussus, sic & se & alios reuocauit ab opere incepto: cumq; per triduum penè continuum, ita urbem impugnasset, uidentes quòd non proficerent, qui per mare aduenerant, de mandato Salahadini in Galeas se recipientes, circa noctis initium tertiæ, clàm & de nocte reuersi sunt. Salahadinus quoque reuocatis agminibus, ab urbe discedens aliquantulum, per campestria quæ urbi prędictæ adiacent, turmas cœpit diuidere, turres quæ erant in adiacentibus suburbanis funditus deijci præcipiens: sed nec pomerijs & uineis, quæ in circuitu urbis erant plurima, parcentes, in securi & ascia deiecerunt. Vt autem in obsidione tutius & liberius perseuerare posset, uiarum quandam difficultatem, & angustias quæ inter urbem prædictam & Sydonem positæ, per quas nostro exercitui ad urbis liberationem accedere uolenti, de necessitate futurus erat transitus, non solum à suis pedestribus turbis occupari fecerat, uerùm ubi erãt maiores angustiæ, siccis lapidibus absq; cemento, usque in ipsum mare fecerat deduci maceriam, ut utroque impedimento nostræ retardatæ legiones, eo minus liberè ad eum possent accedere, ipseq; interim nõ desineret urbem molestare. Cumq; firmum fixumq; prius diceretur habere propositum, ab urbis obsidione, nisi ea uiolenter effracta, non discedere: mutata uoluntate, ut prædiximus, reditum accelerauit ad propria. Cuius rei caussa fuisse dicitur, quòd quendã literarum cumulum, qui in urbem ad solidandos animos obsessorum, à quibusdam dirigebatur fidelibus, casu cœperant, qui obseruabant transitus: quem ad Salahadinum deductum, grauissimis quæstionibus subiecerunt. Vbi cùm ex eius confessione uiolenter extorta, tum ex literarũ tenore cognoscentes, quòd nostrorum uterq; paratus erat exercitus, & intra triduum procul omni dubio affuturus, mutato proposito, soluerũt (ut prædictũ est) obsidionem. Classis tamen nostra usq; ad locum peruenit destinatum: sed urbem reperiens liberam, in portum unde prius exierat, nõ multo interiecto tempore, reuersa est. Rex autem & uniuersus exercitus eius, cognito quòd hostes ab urbe discesserant obsessa, cum apud Tyrum per dies aliquot moram fecisset, reuocatis expeditionibus, Sephorum reuersus est.

Salahadinus Euphraten transit, Mesopotamiam ingressus. Caput XIX.

SAlahadinus interea, sicut erat uir uigilantissimus, & toto mentis ardore ad dilatandam nominis sui gloriam, & regni incrementum anhelabat, nostrorum uires quasi pro nihilo ducens, & ad maiora spirans, ad partes disposuit ire Orientales. Id tamen non pro certo liquet, utrum proprio ductus spiritu, & solita præceps magnanimitate, sit aggressus, an à principibus illius regionis euocatus, rem adeò difficilem, & quæ suprà uires uidebatur, attentauerit: quacunq; ergo fiducia fretus, ingentes equitum collegit copias, & cõpositis pro locorum & temporũ opportunitate sarcinis, & quæ ad tantum iter conficiendũ sufficere posse uidebant, necessarijs, uersus Euphraten properat. Apud nos aũt sermo diuulgabat frequens, quòd uersus Alapiam contenderet, ut eam sibi uendicare niteret. Ea enim sola cum paucis oppidis

regionis metropolim, Bostrum nomine, quæ uulgari appellatione dicitur Bosseret, habuerunt transitum. Vbi cum de effringendo eiusdem ciuitatis suburbio, inter nostros tractatus haberetur, uidentes quòd id subitò fieri nō posset, sed moram exigeret diuturniorem, quam tamen nō dabat aquarum inopia, ad redeundum se præparant sibi, & equis & iumentis omnibus suis, formidantes importunitatem. Est enim regio prædicta, arens prorsus & inaquosa, fontes, riuos, & flumina non habens penitus: hybernis enim mensibus è lacunis solent aquas colligere pluuiales, & eas tota conseruare diligentia, ad usus necessarios per annum integrum calore solis, & assiduitate limi cui superiacent, factas insipidas. Has etiam aduentu nostrorum præcognito effractis lacubus, aut emiserāt, aut immissis corruperat immundit ijs, ne per transiens exercitus moram ibi posset nectere. sed neque depopulationem quantam uellent exercere, temporis patiebatur pars illa. iam enim fruges, & cætera illa quæ incendium solet consumere, congesserant in horrea, quæ in speculus subterraneis regio illa habere consueuit, quas etiam terra coopertas & arte occultatas multa, difficile erat inuenire: sed etsi quid reperiebat in areis, id exustum stramine, & mundatum à palea, nō facile admittebat incendium, graui solitudine ignem non admittēte. Vixq; aliud areis damnum pōterant inferre, quàm ut fruges dispergerent, & ad opus equorum abeuntes, secum deferrent. Multi tamen artem nocendi quærentes, alij enim paleas frugibus immiscebant, iam purgatis, ut facilius admittere possent incendia. Residuum autem militiæ, quam in eadē regione Salahadinus abiens dereliquerat, quoniam de uiribus non præsumebant eatenus, ut cùm nostris auderent congredi, uel eis de proximo ministrare impedimentum, gregatim de remoto sequebantur, ut circa abeuntis exercitus posteriora aliquid possent latenter moliri. Sed necq; sic nostris impedimentum ministrare potuerunt, aut lædere totum uel partem exercitus.

Rex præsidium quod maximè Salahadinus occupauerat, obsidet, obsessum occupat, & Christianitati restituit. Caput XXI.

TRanscursa igitur regione, & ea quantum nocere dabatur damnificata, redeuntes, in ea eiusdem prouinciæ parte, cui Suites nomen est, substiterunt. Hæc autem est regio, in qua præsidium situm est, quòd à nostris paulo antè, ut prædiximus, hostes dum in Syria Sobal moram facerent, fraudulenter eripuerant. Est autem regio commoditatibus uini, & frumenti & olei, simul & salubritate commendabilis, & amœnitate præcipua: de qua fuisse traditur Baldac, ille Iob amicus, qui ab ea cognominatus est Suites. Ad hanc ergo peruenientes, honestū iudicant, & ita fieri oportere decernunt, ut prædictum municipium obsideant, & quàm nobis intulerant in eiusdem captione fraudulenta, hostes iniuriam, locum recipiendo, si eis concedatur diuinitus, resarciant. Iuxta ergo condictum, ante locum castra locant suprà nominatum, omnem adhibentes operam et studium, ut ij qui intus erāt, ad deditionem compellerentur. Et quoniam locus erat munitissimus, & situs eius huiusmodi quòd ei nullatenus, nisi à parte superiori, noceri posset, ibiq; non alias quàm si rupes usq; ad ipsam habitationē incideret, decernunt à parte superiori cæsores lapidū, eisq; quotquot haberent ministros necessarios, simul

&

& operariorum custodes, ut tutè & sine irruentiū periculo laborare possent, collocare. Erat enim spelunca in altissimo montis latere posita, non habens nisi cum multa difficultate accessum, in quo uix pediti iter esse poterat expedito. nam inferius atque in profundum subiectæ uallis ingēs est, & horribile præcipitium. Ex latere autem ad eam accedebatur itinere, unius pedis uix habente latitudinem. Erant autem in eadem spelunca mansiones tres, sibi inuicem superpositæ, in quibus mutuus per quasdam scalas ligneas, & per quedam angusta foramina interius ascensus erat & descensus. Sic ergo sola qua eis noceri poterat uia, aggressi sunt speluncam desuper, ut præmisimus, incidere, tentantes si ad primam & superiorem speluncæ habitationem, incidendo sic possent penetrare. Erat igitur in eo omnis nostrorum intentio, & totus in eo labor impendebatur. Ordinatis enim ad id operis excequendum artificibus, quotquot erant necessarij, & cooperatoribus ministris, qui lapides incisos & lapidum fragmenta, per præceps in uallem subiectam deuoluerent, ut sine intermissione opus procederet, uicarias tam interdiu quàm de nocte constituebant successiones, ut defatigatis prioribus noui recentesq́ue nirent, qui operis possent et scire & portare pondus. Proficiebat ergo labor impendia, tum ex frequentia & feruore eorum qui prædicto instabāt operi, tum ex quadam habilitate quam ex se præbebat saxi, quod incidebatur, materia. Erat enim lapis cretaceus, & ad frangendum facilis, nisi quod uenas durissimas silicis, interpolatim habebat immixtas, quæ sæpius & ferrea læderent instrumenta: & ijs qui in opere feruebant, aliquoties ministrarent impedimentum. Porrò quicquid fragmentorum, ut locus expediretur, in uallem subiectam, ut prędiximus, deuoluebatur, totum id qui in spelunca erant obsessi, contemplabantur de proximo. unde eis timor incutiebatur amplior, tanquam qui singulis expectabant horis, ut incisione perfecta ad eos uiolenter introiretur. Noster autem bipertitus erat exercitus. nam pars eius, ut prædiximus, in monte supremo, in quo erat spelunca, castra locauerat, ut eos qui erant in opere solliciti, ab hostium protegerent insidijs: pars uerò inferius residebat in plano, quibus id erat propositi, ut obsessis introitum negarent & exitum. Hi etiam nonnunquam per illam arctam, unde præmisimus, semitam, ad inferiorem eiusdem speluncæ stationem accedentes, eos qui intus erant, licet non proficerent, assultibus molestare nitebantur. Erant autem intus uiri fortes & bellicosi, tam uictualium quàm armorum habentes copiam, quasi ad septuaginta: quos tanquam uirtute probatos, de quorum fide & constantia præsumebat plurimum Salahadinus, abiens intus dimiserat, eorum diligentiæ commendans municipium. Qui in spelunca erant, præ frequenti & penè continua malleorum percussione, intus quiescere non poterant. uidebatur enim, ad omnem ictuum ingeminationem, spelunca tremiscere & uniuersa concutiri, ita ut iam non timerent, quod nostri ad eos irrumperent uiolenter, sed quod tota spelunca, repetitione malleorum fatigata, subitò corruens, uniuersos opprimeret. Denique quòd eis subsidium ministraretur, omnino sperare non licebat. nam prius nouerant, ad partes nouissimas, & unde non facile redire poterat, demigrasse Salahadinum, & militares secum deduxisse copias. Vnde factum est, quòd

postquā

postquā obsidionem tribus uel modico amplius septimanis perpessi fuerāt, missa legatione ad dominum Regem, per interuentū domini Comitis Tripolitani obtinent, ut resignato præsidio, cum armis, quæ ipsi intulerant, & proprio supellectile, liber eis usque Bostrum indulgeretur transitus. Sic ergo illis abeuntibus, recepto præsidio confusionem, quam ex eodem prius uidebantur induisse, auctore Domino, et per eius superabundantem gratiam, diluimus. Porrò tam domino Regi, quàm alijs principibus curæ fuit nō modicæ statim, sicut expediens uidebatur, ut locum resignatum & armis communirent, & uictualibus & uiris fidelibus, de quorum fide non dubitaretur & industria, committerent. Quo cum omni diligentia completo, noster ad propria reuersus est exercitus. Factum est autem hoc, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo, secunda die mensis Octobris.

Rex iterum fines Damascenorum cum suis expeditionibus ingreditur. Caput XXII.

MOdico autem, post hoc, interiecto temporis interuallo, id est Decembre proximo subsecuto, uidentes nostri quod Salahadinus non redierat, & adhuc maioribus negotijs impeditus, circa partes Mussulæ detineretur occupatus, nolentes opportunitatem amittere, quam idem de sua absentia ministrabat, iterum conuenientes, communicato regni consilio, apud Cæsaream urbem maritimam cōdicunt unanimiter, & de communi decernunt uoluntate, ut collectis regni uiribus, & præparatis ad dies quindecim, tam ad usus hominum quàm iumentorū necessarijs, fines hostium iterum ingrediantur, porrectam occasionem non neglecturi. Facta ergo expeditione occulta, in qua solos equites secum habuerunt, ad ostium finibus Bostro adiacentibus, sicut ab initio condictum fuerat, prædam in gregibus & armentis, nec non & mancipijs quampluribus, secum traxerunt, cum omni incolumitate redeuntes ad propria. Cui negotio quoniam à partibus Tyberiadensibus & profectum habuerunt, & ad easdem partes regressum, dominus Comes Tripolitanus præfuit. Quintadecima uerò demū die, Rex cum uniuersis regni principibus equitum ac peditum copijs, quas regnū ministrare potuit, assumpta secum cruce Dominica, iuxta Tyberiadē, secus mare Galileæ, in loco cui nomē Castelletū, adfuit: & exinde, per locum cui nomen uadū Iacob, fluuiū pertranseuntes, hostiū regiones ingressus est. Vnde progrediens exercitus Libanum à sinistris deferens, & loca planiora secutus, prius locum cui nomen Bettegene, cum adiacētibus uiculis, partim incēdio, partim ruina deiecerunt funditus: uniuersa eius bona, modis uarijs, tradētes exterminio. Consequenter uerò, continuato itinere, ad locū peruenerunt, cui nomen Daria, quę ab urbe Damascena uix quatuor aut quinque distat miliaribus, quam etiam cum adiacentibus uiculis eodem modo depopulati sunt. Regionis autem incolæ, partim ad iuga Libani se contulerant, partim confugerant Damascum. Vnde in tota regione, uix unum de hostibus ualuerunt comprehendere: de nostris tamen quosdam qui pabulatū egressi, incautè se habebāt, amisimus. Egressi eñ ab urbe Damascena equites nōnulli, de quorū uelocitate fidentes, exercitū eminus aliquādo præibant, aliquando subsequebantur, exspectantes, si nocendi tempus aut locum inuenirēt. Qui in nostros, de quibus

bus prędiximus, irruentes, more hostili in eos uersati sunt, uniuersos obtrun cantes. Ciues autem Damasceni ab urbe egressi, iunctis agminibus circa po meria, quæ urbi adiacent plurima, conglobati, nostrorum cohortes eminus contemplabantur, procedere non audentes. Factumq; est ita, quod neq; no stri in eos, neq; ipsi in nostras expeditiones attentauerunt irruere: sed abeuntibus nostris, ipsi in urbem se receperunt. Nostri uero regione, ut prędictum est, decursa, & damno illato, ut prædiximus, sine difficultate & impedimento, reuersi sunt ad propria, D. Rege Tyrum, ut ibi Dominicæ natiuitatis nobiscum solennia celebraret, properante.

Census in regno colligitur, quo contra futuros casus regnum se tueatur. Caput XXIII.

INterea de Salahadino rumor incertus ferebatur, dicentibus alijs, quod in Mesopotamia circa partes Mussulæ multū proficeret, & sibi regionē subiugaret uniuersam. Alijs autem dicentibus, quod uniuersi Orientales princi pes conuenerunt, ut eum ab illis regionibus expellerent uiolenter: & eas par tes, quas ipse dolis & interuentu pecuniæ sibi uendicauerat, ab eo reuocarēt. Nobis autem ualde suspectus erat eius profectus: & ne maius susciperet incremētum, plurimum solliciti, timentes ne multiplicatis uiribus ad nos redi ret fortior. Vnde factum est, quod subsequente Februario, conuenerunt regni principes uniuersi, apud Hierosolymā, de rerum statu, qui præsens erat, consilium habituri. Multum enim, ut prædictum est, de eius reditu timebatur. Vnde & anxiē magis ad omnia resistendi argumenta, se nitebantur attol lere. Factum est igitur post multas deliberationum partes, quod de uniuerso rum placuit cōsilio, ut census de uniuersis regni finibus colligeretur: unde ne cessitatis in tempore, equitum peditumq; copias habere possemus, ut rediēs prędictus hostis, nos ad resistendū paratos inueniret. Rex enim & alij princi pes, in tantā descenderant egestatē, quod ad cōplenda debita munia, omnino erant insufficiētes. Collecta est ergo de publico pecunia, cuius descriptio nis quis fuerit modus, ex rescripti, quod super eo negotio factū est, serie, plenius innotescat, quod sic se habet. Hæc est forma colligēdi census, qui de com muni omnium principum, tam ecclesiasticorum quàm secularium, & de assensu uniuersæ plebis, regi Hierosolymorum, pro cōmuni utilitate eiusdem regni, contra imminentes necessitates, colligi debet. Decretum est publicē, quòd in qualibet ciuitate regni, quatuor eligantur uiri prudentes & fide digni, qui & ipsi iuramēto corporaliter præstito, quòd in præsenti negotio bo na fide debent uersari, primùm pro se debent dare, deinde alios ad idipsum compellere, de singulis centum Bizantijs, quos habent, uel eorum ualens, siue in rebus penes se constitutis, siue in debitis quæ sibi debentur, Bizantium unum. De redditibus uerò, de singulis centum Byzantijs, Byzantios duos. Debent autem circa alios compellendos ita se habere, quod unumquemq; de ciuibus, seu habitatoribus ciuitatum, uel locorum quibus præsunt, iuxta id quod eis uidebitur bona fide, quod eorum substantia ualeat, unicuiq; secundum possibilitatem suam iniungere secretē, quod ad prædictam collatio nem soluat. Quod si ille cui iniunctum est quantū debeat dare, dixerit, se grauatum esse, & supra uires eius iniunctū esse, afferet iuxta propriam conscien tiam quantum ei uidebitur, quod sua mobilia ualeant, præstito iuramento, quod

quod amplius non debeat dare: iuxta dictam conditionem recedet quietus. illi autem quatuor tenebūtur ex debito iuramenti secretum tenere, quicquid à ciuibus eis oblatum fuerit, siue magnum siue paruum, & diuitias siue paupertatem eorum tenebuntur ex iuramento non detegere. Hoc autem debent obseruare in his omnibus, qui habent ualens centum Byzantiorum, cuiuscunque linguæ, cuiuscunque nationis, cuiuscunque fidei, nō habita differentia sexus, & siue sint uiri, siue sint feminæ, omnes huic legi subiacebunt. Si uerò prædicti quatuor selecti, qui ad hoc deputati sunt, cognouerint pro certo, quod alicuius substantia non ualeat centum Byzantios, accipiant super eum Fragium, id est, pro foco Byzantium unum: quod si non poterint integrum, accipiant dimidium: & si dimidium nō poterint, accipiant Rabunium: secundum quòd bona fide uidebitur eis faciendum. Huic autem conditioni subiacebunt omnes illi cuiuscunque nationis, linguæ, & fidei & sexus: nisi quorum mobilia nō ualent centum Byzantios. Decretum est etiam, quod singulę Ecclesiæ, & singula Monasteria, & Barones omnes, quotquot sunt, & uauasores etiam, de singulis centum Byzantijs quos habent in redditibus, sicut & alij, de regno quicunque redditus habent, debent dare duos Byzantios. Solidarij uerò, de singulis centum Byzantijs, Byzantium unum. Quicunque uerò casalia habēt, tenentur iurare, quod de singulis focis quos habent in uillis & casalibus suis, præter prædicta bona, fide tenētur dare unum Byzantium: ita quod si casale eorū focos habuit centū, inde Byzantios persoluere centū rusticos compellat. Erit autem postmodum domini Casalis, inter rusticos eiusdē loci prædictos Byzantios congruis portionibus diuidere, ita ut iuxta possibilitatem suam ad solutionem prædictam, unusquisque compellatur: ne ditiores leuius transeant, uel grauentur pauperes. Idem autem erit, & si plures uel pauciores habeat casale focos. Hanc autem pecuniam sic collectam de singulis urbibus, quæ sunt à Caypha citra uersus Hierosolymam, illi qui (ut prędiximus) præerunt singulis urbibus & castellis, deferant Hierosolymam: & eam tradēt sub certo numero & pondere, his qui Hierosolymis ad hoc opus præsunt, & ipsi seorsum sicuti de singulis ciuitatibus uel locis alijs recipiēt, in sarcinis singulis sigillatam, pręsente domino Patriarcha, uel eius nuncio, præsente quoque Priore Dominici sepulchri, pręsente quoque Castellano urbis eiusdem, debent collocare in arcam, quę erit in thesauro sanctæ Crucis, quam habebit dominus Patriarcha, secundam Prior sepulchri, & tertiā Castellanus: & quatuor prædicti ciues, qui ad colligendam pecuniam sunt deputati. A Caypha uerò usque Berythum qui urbibus præerunt, collectam pecuniam similiter deferent ad Acconensem ciuitatem, & ibi tradetur sicuti de singulis ciuitatibus & castellis deferetur, sub certo numero & pondere illis quatuor qui in eadem ciuitate colligendæ præsunt pecuniæ, & reponetur in singulis sarcis & sigillatis in arcam, quæ habebit seras tres, & totidem claues. Quarum primam habebit dominus Tyrensis Archiepiscopus, secundam Ioscelinus regius Senescallus, tertiā uerò prædicti quatuor ciues, qui ad hoc opus urbi præsunt Acconensi. Recipient autem prędictam monetam isti, præsentibus dictis dominis qui claues habebunt. Hæc autem sic collecta pecunia, expendi nō debet in minutis regni negocijs, sed in defensione terræ tantum-

florem, Tarsum primæ Ciliciæ metropolim, quàm à Græcis receperat, Rupino Armeniorum Satrapæ potentissimo, qui eiusdē regionis urbes reliquas possidebat, multarum pecuniarū tradidit interuentu, cōsultè id faciens. nam cum esset ab eo remota nimis, & prædicti Rupini terra in medio constituta, non nisi cum difficultate, & infinitis sumptibus eius curā princeps gerere poterat, quod prædicto nobili uiro erat facile. Salahadinus autē, in ea regione rebus pro uoto cōpositis Damascū cum suis legionibus se transtulit. Vnde etiā priore multo uehemētior nostros formido corripuit, eoq; periculosior, quo de eius proposito per exploratores nullatenus certificari poterant. Alijs enim uidebatur, quòd aduocato nauali exercitu, Berythensium urbem, sicut anno proximè præterito fecerat, moliretur obsidere: alij uerò nitebantur asseuerare, quod in montanis qui Tyrensi prominent ciuitati, præsidia duo, Toronum, & Castellum nouum eius esset propositū expugnare. Alijs uerò uidebatur, quod regionem trans Iordanē, uidelicet Syriam Sobal, cordi haberet depopulari, & oppida quæ in ea regione sunt, euertere. Nonnulli etiam erāt qui persuadere nitebantur, quòd diuturnis longisq; expeditionibus fatigatus, pace ad tempus impetrata, propositum haberet in Aegyptum descēdere, ut fatigatos exercitus repararet, & sumptus iterum ad futuras expeditiones colligeret necessarios. Inter hæc tam ambigua Rex, & regni principes uniuersi, cum multa formidine tenebantur suspensi. Vnde collectis regni uiribus apud fontem Sephoritanum, ubi conuenire de prisca consuetudine solent exercitus, desidentes, rei euentum præstolabantur. Vocatisq; tam principe Antiocheno, quàm Tripolitano Comite, uires & subsidia corrogabāt, undecunq; de die in diem expectantes, ut in aliquas regni partes subitus irrumperet, & legiones induceret solito multipliciores.

Rex apud Nazareth ægritudine correptus ualida, Guidonem de Liziniaco, Comitem Ioppensem, regni procuratorem constituit. Caput XXV.

DVm igitur noster apud fontē Sephoritanū, ita suspensus detineretur exercitus, contigit Regē apud Nazareth febre cōtinua grauissimè laborare, morboq; elephantioso, quo ab initio regni sui, à primis adolescētiæ auspicijs molestari cœperat, præter solitū ingrauescente, lumen amiserat, & corporis extremitatibus læsis & cōputrescentibus omnino, pedes manusq; ei suū denegabant officiū: Regiam tamen dignitatē, & administrationē nihilominus (licet à nōnullis ei suggereretur ut cederet, & de bonis regijs sibi tranquillam seorsum eligenti uitā honestè prouideret) hactenus nō decreuerat deponere. Licet eñ corpore debilis esset & impotens, forti tamē pollebat animo, & ad dissimulandā ægritudinem & supportandā Regiam sollicitudinem supra uires enitebatur. Febre igit, ut præmisimus, est correptus: & de uita desperās, conuocatis ad se suis principibus, præsente matre & D. Patriarcha, Guidonē de Lizimaco sororis suæ maritū, Comitem Ioppensem & Ascalonitanum, de quo in superioribus sæpissimā fecimus mentionem, regni cōstituit procuratorem, salua sibi Regia dignitate, retentaq; sibi Hierosolyma, cum redditu decem millium aureorum, annuatim soluendorum: reliquarum regni partium generalem, & liberam ei contulit administrationem, præcipiens omnibus, ut eius uasalli fierent, & ei manualiter exhiberent fidelitatem. Quod

Bb ij &sa-

& factum est. Iurasse tamen prius de mandato domini Regis perhibetur, quod eo uiuente nō adspiraret ad coronam, & quod de uniuersis ciuitatibus & castellis quę rex in pręsentiarum possidebat, nihil transferret in alium, uel à fisco alienaret. Creditur tamen id studiosè, & de multa industria eidem iniunctum fuisse, & ad id firmiter obseruandum iurisiurandi religione in præsentia uniuersorum principum obligatum fuisse, eo quòd singulis eorum, ferè de maioribus regni membris, portiones promiserat non modicas, ut ad id obtinendum quod petebat, eorum suffragijs iuuaretur & studio: quibus ut promissa compleret, simili uinculo dicebatur astrictus. Nos uerò id asserendo dicere non conuenit, quia pro recto compertum non habemus: ita tamen fama frequenter diuulgabatur in populo. Erant tamen nōnulli, quibus hęc mutatio non multum placuit, quorum alii familiaribus studiis, & ex causis occultis ad id ut displiceret procliues se dabant: alii publicam agentes causam, & de regni statu anxiè soliciti, publicè contestabantur, prædictum Comitem, tantæ administrationis imparem, oneri ad procuranda regni negocia non posse sufficere: alii uerò, quibus de eius promotione spes suberat, ut suas meliores possent facere conditiones, utiliter factum asserebant. Eratq; murmur, & uox dissona plurimum in populo, iuxta id quod prouerbialiter dici solet: Quot homines, tot sententiæ. Veruntamen hac diu desiderata, & iniuncta sibi pro uotis administratione, qua in primis satis inconsideratè uisus est gloriari, non diu lætatus est, sicut in sequētibus dicetur. Inconsideratè autem onus huiusmodi præfatum sibi assumpsisse Comitem, ea diximus ratione, quod non satis diligenter uires suas cum eo quod iniungebatur munere compensauit. Impar enim uiribus & prudentia, pondus importabile humeris imposuit, parabola non satis edoctus Euangelica, qua suggeritur ei qui turrim uult ædificare, ut sedens prius computet sumptus, & discutiat diligenter, utrum pares cum assumpto proposito uires habeat, ne deficiens audiat: Iste homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.

Salahadinus cum ingentibus copijs fines nostros ingressus, circa partes Scythopolitanas consedit: nostri occurrunt ei. Caput XXVI.

His ergo apud nos se ita habentibus, exercitu quoq; nostro apud Sephorum in unum ex parte plurima congregato, sæpè dictus Salahadinus, post multam deliberationem, accitis sibi uiribus de regione quæ trans Euphratem est, conuocatis quas undecunq; potuit asciscere equitum copiis, in multitudine graui, & ad unguem armata, nouissimum fines nostros ingressus est. Subitò enim transcursa Auranitide regione, quæ secus mare Tyberiadis est, in campestribus Iordanis, eo loco cui nomē est Cauā, cum suis legionibus apparuit, in partes uarias distributo exercitu. Vnde profectus, secus Iordanis fluenta uersus Scythopolim properat. Scythopolis autē (ut sępè dictum est, ea est quę hodie dicit Bethsan, olim uniuersę metropolis Galilęę: cuius nobilitatis argumēta, ędificiorum ruina pristinorum & multo marmore quod in effractis ædificiis inuenit, est colligere: nunc uerò ad nihilū redacta, raro incolit habitatore, solo oppidulo, quod in paludib. situm est, paucorum habitatorum reseruato. Hi uerò, licet armis & uictualibus pro suo numero,

& loci

& loci capacitate satis abundarent, de præsidii tamen munitione diffidentes, antequam hostilis omnino accederet exercitus, castrum deseruerunt, relictis impedimentis omnibus Tyberiadem se transferentes. Vnde factũ est, quòd hostes ad prædictum accedentes locum, & uacuum reperientes, eum pro arbitrio tractauerunt: quicquid armorum, quicquid uictus, quicquid utilium denicp intus erat, secũ deferentes. Vnde profecti, diuisocp procedentes exercitu, pars quædam circa fontem Tubania, qui ad radices montis Gelboẽ oritur, secus urbem antiquitus nobilem, quæ dicta est Iezrahel, nunc autem uulgari appellatione dicitur paruum Gerinum, castra locauerunt, commoditatem aquarum secuti. Nostri autẽ qui apud fontem Sephoritanum (de quo sæpissimè in his tractatibus nostris fecimus mentionem) adhuc detinebãtur in castris, expectantes suspensi, ex qua nam parte hostiles in nostrã regionem uellent irrumpere legiones: cognitocp quod campestria Bethsan iam tenerẽt, & multiformiter iam partitis legionib. occupassent, illas partes correptis armis unanimiter, uiuificæ crucis lignũ, regiacp uexilla secuti, transcursis montibus, in quibus sita est Nazareth, Domini ciuitas, descenderunt in campum magnum, cui nomen uetus Esdrelon. Vnde ordinatis aciebus, & iuxta militarem disciplinam modo competenti dispositis, uersus fontem Tubanię, ubi sæpè dictus Salahadinus cum ingenti egregiorum selectorum militũ manu secus aquas se locauerat, cuneos dirigunt: quasi propositum habentes, hostibus expulsis, aquarum sibi uendicare cõmoditatem. Quò peruenientes, rati sunt, quòd nõ sine difficultate, & periculosis congressionibus aquas possent obtinere: subitò Salahadinus castra soluens, ex insperato fontem deserit, inferiuscp uersus Bethsan fontis eiusdem fluenta sequens, uix unius miliarij spacio à nostris semotus, castrametatus est. Porrò antequam nostri ad eum peruenissent locum, hostes turmatim se diuidentes à maioribus copijs, regionẽ adiacentem circuire, & more hostili tractare iam inceperant: ex quibus quidam uicum suprà nominatũ, uidelicet paruum Gerinum, confregerant, cuncta quæ in eo repererant, tradentes exterminio. de loci tamen habitatoribus paucos, aut nullos repererunt: nam hostium aduentu præcognito, ad loca muniriora se contulerant. Quidam autem eum locum, qui uulgari appellatione dicitur Froboleth, adeuntes, uicum effregerunt, cuncta quæ illis se dabant obuiam, tractãtes hostiliter: alij uerò uias secuti publicas, quibus ad nostrum, ex partibus diuersis, tam equites quàm pedites properabant exercitũ, transeuntibus multiplicia inferebant pericula: ita ut sine discrimine, & mortis dispendio, ad nostrum alicunde perueniretur exercitum. Nonnulli ex ijsdem in montem Thabor (quod prius fuerat inauditum) ascenderunt: & monasterium Græcorum, quod dicitur sancti Heliæ, pro libero tractantes arbitrio, ipsum etiam maius cœnobium effringere tentauerunt. sed receperant se intra septa monasterij, quæ muro & turribus erant uallata, tam monachi, q̃ eorum uniuersa familia: & de uiculis nonnulli finitimis, qui eos qui in montem ascenderant hostes, ab uniuerso monasterij ambitu uiriliter abegerunt. Ascenderunt etiam nihilominus ex eodem comitatu in eum montem, super quem Nazarena sita est ciuitas: ita ut de prominentibus collibus uniuersam infra se positam respicerent ciuitatẽ. qui tanto fuerunt formidini mulieribus,

paruulis, senibus, aut debilibus qui in urbe erant relicti, ut dum certatim in maiorem ecclesiam inueniendæ gratia salutis se conferre niterentur, multi à turba præfocati interijsse dicerentur. Armipotentum enim magna pars ciuium, aut castra secuti erãt, aut ad urbes maritimas, maximè Ptolemaidem, cum suis se transtulerant famulis.

Fames in exercitu oritur ualida. tandem sine commisso prælio, tam nostri quàm hostes ab inuicem discedunt. Caput XXVII.

SIc igitur qui à maiore hostium se diuiserant exercitu, longè lateq; per regionem uniuersam dispersi, uolentibus ad nostras accedere legiones, dura & grauissima inferebant pericula: quo terrore, iam nemo uel commerciorum gratia, uel auxiliarium more ad castra nostrorum auderet accedere. Vnde subitò fames orta est in exercitu. Nam ut expeditius hostibus occurrerẽt, absq; omnibus impedimentis, nostræ illuc se transtulerant acies, sperantes quòd intra biduum, aut triduum saltem, res esset finem habitura. Indigebãt autem maximè pedites, & præsertim qui ab ora maritima instantissimè uocati fuerant, Pisani, Ianuenses, Veneti, Longobardi, qui relictis nauibus & transfretandi apparatu (instabat enim transitus Octobre iam penè mediante) simul cum peregrinis quos reuehẽdos susceperãt, nostris se adiunxerunt castris. Hi autem omnes uix ad arma ferẽda sufficientes, quia castrorum locus à mari quasi uiginti distabat miliaribus, nihil omnino uictualium intulerant. Mittuntur igitur legati ad urbes finitimas, qui eorũ præfectos, pro mittendis cibarijs sub omni celeritate sollicitent: qui debita diligentia, Regiæ parentes iussioni, certatim & sine dilatione, quanta possunt, illuc dirigunt uictualia: quorum pars maxima ad castra perueniens, opulentiam intulit pro loco & tempore sufficientem. Pars uerò quædam incautius delata, ad manus hostium peruenit, multam inferens commoditatem. nam & ipsi nihilo minus inopia premebantur. Præmissi sanè fuerãt de nostris equitibus nonnulli, quibus id erat muneris specialiter iniunctum, ut ijs qui cum alimentis ad exercitum accedebant, tutum procurarẽt accessum: qui quos repererunt sibi obuiam, cum incolumitate perduxerunt ad castra. quibus autem hi tales non fuerunt præsidio, manus hostium incurrentes, aut gladio interempti sunt, aut hostibus perpetuò seruire cõpulsi. Hic sanè, si nostra peccata, nobis Deum passa fuissent esse propitium, uidebatur robur hostium facile in ruinam uerti potuisse, & intolerabilem superbiam descendisse in lubricũ. Nunquam enim legitur tantam ex uniuerso Orientali tractu cõuenisse, tam equitum quàm peditum multitudinẽ: nec ab aliquibus traditur senioribus, adeò armatam in unum coijsse manũ, ex priuati regni uiribus. Erãt enim eis equites ad mille trecẽtos, peditum uerò armatorũ egregiè, quindecim miliũ summã dicebat numerus excedere. Præterea magni & admirabiles præerãt exercitui duces, illustres genere, et armorũ experiẽtia preclari, D. Raymũdus Comes Tripolitanus, D. Heinricus Dux Louaniæ, nobilis de Imperio Theutonicorũ princeps: Radulphus de Maletne, inclytus de Aquitania uir. exceptis regni principibus, qui erant, Guido Comes Ioppensis, Raynaldus de Castellione, dñs terræ ultra Iordanẽ, qui aliquando fuit princeps Antiochenus: Balduinus de Ramis, Balianus Neapolitanus frater eius, Raynaldus Sydoniensis, Gal-

sis, Galtherus Cæsariensis, Ioscelinus regius Senescallus. Ex his omnibus uidebatur satis probabile, hostes nostros, inconsideratè nimis transisse Iordanem, & nostris finibus insedisse: sed peccatis nostris id merentibus, effusa est contentio super principes, ita ut in publicis negociis, quę tantam uidebantur exigere diligentiã, nõ solum negligenter, uerumetiam malitiosè dicerent̃ uersari. Nam qui negotia pręsentia uidebantur maximè promouere potuisse, hi (ut dicitur) comitis Ioppẽsis odio, cui regni curam nudius tertius Rex cõmiserat, indignè ferentes, quod homini incognito, indiscreto & penitus inutili tantorum negotiorũ summã in tantis periculis, & tantę necessitatis articulo cõmisisset. Vnde factũ est, quod per octo dies continuos, castra hostiũ circa se posita, & uix à nostris distantia spacio unius miliarii patienter nimis, imò probrosè, quod nusq̃ alibi in regno accidisse legit̃, passi sunt morã facere, & in regionem pro libero arbitrio desæuisse uniuersam. Mirabant̃ qui aderant uiri simplices, & militiæ principum nostrorũ expertes, quid'nam esset, quod tanta opportunitate oblata nõ fieret cum hostibus congressio: neque de conflictu quicquã ordinaretur. Prætendebant tamen occasionẽ, ubi de his in publico tractabatur, quod Salahadinus hostilium princeps legionum, in loco resideret, scopulis obsito, ita quod ad eum nõ sine periculo graui nostrę possent acies accedere. Præterea & cohortes haberet ualidas, quasi in circuitu dispositas, quæ in nostros propositum haberent undiq̃ irruere, si cum Salahadino nostræ tentarent acies congredi. Dicebatur à quibusdã, quòd uerè sic erat, quod iustè à principibus sic allegabatur: alij uerò asserebant, quia color quæsitus erat, & fraudulẽter fabricabatur belli fuga, ne Comiti adscriberet̃, si quid prosperum in eo facto accideret, & sub eius ducatu rem benè gessisse uiderentur. Hæc tam multipliciter à pluribus dicta, ita conscripsimus, nihil assertiuè ponentes, tanquam qui rei ueritatem non sumus plenius assecuti. Certum est tamen, quod septem aut octo diebus continuis, circa Iordanem in finibus nostris hostes moram egerunt liberam, nostris quotidie impunè damna irrogantes multiplicia. Octaua tandem die, uel potius nona, reuocatis expeditionibus suis, ad propria reuersus est indemnis. Nostri uerò ad fontem iterum se contulerant Sephonitanum, non penitus, quin adhuc rediret, securi. Accidit autem per eosdem dies, quibus ad fontem Tubaniam noster exercitus detinebatur, quiddam memoria dignum. Nam cum hactenus tam satis suprà nominatus fons, quàm qui ex eo riuus profluit, pisces aut nullos, aut rarissimos habere crederet̃, illis diebus tantam dicit̃ copiam ministrasse, quæ uniuerso exercitui sufficere posset.

Salahadinus urbem Petracensem trans Iordanẽ obsidet, & obsessam impugnat hostiliter. Caput XXVIII.

ACcidit porrò non multum ab eorum opinione secus: nam uix euoluto unius mensis spacio, renouatis uiribus, bella parat recidiua, reuocat cohortes, congregat legiones, comparat machinas, & eorum omnium quæ urbes obsidentibus usum solent pręstare necessarium, curam gerit diligentem. Quibus ritè dispositis, transcursis Basan & Galiat, Ammonitarum quoq̃ & Moab, quæ sunt ultra Iordanem regionibus, urbem cui nomen pristinum de Petra deserti, modernum uerò Crath, obsidere disponit. Quo per explo-

ratores præcognito, Raynaldus de Castellione, qui regionis illius tanquam hæreditatis uxoriæ curam gerebat, trahēs secum militiam, quæ ad castri tuitionem sufficere posset, ad partes illas citus pertransijt. Erat autem ei ibidem & aliud negotium. Nam Hemfredus tertius, iunioris Hemfredi filius, senioris Hemfredi qui cognominatus est de Torono, Regij constabularij ex filio nepos, prædicti Raynaldi priuignus, domini Regis sororem iuniorem, quam quadriennio penè antè despōsauerat, ducturus erat illis diebus in uxorem. Vix ergo ad locum peruenerat suprà nominatum, uixq; nuptiarū compleuerant solennia, cum ecce eadem die, ut dicitur, Salahadinus cum innumerabili affuit multitudine, machinas & tormenta iaculatoria, quibus obsessa solent flagellari pręsidia, secum deferens, & castris circumpositis locum obsidione uallauit. Fuit autem prædicta ciuitas in monte sita sublimi admodum, & uallibus ambitu profundis, iacuitq; multis temporibus confracta, redacta penitus in solitudinem. Tandem uerò regnante domino Fulcone Latinorum Orientalium rege tertio, Paganus quidam qui cognominatus est Pincerna, regionis ultra Iordanem Dominus, in eodem monte, in quo ciuitas sita fuerat, præsidium fundauit, in ea montis parte, qua idem mons minus cliuosus est, & quæ plano exterius adiacenti magis est contermina. Qui uerò successerunt ei, Mauritius uidelicet nepos eius, & Philippus Neapolitanus, locum prædictum uallo & turribus reddiderunt insigniorem. Extra prædictum autem præsidium, ubi olim ciuitas ædificata fuerat, suburbium nunc erat, in quo eius loci habitatores quasi satis tuta sibi posuerant domicilia. Nam ab Oriente erat eis oppidum, quasi pro munitione summa. ex reliquis uerò partibus, totus mons, ut prædictum est, imis uallibus cingebatur: ita, ut si uel modicò muro esset procinctus, nullius hostilitatis formidaret accessus: duobus enim tantum locis, ad montis fastigium ascendendi patet opportunitas, quia à paucis facile contra hostium ingentes copias possunt defendi. Reliquæ uerò partes omnino dicuntur imperuiæ. Videns ergo princeps Raynaldus, quòd hostes aduenerant, proposuit, improuidè satis, sicut ijs qui circa huiusmodi sensum non habent exercitatum, locum exteriorem, & suburbium præsidio adiacēs, tueri: inhibuitq; habitatoribus loci, res suas in pręsidium transferri uolentibus, & suæ prouidere saluti, ne sua desererent domicilia, nec aliquid de suis friuolis præsumerent asportare. Sed dum tam equitum quàm peditum manipuli circa hoc essent solliciti, & ad impediendum hostium ascensus desiderarēt, uicit hostium multitudo: et illis in fugam uersis, qui eis iter præpedire moliebantur, montem obtinuerunt, ferro iter aperientes uniuersum: ita ut paulo minus cum nostris in præsidium se recipere certantibus, hostes uiolentum habuissent ingressum: ita ut nisi unius equitis, cui nomen Iuerius erat, restitisset admiranda probitas, qui iam de hostibus accesserant, per pontem, & portam ponti conterminam liberum suis, & sine difficultate uendicassent introitum. Sic ergo miseri ciues, imprudentis rectoris consilio, rerum suarum passi sunt dispendium, hostibus eorum lares obtinentibus, cum utensilibus omnimodis, et suppellectile uniuersa. Qui autem in pręsidium se receperant, timentes hostium impetum, imprudenter nimis & inconsideratè penitus pontem, qui super uallum erat unicus, quo

ijs qui obsessi erant, introitus patebat & exitus, deiecerunt. Erant autem intus promiscuæ conditionis & sexus turba plurima, & inutilis, quæ obsessis potius oneri erant quàm utilitati, histrionum, tibicinum uidelicet & psaltriarum, quæ ex omni regione ad diem nuptiarum conuenerant: quibus præter spem accidit. nam dum ludicra quærerent & lasciuiam nuptialem, martios inuenerunt congressus, & largè suis studijs dissimiles præliorum occupationes. Contulerant se præterea in locum prædictum ex locis suburbanis, Suriani cum uxoribus & paruulis, locumque repleuerant. Ita ut discurrere uolentibus, præ turbis non pateret uia libera, essentque uiris expeditioribus, & defensionis studio dantibus operam oneri & impedimento. Victualibus tamen dicebatur locus abundare, sed armorum nō erat tanta copia, quantam loci tuitio uidebatur exigere.

Rex Comiti Ioppensi administrationem aufert, Balduinum nepotem suum regio diademate coronat. Caput XXIX.

REx uerò interea uidens, quòd supradicto negotio apud fontem Tubaniarum Comes Ioppensis, cui ut præmisimus, regni commiserat administrationem, minus strennuè minusque prudēter se gesserat, quodque eius imprudentia, & omnimoda insufficientia regni status penè lapsus fuerat, sanio re usus consilio, reuocat ad se suam quam illi commiserat administrationem. Dicuntur & aliæ subesse caussæ. Nam ut prædiximus, ubi curam regni ei commiserat, urbem Hierosolymorum cum decem millibus aureorum persoluendorum annuatim pro expensis familiaribus sibi retinuerat: postmodum facti pœnitens pro Hierosolyma Tyrū eisdem conditionibus, eo quòd munitissima totius regni esset ciuitas, & suis cōditionibus aptior esse uideretur, sibi uoluit permutari. Quam eius petitionē, quoniā Comes ægrè uisus est suscepisse, Rex prædictam dicitur mutasse sententiam. Factumque est meritò, ut qui in modico erga eum qui sibi uniuersa contulerat, noluit esse liberalis, ab uniuersa summa rerum decideret. Nec solum regni cura & administrationis honor ei subtractus est, uerùmetiam successionis spes, ei penitus amputata. Nam de communi principum consilio, maximè domini Boamundi Antiochenorum, domini quoque Raymundi Tripolitani Comitis, Raynaldi Sidoniensis, Balduini Ramatensis, Baliani fratris eius, præsente ipso & contradicere non audente, suggerente hoc & ad id penitus hortante matre, Balduinus adhuc puerulus uix annorum quinque, prosequente eum uniuersæ plebis suffragio, cleri quoque qui præsens erat assensu, in ecclesiæ Dominicæ resurrectionis, Regia decoratus est unctione, & solenniter coronatus: statimque sine dilatione exhibitæ sunt eidem puero, uniuersorum Baronum cum solita iuramentorum forma, manualiter fidelitatis honor & gloria, Regiæ debita maiestati, cumque omni plenitudine sunt depensa. solus autem Ioppensis comes, ut ei suum exhiberet hominium, à nemine est inuitatus. quòd factum prudentioribus, sicut erat procul dubio, conceptæ simultatis, imò manifesti odij euidens uisum est argumentum: sicut ex pòst facto liquebat manifestius. Verùm super hoc tantæ mutationis articulo uaria erat, & multiplex uirorum prudentium opinio,

Bb v dicenti-

dicentibus alijs, quòd in hac pueri promotione nihil compendij regno, nihil utilitatis rebus accessisset publicis. Nam uterque regū, alter morbo, alter ætate præpediente, prorsus erat inutilis: magisque uideretur expediens, si de communi consilio procerum, alicui uiro strennuo, consilio pollenti, regiorum cura negotiorum, & Reipublicæ committeretur administratio: alijs autem uidebatur, quòd de puero factū erat, etsi uerò poterat usquequaque utilè iudicari, in eo tamen publicæ uidebatur consultum esse utilitati. quòd prędicto Comiti ad regni successionem anhelanti, uiro, ut dicebatur, insufficienti succedendi spes esset pręcisa: in quo futurorum materia scandalorum, & periculo seditionis quæ post regis obitum timebatur, fomes, finem accepisse spectabatur. Omnibus tamen mens una erat & desiderium, ut gerendis publicis, maximeque educendis & reducendis exercitibus, contra hostium solito uehementiorem instantiam præficeretur procurator: idque soli Comiti Tripolitano conuenire, eumque solum ad prædicta posse sufficere, penè omnium una erat sententia. Factum est autem hoc, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo tertio, indictionis primæ, mense Nouembri, uicesima die mensis.

Rex congregatis copijs ultra Iordanem festinat, ut obsessis subueniat. Saladinus obsidionem soluit. *Caput XXX.*

At uerò Saladinus interim dū hæc Hierosolymis sic aguntur, obsessam urbem, cura nihilominus propensiore & totis uiribus fatigabat, ijs qui intus erant obsessi, requiē importuna denegans instantia. Octo enim erectis machinis, sex ab interiori parte, ubi antiqua fuerat ciuitas, duabus uerò ab exteriori loco, qui uulgari appellatione dicitur Abelet, castrum tanta importunitate non minus nocte quàm interdiu, immissis miræ magnitudinis molaribus flagellabat, quòd uel manum exerere, uel respicere per cancellas, aut aliquo defensionis genere, nemo illorum qui intus erant, præsumeret attentare: eoque uentum erat, quòd eis præ nimio terrore confusis, nec audentibus comparere, hostes ad prædam, quam miseri ciues in uallum quod præsidio conterminum suberat, introduxerant, immissis funibus impunè occiderent, & diuisa membratim animalia sibi extraherent ad cibū, indemnes, omnino aduersitatis nihil ab oppidanis perpessi. Sed & qui in exercitu hostium erant coquorum uel pistorum habentes officium, quique rerum uenaliū procurabant forum, hi in domibus ciuium omni commoditate refertis officinas locauerant suas, liberè suis professionibus utentes. Repererant sanè in eis frumenti, ordei, uini & olei abundantiam, quibus inuitis eorum dominis uiolenter utebantur. Porrò qui in præsidio erant, & ipsi machinam aliquando tentauerunt erigere: sed tanto artificio dirigebant contorta, qui machinis præerant exterioribus, quòd præ assiduis ictibus & mortis formidine, quam singuli lapidū immissorū intentare uidebantur, nostri à proposito deficientes, satius iudicabant, patienter quicquid inferebatur portare, quàm ad illud defensionis genus cū mortis se attollere periculo. Nec solū qui egrediebant de abditis, accedentes ad propugnacula, ut uel tela uel lapides in hostes iacularentur, uel ut obsidentes inspicerent legiones, tanto erant expositi periculo, terroreque quatiebantur ad desperationem compellente. uerùm & qui

erant in conclauibus, in rimis, & qui ad loca secretiora se cōtulerant, accedentium fragore molarium & sonitu perterriti, uidebantur quasi audire tonitrua, expectantes quasi fulminum ictus, & suspensi semper, ne cōfracta super eos ruerent ædificia. Sollicitus erat Rex interea, & tota procurabat diligentia quomodo subueniretur obsessis, quomodo eis desideratum maturaretur subsidium. Assumpto igitur secum uiuificæ crucis ligno salutari, et regni uiribus ex omni parte cōgregans, ad partes illas properat, opem laturus obsessis: perueniensq; ad Mare salis, quod alio nomine dicitur lacus Asphaltitis, secus locū cui nomen Segor, qui hodie uulgari appellatione dicitur Palmer, post multas deliberationes, uniuerso exercitui Ducem ac preceptorem Comitem instituit Tripolitanum. Salahadinus uerò, cognito per exploratores, quòd exercitus Christianus in proximo esset, & quòd Tripolitanus Comes præfectus esset legionibus, depositis machinis, et indicto suis reditu, obsidionem, qua per mensem continuum, locum afflixerat prædictum, soluit, ad propria reuersus. Rex tamen nihilominus cum omni exercitu ad locum perueniens destinatum, optatam ciuibus intulit cōsolationem: indictoq; reditu, et reuocatis agminibus, sospes Hierosolymam reuersus est.

LIBER

LIBER VICESIMVSTERTIVS

PRAEFATIO.



Roposueramus sinistrorum tædio casuum, qui frequētius so lito, imò qui penè continuè regno accidunt, amodò calamis ocium indicere, et sepulta mandare silentio quę posteris publicanda susceperamus. Nemo enim est, qui non inuitus languorem patriæ, & suorum defectus in lucem proferat. cum quasi usu inter homines eueniat, & tanquā naturale reputetur, ūnumquemq; totis niti uiribus, patriam laudibus attollere, & titulis non inuidere suorum. Verùm præconiorum nobis omnis subducitur materia, & solum apta fletibus & lachrymis extorquens nobis se offert lugentis patrię calamitas, & miseria multitudinis. Qui enim hactenus in superioribus libris, uirorum fortiū qui in nostro Oriente, maximeq; Hierosolymis, per annos octoginta et amplius principatum tenuerunt, egregia facta, quali quali stilo descripsimus, deficimus in nobisipsis detestatione præsentium, obstupescentes materiam, quæ se oculis & auribus ingerit, quę nec Codri carmine, nec cuiuslibet Mæuij digna est relatu. Nihil enim in nostrorū principum actibus occurrit, quòd memoriæ thesauris, uir prudens credat esse mandandum: nihil quòd lectori recreationem conferat, aut scriptori proficiat ad honorem. Perijt enim apud nos, iuxta quòd Propheta conqueritur, A prudente consiliū, sermo à sacerdote, uisio à Propheta: factusq; est apud nos, sicut populus, ita & sacerdos. ita ut nobis aptari possit illud propheticum, Omne caput languidum, & omne cor mœrens. à planta pedis usq; ad uerticem, non est in nobis sanitas. Iam enim ad ea tempora, quibus nec nostra uitia, nec eorum remedia pati possumus, peruētum est: unde nostris id merentibus peccatis, facti sunt hostes in capite, & qui de inimicis triumphantes, palmam frequentius solebamus referre cum gloria, nunc in omni penè conflictu, diuina destituti gratia, deteriorem calculum reportamus. Ideoq; silendum erat, consultiusq; uidebatur nostris defectibus, noctem inducere, quàm solem inferre pudendis. Sed quibus cordi est, ut in eo quòd semel cœpimus, nos continuemus proposito, quiq; orant instantius, ut regni Hierosolymorum status omnis tam prosper quàm aduersus, posteritati, nostra significetur opera, stimulos addunt, proponentes Historiographorum disertissimos, T. Liuium uidelicet, Romanorum non solum prospera, sed etiam aduersa mandasse literis: Iosephum quoq;, non solum quæ à Iudæis egregiè gesta sunt, uerùm & quæ eis sunt ignominiosè illata, longis tractatibus publicasse. Abundāt & alijs exemplis, qui ad hoc nos nituntur impellere, eoq; facilius persuadent, quia plus liquet rerum gestarum scriptoribus, utrāq; partem pari esse ratione propositam, ut sicut gestorū fœliciter narratione posteros ad quādam animositatem erigunt, sic infortuniorum subiectorum exemplo, eosdem reddant in similibus cautiores. Annalium enim cōscriptores non qualia optant ipsi, sed qualia ministrant tempora, mandare solent literis, ex officio. Rerū autem & bellorum maximè uarius solet esse euentus, & non uniformis: in quo non prosperitas

speritas continua, nec casus oppositus sine lucidis interuallis. Vincimur ergo, & quæ subsequentia ministrabunt tempora, sicut cœpimus (utinam fausta fœliciaq; auctore Domino) uita comite, scripto mandare curabimus diligenter, à secundo proposito reuocati.

Inter Regem & Comitem Ioppensem nutrita diu simultas, erumpit in lites execrabiles. Reconciliationis nulla apparet spes. Tripolitanus regni administrationem & tutelam regiam obtinet. *Caput I.*

INterea, inter Regem & Comitem Ioppensem odiorum fomes, magis magisq; per dies singulos ex caussis occultis augebatur, eoq; usque contractus rancor proruperat, quòd Rex iam manifestè caussas uidebatur colligere uelle, quibus sororem suam, subitò matrimonio separaret: unde iuxta hoc propositum, Patriarchã publicè conuenit, diem sibi præfigi postulans, quasi matrimonium accusaturus, qua in eius præsentia solenniter celebraretur diuortium. Comes uerò super ijs omnibus instructus, ab expeditione rediens, à reliquo exercitu segregatus, compendioso itinere Ascalonã profectus est, uxorem præmonens, quæ tunc Hierosolymis morabatur: quæ ante regis introitum, maturius ab eadem urbe discedens, Ascalonam proficiscatur: uerebatur enim, ne si Rex eius copiam habere posset, eam ad uirum nõ permitteret redire ulterius. Mittitur ergo à Rege nuncius qui Comitem euocet, & uocationis caussam aperiat: ille uerò renuẽs absentiæ caussas allegat, prætendens ægritudinem. Cumq; sæpius euocatus uenire differret, adiecit Rex in propria persona illuc ire, & Comitem uiua uoce solenniter in ius uocare. Quo perueniens, cum quorundam ex principibus suis comitatu, ciuitatis portas serratas reperit, quas manu tangens, & tertio eas sibi aperiri præcipiens, cum neminem inueniret qui eius obediret uerbo, cum debita indignatione reuersus est, spectante id uniuersæ ciuitatis populo, qui in turribus & in muris, audito regis aduentu se locauerant, rei exitum præstolantes. Rex uerò inde Ioppen recto tendens itinere, antequã ad urbem perueniret, quam plures loci eius ex ciuibus obuios habuit, ex utraque classe maiores. quibus urbem aperientibus, Rex sine difficultate ingressus est, ibiq; ordinato procuratore, qui loci curam gereret, Accon peruenit. Indicitur ergo apud eandem urbem Curia generalis, ad quam cum die statuta regni principes conuenissent, cœpit Patriarcha, utrunq; magistrum, Templi uidelicet & Hospitalis, in eo uerbo habens consortes, dominum Regem cõuenire, & etiam genu flexo, pro Comite intercedere, ut rancore deposito, eum in suam gratiam restituat: cumq; statim exauditi non fuissent, recesserunt cum indignatione simul, non solum à Curia, uerùm etiam à ciuitate. Fuerat autem in præsentia principum qui conuenerant, uerbum propositũ de mittendis nuncijs ad reliquos principes ultramontanos, qui eos ad Christianitatis & regni auxilium inuitarent. De quo cum prior habendus esset tractatus, Patriarcha, ut prædiximus, incidens, uerbum præferens principale, in sermonem priorem descenderat: atq; cum motu intemperato, ut præmisimus, ab urbe discesserat Acconensi.

Acconensi. Comes uerò Ioppensis cognito, quod ad eius pacem Rex animū suum nollet inclinare, adiecit peiora prioribus, & assumēs eam quàm secum habebat militiam, uersus castrum, cui nomen Darum, suos direxit, & in castra quorundam Arabum, qui in partibus illis gratia pascuorum, tentoria locauerant sua, à rege habentes securitatem, & sub eius fiducia commorantes securi, repentinus irruit, & imparatos reperiens, prædam & manubias agens, reuersus est Ascalonam: quo cognito, Rex, iterum reuocatis principibus, Tripolitano Comiti regni curam et generalem administrationem committit, in eius prudentia simul & magnanimitate spem habens. In quo facto, populi uniuersi & principum, ex parte plurima uidebatur satisfecisse desiderijs. unica ènim & singularis uidebatur omnibus salutis uia, si prædicto Comiti regiorum committeretur negotiorum cura.

Reliqua in exemplari manuscripto deficiebant.

FINIS.

BASILEAE, PER NICOLAVM BRYLINGERVM ET IOANNEM OPORINVM,
Anno Salutis humanæ M D X L I X.
Mense Martio.

DE BELLO SACRO

CONTINVATAE HISTORIAE, LIBRI VI. COMmentarijs rerum Syriacarum Guilhelmi Tyrensis Archiepiscopi, additi. In quibus, qua fortunæ uarietate, qua temporum uicissitudine, ab initijs Vrbis & Regni, res Hierosolymarum, ad nostra usq; tempora, per ter mille atq; quingentos annos agitatæ, aut floruerint, aut bellis uastitateq; afflictæ iacuerint, diligentissimè describitur.

IOANNE HEROLD HOECHSTETtensi authore.

Adiecimus de Expugnatione urbis Ptolemaidos, MONACHI FLORENTINI Archiepiscopi Acconensis Rhythmum. Insuper etiam de Sarracenis profligatis ab ALPHONSO X. Hispaniarum Rege, rescriptum, cum Epistola procerū eorum, quorum opera & industria Albigenses hęretici et deuicti et deleti fuerunt, omnia ab hinc tricentesimo ac paulo plus minus'ue quadragesimo anno gesta & scripta.

Nunc uerò cura & diligentia PHILIPERTI POYSSENOTI, ad phanum D. Morandi sacris Præpositi, in lucem tradita, ac cum enarratione Historiæ ab ipso IOANNE HEROLD illustrata.

BASILEAE.

AVTHORES, QVORVM SCRIPTIS IN HAC Continuatione usi sumus, & ex quibus profecisse nos fatemur.

Aeneas Syluius
Albertus Crantz
Ammianus Marcellinus
Andreas Cambinus
Annius Viterbien.
Antoninus Florētin.
Antonius Bonfinius
Antonius Panormita
Antonius Sabellicus
Augustinus Iustinianus
Baptista Fulgosus
Beda
Benedictus de Acoltis
Berosus
Blondus
Bonifacius Symoneta
Callimachus Experiēs
Caspar Bruschius
Cato de Originibus
Chronica August.
Chronica Noriber.
Coriolanus Cœpio
Diodorus Siculus
Dion Cassius
Ecclesiastica Historia
Egesippus
Eusebius
Eutropius
Fabius Pictor
Fasciculus temporum
Fœlix Portantius
Franciscus Bellafinus
Franciscus Irenicus
Frācíscus Richerius
Freculphus
Funckij Chronica
Georgius Merula
Gregorius Turonen.
Guilhelmus Canoersin
Guilhelmus Postellus
Haython Armenus
Hermannus Contractus
Herodotus
Herodianus
Hieronymus
Hugbaldus Mutius.
Iacobus à Küngßhouen
Iacobus Meyerus
Iacobus Pontanus
Iacobus Vümphelingius
Instrumenti ueteris libri
Ioannes Auentinus
Ioannes Baptista Egnatius
Ioannes Bocatius
Ioannes Carion.
Ioannes Cuspinianus
Ioaunes Faber
Ioannes Nauclerus
Ioannes Stella
Ioannes Reuchlinus
Iōannes Trithemius
Ioannes Turotz
Ioannes Villanus
Iosephus
Iulius Capitolinus
Lambertus Schaffnaburgensis
Laonicus Atheniēsis de rebus Turcicis, author in historiarū Turciccorum agnitione excellentißimus
Landinius
Martinus Barletius
Martini Lutheri Chronica
Mathias à Michouu
Matheus Palmerius
Michael Rizius
Nicolaus Baselius
Nicolaus Brucellus
Nicolaus Machiauelli
Nicolaus Chalcocondyles
Nouæ legis Oracula
Otho Phrysingensis
Orosius
Paulus Aemylius
Paulus Iouius
Paulus Phrygio
Petrus Galatinus
Petrus Mexia Hispanus
Platina de Pontifici-bus, & rebus Mantuanis
Plinius
Polybius
Polydorus Vergilius
Pomponius Lætus
Ptolemæus
Radenicus
Regino
Rhenanus
Robertus Gaguinus
Robertus Monachus
Rogerius de Tartaris.
Scholastica Historia
Sebastianus Franck
Sebastianus Munsterus
Suetonius
Tacitus
Trebellius Pollio
Valerius Anshelmus
Valerius Maximus
Vbertus Velleius
Vicentius Beluacēsis
Volaterranus.

Annales Germanorū, incertis authoribus.
Conciliorum, Pontificumq; decreta
Priuilegia Imperatorum aliquot.

PHILIPPO PIO, PONTIFICI, CAETERIS'QVE AD AEDES MAGNAE MATRIS MARIAE, *apud Baſileam Rauracorum, Flaminibus, Ioannes Herold Hochſtetenſis* S. D.



ATVRA ita comparatum eſſe, PHILIPPE PIE, Princeps, cernitur, ut etiam ſanctiſsima ueterum uirorum ſanè optimorum inſtituta, ſuo periculo, æquè ac uitia haud careant. Verùm enimuero, cum omnes homines iuſti æquiq; appetentiſsimi uideri uelint, tamen res in eum locum adductas uidemus, quòd etiam ſceleratiſsimi, quando ui aut fraude, aliorum fortunam conuellere nequeunt, inſidias ſtruant & famæ & nomini optimorum: dum uiceuerſa, quos boni ſtudium trahit, id quod res eſt, rerum fortuitarum iacturam, quàm memoriæ rectè factorum priuationem, tolerabiliorem iudicant. idcirco, aut ſuauitate ingenij, aut authoritatis teſtimonio, aut ſtudio beneuolentiæ, aut grati animi ductu, gloriam maiorum, amicorum famam, nomen optimorum, ac benefactorum laudes, ſcriptis ornare & celebrare conſueuerunt. Quod quidem factitatum conſpicitur, haud ab ijs tantum, quibus prệter ingenij dotes, nihil, quo ſuos remunerarent, reliquum eſt: uerùm etiam in uſu hoc fuiſſe uidemus ijs ipſis, qui ampliſsimis fortunis, meritisq; ingentibus eos quos ſempiternæ gloriæ cõmendare uolebant, aut æquabant, aut ſuperabant multum. Hinc Platonis amicorum nominibus nobilitati Dialogi: hinc Ciceronis Lęlius, & ad Herennium ſcripta: Vt interim taceã, huius generis ſexcenta aliorũ uirorum bonorũ exempla: quæ ſi nõ omnia ſuos autores & patronos, ut Achillẽ Homeri tuba, beant, tamen teſtimoniũ impertiunt, animorũ generoſorum. Inſtitutũ certè ſanctum. eo enim uno ad capeſcendas uirtutes laude dignas, etiam perditiſsimi incitanť: mortuis, ea quæ in uita illis uel liuor uel negligẽtia negauerũt, uirtutis pręmia exoluũtur: egregiè geſtorum fructus, cum immortalitatis ſpe, uiui inde decerpunt: ipſa deniq; bonorum amicitia, imò ipſa ſocietas humana, conſolidatur, augeturq;, dum hic ad laudem ſuã, clemẽtia & liberalitate ingenia amplectitur, ille uerò amicorum benefactorumq; merita ſtudio grato literatisq; proſequitur munuſculis. Hoc dico, tam ſanctum inſtitutum, PHILIPPE princeps PIE, ſuo ueneno non carere, uel proprio, uel alieno, aſſentatione nempe ac obtrectatione: hoc præſertim noſtro tempore, quo optima quæq; aut deprauari, aut peſſimè interpretari contingit. De ijs igitur, qui aſſentatione turpi, ſibijpſis ut Cęcias nubes, infamiam accerſunt, nullus hic mihi erit ſermo. dicam ſolumodo, quum ſeculum illud noſtrum, omnibus alijs quæ nos præceſſerunt, ingenijs elegantiſsimis præſtet, & magis quàm illa abundet, obtrectationis peſtẽ interim ita uigere, ut diuinũ hoc inſtitutum nonnullam habeat fermè querelã: mihiq; ipſi multis partibus plus negocij faceſſat iam uni, quàm præter me alijs omnibus, qui tãta PHILIPPE PIE tua, collegijq; tui ornatiſsimi habeo merita, quanta alius nemo, quorum nunquam obliuiſci poſſum, maxima ſcilicet ac innumera me uobis debere. Quapropter optandum mihi et conandũ cum cernerem, ut tot tantaq; in me collata beneficia, ſollicitudine aliqua meorum officiorum exacuerẽ, nihilq; ex amore, aut ex iudicio ueſtro deperderẽ, ocioli mei (quod uobis ut acceptum referam oportet, inq; hiſtoriarum iugi lectione mihi repoſitum eſt) reddere uobis conſtitui rationem, eam ſcilicet, quam illud, haud ſecus ac negocia ſuum calculũ, efflagitare Cato dicebat. Quum igitur de Bello ſacro Guilhelmi Tyrenſis Archiepiſcopi, regni Hieroſolymitani olim Scribæ, Commentarios (diligentia ac cura integerrimi doctiſsimiq; uiri

PHILIBERTI POYSSENOTI, ad phanum D. Morandi in Maxima Sequanorum, sacris profanisq; reb. Præpositi) euulgatos, perlegissem, facile animaduerti, sapientissimi hominis monimentis, iniuria temporũ, multa, atque in hoc genere scripti desideranda, deperijsse: quod nulli dubium erit, qui ad Friderici .II. Aug. excessum usq;, historiam suam eundem Guilhelmũ perfecisse magnorũ uirorum testimonio, iuratum intellexerit. qua re gloriæ autoris non tantum ademptum, quantũ delectationis lectori surreptum uidebam. Quem enim temporum uicissitudo, fortunæq; uarietas, commiseratione non afficeret, dum nostros, inclinantibus iam rebus Syriacis, hostibus colluctari & fato resistere legit, ea quidem animi pertinacia, qua maior illis in Prouincia & urbe recuperandis & obtinendis constantia uel fortitudo haud fuit? Ab institutis igitur meis alienum non duxi, quæ ad urbis Hierosolymitanæ à Saladino expugnationem scripta Guilhelmi insecuta essent, eiusdem libris adijcere: non ut ingenij gloriam aliquam uenarer, sed ut idolo tam pulchro ornatoq;, basis sua non deesset. Id cum omni synceritate historiæ obseruata, diligenter atq; religiose conscripsissem, nec hoc quidem prætermittendum esse existimabam, ut quàm possem breuissimis, prima, & quæ scripta Tyrensis anteierant, priora Reip. Hierosolymitanæ tempora describerem: quod quidem interuallum tam longum, quę imperia tam uaria, quæ tempora tam aliena, uirtutem, magnitudinem animorum, facinoraq; egregia uirorum principum, de quibus Tyrensi sermo est, illustrant magis, ac tantum non in cœlum usque euehunt. Hoc autem totum nihil esse intelligere poteram, cum summorum uirorum editis lucubrationibus, omnia sparsim interserta reperirentur, ipsisq; è sacris oraculis atque diuinis libris nostræ persuasionis plurima hauriri possent: quamobrẽ perstringere occœpi, perpetua quadã serie historiæ, consilia, gesta, & euentus, quibus Syria ad nostra usq; tempora agitata fuit: nulla ambitione adductus, sed ueritatis inflammatus studio, cuius quidem, ut uenia bonorum dixerim, in tanta copia scriptorum, magna inopia. Excreuit hac ratione in annum ter millesimum atq; quingentesimum, inq; librum sextum, forma illius Reip. quam leui quadam cogitatione complexus eram, idq; semestri spacio, cumq; ipse multis alijs & publicis & domesticis occupationibus premerer. Hos libros, ubertate & ornatu prioribus inferiores, ne infantia mea eloquẽtiam Tyrensis cõtaminarẽ, absq; nominis mei professione scriptis illius subijcere haud ausus fui, simulq; DE BELLO SACRO CONTINVATAE HISTORIAE LIBROS, eos nuncupare uolui: ut existimare eo minus aliquis posit, me, quàm indagãdæ ueritatis sollicitudinem, aliud aliquid mihi sumere uelle. Nec puto quisquam bonorũ hanc meã sententiam unquã reprehendet, cum nõ defuturi sint, qui, quod hunc laborem tibi PHILIPPE PIE, Collegioq; tuo, cæterisq; clarissimis, spectatissimis, inq; Repub. primarijs aliquot ac probatissimis uiris dedicauerim, inscripserim, atq; consecrarim, quod dedico, inscribo atq; consecro, hoc (inquã) quale quale sit officioli, & assentationis & arrogantiæ condẽnabunt. Seducit enim nõnullos superstitio quædam, ex leuicula ceremoniolarum diuersarum persuasiuncula concepta, ut melius arbitrentur, omnem amicitiam, omnem societatem humanam abolere, quàm accipere aut referre beneficium, inter eos, quibus opinionibus uarijs certatur. Ego autem ex tam crudeli pertinacia, nullam mihi spem salutis cõmunis, aut pacis publicę, proponere possum. Quapropter semper illud GRYNAEI, non Apollinis, sed SYMONIS, hominis & literarum & uirtutum omniũ cognitione clarissimi, pręceptoris quõdam mei, oraculũ, tanquã ex tripode profectum, exosculari soleo: quod quale sit, adscribendum duxi,

Non eadem sentire bonos, de rebus eisdem,
Incolumi licuit semper amicitia.

In hanc

In hanc sententiam si descenderent omnes, mirabilis certè rerum tranquillitas sequeretur. Sed quid ego me ijs purgo, quorum obtrectatio à principio mihi cognita fuit, & deplorata? Quin caussam meæ uoluntatis tibi PHILIPPE PIE, tandem expono? quo facto, homines omnes intelligāt, non modò ritè me fecisse, sed etiam aliter facere nequiuisse. Siquidē ut ocioli mei tu PHILIPPE PIE, uosq; cæteri mihi honoris amplitudinisq; causa uiri nominādi, amore clementiaq; uestra, autores estis, ita pietate & uirtute celebrandi. Is enim es PHILIPPE PIE, tu, cui inter uiuos ego comparare possim neminē: sed conferre te ei, qui dum uixit, omnium calculo, uitæ probitate, morum ætatisq; grauitate, rerum humanarum omnium experientia, priorem non habuit: sine æmulatione uerò, modestiæ, parsimoniæ lautæ, in Remp. erga bonos, literatos, subditosq; suos, pietatis titulos tibi soli concessisset: ADRIANO scilicet illi À RIEDMATTEN, Sedunensium olim principi & antistiti. is cum uiuens moriensq;, sanctissimi hominis testimonia reliquerit, felicitatemq; illam assecutus sit, quam perturbatio perditorum nostrorum temporū in morte constitutā habet, nihil mihi reliquum fecit, quo uel debitum, uel fidem meam illi soluerem, nisi iucundam quandā recordationem, & liberalitatis & humanitatis suæ. laudes, enim quàm ut ab ingenio cuiusquā amplificari, beneficia, plus pfectò quàm ut ullius conatu refundi possint, supergressus est. Ignosces PHILIPPE PIE, de mortuo talia prædicanti. Quorum enim tu uirorū maiestatem & uirtutem refers, eorundem etiam commemoratione lætari atq; refici solitus sum: à certo enim & uero sensu, cum Cicerone iudico, uirtute nihil esse formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius: addo, nihil quòd bonos magis allicefaciat: quod quidem ex eo perspicuum est, dum eius studio ornatum te, maximis atq; grauissimis uirtutibus ornatos uiros Collegij tui, ceu rectorē insequi: cum necessitudines, familiaritates, domesticaq; famulitia, ex optimorum & doctissimorum hominum numero constitutas, confirmataq; habere te, uidere possunt omnes, & sentire. Ingenijs summis, præstantissimisq; uiris, floruit semper Collegium illud tuum, fateor, & maturitas uirtutum omnium in hoc tui pontificatus tempore erupit. Ea sanè duce AMBROSIVS ille À GVMPENBERG, cōsequutus est, ut apud tuos, ordinibus sacris Prępositus, à te summam in collegio obtineret dignitatem non solum: sed etiam ingenio, industriaq; apud exteros, fortuna suffragante adeptus est, quæ magna inuidia obtinentur, maiori geruntur periculo, quibus uerò cum maxima gloria clarissimus quisq; fruitur. In talium uirorum orbitate summa, accedunt huic, & qui Decurionem Collegij agit IOANNES LYB, & IOANNES STEYNHAVSERVS, uerus custos sacrorū: atq; LVDOVICVS BER, Scholasticus uerissimus, uetustissimusq;: qui quidē omnes, titulis insignijsq; doctorū (quos iuris sacri & in omni genere disciplinarū prudentia, omniū laude et applausu meruerūt) curas & cogitatiões suas uniuersas, ad ea quæ Reip. tranquillitatem adferant, iamdudum manciparunt. ne interim dicam, quantam MELCHIOR À LIECHTENFELS, Diaconorum primarius: illeq; tuus ex fratre nepos IOANNES Leonhardus à GVNDELSHEIM, sacræ Musices magister: item VVERNHERVS À BERNHVSEN, GEORGIVS AB AMPRINGEN, FRANCISCVS D'AMPIER, in administrandis rebus ęquitatem, in consuetudinib. & familiaritatibus suauitatem, in bonos omnes liberalitatē, illustribus natalibus, inq; omni literatura, eorū dexteritati adiunxerunt. Hæc certè sunt decora illa in uirtute posita, quæ certissima fortunæ & institutionis splendidæ insignia illustrant atq; exornant. Hæc sunt uera exempla ab archetypo profecta, quæ te PHILIPPE PIE repræsentant, ut meritò ab alijs laudari possis, atq; tuis gratulari ipse, cum nō modò uirtutū & fautorem & amplificatorē te exhibeas, sed incredibili contentione

integritatis, tuos triumphare uides. Si ergo interest (ut ad uos sermonem cõuertam, V V. CC.) id quod omnis ętatis doctissimi uiri multũ referre docuerũt, ut talia Principis pij instituta, in rebus omnibus tam sancta administratio, incontaminata conseruentur, multumq; in ea re necessarios & domesticos posse, cõsentaneum: gaudere uos, & Principi nostro uicissim gratulari iubeo, ob fidem, industriam & integritatem eorum, quorum opera in publicis domesticisq; negocijs ipse utitur. Qua enim rerum experientia, qua domi forisq; claritate præpolleat claro loco natus, uir ille ERASMVS SIGELMAN, nemo nõ nouit. Is enim temperatis moderatisq; moribus præditus, seueritatem humanitati, grauitati familiaritatẽ ita coniunxit, ut autoritate summa, suauitate mirabili, negocia officiaq; omnia expediat: consilia nõ magis prudẽtię quàm fidelitatis plena, ueneranda ætate, uigenti ingenio moderetur. Huic si coniungãtur, SYMON A' ROMERSTHAL, homo summo loco natus, atq; à Romanorum prosapia originem ducens: item constans ac fortis ille senex SEVFRIDVS A' VOHRBVRG, uestri municipij Delsperg Prætor: huic inquã, si hi consiliorũ adiutores addantur, in fortuna negocijsq; uestri collegij, non solũ prudentissimũ fortissimumq; aliquẽ senatum, uerùm ad tuendã Principis salutem & dignitatem, consensum admirabilem, incredibilemq; conspirationẽ experiemini. & quod ipse uobis gratuler, mirabilis est expectatio, quæ tanta affulget, deq; horum uirorum clarissimorum liberis concipi potest. Etenim iuuenis ille GEORGIVS SIGELMANNI F. studiosissimus apparet artium earum, quas optimas ingenuasq; uocant, in quibus optimi acquiescũt: in ijsq; ita uersatur, ut excellat: ob singularem autem modestiæ famam, apud Italos Gallosq;, amorẽ eorum, quos studiorum socios habuit, dilectionemq; meritus sit, pollicendo in Iurisprudentia magnificum nescio quid, & admirãdum: cum MARCVS A' VOHRBVRG SEVFRIDI F. indies pleno gradu discendo, exercendoq; se, ut in omnibus ingenui hominis exercitijs, & dignum se tali patre prognatum ostendat, & meritò omnibus se charissimũ exhibeat. Hunc NICOLAVS frater, si fortè literatum germanum non æquat (qua mediocriter imbutus est) tamen animi corporisq; dotibus parentem ingenuũ mirificè referre uidetur. De IOANNE CHRISTOPHORO, puero, qui nõ solum SIGELMANORVM deliciæ, uerùm etiam & parentũ, & omniũ eorum corculũ dici potest, qui maiestatẽ animi uenerari solẽt, id tantũ referã, fore olim, ut literatissimorũ doctissimorumq; uirorum ingenia, egregiè dictis factisq; præclaris. exerceat. SYMONIS uerò A' ROMERSTHAL prole fœcundissimi & fœlicissimi hominis, liberi, quam spem Reip. industria armorum, literarum doctrina, pietatisq; exercitijs, exhibeat, NICOLAVS eius F. in bello, quod prioribus annis, magno Germanię tumultu, CAROLO MAXIMO AVG. gestum est, testatum reliquit, ijs fortissimi & infracti animi exemplis, quibus fratrẽ suum BEATVM BENEDICTVM, contra Turcas fidei nostræ hostes, olim fortissimè pugnando, strennui militis gloriã, atq; pro patria pulchrã mortẽ consequutũ esse nouerat. Vos, uos (inquã) VV. CC. permoti nescio qua animorum diuinatione, quando IOANNEM CHRISTOPHORVM atq; PHILIPPVM, horum fratres adolescentulos, rite acceptos, in Collegium uestrum sublegistis, confirmare uidemini, in opinionẽ hæreditatis alienæ gloriæ uenisse uos, laudemq; maximã ad eos transfudisse, quum olim disciplinæ uestræ alumnos, præceptorum & consiliorũ obtemperantes, laudibusq; florentes eos, omnibus admirationi futuros confiditis, pudore, probitate, uirtute, studijs rectis, ac bonis artibus. Tales itaq;, apud Principem nostrũ omnia officia, omnia munera exequi: tales ita nasci, ita educari, ita imbui ab ijs qui familiares & consiliarij ipsius sunt, qui illi coniunctissimi iucundissimiq; sunt, haud uulgi cõsensu tantũ, uerùm et bonorũ omniũ assensu

admirabile uobis esse debet, & lętitię summæ. Ne aliquid dicā de IOANNE IACOBO huius filiolo, puerulo certè, quē præter annos, ingeniū senile, ut omnib. admirabilē, sic quoq; eum ostendit, cuius lęta indoles uniuersis fermè sollicitudinem incutere posit, ne terris hunc citius inuideant superi, quem in genuitatis surculum, omnibus naturæ lenocinijs succrescentē, ornatumq;, exhibuêre. At tu PHILIPPE Princeps PIE, qua prudentia, quo usus sis iudicio, quamq; diuino, uerbis exequi hercle nequeo, nec cogitatione ulla satis assequi. Coniunxisti etenim consilijs, studijs, rationibusq; tuis uirum, Deus bone, qualem: cuius fides erga te præclara, consilij in rebus agendis promptitudo, morum constantia, sermonis lepos, erga omnes humanitas, una ipsius in omni genere & facultate literarum excellentia, uincuntur. Minori admiratione bonorum, Alexander olim Magnus Hephæstionem, Augustus Octauianus Agrippam, Alexander Seuerus Imperator cateruam doctorum sibi adiunxit, quàm tu IVLIVM GVT, rerum tuarum moderatorem præfecisti, atq; amplissimo ordini scribarum tuorum, summum constitueris. Ornauit CAROLVS MAXIMVS AVG. ornauit PAVLVS MAXIMVS PONTIFEX, hoc tempore OTHONEM, Augustani apud Vindelicos collegij summi Antistitem, Sacerdotem magnum, ut nunc loquimur, Cardinalem Presbyterū, Titulo D. Balbinæ, non solū ob claritatem familiæ (quū ex illustriss. atq; inter Sueuos, Germaniæ populo olim celebratissimo, clarissima atq; uetustissima natus sit) nec tantum ob gloriam, ad quam à pueritia exardescēs, quamq; omni cura & industria, animiq; magnitudine consequutus est: uerùm etiam propter fidem singularem, officia promptissima, liberalissimaq;, quib. his molestissimis tēporibus, pace & bello, utriq; præsto fuit. Ornasti tu PHILIPPE PIE, Princeps, IVLIVM hunc, quem nō solū uetustas atq; claritas prosapiæ inter Cheruscos celeberimæ, non tantū ab ineunte ætate, bonitatis, & ut in sago strennuus, in toga cōstans esset, studiū, atq; cognomē gētilitatis incitauit (quod quidē fœlici indole sua peruicit, supergressusq; est) hæc inquā hunc non tantum tibi commendant, uerùm ea obseruantia, ea firmitas, quibus amplitudinem & dignitatem tuam, calamitosissimis his temporibus augere tueriq; nititur, ostendit, parētes suos senes eum non pluris facere, quàm tuam autoritatem, ac pietatē fermè fidei postponere. Quæ etsi magna, similitudinemq; inter se habere uidentur, facile tamē atq; lubens tu PHILIPPE, CAROLO & PAVLO in beneficijs collocandis & elargiendis cessurus es, scio, autoritatem & honores IVLIVS tuus OHTONI cōtribuet: quod uerò duobus MAXX. in OTHONE, tibi in Iulio ornando puto caussam fuisse, admirandam scilicet, diuinamq; in utroq; bonarum literarum scientiā, certā & laudatissimā habet comparationē, in nullo inferiorē ei, quā inter Q. Mutium Scæuolā, et L. Crassum olim fuisse, doctissimi uiri in monimenta sua retulere. OTHO siquidem eloquentium iurisconsultissimus, IVLIVS Iurisperitorum eloquentissimus est, & meritò dici potest, hoc nostro æuo: quod præter syncerææ meæ conscientiæ testimonium, iudicium doctissimorum uirorum fatetur, quibuscunq;, quemadmodum mihi, aditus ad OTHONEM, aut congressus cum homine fuit. Certè IOANNEM OPORINVM meū, quid dico PHILIPPE Princeps PIE? tuum, imò optimorū omnium, literarū et literatorū amicū animo, factis beneuolentissimū, iudicio æstimatorē æquū simul & acerrimū, cum infantia mea IVLII facundiā atq; prudentiā (quæ ipse Oporinus elegātia sua exornare statuerat) impetu amoris delibasse me leget, expostularurum eum mecum noui. Hęc tua PHILIPPE Princeps PIE, tuorūq; atq; uirorū præstantiū singularia ornamēta, assentationis nota me tā probè liberāt, ut nō minor ijs liuoris nota impingi posit, quib. dedicationē hanc meā accusare propositū fuit. Magis etiam reprehendendi sunt, qui arrogantiā quandam

quandam obijcere mihi conantur, cum in hunc sensum uestrorum omniũ beneficijs allectus, & gratitudinis officio compulsus sim, ea de uobis sentire omnibus, & dicere, quæ maximè mihi utilitati & cõmodo, uobis autem multis rationibus honorifica fuisse, et esse certũ est, summaq́ gratia illustrata. In eo certè ego ipse spem meam fefelli, quãdo caput & pectus polire debuissem, reliquũ corpus inchoatũ et rude et imperfectũ delineaui, colorũ rationes in eos libros reijciẽs, quos de Episcopis Basiliensibus, Deo adiuuante, propediẽ in lucẽ editurus sum. Interim tu Princeps PHILIPPE PIE, hoc munusculũ, uosq́ cæteri VV. CC. id quale quale sit, suscipite, ea persuasiõe, nullã ut mihi in omni uita rem æquè propositã esse credatis, atq; ut indies de bonis, de uobis, me optimè mereri & optẽ et contendã. Tuq́ IOANNES LEONHARDE, patruo, Gundelsheimiorum imaginibus, præceptore OPORINO, literis tum Græcis tũ Latinis, ac ad D. Vrsicini in rebus sacris primatu præclare & illustris: cuius liberalitate in quartum nunc annum sustentor, maximam tibi huius laboris partem uendicare potes: quem ut tuo nomine ornarem, præter id, quod ut me gratum tibi præbeam & exhibeã æquitas postulat, etiam GEORGIVS HVBERVS, uir ille cuius fidem Princeps noster in rerum domesticarũ procuratione, amabili testimonio probare solet, tuq́ laudare & beneuolentia efferre cõsueuisti, is dico efflagitauit, et importunius fermè extorsit. Efflagitauit id quoq; GEORGIVS LEONHARDI, municipij Delsperg scriba, ut tibi, mihi, omnibusq́ bonis amicus, literis liberisq́ non infœlix. At plura q̃ statueram. Recipio me igit̃ ad unũ illud PHILIPPE Princeps PIE, id unũ refrico VV. CC. me uestrum bonorumq́ omniũ fore semper: amorem deinde, quo hactenus me complexi estis, & iudicium de me uestrum immutatum sperare, atque in rebus meis tenuissimis, literarioq́ ociolo, opem, consiliũq́ uestrũ omnium haud mihi defore, certa me opinione cõplecti. Valete. Ex rure, uestroq́ fundo Pfeffingen. XV. Cal. Septemb. Anno à nato Christo M. D. XLIX.

OB DESCRIPTIONEM VITIOSAM EXEMPLARIS, operarumq́ festinationem admissas mendas, sic castigauimus.

PAG. 1. uersu 7. lege, initi cum 43. numinis iram 2. 9. breui. 36. corrogando 3. 34. Vt quod 5. 40. Douerum 10. 31. immisit. 12. 4. certis interpositis. 15. millium erant, quibus. 28. Sephoritanum 31. Ethm. 14. 39. terrendos 16. 5. quodam 18. 31. emissariũ 20. 27. Vrbano secundo. 40. Tyrensis nostri 21. 12. Sacra in 22. 21. Foro 24. 30. nongentesimũ ac nonagesimum. 45. Hierosolymas 39. 5. industriam 40. 34. fumum. 38. eum in libertatẽ 41. 41. Septuaginta & unus 43. 27. gustum. 38. ostendam 57. 7. Genuensium 71. 8. Genuinum 88. 6. sinui. 103. 36. Capitatione 116. 2. quam 123. 34. At 140. 1. dum communis 141. 35. At 150. 24. in dotemq; 155. 43. facerent 158. 4. inter. 26. censebunt. 33. allegerem. 41. charissimum 165. 34. qui sacris. 35. Vtræq; rei 169. 12. Tyrensis 196. 24. Vidua puellum 204. 4. præferebat 209. 42. eum retinuerat 211. 1. imminuit. 216. 34. clinopalen 217. 13. M. D. III 36. fortissimæ Viraginis 219. 26. Fuit. 222. 4. apud Damascum Tomombeius 24. opertam 232. tenerẽ

DE BELLO SACRO CONTINVATAE HISTORIAE LIBER PRIMVS, IN ORDINE uigesimusquartus.

Mittuntur Legati qui Occidentalium auxilia implorent. Caput I.

INclinationis regni Hierosolymitani iam agebatur annus decimus sextus. nam Almericus rex qui fœderis initium Soldano Aegyptio immemor, contra phas piumq́, nihil tale uerenti bellū intulerat, iamdudum perfidia sua labem maximā, auaritia hac illā cladē præsentissimam regno procurauit. Quippe cui uires, industria, ac in rebus gerendis animus excellens, periurij infamiam, uictoris nomine, detergere potuisset, is uictus auri cupiditate, quod illi à Soldano offerebatur, Aegypti imperium amisit, ac posteris res suas omnino deploratas reliquit. Syracono enim Aegyptum obtinente, Sauare Soldano occiso, insuper trucidato à Saladino Calypha, iam uidere erat, Latinorum gloriam in Oriente paulatim labascere, uires cōcisas. Nam statim Iosephus (hoc enim nomen cum infans esset, illi lustrico circuncisionis die inditū fuit, postea Salahadinus appellatus, quasi corrector legis, id ēm sonat lingua Arabica) leuibus prælijs nostros aggreditur, uires animosq́ suorum tentaturus, militem cum Latinis nūc uelitari, iam collatum perferre pedem assuefacit: cum antea ex Europa singuli Latini denos Barbaros fugarent, uel solo aspectu terrerent. Potuisset tamen, prudentia & consilio, hostis diutius à finibus regni longiusq́ arceri, si rei priuatæ studium, publicæ saluti ab Imperatoribus regni postpositum, ac Noradini Damasceni reguli filius armis socijs tutatus fuisset. Quod uerò rem omnem præcipitauit, fuit ambitio illa procerum, qui regium honorem ac nomen regium, factionibus potius, quàm regnorum et regionum imperium rebus fortiter gestis propagare uoluerunt. Cum etenim eò res deuenissent, ut amissa Tetrarchia Mesopotamiæ: in Syria, Antiochia ægrè defenderetur, Tripolitana prouincia precario emercata, Palæstina ferro, flamma, cæde uastata, res trans Iordanem ad hostis nutum sursum deorsumq́ uoluerentur, tyrannidē spirant Guido atque Raymundus, homines ambo temerarij, inconsulti, malè sani. Iā in rege Balduino nulla spes erat, qui ab initio regni ut corpore, sic consilio parum ualebat: in rege puero nulla, qui ætate tantæ dignitatis onus nec ferre, nec facilè ab æmulis in hoc educari, credi posset. Guido iamdudum apud fontem Tubaniam & stupiditatis & pusillanimitatis specimē dederat. Raymundus cum Barbaro amicitiam contraxerat nimis suspectam. Accedebat uita tum sacerdotum dissolutá, tum plebis obrutæ sceleribus mores ita, ut nec Patriarcham integrè aut syncerè uixisse, sint qui tradant. Prodigia cœlo ostensa hæc omnia à Deo abominari indicabant. Atroces uenti undiq́ exoriebantur, solis lux obscurata per aliquot horas, grando ad instar oui anserini cœlo delapsus. Terra quoq́ imminentes clades denunciat, motibus tremoribusq́ crebris ac horrendis agitata. Nec mare obticuit nuncians iram, solito maiore redundans æstu. Ignis in modum domus ardentis cœlò discurrebat. Iurares omnia elemēta, totiúsq́ Creatoris opificium, luxum, facinora ac flagitia exagitare & detestari. Vni-

ea erat fiducia, propter singulare ingeniū, iudiciū quoq; elegantissimum in regis Scriba Guilhelmo sita. nam qua de cunq; re ageretur, hominis mãsuetudo, maturumq; cõsilium, lucem aliquã uidebatur inferre obnubilatis. Hunc rex secretò conuenit, sciscitans, ne quid detrimenti Respub. acciperet, quomodo prouidẽdum esset. Is in alienorum exterorumq;, atq; adhuc integrorum felicitate, rem omnem sitam esse, respondet, cæterum in propinquo nõ esse, quorum fidem implorare, aut quorum auxilium sperare rex possit. nam Andronicum Constantinopolitanum, imperij res apud Græcos ita omnes euertere, ut Boemi alijs adiumento fore non solum nequeant, sed neque in seipsis consistere possint. In occidente autem, apud Francos Philippi regis res florẽre, cuius proculdubio animus ad maiora amplectẽda aueat: hærere illi animo Syriacas patris expeditiones, præter id, quod aliàs religionis habeatur amicissimus. Deinde Anglum regem Henrichum, hostem semper quærere, & eundem maximum ferocissimumq;, in quem ut ueteranus acrius inuehat, ac deuicto eo euadat gloriosior. Iam Federicum cum Ecclesia reconciliatum, pacata Italia, ocium terere nõn posse. Lucium Pontificem plenis uelis in hoc unum uehi, ut laborãti regno occurratur. Hos quidem adeundos esse, quos armis, uiris, ære, consilio, animo posse plurimum certũ sit, ac uelle nemo dubitet. Hæc consilia etsi regi optima uiderentur, in ijs tamen hoc unum deesse haud obscurè confessus est, quod non constaret, quorum ad cienda auxilia opera uti posset, nec etiam illi dignum uidebatur uiros tantæ dignitatis in regnum uocare, discordia ita lacerum: si enim ipsum Guilhelmum mittat, in regni negotijs syncerum rectumq; consilium, sibi interim defore: si etiam auxilia recipiat, ambitione, inuidia, discordiaq; Principum, ut prius quoq; contigerat, omnia in præceps deduci uerebatur. Conquerebatur deinde, Guidonem cognatum iniquum sibi, nec ad edicta illum conuenire. Tripolitanum ad regni gubernacula adhibuisse metu magis quàm consilio, hac quoque re ipsa fomitem addidisse se discordiarum. Heracliũ Patriarcham, Arnoldum Templi, Rogerium Hospitalis magistros, si non aliquid in eum coquerent, uix nulla habita regiæ dignitatis reuerentia, tam citos discessuros fuisse, inexpectatis Comitiorum consultationibus. Tandem persuasus rex, à Guilhelmo, Guidoni recõciliatur, cui ut administrationi renunciet, Ioppensis urbis dominium iterum restituitur, regiq; pueri Alumnus appellatur. Nec Tripolitanus sibi deest, muneribus aliàs hominem auarissimum sibi demulcens. Cum Patriarcha postea ac Magistris blanditer actum est, ut & operam et cõsilium omne, Reip. promitterent, in erogando apud Occidentales subsidio. Additur Legatus, seruitium, parantur naues, cõmeatus, ac reliqua itineri necessaria, faustisq; imprecationibus, ad portum Acconensem deducuntur. Qui oram soluentes ac uela uentis permittentes, ijsq; placidè adspirantibus, in Italiam traijciunt.

Legati spebus promißionibusq; magnis in Occidente aluntur. Arnoldus militiæ magister moritur. Caput II.

PErsuasum erat Legatis nostris, cum prius omnia ex sententia Lucij Pontificis Romani in regno Hierosolymitano peracta esse cognoscerẽt, quod etiam primo ipsius congressu ex uoto respondentem inuenirent. Hydruntũ appulsi

appulsi,cum iter Romam pararent,urbẽ intestinis tumultibus exagitari audiunt,Pontifici Maximo ciues infestos esse,eiq; uires intentare. quæ res originem inde traxerat,quòd Pontifex hac magna manu suorũ,ac ciuiũ non multorum fauore Consularem potestatẽ abrogare proposuerat.Romani enim, qui olim Narsete & Prusilio Coss.quod in annũ Domini 570.incidit à Longino,primo Rauennatium Hexarcho,forma administrationis antiqua, magno Rom.Pop.dedecore,& Consulatu priuati,exuto decoris illo et maiestatis ueteris nomine,sub Præsidibus,quos Duces appellare maluerũt,per quadringentos fermè annos,libertate omni amissa,transegerant adeò,ut Consulatus apud eos omnis memoria extincta,ac quicquid ex Monarchia illa olim tam fœlici,uicissitudo rerũ reliquum fecerat, Ducatus Romanus appellaretur: cuius rei ne posteris argumentũ deesset, aureus nummus percussus, adhuc Ducati nomen retinet. At Berengarijs in Interregno post Carolum illũ magnum tyrannidem arripiẽtibus,cœpit & ipsa Roma caput extollere iterum, uires resumere,pristinarumq; dignitatũ nescio quam umbrã affectare,Pontificum excusso iugo,Coss.iterum creat, Præfectum,ac nescio quos Decarchontes. Hi ambitionẽ Pontificum cũ suspectam haberent,patriæq; libertatem,repulso exterorũ Imperio,iamdudum & armis omniq; cõsilio,uendicare annisi erant: quod cũ uim atq; tyrannidem esse,Lucius interpretaretur,eorum potestatem,quam uix ducentis quinquaginta antea annis,postliminio quasi obtinuerant, prout & Alexander in Tusculano prius attentauerat, abolere nitebatur. At adeò Consularis factio præualuit,ut exturbato Pontifice,in complices suos,seuerè quidẽ animaduersum & crudeliter sæuitum sit. Quotquot enim ex Romanis,Põtifici studuisse cõpertum fuit,hi erutis oculis,nouo atq; inexaudito exemplo pœnas dederunt. Clerus,qui fuga tardius sibi cõsuluerat,tantæ crudelitatis haud immunis. Multi em̃ correpti, asinab. prępostere impositi,cauda manibus alligati,per urbem circumuecti,pueris, puellis,uiris fœminisq; præter probra & calumnias,fœdissima queq; illis in faciem conijcientibus,miserè perierunt,aut carceribus extincti sunt. Hũc populi furorem cum Pontifex declinauerat, ac ira exæstuans, ad ulciscendam tantam iniuriam,et de abrogando Consulatu initum consiliũ,quocunq; modo posset prouehendum,rationes requirit omnes, tandem magnis itineribus Veronam delatus,eos qui sacris sunt initiati,quiq; rerum gubernaculis prę erant Principes,cõuocat, Conciliũ habiturus, ac quod prius Romę interitã uerat,fœliciori fine perficeret. Patriarcha atq; Magistri interea rei finẽ expectantes,apud Guilhelmum Siciliæ regem,omnibus excepti honoribus commodè moram duxerãt.nam ipse nuper deuicto Marucco rege Sarracenorũ, eiusq; filia capta,non prius in redemptionem puellæ assensit,quàm recepta Aphrica & Sicilia,quas Sarraceni patri suo olim abstulerant. ob idq; factũ Guilhelmi nomẽ celebre. rex à Pontifice iamdudum sollicitatus,ut in Asiam rebus Christianorum afflictis opem laturus,traijceret. Apud quem cum agerent, Godefridum Louanensium Comitem contigit apud Brundusium appellere,qui Hierosolymam inuisurus,non contemnenda manu,iter accelerare, per eos persuadet. Iam nuncij hinc inde missi, ad Concilium Veronæ indictũ,Principes inuitabãt,palamq; dicebatur Fredericũ Imperatorẽ adesse,

qui ut Papæ reconciliaretur, aduenerat. Pontificem enim, haud minora in Imperatorem molitum fuisse, quàm prædecessor suus Alexander conabatur, constās erat fama. Fredericus, ut Lucium pacatiorem haberet, precibus ipsius tantum detulit, ut Hetrusci, alia quàm Lucensi moneta non uterentur: is enim patriæ suæ non immemor, Lucam omnibus muneribus tum diuinis tum humanis exornare studebat. hac una re delinitus Pontifex Papiensibus concessit, ut æs ipsorum, Imperatoria nota signatum, Longobardi solum admitterent. Inter hæc Legati nostri aduolant, quibus in Senatum intromissis, & dicendi copia data, sermo fuit de orta inter Guidonem & regem discordia, deq; Salahadini uiribus regno exterminium minitantibus, preces additæ, auxilia implorata, nec, quantus ex hac re diuini numinis fauor, quantum gloriæ nomini atque Reipublicæ Christianæ promereri exinde possit, suppressum est. Quibus persuasionibus, cum Lucius atque Fredericus, ne maiorem aliquam cladem, Christiana res, in ea terra adiret, attentiores redditi, accedebat Heraclij Patriarchæ ipsius præsentia, quæ rem urgere uehementissimè uidebatur. Tentat igitur Pontifex nunc hos pollicitationibus, illos præmijs, ut in Asiam traijciant sollicitare. dumq; ipsius Legati ultrò citroq; discurrunt, Patriarcha cum Magistris suadente Pontifice, Philippum regem Galliarum adeunt, quo itinere, Arnoldus Templi magister obijt: quem luctu ingenti cum socij sepulturæ tradidissent, Lutetiam petunt. Philippus igitur rex dignitati tantorum uirorum multum deferens, Præfectis atque Quæstoribus regni ipsius, quacunque iter facerent, ex publico alerētur, præcepit, ac ne quid illis deesset itineri necessarium, diligentissimè cauit. Insuper negotijs regni sui postpositis omnibus, ut honorificentissimè susciperentur Legati curauit. Erat tunc in Lutetia Episcopus Mauritius nomine, qui cum ab infantia stipem emendicando hostiatim, in disciplinis honestis nō parum progressus erat, magna spirare cœpit. nam eleemosynam petitam recusauit, quoties illi hac conditione, à festiuioribus erogaretur, ne unquam ad Episcopalem dignitatem adspirare uellet. Hic iussu regis, cum Clero & populo it obuiam, facundia qua præditus erat, aduentantibus gratulaturus. Excepti igitur, ac per aliquot dies humaniter tractati, Senatus illis totius regni uocatur. quid sibi poscerent, dicere iussi sunt. Ibi Patriarcha de Ludouici regis pietate exorsus, Philippum rebus perituris defensorem se quærere dixit: dein exhortationibus ad pium opus reliquos regni proceres, accēdere conabatur. Summa orationis fuit, ut diceret, res Orientales, nisi Francorum uirtute & ope, consistere diutius non posse. Tantum & docta & pia hominis oratio omnium animos flexit, ut in omnibus cœtibus Christianorum ad populum regio edicto, uerba haberentur, quibus pro suscipiēdo bello pro Hierosolymitanis animarentur subditi. Principes autem in colligendis pecunijs, conscribendis exercitibus, operam dabant assiduam. Rex delectu habito, quem magis strenuum nouerat, selegit, ac coactis equitum aliquot copijs, peditum manum aliquam ipsis adiungit, qui in Italiam statim mittuntur Pontificis arbitratu, stipendijs regijs in Syriam abituri. Nec nostri rebus suis deerant, quicquid enim persuadendo possunt, id omne intentant efficere. Frequens

illis

illis congressus cum Legatis Belæ Pannoniarum regis, qui ut Margaretham Philippi sororem, regi suo in uxorem peterent, aderant, Hungaro & opes & itineris commoditatem præscribentes: cuius Legati, operam & consilium in persuadendo rege eorum, pollicebantur. Inaudierat præterea Heraclius, post Thomæ Cantuarensis necem, quæ ante decennium perpetrata fuerat, regis Henrici Angli opera, quòd Legati Papæ pœnam regi Henrico indixerant, ad rem Christianam tuendam, ut aliquot milites mitteret, atque intra triennium ipsemet in Syriam exercitum duceret, communi hosti bellum facturus. illum uerò bellorum tumultu impeditū hactenus, quod iuramento affirmauerat, distulisse. & hūc adire decreuerunt, sumptaqꝫ licētia, in Angliam traijciunt, Heinricum adeuntes: regem cœperunt rogare, orare, obtestari, ut tandem pro defendenda re Christiana, sicut iam pridem uouisset, arma corriperet, Ducibus in Syria laborantibus, subsidio iret, cum pro certo haberet tanti laboris fructum se ab eo accepturum, qui benè meritos præmio optimo atque immortali semper remunerare soleret. Rex respondit, tempore alieno se ualde excludi, domesticis seditionibus, externis bellis supra modum se fatigari, quo minus ipsius uotis respondere possit. Pollicetur stipendium militibus. Heraclius, ut erat ad uitium usque in dicendo liberrimus, subiungit. Hoc est rex quod olim iuramento affirmabas, te intra triennium in Syriam iturum, quod iam peracto decennio fermè integro, recusas. Aurum abundè suppeditat nobis arma, commeatus non desunt: unicus deest Imperator, qui bellum suis fortissimis militibus gerat, quales disciplina illa tua militari, optimè instructos, te nouimus habere. Cæterū cum tu miles esse Christi neges, uerba Deo optimo maximo dare semper coneris, pro tot beneficijs acceptis, ingratissimū te exhibēs, crede mihi, pro uita, pro regno aliquando decertandum tibi erit. exutus his omnibus, tandē disces, quam pœnam mereantur illi, qui operam suam conseruandæ tyrannidis ergò, domino negant. Et quia stomachum tibi mouisse me uideo, ac admonitionem meam ægrè te ferre, non tamen tegam quæ in rem tuam dicenda uidentur. perinde enim mihi est sanguinolentis, & Diui Thomæ cruore commaculatis, mali Christiani manibus hic perire, ac in Syria à Sarracenis trucidari: usuram tam breuis temporis haud moror. Huius uocē rex iratus interrumpens, exclamauit: Si uel unica omnibus meis populis lingua esset, ea tam uirulenta in me non auderet effutire. Verum ais, refert Antistes, omnibus exosus, nemo est qui flagitiorum te admoneat. nam malè uiuentem, malam postremò te obiturum mortem citius sperant & expetunt. Admonitus à suis rex, bonis blandisqꝫ uerbis, cum Patriarcha agere instituit, occupationes prætēdens, ob quas impræsentiarum Imperatorem se præstare, aut expeditionem inire nequiret: muneribus delinitum, magnificisqꝫ promissis oneratum usque Donerum deduxit, unde in continentem transmisit Heraclius. Permeata Germania, Principes adeunt, ac in subsidiū Hierosolymitanum postulant quæ tantæ rei necessaria uidebantur. uerbis spebusqꝫ magnificis impleti Veronam redeunt, inde ad Guilhelmum regem proficiscentes, quem Lucius Pontifex Syriacæ expeditionis ducem designauerat,

 ut cum

ut cum ĳs copĳs, quæ ad id tempus paratæ erant, quotidieq́ parabantur, in Asiam nauigaret. Is autem Alexĳ pueri, Manuelis filĳ mortem ulturus, Andronico parricidæ bellum intulit, Thessalonicaq́ in ora Macedoniæ capta, multas Græciæ Thraciæq́ urbes, magnis cladibus affectas, Imperio ademit. Legati uerò nostri, qui eius ope in Syriam deuehebantur, in regnum atque Hierosolymam applicuerunt, statum regni deploratum, spe quadam consolantes.

Balduinus rex moritur. Guido regnum inuadit post Balduini Montisferrati obitum. Caput III.

BAlduinus rex Legatorum aduentu cognito, misit qui præmonerent, ne quid in priuato publico'ue propalarent eorum quæ ab ĳs transacta essent, uocarentq́ eos ad regiam, ut edoctus, quid consilĳ capescendum esset, quidue expectandum sibi, ex ĳs quæ referrent. Cúmque corám constitutus Patriarcha, præter spes ingentes quidem nihil adferret, dissimulato dolore, auxilia parata & in promptu esse, diuulgari fecit: accedebat Patriarchæ iactantia, qui ut res haud tepidè administrasse uideretur, spes augere, subsidia numero, opibus, celeritate, ueris ficta admiscens, amplificare studuit, ac apud omnes mirum in modum prædicare. At rex, ut erat solertis ingenĳ, parum promissis fidem adhibebat, cum tempus, in quo omnis mora in Reipublicæ detrimentum maximum redundare uidebat, ociosum fané aut intestinis discordĳs absumi cerneret. Tyrensis Episcopus regni Scriba, crebras ab amicis etiam accipiebat literas exortæ inter Imperatorem & Papam simultatis, belli inter regem Francorum & Angliæ, item Lucĳ Papæ obitus. cui licet Vrbanus tertius in dignitate Pontificia successisset, eaq́ in sollicitudine, quam pro tuendo regno Hierosolymitano gerebat, tamen ex studĳs ipsius paci publicæ omnino alienis, Turbani nomen à nonnullis suscepit. Quod denique prudentioribus dubitationem intulit maximam, erat, cum nec prece nec precio Godefridus Louaniensis, militum ea manu quam secum traxerat, in Syria retineri posset, sed ea die qua palmam finitæ peregrinationis insigne receperat, in conspectu omnium regi ualedicens, abitū pararet. Rebus igitur tam miserè afflictis, rex exhaustis ęgritudine uiribus, Reipublicæ curis nimis intentus, patriæ amantissimus, cum opem se ferre posse nullam uideret, mœrore & angustia magis, quàm dolore aut acerbitate morbi extinctus est, anno ætatis suę uigesimoquinto, regni uerò duodecimo. qui erat à nato Christo millesimo centesimo octuagesimo quinto, ab incarnato uerò octuagesimoquarto, supra millesimū centesimū, mense Martio, decimasexta die Mensis. Vir nullo regum, uel animi fortitudine, uel laborum patientia postponendus. Corpus eius, postquam mors eius palàm facta, per Principes Mausoleo regio in Caluariæ loco illatum, atque solenni Principum pompa funeratū est, mœrentibus publicè cunctis, Tyrensi archiepiscopo, pro æde sancti Sepulchri, ipsum laudãte. Luctū hūc publicum, publica calamitas excepit. quippe Raymundus Tripolitanus à morte regis, regni administrationem omnem, præfecturam urbis Hierosolymæ,

rosolymæ, ac tutelam pueri Balduini, sibi deberi integram excluso Guidone, contendit, ac in Procerum corona, id sibi muneris confirmare petit. At Sibylla Balduini Regis defuncti soror, uiuentis mater, Ioppensis uxor, uiro instat, ut tandem rerum habenis interceptis, uirum se præstet, competitori nullo modo cedat. Nullam iam pietatis, nullam iurisiurandi, nullam rerum uel temporis rationem habendam esse, nec pensandum qua iniuria uel quo iure summa potestas acquiratur. Dies integra altercationibus inter competitores eximitur, ac qua quisque iterum sua iura, rationes suas possit adducere, de nouo dicta dies. qua cum regni Proceres conuenissent, iussus dicere Tripolitanus, ita exorsus est. Quo in statu regni res positæ sint, Principes optimi, uestrûm nemo est, qui ignoret. cuius quidem interitum accelerare discordia potis est, cum uel concordia numine suo, etiam præsens, parum regnum iuuare possit. Hostem habemus, qualem scitis, & potentissimum infensissimumque, rege orbati pientissimo fortissimoque: spe tantum ducimur inani, alienis uiribus innixi, cum unusquisque apud sese, quid posset, quid uellet, constitutum habere deberet. Si ipse ego, qui à sanctissimo Principe, ad regni administrationem & tutelam regis uocatus, mecum cogito, quidnam hac sua deliberatione quæsierit, quod omnibus constat, hoc idem sibi uoluisse uideo, quòd uires nostras & opes integras cerneret, iisque sideret, eas olim fore, quæ regni rebus attritis, subitaria auxilia inferre posset, ac cunctando hostem fatigare. De me aût facilè sibi persuadebat omnem in hoc unum me nauaturum operam, ut nulli latêre posset, à teneris illa militaris disciplina imbibita, fidesque erga Rempublicam innata. Quare, ne ut nuper factum fuit, tempus litigando inutiliter consumetur, regis optimi consilium, & opes & facinora nostra uobis ponderanda relinquo, quæ si competitoris potentiæ & indoli conferantur, album uestrorum omnium calculum expecto. Ad hæc Guido pauca equidem, sed quæ probra ingererēt, & uim minitarentur tam Comiti, quàm eius fautoribus, subintulit: tandem per minas extortis omnium suffragiis, tutelam & regni & pueri obtinet Guido. Tripolitanus tacitis pollicitationibus Principum pacatus discessit, cuius dignitatis rationem habituros se prima quaque occasione iurauerant. Sibylla impotentis animi mulier, cum sibi per filij ætatem nisi tardum imperium promittere non posset, in uirum uerò præsentem potestatē se habere uideret, mater regis dici fastidiebat, ac Reginæ nomen, patre rege nata, ambiebat. Sed uoto suo non diu frustrata, accidit, ut Balduinus puer septimo post obitū Regis mēse, hominē exueret, quē etiā ipsam matrem, lento ueneno accelerasse, tradunt nonnulli. Res mehercle horrenda, sitis detestāda regni, quæ nonnunquā cruore parentū, aut liberorū sanguine extingui solet. Excessum pueri uitricus & mater nō prius palàm fecerunt, quā multis nō magis pollicitationibus blanditijsque, quàm largitionibus ab Heraclio Patriarcha, Episcopis, proceribus & magnatibus, Guidonē uirum suum præsentem, ac magno cū dedecore suppliciter mercantem regnum, regē dici obtinuit. Verebantur enim, quod & futurum erat, quòd populus & mi

litia omnis Tripolitanum Comitem in regem Hierosolymitanum poscerent, cuius uirtutes & egregia facta uniuersi prædicabant, Guidonem pusillanimitatis arguentes. Gerardus autem Ridefordius, magister Templi, qui coronam, & reliqua regni insignia, in Templi penetralibus obseruabat, ingenti accepta pecunia, reginæ reddidit, sic una atque eadem die, Guido coronatur in regem, atque infausto omine Balduinus puer, publico funere elatus est. Tulit hanc iniuriam grauiter Raymundus, uindictæ studuit, quæ postea & æmuli regis formam euertit, suspsius quoque res & cæterorum Latinorum in Asia gloriam extinxit. Sed dissimulandum animi dolorem ratus, etiam Bonifacium Marchionem Montisferrati suspectum habuit, is quippe mortuo sine liberis fratre Raynerio, Thessaliæ rege, hæres institutus fuerat: at audita discordia regni Hierosolymitani, qua Principes seinuicem lacerarent, de tutela filij fratris altercantes, ac recepto paulopost de morte Balduini regis nuncio, ut mortui fratris filium regeret ipse, ac eius tutelam susciperet, in Syriam proficiscitur, Hierosolymamque applicuit, ea ipsa die, qua regij pueri funus, & regis Guidonis celebrabatur coronatio. ne igitur domum rediret, nulla memorabili re gesta, Guidoni operam suam per aliquod tempus locat: quam non contemnendam Guido uidens, tanti Principis auxilio, regni sui initia contra æmulum, ac hostem exteriorem stabilire nititur.

Inter regem & Tripolitanum renouantur simultates. Salahadino cum Comite fœdus initur nouum. Raynaldus Castellio inducias uiolat. Caput IIII.

POstquam Raymundo regni spes omnis adempta, æmulum opibus uiribusque se præstare uidebat, exæstuans ira cogitare cœpit, quo consilio regnum quod sibi parare non potuisset, aut euerteret, aut depulso Guidone, per uim obtineret. Accedebat animum ad omne facinus promptissimum, regis ipsius scelus, qui ob id, quòd mortem pueri Balduini tam diu occultauerat, ueneno regnum sibi parasse, dicebatur. Hanc impietatem maximas pœnas mereri, inauditum nephas, nouo exemplo puniendum mussitabant multi, plures apertè & in publico profitebantur. Nec in regem solum, sed etiam in milites Templi conuicia iaciebantur quotidie. Eos esse homines quidem uenales, qui iamdudum Damascenis supplicem uendidissent, regni aliquot præsidia hostibus tradidissent: iam etiam regni arbitros se constituere uellent, ut licitantibus, qui plus numeraret, ab eis regni Diadema & insignia recipere, in promptu esset. Hæc & huiusmodi in regem & Templarios conuitia primò inter priuatos exorta, paulatim in uulgus erumpunt, ac ad exteros usque dimanantia, Salahadinum instigant, ut quocunque possit consilio ansam quærat, qua inducijs posthabitis, bellum contra Christianos arripere, & Rempublicam dissidio conuulsam affligere possit. Missis igitur clam nuncijs ad Raymundum, fœderis initi memorem esse se prædicat, dolore autem se affici maximo, quòd amicum fraude & insidijs circumuentum, & à regni administratione depulsum uideret, quem & uirum forte, regij muneris non indignum existimaret. Fore si suo acquiescat consilio, ut collatis uiribus, imbellem regem regno ejciant, ac ipso rege constituto, socijs armis, aduersarios suos per totam Syriam extinguere

extinguere possint. Hoc autem unum à Raymundo se petere, ut reciso præputio, sacris Sarracenorum initiari uelit, ne ipse à tribulibus adigatur hostile aliquid præter sententiam in ipsum moliri: quo facto, pollicetur prima data occasione, in Templarios se moturum arma, ut hi qui dignitatis eius nullam habuissent rationem, iræ eius uehementiam primò experirentur, quibus extinctis, nihil amplius obstare, quo minus regno inauguraret. Facillimum erat Barbaro, animum odio flagrantem, & regnandi cupiditate ardentissimum in suam sentẽtiam trahere. Raymundus igitur in Templariorum perniciem conspirat, socium se fore, commeatu, ære & armis Salahadinum adiuturũ iurat: at ut in uerba Mahometi iuret consultũ non esse adhuc, etenim ea re suorum omnium animos sibi alienaret, consiliũ omne interturbaret hoc unico facto. Expulso uerò æmulo, regno in potestatem redacto, non recusare se circumcisionem, sed & Prophetæ magno, ipsiq́ Salahadino, pro diuino munere, pro amicitia integrè conseruata, & fidem & reuerentiam perpetuam se exhibiturum, & grati animi nunquam non se ostensurum indicia. His transactis, tabulis inscripta sunt fœdera. Nec mora, Salahadinus cũ inducias nullo colore abrumpere posset, inito consilio, armentorũ & iumentorũ ingentem numerum, in pascua monti regali contermina immittit, nullo custode adhibito. dubium enim ei nullum erat, quin Raynaldus Castellio uir ingentis animi ac prædæ cupidus, tantam copiam animalium per regionem uagantem, ac per arua palantem, diutius non ferre. nec fefellit eum opinio. Nam Raynaldus qui latè trans Iordanem dominabatur, soli fertilitate annonam & quidem abundantem Hierosolymis perpetuò ministrabat, cum fruges ita à gregibus depasci, & sementa demoliri uideret, facto impetu, non solum armenta abigebat, sed & Arabes uicinos inuadit, eos in regionis detrimentum animalia immisisse dictitans: qui cum uim ui repellere conabantur, iratus, plurimos eorum trucidauit, captiuos abduxit, nõnullis exustis uicis, & præsidijs aliquot euersis. Salahadinus continuò ob uiolatas inducias, Templarijs ac regi bellum indicit, qui cum ad restitutionem rerum, procq́ damnis illatis satisfactionem offerrent, ipsis inscijs hæc omnia facta esse dicerent, hostis nec res recipere, nec ut damna resarcirentur, nec excusationem admittere uoluit, sed lætus bellum indictum aggreditur.

Salahadinus congregatis auxilijs, Tripolitano iter per Galilæam præbente, Templarijs apud Acconem congreditur, ac uincitur. Caput V.

FAtale illud tempus iam Hierosolymitanó regno imminebat, quippe Salahadinus missis Legatis ac nuncijs, Turcis, Sarracenis, Aegyptijsq́ omnibus per literas suadebat, utendum esse occasione omnium maxima, discordia scilicet Principum Christianorum. Memores essent, gentem hanc nudius tertius fame inopiaq́, patrijs & auitis sedibus expulsos, has sedes quæsijsse, quas multorum regulorum ac dispari imperio regi audiuissent. nam octuagesimo ab hinc anno religione, moribus, iure quoque innumeras in partes diuisam fuisse Syriam: regioni cuique dominum singularem, ab alijs & uitæ & animi instituto dissimilem præfuisse. Hos delicijs deditos omnes, longa pace desides factos, deuincere, haud magni momenti fuisse.

Nunc

Nunc uerò rerum uicissitudinem, atq; longè aliud temporis institutum esse, religionem cõmunem, uotũ unicum, in hostem animus omnium consentaneus, copias ingẽtes, militiæ exercitus atq; ad omnes labores adsuetę robur. Aduersæ autem parti præter ambitionem quandam uanam, nomen inane, nihil superesse, omnia metu apud eum interturbari consilia, desperatione agitari, in sese fiduciam nullam, in exteris spem nullam repositam habere. Proinde accelerent, conglomeratisq; uiribus tandẽ elangue caput inciderent, membra deinceps mutilaturi. Regni deinde situm, amœnitatem, ubertatem & cõmoditatem ijs qui nunquam regionem uiderant, extollit atq; amplificat: promittit se Imperatore, quęex Aegypto nostri unquam extulerant, ex Occidente quas cõtulissent gazas, eas omnes militi cessuras, nec non ijs quibus regni fœlicitas incultæ eorum patriæ præponenda uideretur, & agros diuisurum se, & ad habitandum urbes atq; præsidia concessurum. Tantum igitur effecit per omnem Asiam celebrata illa Salahadini fama & autoritas, ut subditi ad edictũ statim cõuolarent, cæteri Barbari persuasi, quod ad tanti uiri consiliũ, in maximum conuenerint exercitũ. Hos religio in nostros concitabat diuersa, illos prædæ cupiditas. Erant deinceps qui audita nostrorum disciplina militari, & in armis ualore, ijs congredi pulchrum, uincere eis pulcherrimum censebant, uinci autem ab illis sine dedecore, imò fortioris dextera cadere, gloriæ loco esse arbitrabantur. Non deerant quos uindictæ cupiditas trahebat in id belli, maximè cum auitas sedes à nostris occupari uiderent, ac ipsi extorres, ignominiosò apud alios consenescerent in exilio. Multos impellebat miserorum parentum querela, qui cum iam desperassent de reditu in illorum patriam, liberos suos ut auita prædia recuperarent, obtestabant. His exercitum collegit Salahadinus, equitum quinquaginta milliũ, præter peditatum, cuius inire numerum difficile erat: quorum qui ad Acconem (cò ẽm properabat Salahadinus) per Hierosolymitanorum fines, iter tutum habere non poterant, quos deuijs saltuum anfractus, annonæ defectus, aut oppositæ Christianorum copiæ impedire potuissent et retardare, Tripolitanus Comes per Tyberiadis Nazarenum & Galileæ agrum, & copia & commoditate omni securos deduxit, Acconensibusq; misit incolumes: quæ quidẽ urbs iamdudũ à regibus Hierosolymitanis, Tẽplarijs & Hospitalarijs custodienda tradita fuerat. Barbari statim urbẽ circumuallantes castra metati sunt, in mœnia omni telorũ & oppugnationis genere impetus faciũt. Qui intus erãt: uiri fortes & prudentissimi, Guidonis regis aduentum se expectare, & timere sibi se simulabant. Vnde Turcæ, qui regis in rebus gerendis morã & procrastinationẽ nouerãt, urbe se potituros propediẽ sperabãt, nã nec armis, cõmeatu, aut uiris instructam, sed ex improuiso, atq; subitanea obsidione fatigatos, in deditionem recepturos qui intus erant, credebant. Ipsis igitur Calend. Marij cũ Barbari ære campano, Christianos ad sacra consueta & solennia cõuocari audirent, orationibus atque sacrificijs occupatos inuadere, atq; rebus diuinis intentos opprimere statuunt, scalas admouent urbi, arietibus instant, in summum euadere nituntur ac mœnia deijcere: cumq; omnes huic rei intenti oppugnant, quos in turribus & mœnijs uiriliter resistere offen-

dunt

dunt, Magiſtri Templi et hoſpitalis, cũ ſelecta militũ manu per auerſam por tã erũpunt in caſtra, ac ordinatis agminibus pedem inferentes, quos ſub pedibus ſecure ociari, aut uagari hinc inde diſarmatos uident, obtruncant, ferro, flamma omnia proſternentes. Fit clamor ingens, cadentium eiulatus ad aëra uſq; attollitur, incendij fragor funeſtam quandam cladem in caſtris, ijs qui mœnia oppugnabant, indicat. Salahadinus caſtrorum clade attonitus, cum iam Templarios ſuis à tergo imminere uideret, dimiſſa oppugnatione, inſtructis ex tempore ordinibus, ingruenti hoſti atque omnia proſternenti, quam declinare nequit, pugnam infert: ſub ipſis urbis mœnibus, ex quibus noſtri tormentis hoſtium terga flagellabant, pugnatum eſt diſpari ualde copiarum numero, diſparic; & uoto & uirtute. Contulerat ſe in turres & propugnacula etiam imbellis noſtrorum turba, quæ uotis ardentibus diuinum numen implorabat, inter ſpem & metum poſita, ſuorum aut progredientiũ uirtutem, aut cadentium calamitatem, exultatione & fletu proſequebatur. Parentes, coniuges, aut liberos in conſpectu fortiter facientes adhortabantur, pro patria, pro aris & focis rem agi ingeminabant magnis uociferationibus. Barbari, quos à fronte, à tergo, à lateribus circumcinxerant noſtri, ſalutem omnem in ferro poſitam, cum nullam niſi pugnando euadendi uiam cernerent, Salahadini uerbo & exemplo excitati, ingenti animo noſtris ſeſe ingerunt, ac conglobatis uiribus nunc hac, nunc illac diſcurrentes, ordines noſtrorum ſoluere, & uiam ſibi aperire contendunt. Ferunt nõnulli, ea die Raymundũ Comitem, mutato habitu, ac fucata facie, cũ Volonũ manu in omne ſcelus promptiſſima atq; numeroſa, per medias acies, cohortes Magiſtrorũ Templi & Hoſpitalis cuſtodes, irrupiſſe, Templi magiſtrũ odio inhumano quæritantẽ. qui cũ ſtrenui Imperatoris & fortiſſimi militis munia ea die obiret, atq; omnes pugnę acies inſtrueret, Comiti ſe nuſq; dedit obuium. Illatus igitur in Hoſpitaliariũ Raymundus repugnantẽ uiriliter equo deiecit, qui armorũ oppreſſus onere, et multitudine hoſtiũ inſtãtium obrutus, perijt. Quę res uictoriã noſtris præbuit haud incruentam, & minus lætã: quippe tanti uiri caſu, conſternati noſtri, remiſſius agere cœperunt. quod hoſtibus deſperatione pugnantib. euadendi uiã obtulit, quos abeuntes, noſtri haud ſunt inſecuti, nec ea quæ ab incendio illæſa in caſtris hoſtiũ remanſerant, in urbẽ referre curauerũt. Præter magiſtrũ Hoſpitalis, meliores quiq; in ea pugna ceciderunt. quę clades Chriſtianã rẽ, q̃ Barbaros multò magis afflixit, & ſi ex Turcis perijſſe dicanĩ hoc in prælio ad quindecim millia. Incidit hæc pugna in annum à nato Chriſto 1187. & Maij, ut diximus, Calendas.

Ad Tyberiadem iterum pugna committitur, proditione Comitis Tripolitani res Chriſtianorum euertuntur. Caput VI.

A Calamitate animũ ſumẽs Salahadinus, cũ collatis uirib. noſtros deuincere haud ſibi datũ eſſe uideret, inſidijs & dolo noſtros circũuenire ſtatuit. Tripolitano perſuadet, ut ſimulata reconciliatione, Tẽplarijs et regi ſe adiungat, occaſionem tacitè quęrat, quã eorũ rẽ in ſummũ adducat diſcrimẽ. Apertum igitur odiũ minus nocuit, ſimulatio gratiæ reconciliatæ, totũ regnũ & Chriſtianorũ nomẽ peſſundedit. Quippe comes quaſi indicijs Barbarorũ parũ fideret, Tyberiadẽ cõmunire cœpit, famã in uulgus ſerere atq; rumorẽ

ſpargere,

ſpargere, Salahadinum huic urbi uires intentare, omnia moliri, ut uias ſibi præcludentem ciuitatem euertat. neceſſarijs igitũ omnibus inſtructam, uxori dimittit, ipſe Tripolim reuertitur. Ibi cum ſolenni legatione regis amicitiam ambire ſe oſtendiſſet, conditionibus rectis interpoſitis, publicè Guidoni ac magiſtro ſe amicum profitetur, Turcarum ſe nihil morari pollicitationes, eos omnes perpetuò ſe hoſtium loco habituros apertè fatetur, miſſis etiã qui Salahadino amicitiam renunciarent, adhibitis ſolennibus omnib. Barbarus qui à clade accepta, collectis reliquijs nouo milite exercitũ auxerat, Templarios iterũ in urbe obſeſſos magis magisq́ urgeret, Accone omiſſa, Tyberiadẽ obſidet. Tripolitanus ne urbs tam nobilis amitteretur, ſocia atque amica à rege auxilia poſcit. Conuenerat etiam Hieroſolymam, cum alijs, Templi magiſter. hi delectu habito, exercitum conſcribunt, uiresq́ omnes, quas in Aſia colligere poterant Chriſtiani, conciunt. Adiungit ſe ijs Tripolitanus uultu, ſi eo animus æſtimetur, amiciſſimo: mille centum circiter equites, quindecim peditum millium, nec Reſpub. Chriſtiana tunc cenſebatur. Interim Chriſtiani in Tyberiade obſeſſi, Barbarorum oppugnationibus intrepidè fortiterq́ reſiſtunt, dum coactum apud Hieroſolymam exercitum Guido rex, Templi magiſter Gerardus, atque Comes Raymundus, Boniſacius quoq́ Montſerratenſis, diuiſis inter ſe muneribus eduxerunt. Sacroſancta Crux uelut fatale pignus ſacri regni, iam manibus minus ſanctis exercitui præferebatur, per Acconenſem Epiſcopum, Monachum nomine. Cladem imminentem regis quidam Cubicularius præſagire ſe ex inſomnio apertè teſtabatur. Viſum enim ſibi per quietem, Aquilam ſeptem iacula uncis pedibus geſtantem, Latinorum copias circumuolare, ac uocem huiuſmodi humanam emittere. Vęh Hieroſolymis. Quadruplo hoſti noſtris copiæ maiores fuerunt, quæ quidẽ equitum conſtarent centum uiginti millibus, peditum autem centum ſexaginta millium numero. Ante tertium igitur Nonas Iulij regij profecti, & uerſo, ad Tyberiadem urbem obſidione leuandam, agmine, ad fontem Sophoritanum caſtra poſuere. Efflagitauere Chriſtiani uiri, atque omnium maximè Templarij, ut quàm primùm acceleratis itineribus, in Salahadinũ iretur. Guido uerò nec tot uirorum fortium conſenſu pugnare eſt auſus, ſed ad Ethni uicum aquationi opportunum, ſuos tendere iubet, cunctando rem Hieroſolymitanam reſtituere ſe poſſe putat. In itinere mox obuium hoſtem habẽt. Salahadinus enim impiger magnum copiarum numerum immiſerat, qui noſtros à ſolo irriguo arcerent. Pugna ſæua initur, quæ à meridie uſq; ad occaſum ſolis noſtros tenuit, nec capere locum deſtinatum caſtris potuêre, hoſtis eum occupauit, in ſitiente iniquoq́ noſtri caſtra firmare coacti, atq; noctẽ ſollicitam tranſigere, facultate, ſe equosq́ aqua reficiendi omni adempta. Dies erat Nonarum Iulij quarta, in cuius ardore, feſſum prælio et itinere militẽ, confectaq́ caumate & labore iumenta ſitis conficiebat. quapropter, antequã affectæ iam uires totæ deficerent, repetito prælio poſtridie decernẽdum erat, ex compoſito utrinq; eſt in aciem deſcenſum. Inter multas ſententias, una maximo audiebatur aſſenſu, qua utebatur Ioannes quidam, qui olim deierata Chriſtiana fide, ſub Salahadino ſtipendia meruerat, ac militaris fortitudinis ediderat exempla præclariſſima: is conſcientiæ ſtimulo agitatus, ad noſtros

ſtros ſe iterum contulerat,ut re aliqua præclarè geſta,errorē emendaret pri-
ſtinum,& iterum in Chriſtianorum album recipi mereretur. Qui cum Tur
cicarum rerum peritus ſententiam dicere iuſſus,conſulebat, ut in eam partē
aciei,ubi Salahadinus ſatellitum manu,quam Mamalucorum uocant,ſtipa-
tus ſtabat (id quod ex ſigno cognoſci poterat) omnib. uiribus facto cuneo,
irrumperent,ea una aut ſublata aut fugata,diſſipata ue de reliquis facilem fu
turam uictoriam. Tripolitanus cum uideret hoc conſilium, rationibus ſuis
maximè aduerſari,id ſi maximè è re foret,à tam ſcelerato perfidoq; conſulto
re profectum,non ſequendum exclamat,ut in quem finem id datum ſit, ne-
mo non uideat:id eſt,cum conſtet omnibus rem in ſummum periculum de-
duci hoc conſilio,quippe in medios hoſtium uires noſtrorum immergere
totas,unde eripere ſe poſtmodū difficile ſit, uaniſſimum eſſe. Sibi conſulti-
us uideri,acies ita dilatare,ne circuiri poſſent. Iam Salahadinus omiſſa Ty-
beriadis obſidione,cum toto exercitu ad ſuos ſe contulerat, aurora iam mi
cante,ſtructa acie noſtros impetit. qui ab hoſtibus tota nocte laceſſiti,ſiti cō
fecti,caumate & uigilia eneruati,etiā in id conſilij conſenſerunt,quòd homo
nequiſſimus Tripolitanus Comes dederat. nam elōgatis aciebus hoſtē exce
perunt,quæ res proditori liberam fugā præbuit,& ut noſtri raris ordinibus
ſub ſignis ſtantes,hoſti penetrabiliores eſſent,effecit. Eductis igitur militib.
ſtructaq; acie,quam ſolis ſplendor (quod in primis captarat Barbarus) ocu-
lis noſtrorū oppoſitus,reuerberabat,pugna initur,ac anteq; undiq; conſere
retur prælium, Tripolitanus contemplatus tempus,quo initū iam pridē con
ſilium deſideriumq; ex animi ſententia exolueret,ſummo ſtudio Chriſtianis
cladem procurabat. Et primum cum legionibus ipſe ſuis paulatim hoſti ce-
dere atq; terga dare cœpit,ſigno atq; armis proiectis,alijs eo exemplo,metū
incutere,ac fugam quandā ſuadere. Cum uiderent,uel præter morē tam peri
tum militiæ uirum ad fugā,magis quàm ad pugnam paratū, uel proditos ſe
ab eo crederent, Turcæ,ut fit,creſcente ex alieno metu audacia,acrius inſtāt,
pugnantibus noſtris alijs egregiè:at paucitas noſtrorū (ſi hoſti conferatᷣ) ac
deſertor Dux ſummus,anteq; æditiora loca tenere poſſent,perdidit rē. Erat
uidere,noſtrorū non magis iumentorū q; hominum corpora priſtinū ami-
ſiſſe uigorem,ac planè ſopita eſſe ſunt uiſa,& qui ternos quaternosq; ſingu-
li fugare,proſternere ac conficere ſoliti fuerant,uice uerſa nunc,mirum in mo
dum,ſeni ſepteniq; ſingulis hoſtiū fugabantᷣ:ut fuga prius ad ortū ſolis,diſſi
patioq; noſtrorū ſit uiſa,quàm præliū ordine potuerit inchoari. dumq; Du-
ces Chriſtiani,partim fugientē dilabentemq; acie militem retrahunt, partim
reprimendo ferocientem hoſtē,ſeſe obijciunt,fœda & aliàs inaudita in Chri
ſtianos cōmiſſa eſt cædes. Noſtri igitur iam apertè ſine ordine palantes,ſine
ſignis,nullo ducum,nullo ſociorū reſpectu,fuga qua ſola poterant,ſe ſaluare
nitebantᷣ. Facilis igitur fuit ac fermè incruenta Barbaro de noſtris uictoria,
quos uinci,Numini cordi erat. Pauciſſimi fuga tamē ſunt prolapſi, quòd ne
dum fugientes, ſed hi etiā qui globati,poſitis armis,manū dabant, trucida
bantur. ſtrages ubiq;,& omnia pauoris ac tumultus plena erant, præſertim
in direptione caſtrorū. Vulneratur ipſe Acconenſis grauiter in ipſa fuga, cū
crucē dominicā eripere nititur:at ſentiēs ex uulnere ſibi mortē imminere,ſeq;

b ſuper

ſuper equum regere non poſſe,crucem alteri tradidit cuſtodiendã,qui prodi nus eam regi detulit,q̃ui cuneo facto ſtrenuè dimicabat,undiq; eum hoſtib. inuadentibus:ad extremum ubi ſuorum acies ſtratas uidit, nec fugæ uiã ullam arripere poſſet,& is ipſe et nobiliſſimus quiſq; à Salahadino capitur.Capta ſacroſancta crux,captus Bonifacius Monteferratẽſis, Templi magiſter, Raynaldus Caſtellio,qui induciarum fœdus uiolauerat. Proditor Comes, initio fugæ,caſtellum Saph intrarat,poſtea ab amico Barbaro Tyrum deductus eſt.Concidêre Orientales Chriſtianorum uires omnes, hoc prælio,ac tantum ſanguinis effuſum eſt,quantum à primo Latinorũ in Syriam tranſitu,factum fuit nunq̃.Ceciderunt nobiles fermè omnes, paucis reſeruatis ab hoſte cædis ſaturo.Templarij & Hoſpitalarij eodẽ die penè omnes perierũt, cum ex pugna fugere non uellent,poſtea uerò à Barbaro preter magiſtrũ trucidari omnes iuſſi.quo audito,certatim ſe quiſq; noſtrorũ Templarium profitebatur,ut martyrij gloria de hoſte triumpharet. Raynaldus Caſtellio manu & conſilio ſtrenuus,qui ſæpius Barbaros fuderat,cum ad tyrannum duceretur,ab eo acinace per iugulũ adacto,obtruncatus eſt.Guido rex in uictoriæ ſignum reſeruatus, precibus magiſtrum templi ſecuri eripuit.Salahadinus aũt potitus tam inſigni uictoria,ad pontẽ Tyberiadẽ per aliquot paſſuũ millia ab his caſtris ſtare iuſſit ſigna,donec reſpirarent milites, ſauciorumq; cura haberi poſſet.Quos fortiter egiſſe conſtabat,publicè multis uerbis doniſq; honorauit.captiui ac ſigna ad prẽſides ſuos,cum quibuſdam noſtrorũ ornamentis tranſmiſſa, præda reliqua conceſſa militibus & diuiſa,quieſq; per eos dies data caſtris ad reparandas uires.

Salahadinus Ptolemaida ſiue Accone,cum Biblio,Berytho, in poteſtatem receptis, deinde Hieroſolymam expulſis Latinis occupat. Caput VII.

PRodita ſicre Chriſtiana per Raymundũ,Salahadino cætera omnia prona extitere:fortunam itaq; ſecutus,uictorem exercitum,exacto triduo,in fines regni ab omni parte immittit,qui biduum in populando conſumpſit. colonorũ magnus numerus cæſus,ignis poſtea immiſſus tectis, omnia deformauit ac uertit in cineres.Pulcherrimus iam ager uaſtabatur,& ſub barbarico ferro,arbores & ſata latè cadebant omnia,ac fumantia uillarũ incendia,ultorem aliquem appellare uidebantur.Segete omni equitis ungula pertuſa,nihil integrum relinquebatur quod ferro poſſet igneq; abſumi. Peruaſit quoq; oſtenſa in prælio puſillanimitas cæterorum quoq; Chriſtianorũ animos,ut paucos Barbaros,quantumuis multi Chriſtiani expaueſcerent. igitur ad Acconem duxit primo Salahadinus,in qua potiſſimum ſtabat acquiſitæ uictoriẽ ſtabilimentũ. Anteſignani ad urbem miſſi,ipſe cum reliquis copijs iuxta ſecutus. Nonnulli referunt,quas ad Tyberiadis oppugnationẽ ſecum adduxerat machinas,ad terendos Acconenſes aduexiſſe,alij ſine tormentis & tentata & expedita omnia.deductis ſub muros copijs,partitis ordinibus,urbem impigrè,qua melius potuit ratione cinxit.Ciues de ſubſidio deſperantes,metu conterriti,imparibus ſententijs conſilium capiunt.Salahadinus uerò ne occaſionem bene gerendæ rei,mora perderet,alloquendi benignitate & munificentia promiſſorum,animos incluſorũ præuenit, electoq; uno fidelis & expertæ operẽ uiro,ad oppidanos miſit, Deditionis præmio, pręter

præter uitam bonaq; priuata, si apud se manere uellent, oblata facultas. si urbe egredi mallent, cũ singulis uestimentis inde incolumes educerentur, promissum. Pronos iam pridem ad deditionem, uafer nuncius, appositis ad idipsum uerbis, facilè quocunque uoluit, impulit. Missi itaque qui rem cum Salahadino agerent, iureiurando sancirent, firmatis omnibus, secunda obsidionis die, egressi sine mora, urbem Tyranno resignauerunt, qui statim præsidio urbem munijt. Ordinatis ergo intus quæ necessaria uidebantur, ac procuratis, non modo diē, horāue, sed ne ictu oculi ibi moratus est, quin ex templo collectis uasis, militem ad alia oppida uelut fugientia, deduceret. Berythũ peruenit rectà, ac uix fixis humo signis, consedit sub muris miles. & missi ad Salahadinum quidam ex ciuibus, ultrò deditionem urbis fecêre. His omnia promissa seruata, ac firmatis rebus necessarijs, urbi uix data respirandi facultate, Biblium eodem ardore petitum: quum sub solis occasu aduenisset, nihil ea die actũ fuit, sed res in crastinũ dilata est: mane missis qui aquã terráq; peterent, conditionibus acceptis urbs tradita. Inde maritima secutus, ad Ascalonam usque omnia occupat, quia defensoribus ac milite destituta hæc loca, resistere haud sunt ausi. Id fortasse mirum uidebitur, quòd à tertia die, postquam ad Ethim uicum pugnatum est, per non integrum mensem, totũ quicquid Sidonem & Ascalonam interiacet, ac ad mare situm est, præter Tyrum omne recuperarit, urbes tot, tantóq; nostrorũ sanguine paratas. imò quod admirationis apud posteros plus meruit quàm fidei, quòd & omnes tam facilè eius imperium admiserint, ut non solum ullum militem in ijs potiundis, sed ne uerbum quidem, ut aiunt, frustra amiserit: sed hoc fortè laboris patientia non inanis, exercitatio assidua, indefatigabilis animi uigor et uirium magnitudo ipsi peperit, si in dedititios mitis liberalisq; sua indoles, tanta perficere non potuit. Certè præter Latinos, religionis nostræ nullum urbe migrare cogebat, fortunis ue spoliabat, qui æquo cum cæteris iure uiuere, ac tributum conferre in animum induceret, nec ulli fidem uiolauit præstitam. quibus uirtutibus nihil minus quàm armis rem Christianam expugnauit. ac cum in hoste uirtus quoque laudanda, non defuerunt, qui hunc unum, humanitate, liberalitate, fide, atque religione omnibus præferrent. Nos tamē eò unde discessimus, reuertamur. Ad Ascalonam cum uentum esset, per Legatos urbē poposcit: qui nihil præter uerba tulerunt ac responsum masculũ. Ciues enim de munitiōe urbis confisi, per muros, licet ordinata pleraq; aliàs essent, omnia augebant & renouabant. Solabatur præterea eos, spes quæ labores illos perbreues futuros indicabat, propter incommodissimum quod appropinquabat, obsidionis tempus. Credebant præterea hostem statim cōuersis signis abiturum, ubi eorum intelligeret pertinaciam, nec quicquam in mœnia moliturum, cum materia ad compingendas machinas illi deesset. Exemplum præterea aliarum urbium, quæ tam fœde iugum hostile subierant, deterrebat eos, cum cogitarent, quibus laudibus uehendi uenirent, à Christianis omnibus, si soli inter tantam reliquorum perfidiam, libertatis & Hierosolymitani regni nomen seruassent in Oriente. contra si animos deijceret, grauior à se omnia quàm alios timere meritò debere, cum maximam fiduci-

am reges omnes in hac urbe locatam habuissent semper: uersa uice Barbari nullā unquā maiori discrimine appetiissent aut perdidissent: quapropter timendum, ne ulturi iniurias olim Barbaris illatas, Salahadini milites in deditos sæuirent insolentius. Hostem igitur intrepidè expectabant. Ille oppugnationem aggressus, duobus arietibus loco quoque urbem aperire conabatur, neq; enim alias machinas aduexerat. ad id operis intentus, crebris ictibus murorum partem aliquam decusserat, cōceperat q; crastina luce, totis signis & exercitus robore, succedere mœnibus. Aggerem in decussa parte ea nocte fecerant ciues, congesta terra tumuli in modum, quem cratibus pluteisq; circumdederant. Educit ergo mane milites Salahadinus ad inuasionē paratos, caligine sagittarum, ad auertendos à stationibus oppidanos, lectorum aliquot agmina utebantur, ut tanto facilius in murum reliqui conscenderent: qui plures admouerant scalas, ac summa cōtentione, uulnerum prorsus mortisq; immemores ad summa tendebant. deuoluebantur enim cum ipsis scalis humi. onere armorum alij ruebant, plures præcisis digitis quæ inuncauerant amittentes, præcipites dabantur. Sed saxis præcipuè gerebatur res, quæ supernè demissa, cum ingenti fragore & armatos & apparatus omnes conterebant. Suppetebat proinde oppidanis copia telorum ingens, nec uires nec animi deerant. suas quisq; stationes fortiter quilibet obseruabat, ac singuli munia diligenter obibant. quibus primus & secundus impetus Barbari repulsus est. Vbi receptui cani audirent, Turcæ ab oppugnatione desistunt, tam grauem repulsam iniquo tollerantes animo. Datum est deinde aliquid consultationibus, urbis situs contemplatus & obseruatus diligentius, & totum triduum in compingendis machinis inaniter consumptum. nam et oppidani ex successu animum sumentes, erumpebant, instrumenta deijciebant, & deturbabant opera. Salahadinus uidens operam se et tempus omne inconsultè prodigere, tamen ne nihil ageret, benignis uerbis captata occasione, ad deditionem pellicere aggreditur, ingentia dona promittēs. Varia subinde responsa tulit à ciuibus. tandem se non prius deditionem facturos esse dicunt, quàm Hierosolymam in eius potestatem cessisse audiāt. Repetita oppugnatio, sed tanto labore consumpta. iterum receptui canitur, & de totius belli summa consultatur. In tres sententias diuisum consilium. Vna de prosequenda obsidione, & diutina fame, qua urbs conficienda esset. Alia. Ascalone relicta, uerno tempore redeundum esse, & paratis omnibus ad oppugnationem necessarijs, urbem tunc euertendam. Vltima. Regni caput Hierosolymam petendum esse; dum omnia in regno metu consternata, uacuata uiribus, consilij inania existerent. Fore enim, quàm primum Christiani audijssent loca sacrosancta in manus Turcarum peruenisse, non modo de retinendo regno amplius haud cogitaturos, uerumetiam primo quoque tempore omnem Syriam egressuros. Vicit fatale consilium, ac Ascalonitarum obsidio nona die soluta. Hierosolymam uersus iter arripitur, secundis castris sub conspectum urbis uentum est: ubi primùm instructa peditum agmina, leuis quoq; armaturę equites. Deinde cataphractarios ac cæteros ordinum Duces obire mœnia urbis præmittit ingenti plausu, stridoreq; barbarico, ut in-

strumentorum

ſtrumentorum crepitu ædito,ſe præire iubet. Deinceps quiſque ad erigenda ſtatiua diſcurrens, fixis humi ſignis, locis diuerſis tentoria collocat. Nihil poſtera die tentatum uel molitum hoſtiliter in muros, retentus quietiſſimè miles,neque procurſationibus ullis indultum,miſſi uerò ſub ſero diei caduceatores ad urbem cum poſtulatis Salahadini,qui monerent obſeſſos imminentis mali,ni ad uoluntariam deſcenderent deditionem, proponerentq́ tyranni clementiam.Nihil illum immutaturũ de ciuium ſtatu,eadem onera muneraq́ relicturũ uiris, quæ antea à regibus cuique eſſent præſtituta,Latinis liberam abeundi dare facultatem, quò terrarum uelint diuertere.Confluxerant Hieroſolymam poſt pugnam Ethinianam circumhabitantiũ turba innumera,quæ omnis hoſtili metu ſuorum ſtrage audita,correptis rebus precioſioribus & magis neceſſarijs, id urbi intulerat:manus hæc imbellis numero quàm uiribus maior.Decretis ſupplicationibus loca ſacra inuiſebantur,omnis ætas,omnis ſexus,omnis conditio placando diuino numini intenta erat,prouoluebantur in terram.ieiunijs,uigilijs,orationibusq́ omnium corpora affligebantur,commiſſorum indulgentiam petebant uniuerſi, auxilium ex alto opperientes.At Deus planè ipſe,Deus inquã,luſtrationem inferre urbi cum Turcis iam decreuerat. ſunt enim qui putent, ſi Salahadinus,contra corruptelam Chriſtianorum in Oriẽte,uenire retardaſſet, quod exemplo aliquo horrendo Deus ipſe in noſtros ſæuijſſet. Audita autem in publico Salahadini legatione, re infecta diſcedere iuſſi ſunt Legati. Ea ubi narrata Salahadino,ad miniſteria oppugnationis cõuertitur,ac ea parte quà ad Aquilonem ſpectat urbs,inſtat proteruius,atque ad concutienda ab illo latere mœnia,opera omnis expoſita eſt,nec diu,nec noctu oppidanis data requies.Cumq́ iam murus eo in loco per aliquot dies quaſſatus, diſiectis ſcæde monimentis,abraſaq́ fermè parte dimidia,lapſum minitaretur (erat enim murus omnino debilis ac uetuſtate carioſus) Reges quidem cum regni fines dilatare conſueuerant, nunq́ fore arbitrabantur,ut ab hoſte quem indies propellebant longius,regni caput peteretur.Et licet, ante obitum Balduini quarti,pro reſtaurandis mœnijs,publicè collecta eſſet pecunia,hæc quantulacunq́ erat, diſcordia principum, in alios uſus conuerſa,iamdudum dilapidata perierat.Creuit igitur præter modum ſpes Barbaris,ubi factũ eum aditum oppidi conſpexere.Ciuibus autem de retinẽda amplius urbe omnis ſpes,omne conſilium imminuebatur.In animum enim reuocabant Militiã regni deperijſſe totam,ſociorum uires oppreſſas,nec temporis alieni rationem,de externis ſubſidijs confidentiam ullam admittere,cũ & mare æſtuoſum Occidentalium traiectum præpediret,& hyemis ingruentis inclementia bellicos exinaniret apparatus.Ne igitur exemplis crudeliſſimis perdita urbe,quam contra hoſtium uim diutius retinere deſperauerant,extinguerentur, fato cedere,ſubq́ certis conditionibus Salahadino ſe dedere conſtituũt. Leges deditionis ſibijpſi ſtatuêre,quas neque graues ſibi,neq́ ingratas hoſti cenſuêre. Vt cum ſupellectili, quam humeris ſinguli ferre poſſent,abire incolumibus liceret:manendi quoq́ in urbe, prout quiſq́ elegiſſet, poteſtas eſſet.De migratione nihil mutatum eſt à Barbaro,Latinis tamen nega-

ta urbs ad habitandum. Syris, Græcis, Armenijs, Iacobitis, Georgianis, Nestorianis stationes designatę. Sic urbs sancta undenonagesimo, quàm de Barbaris recepta fuerat, anno, quartadecima obsidionis die, sexto Non. Octobris Victori Salahadino, cum non superessent qui propugnarent, reddita est. Datæ mox claues Salahadino. Migrauêre Latini in quibus regina Sibylla, Heraclius Patriarcha, dissidij omnis incentor strenuus, Clerus quoque cum maxima & numerosa multitudine. Miserabile spectaculum erat, flebile Latinorum discedentium agmen. gemitus omnia referta, ululatusq; fœminei. non domus, non uicus, non pars ulla expers luctus. Personabat uario equidem clamore forum nunc reprehendentium, nunc incitantium suorum lachrymas. Præcipua tamen ad sepulchrum Domini, in loco sanctæ resurrectionis, in templo Domini alijsq; delubris, species doloris ac publicæ fortunæ apparebat, cũ hi Caluarię loco insternati, osculis sacrosancta loca & morsibus appetebant, illi regum tam Hebræorum quàm Latinorum tumulos complexi, manes eorum ad communem miseriam implorabant. Erant qui supplicationibus percussorem peterent, ut locis sacris auelli posthac nequirent: qui terrę hiatus atq; repentinam animæ exhalationẽ sibi imprecarentur, ne diuulsi sacrarijs, recordatione sacrorum inani posthac tabescere illis contingeret. Vota erant mixta cum inundatione lachrymarum miserabili, per aras omnes cadebant, pectoris ac oris laceratio fœdiorem aspectum calamitatis reddebat: ingens omnino ibi populi concursus, omnis sexus, omnis ætas promiscuè inibi uersabatur. Matronarum nihilo segnior dolor, & præter uultus deformationem, dulce uidebatur superare reliquarum mœstitiam, laudem mereri amplissimam, cuius mœror insignior iudicaretur. Nihil immodicum, nihil pudendum in ea sorte censebatur, etiamsi, ut solitæ sunt, impiæ mortalium querelæ, fœminarum uoces improbæ, exaudirentur clamores, qui in Deum ipsum, malorum suorum causas conijcere non uererentur. Nec à mortuorum calumnijs temperatum est. Fuerunt qui Balduinum peruersę adoptionis insimularent, manes ipsius diris deuouentes, qui reginę manus inijcere conabantur, qui uix à Patriarcha strictos gladios cohiberent, identidem ingeminantes, emissariã publicæ discordiæ Erinnyn esse illum ipsum, atq; conscelerata uita, flagelli Dei in populum suum prouocatorem. Erant qui publicè exclamarẽt, Guidonem regem, Templariorum magistrũ, quantumuis sæuissimis exemplis apud hostes pereant, nunq; pro merito excruciari posse. In Tripolitanum nec superorum numen, nec inferorum furias, nec hominum crudelitatẽ statuere aut decernere posse aliquid, quin prò scelere leuissima uideantur. Iam præfectos & Senatores omnes, proditores patriæ appellant, quòd urbe prodita, Barbaro deditionem fecissent: cũ paulò antè publico omnium consensu, & Senatusconsulto & plebiscito, communibus uotis, pedibus in eam sententiam iretur. Deinde cum fructibus suis, fletu scilicet & gemitibus exaturatus consedisset dolor, ad colloquia suorum uersę matres, reiterato sermone, singultibus tumida miscebant mandata. Cõmendabant liberis præstita olim officia, partus dolores, in nutriendo sollicitudinem, in educando curam, in omnibus promeritam illam pietatem, exaggerabant

gerabant

gerabant senectutis incommoda, uerendam caniciẽ oculis subijcientes. Omnibus idem status & unus, par sermonis habitus. Vxores paruulos obiectantes uiris, uiduos iam inde penates & sordidam orbitatem deplorabant. Senes mœsto silentio, defixis in terram oculis, & æquè de natorum sollicitis salute, nec feroces desperatione suorum spiritus, nec ulterius auidam suopte ingenio periculi iuuentutem accendere ausi, ne immutato consilio, Barbarũ recusarent, silentio altũ premunt sub corde dolorem. Iuuenes iam incipit sub pudere, quod parentes decrepitæ ætatis, laboribus exhaustos, nec exilio abeundo sufficientes, in ea patria, quam olim uirtute & armis & occuparant & conseruauerant ipsis incolumem, retinere pusillanimes noluissent, aut consilijs præposteris subuersi, defendere non tentassent: iam frendere nescio quid inchoârant, cum moxà Salahadino decretum mittitur, ut leuaretur eo onere ciuitas, satis ignauo impensum esse dolori, & priuatis singulorum consilijs indultum superfluè. Incrudescit iterum luctus, eiulatus cum lachrymis attollitur: Christum ipsum ab hoste rapi ipsis uidebatur. Sed ubi iam instare molestius præcones & apparitores urgere eos aduertere, preciosa quæq; arripiunt, atq; consarcti peculiolo, omnes paulatim charis ualedicebãt penatibus, fixisq; semper in domicilia deserta oculis progrediebantur. Nulla fuit ætas aut conditio, quæ non pietatis aliquod exemplum in hac migratione posteritati relinqueret. Erant qui uxores ualetudinarias, abiectis protinus thesauris, humeris exportarent, è contra etiam, quæ uiros calamitate aliqua impeditos baiularent. Qui relictis parentibus sarcinas exportaret, uel ingentis precij, haud inuentus est, ac quantumuis imparibus passibus puer patrem, aut senex iuuenem æquaret, tanta pietas in omnibus reluxit, ut cum per medias hostium turmas miseri ciues excederent, & magna contentione quidã apud Salahadinũ agerent, ne inani studio fidei seruandæ, ita illæsi dimitterentur, altũ inclamasse dicitur, uel ipsam pietatẽ calamitosorũ pro inuicemq; sollicitorum, mereri fidem, quam aliàs Imperatori claro sanctam & illibatam habendã esse sciret. Sed & Tripolitanus, ut proditione & perfidia posteris se omnino deuouendũ, & infaustæ memoriæ obijceret, extorres patria, spoliatos fortunis, quorũ quidem calamitas, in cõmiserationem hostem perduxerat, cum partim Antiochiã, partim Tyrũ, nonnulli Tripolim incerta humi uestigia figentes, abibant, immemor religionis, charitate fraterna omni abiecta, facto suorũ subitò agmine, in hac illac oberrantes, impetũ facit, quicquid fortuna, quicquid Barbari illis reliquũ fecerant, aufert, expoliatosq; crudeliter, nullo conuitiorũ genere prætermisso, perstringit, in lachrymas cõuersos fidem eius obtestantes, atq; orantes, ne tam infaustum diem, acerbiorẽ inclementia sua reddere, aut innoxiorum miserorumq; calamitatem affligere; ac inhumanissimi principis nomen uendicare sibi uelit: tale nihil se meritos, illi nunquam infensos fuisse, non iniurios, destitutos fauore diuino, auxilio humano omni, id quod fatum, quod necessitas intulisset, post diutinam obsidionem se sequutos. Hæc & huiusmodi commemorantes, tendentesq; supplices dexteras, nisi uerbera, à proditore sceleratissimo, retulisse constat nihil. Ferunt exinde senes, pueros, utriusque sexus per-

plures itineris tædio, ciborũ cæterarumq́ue rerum, expoliatos iam, inopia perijsse. Cæterum impatientiæ muliebris proditum est tũc exemplum horrendum. Nam cum Latinis quædam mulier Hierosolymis excessisset, supellectilis parte abiecta, pia mater, orbatum parente, infantem humeris extulit, quæ cum iam nec sibi nec alijs, unde aleret puerum, latrocinantium impietate, superesse uideret, pristinæ copiæ memor, furore fœmineo acta, lachrymulis à matre escam poscentem prolem in mare proiecit, infœlicitatis testimonium, & miseriæ hoc facto præbens afflictis incrementum. Postquam summota est turba, Barbari urbem subintrant. Prima cura fuit Templum domini occupare, ac deiectis inde Christiani ritus monumentis, aqua rosacea lauari, odoribusq́ue preciosissimis perfundi. quo facto, Salahadinus, more gentis, ingressus Templum, sacra facit. In reliqua templa & oratoria Christianorum deinde itum, prophanata omnia, ac in equilia redacta. Dominicæ resurrectionis phanum, à Surianis magno periculo, auro ingenti redemptum. æs campanarum confractum omne, ac ita contusum in rei memoriam publicè expositum. Præsidium custode, urbs annona omniq́ue telorum genere instructa, reparatis solidatisq́ue ruinam minantibus mœnijs, uexillis regũ ac signis, sicubi sunt inuenta laceratis, incensis & penitus abolitis. Hostis cõfestim longius copijs non ignobilibus progressus, alios sollicitare pergebat, præsidia Christianorum quæ inuenta fuerunt, circumcirca recepta: nam uidentes qui intus erãt inania cõsilia per uim ei resistendi, dedentes se, maluerunt fidem, q́ue arma eius experiri. Ille in omnes ęquus & liberalis in potestatem redegit, quę hominũ opera capi uidebantur impossibilia. Hãc cladẽ experta est Respub. Christiana, post natum natum Christum, anno millesimo centesimo octuagesimoseptimo, in qua & hæc rerum uicissitudo animaduersa est. Quod imperante Heraclio Aug. de Persis Cosdroeq́ue crux recepta, Heraclio Patriarcha rursus amissa. Vrbano undecimo Pontifice Maximo urbs sancta recuperata, Vrbano tertio sedente recidit in seruitutem, nunquam postea libertati restituta. Licet Principes Christiani diuersi, conatu summo terra mariq́ue fuerint periclitati sæpius, ad eamq́ue liberandam profecti. Extant qui ad Acconem, ad Ethin, duobus prælijs eodem anno, atque in oppugnatione præsidiorum & urbium, Christianorum perijsse in Oriente uigesies mille scribãt. sunt etiam qui huic numero addunt mille quingentos, idonei certè autores.

De initijs regni Hierosolymitani. Caput VIII.

CVm iam ad expugnationem urbis uentum sit, operæ precium duxi, de origine & uaria urbis fortuna mentionem & paucula quædam subijcere, non quod ignarus sim, ipsam sacrosanctam scripturam omnia succulentius & uerius tradere, quàm à quoquam, quantumuis erudito describi possit: sed quod uisum sit huic historiæ non alienum futurum, si mutationes tanti et tam sacrati Imperij, quæ Tyrensis castri initium præcesserunt, interserant, quæ deinde ad patrum nostrorum ętatem usque subsequuta sint, adiectis. Qui urbem Hierosolymitanam, à Chanaan, filio Cham conditam tradunt, in hoc errore mihi uidentur, quod Chanaan terram ab ipso denominatam,

natam,longius à mari remouent,cum constet quòd statim à diluuio sedem suam ad mare constituit,ea in regione quæ à Gentilibus Phœnicia dicitur. Hæc Sidon,Aradus,& aliæ urbes testantur à filijs ipsius conditæ.at quod Iuda tribus contra Cananæum,qui habitabat in Hebron, perrexerit, mirũ non est,si ea parte,quæ Phœniciæ uicina,Palæstina scilicet, dum in Aegypto Hebræi seruiunt,occupata, Cananæus imperium exercet, ferroq; sibi dominium parat,quo inde deturbare cùm opus erat,cum etiam scriptura dicat,Abram in Sychem ueniẽte,Cananæum per uim & iniustè terram Sem possedisse.quod quiuis ex capite Geneseos duodecimo colligere potest.Certè ad ueritatẽ proximè accedere uidentur mihi hi,qui rimata penitus imprecatione Noë,Sem filio eius,urbis huius deferunt fundationem. Quis enim quum Noë ita loquentem audit,sacra in omnibus nominandus præfatione, Deus ille,dominus filij mei Sem.Sit Chanaan seruus eius.propagetur gentilitas Iapeti in immensum, tabernaculum inhabitet fratris Sem, & famuletur illi Chanaan. quis inquã ad hæc uerba attentus,Hierosolymarum initia non potius Semo deferat,quàm Chamo? Iniquùm etenim esset uiro tam scelerato tantum deferre,ut Deus optimus maximus quoscunque salutis cura tangeret,in huius uerba iurare iussisset.at certum est in tabernaculis Sem eã umbram mortalibus ostensam,cuius solis splendor in cœlesti Hierosolyma omnibus resplendescet. Sequar igitur, quod uero arbitror propius,ac Semi nepotem,Salem quidem Hierosolymarum fundatorem esse credere uel affirmare, pudori mihi nunquam fore, persuadeo. Is ex Arphaxat parente procreatur anno à diluuio centesimo trigesimoquinto, ætatis autem tricesimo suprà ducentesimum anno,patre dimisso aui studia sequens, hostijs pacificis Deũ placare nitebatur.Instructus igitur ab auo,duo oppida sacris conficiendis,instituit. Primum iuxta Ennion,id est,ad aquas, ad lauandum & baptizandum commodissimum,secundum uerò, ubi nunc Hierusalem, Sacerdotibus aptum,construxit.Erat is annus Abrahæ uigesimusquintus. Sem ut nepotis in mandatis perficiendis diligentiam re aliqua commendaret,utrunque oppidum,eius nomine appellandum omnibus præcepit.Nepos ne aliqua pietate ab auo uinceretur, regni Semi regiã esse uoluit,quod condiderat oppidum. Sem autem ab omnibus & pater patriæ, & imperij iusti habebatur rector,unde apud suos nomen illi inditum Melchisedech. Rex equidem iustus fuit,& ijs qui in cognitione ueri Dei uersarentur,institutor ac præceptor.cum Amoræo,Iebusæo, Ziuæo, proximis uicinis naturã tantum & quod arridebat peccatum sequentibus,terræ filius,sine patre, sine matre, sine natalium certitudine, æstimaretur aduentitius, Christi Iesu forma uerissima,quem solum ijs notum esse cõstat,quos naturam omnẽ eiusq; rationẽ abnegare, ductuq; diuino inniti uidemus. Hic cũ Abrahamũ iussis diuinis obtemperantem,cum uictore exercitu,à Gomorrhæorum Sodomitarúmue pugna, reducem cerneret,transeuntem nõ minore excepit lautitia, quàm mysterij sacramento horrendo imbuit,quod quidem in annum ætatis Abrahami octuagesimum tertium incidit. Mortuo Sem,atque Salem defuncto, Iebusæi posteri, qui collem propinquum, natura munitissimum

mum inhabitabant,ui hanc urbem posteritati Salem extorserunt. Hi cum oraculū inaudissent,reduces ex Aegypto Abrahami nepotes, trucidaturos atque sub iugum missuros omnes,qui latè ijs finibus imperitarent,firmatis præs dijs,munitis ciuitatibus,diu restiterunt oppugnantib. Israelitis,uix tan dē à Dauide post annū Abrahamiticę uictoriæ millesimum ducētesimum,in potestatem posterorū Sem redacta atq; expugnata est Salem,cū superemi nente arçe Iebusæi. Proxima erat illi Hebron,quam Gigantes olim Nembro ti tempore, ante Titanum urbem, quam nunc Tanim dicimus,septem an nis ædificauerant:ac Tetrapolim constituerant regionis,unde etiā Cariath Hiarbæ, Quadriurbis nomen accepit. Moris enim fuit priscis & origini bus rerum propioribus temporibus,Monopolim dici,quam hominum co lonorum congregatio inhabitaret. Dipolis uerò dicebatur,quæ tam agricul turæ quàm mercaturæ homines haberet deditos. Caput autem cuiusq; pro uinciæ Tripolis nominabatur. Quas autem toti regno præesse,& in duode cim alias urbes uel Principes potestatem exercere perspicuum erat,eas Te trapoles uocabant. Sic Nembrotus Babyloniam constituerat, ex quatuor oppidis congestam,Babel, Arat, Acath, & Calanne. Ninus regiam suam ex Niniue,Hora,Cale,Resem,Ianus Ethruscorū Metropolim ex Harbano, Volturna, Vetulonia,Para,Tussa,Deorū Mater Samothraciā, ex Samo, Nesso,Thracia,& Saona post Atticū diluuiū. Sic postea etiā Romulus,ex Roma, Vellia,Germallia et Foco,urbē unā cōfecit,quo quidē fermè tēpore ex Tyche,Acradina,Neapoli & Insula conditæ sunt Syracusæ. Dauid igitur cum propter soli fertilitatem sortem Beniamin alijs omnibus præferendam uideret, Iebusæum quoque Deo sacrum,inexpiabilemq; urbem & arcem munitissimam prope Salem obtinere,ut tam religioni quàm Reipublicæ cōsuleret, expugnare ipsum statuit. Mouit igitur ex Hebron rex,cumq; sub conspectum uenisset,Iebusæus conatum regis irridere, cæcos, claudos,le prósos,cæteramq; imbellem turbam in speculā constituere,conuitijs exerci tum lacessere cœpit. Rex è diuerso multo studio laboreq; conari, ut regni auspicia rebus strenuè administratis iniret.pollicitationes & præmia ingen tia proponere,imò exercitus Imperium & Dictaturā offerre ei, qui primus mœnia conscenderet:miles in mortem ruere, uulnera contemnere, ambire tantam dignitatem. Tradita igitur urbe,in præsidium,quod Sion uocabat, itum est. Tandem quidam Sarnię filius Ioab in coronam cōscendit,deiectis summitate custodibus. Magna contentione irrumpunt cęteri,trucidatis qui intus erant,præsidium totum occupant. Expulso igitur hoste,ne hanc urbē, cuius situs admodum illi arridebat,ac regni umbilicus uidebatur, quis He brono postponere posset,& ipsam Tetrapolim efficere decreuit,animo re petens, Troiam, Dardanum, Ilium, Phrygiam, eandem & unam urbem esse,ac Asiæ caput. Salem ergo urbem,prędium Sion,collem Moria cū op pido Iebus coniunxit,ut eam Tetrapolim faceret,Phano & regia exornare cupiens. Arx enim Sion,cum planiciē haberet oppidi boni ac magni instar, uoraginem quandam inter se & Moriam habebat, quæ Mello diceba tur. Hanc igitur exornauit rex, ac ciuitatem Dauid eam appellare uoluit.

Deinde Moriam Templo celebriorem reddere instituerat, sed à numine prohibitus, id operis Salomoni filio perficiendum concessit. Salem autem & Hiebus cum promiscuè inhabitarentur, à Ioab extructæ & instauratæ Dauid praeeunte, uno nomine Hiebusalem dicebantur: sed postea per Antistœchon, mutata b litera in r, Hierusalem appellata est. Ne quis autem putet, Iesu Naue sententię me ignarũ esse, cuius quidem in scriptis, nõdum nato Dauide, imò quingentis ante hunc regem annis, Hierosolymorũ legitur nomen, libuit primò ipsius uerba adscribere, deinde meam in hac re dicere opinionem. Hiebusæum (inquit) qui incubabat Hierosolymam, non potuerunt delere posteri Iuda. etenim in hanc usque diem, gentilitati Iudæ immixta Hiebusæi proles, Hierusalem habitat. Ac paulò inferius infit, Hiebus quæ est Hierusalem. Hæc ille. Haud me quidem latet, inter scriptores sacrarum literarum Iesum hunc numerari, atque ab ultimis octo iteratæ legis uersibus, de seipso (qui suo nomine inscriptus est) librum conscripsisse, ab authoribus haud contemnendis tradi. quò fit, ut ignorantiæ argui possim, qui Hierosolymarum nomen sub Dauide initium sumpsisse dixerim. Ac uelim, si omnia hæc uerba scripserit Iesus, lapidiq; suppos uit, quisquis huic meæ opinioni refragatur, mihi indicet: An posteri Israel, ac eorum quisq; dimensam statim inierit possessionem, ab eo ipso descriptam. Vt nemo hoc facilè affirmet, ita concedet necesse erit, partes suas unumquenq; iniisse longo pòst, ac diuinitus ei prius demonstrato tempore. Eadem igitur ratione, prolepsi ac anticipatione Hierosolyma dicitur illi, quæ Hiebus est, ne & posteris deesset certa quædam appellatio, qua locum sacrosanctum appellare deberent. Nihil moror quæ de Adonibezes & Hierusalem, Samuel cum de Iudicibus Israel agit, infert: nam alij Esdram, alij Ezechiam huius libri authorem faciũt: quam opinionem ut sequar, id me mouet maximè, quod regiã potestatem, eo uate, ac sacra legesq; tractante, inchoatam certius, quàm scripsisse eum aliquid, sciam. At demus ipsissima hæc eius esse uerba, pleno Deo, facile hoc fuit, scire regiã ubi olim statueret rex ille, quem à parente occultatum, à Deo electum & inungendum agnouit. Recepit autem urbem in potestatem Dauid, postquam à Salem condita erat, anno noningentesimo uigesimotertio, mense sexto. Hæc de initijs urbis paucula sufficiant, si distichon adiecero, quo nomina urbis aliquot produntur. quod in hoc cõmemorare libuit, si unius uel alterius nominis posthac incidat mentio, in numerato lector habeat, de hac nobis urbe sermonem esse. Est autem tale:

Solyma, Luza, Bethel, Hierosolyma, Hiebus, Helia:
Vrbs sacra, Hierusalem dicitur, atq; Salem.

Quibus rebus res Hierosolymarum ampliatæ sint, quibus male afflictæ.
Caput IX.

Vix Dauid solum regni in Hierusalem fixerat, cum Palæstini incrementa regni tentarent subuertere. His autem deuictis, tertio quidem prælio, prouinciam omnem horum, regno suo adiecit. Syros deinde Damascum usque magna strage, imperata facere coëgit, uictoreq; exercitu Arabiam intrauit, in qua expugnata Petra, regni in immensum auxit opes. Sic ab Euphrate usque ad sinum Arabicum re bene gesta, longè profecit,

cum

cũ quæ Iordanem & Asphaltidem lacum ad mare usq; Syriacum interiacerēt, latè peruasisset, reges captiuos se coram, et urbem triumphantis more intrans, ageret, arma hostium, argenti, auri & æris pondus immane ex manubijs Deo Opt. Max. uouisset & dedicasset. Amicitiam inierat cum Tyriorũ rege atq; Thou tyranno potentissimo, qua re, publico bono, & ornamenta quàm plurima, & tranquillitatem maximam comparauit. Cumq; iam tertiũ suprà 30. annum Hierosolymis regnauerat, filium regem dixit, cui nomē Salomon, qui omnes sapientia anteiuit mortales. Is patre demortuo, regni gubernacula suscepit, qui quadraginta, quos præfuit annos, tanta tranquillitate ac opulentia rerum abundabat, ut Phano cōstructo, & artis & munificentiæ opus dereliquit, æmulatione adhuc nullius uel imitatum, uel inuidia demolitum. Ampliauit urbis pomœria, muros roborauit. Regiam sumptu & apparatu incredibili erexit: uias Hierosolymam ducentes nigro strauit lapide. Nullus unquàm tam longè, tamq; latè in Iudæa imperauit. Aethiopiæ reginam, Tyriorum dominum, Aegypti Imperatorem sola fama supplices sibi fecit. Primus Hebræorum classem ad inferendas merces instituit, urbes aliquas à fundamentis extruxit. Balsamũ ex Sabæis Iudææ intulit. ætas nulla, imperium nullum ab rerum initijs huculq; magis floruit, magis abundauit. Hac fœlicitate exceptus Roboam, tantæq; rei hæres extitit. qui minis decem regni prouincias à sese alienauit, ipsumq; numen, non solummodo sibi ipsi, sed Reipub. infestum reddidit consceleratа sua atq; uita immoderata. Videns autem, Hierosolymitanæ rei multum decessisse, urbes plures condidit, ut suarum partium opes redderet firmiores. Demum cum exemplo suo, in profligatam libidinibus uitam, tota raperetur præceps urbs misera, uindicta quinto anno adfuit. Sesach Aegyptiorũ rex, ferro, flamma, uastatis Hierosolymitanorum finibus, urbi ipsi copias admouet. cōditionibus intra muros receptus, protinus immemor fidei tyrannus, anathemata templi, uasa sacra, ærarium regium spoliauit & exhausit. hæc prima ab imperio condito, Hierosolymorum expugnatio fuit & clades, anno septuagesimoquinto, ante ortum Christi secundo supra nonagesimum. Cui cum in regno succederet Abia filius, Hieroboam regni Hierosolymitani æmulus, Samariȩ rex, Israëlitarum dux, Iudæis negotium facessere incipit. Abia tamen strenuè defendente, Hierosolymorum res & auctæ & tutatæ sunt, nec minus postea per Asam Abiæ filium amplificatæ. Nam sacra tunc omnia ritè in urbe fiebant, oppida instaurata, multæ ædificatæ urbes, demum etiam contra regem Aegypti Ioram nomine egregiè pugnatum, spolijs ditata urbs, circumadiacentes regiones territæ ualde. Phanum quod Sesac spoliauerat, Roboam ad speciem æreis ornamētis iterum amicierat, per hunc ipsum regem, de nuo auro & argento expolitum. Fœdus cũ Benedab infausto omine tamen initum. Successorem habuit Asa, Iosaphat filium, quem uicini omnes timebant. Erat uidere Hierosolymarum in urbe Palæstinorum, Arabum, Syrorum, Israelitarum Legatos, amplissimis munerib. instructos regis amicitiã quærentes. Qui legum periti, militaris disciplinæ expertissimi, religionis obseruantissimi habebantur, ad hũc confluebant, haud regiam, sed uirtutum omnium scholam quandam Hierosolymis putabant omnes. Extruebantur

hinc

hinc inde ædificia,sumptibus, arte & amœnitate commendabilia,reparantur urbes,et de nouo fundant.Fœlicitatem uerò hanc excepit calamitas,quæ tamen plus terroris quàm damni intulit.siquidem coniunctis cum Achab & sociatis uiribus, ad Ramoth cōtra Syros malè pugnatū est. Quam cladē tolerabiliorem postea reddidit, cum Syri Hierosolymam obsessuri ingētem congregarant exercitum,qui seditione contra se exorta,mutuis perijt uulneribus,adeò,ut Hierosolymitani pro summo labore haberent,spolia congerere,quæ in hostium castris opulentissima inueniebantur. Ochoziæ Israëlitico deinde cōiunctus,classe parata,mari quàm terra res infœlicius gessit,aliàs uictorijs,pietate,& amplitudine,regum nulli postponendus. Hactenus res Hierosolymitanas florescentes,per annos fermè 160.semel tantum afflictas, ex parte tamen instauratas,excipit tristior fortuna,cum nec in Deum pietas, nec maiorum exempla,Ioræ curæ fuit. Is equidem pio parenti, impius succedit,uxorius omnino.Huius regni initio prouinciæ rebellarunt, urbes imperata negant. Arabes,Aethiopes Palæstinis consociati,illato bello, rure & suburbanis deuastatis, regiam ipsam occupant, diripiuntq; miserè 84.anno,ab eo quo Sesach urbem inuaserat,ante Christum autem noningentesimo octauo.Ex quo autem regni sedes facta fuerat urbs ipsa, anno centesimo sexagesimo, ipse quoque tota eius excisa domo,longo uiscerum egestu moritur,relicto Ochozia hærede.qui quidem si diutius uiuere illum cōtigisset, rem Hierosolymitanam euertisset omnem:nam magna clade repulsus à Syris,contra quos auxiliares copias Israëlitarum regi adduxerat,in fugam uersus,demum in Samaria latitans,obtruncatur à Iehu Ioræ Israëlitæ æmulo, matri,impietatis incentrici,regnum relinquens.Hæc sex annis tyrannidē exercens,quicquid exornando phano,& urbe,reges priores ornamentorum intulerant,hæc omnia mulier deperdita uel diripuit, uel deformauit.At discerpta ac per publica tracta,Ioas rex constituitur publico omnium consensu.quo regnante pristina rebus redijt facies,inq; statum optimum reductæ, at exorta,ex successu fœlici,rerum bonarum negligentia,rex primo in præceptorem atq; infantis tutorem sæuijt.contemptus Dei deinde sequitur,quem luxus excipit & mollicies,quæ omnes ita corrupit,ut cum Syriæ rex, latrocinandi magis quàm expugnandi regni causa Iudæam inuaserat,fugientes palantesq; insequi coactus sit usq; ad urbem:in quam cum qui euaserant se proripuissent, quo excusatiorem ipsorum facerēt pusillanimitatem,hostem numero,uiribus,armis,omnibusq; rebus auctiorem & instructissimum mentiuntur.Fit trepidatio ingens,discurrunt ciues,consilij inopes,rex ipse timere cœpit. Tandem sacris thesauris exhaustis,gaza regia expilata,maximo auri pondere,ignominiosam mercatur pacem.Sic obsidione,quæ fuit iam tertia,leuatur urbs decimooctauo anno,postquā direpta fuerat ab Arabibus. Paulo pòst & ipse rex insidijs suorum perijt. Successit ei Amasias.hic in Arabia primò prosperè bellum gessit,& regnum auxit aliquid.sed ut fines imperij ampliaret,in hostem uiciniorem ducere statuit, ac Israëlitas, qui sub regibus Samariæ degebant, regno iterum adiungere conabatur.Indicto igitur illis bello,ante initam pugnam,uiribus diffidens,fugam capescit,minis adactus,etiam ipsam urbē hosti prodidit. Deiecta igitur muri parte maxima,

atq; ad quadringentos cubitos decussis mœnijs, hostis triumphantis more, ipsum regem captiuum ducens, urbem ingreditur. Templo deinceps sacris thesauris spoliato, regiaq; magis direpta quàm expoliata, mœstam & desor matam urbem regi mœstissimo reliquit. Incidit hæc clades in annum à Dauidis interitu, alterum à quadragesimo ac ducentesimo: ante natum Christum, 853. Perdiderunt postmodum & hunc coniuratorum insidiæ, sufflecto illi sedecim annorum filio Ozia, qui & Azarias dictus est. Is regnum à pristina calamitate labefactatum erexit, & reparauit. Palæstinorum urbibus munitissimis & opulentissimis euersis, Arabes prælijs multis confecit. Syri legationibus missis, muneribus amicitiam eius mercabantur, Aegyptij fœdera cum illo inierunt. Pomœria urbis ampliauit. Aqueductus in urbe & prędijs extruxit. Rei rusticæ deditissimus ac callētissimus, uineis prouincias aliquot consæuit. Militarem disciplinam ocio corruptam restituit, urbem omni telorum genere & armis instructissimam reliquit. Fortuna, uictorijs clarus, lepra tandem contabuit. Studijs haud dissimilibus habuit successorem filium Ioathan, uirtute nulla minorem, pium & iustum hominem. is postquam administrationem regni inierat, tum publica tum priuata exornauit plurimū, mœnijs partim ab imo usque ad summū erectis, partim uetustate collabentibus, instauratis: porticus tēpli fecit, & ornatissime construi iussit. Fundos et prędia multa fundauit. Traiecto Iordane Ammonitis bellū intulit, uictis tributum imperauit, ut centum sibi auri talenta quotannis penderēt, tritici insuper decem milia, totidem & hordei coros. Hostibus terribilis, amicis charus uita excessit. Ne igitur Dauidis redirent tempora, obfuit huius mors, & Achaz filij inauguratio. Is etenim impietate exacerbauit dominū, ut immitteret regem Damascenorum, qui Iudęam omnem diriperet: adiuncto sibi quoque Israëlitarum rege Phacęa, Hierosolymā obsidet. At urbs regū antecedētium diligentia munita diligenter, longo tempore obsessa, & oppugnata sæpius, expugnari non potuit. Spoliata igitur prouincia Syrus ad propria reuertitur, incęsis urbibus multis & direptis. Achas audito regis discessu, in Phacæam mouet ulturus illatas iniurias. concurritur animis infensissimis. Acie cruenta uictus Achas, centum triginta hominum millia amisit, & in his filiū strenuè pugnantem. Fœdam hanc cladem, in Deum ipsum referens Achas, & Dei cultum abnegare suos coëgit, & Templi omnia ornamenta uiolauit, qua impietate sterilitatem terræ induxit, ac res Hierosolymitanorum ita afflixit tributo, quod Assyriis pendebat, & exhausit, ut iamiam Respub. intermoritura uideretur, cum eo extincto, regnum Ezechię dispari proli eius cessit, qui rebus iam deploratis lucem intulit, opemq; præbuit utilem. Etenim Phano iterum exornato, restituto cultu numinis, meruit, cum Israelitæ omnes in Mediā ac Persidē traducti, et colonorū nouorū uicinitate esset circumseptus, ab ipso etiam Senacherib, à quo pacem auri triginta, argenti tercentum talentis emerat, delusus ac obsessus, superno quodam auxilio liberari. Nam centum octoginta quinque milia hominum cum Angelus Domini una nocte sterneret, tyrannus uix cum decem uiris fuga euasit, in id tantum reseruatus, ut ab iis trucidaretur, quibus uitæ materiam præbuerat, ac quos procreauerat ipse. Hoc rege, Respublica omni externo imperio exuta, diuinis

nis magis quam humanis uirib. innixa stetit: nã licet ingẽtes thesauros cõgregarat rex, tamẽ tributis exhausta fuit ciuitas. inde iã ad inclinationẽ cõuertebat. Nobilitarũt hũc prodigia tria inaudita. Solis regressus, annorũ iã morituro extensio, hostiũ per angelũ strages. Foedus iniit cum Babyloniis, posteritati fatale. Vita orbatus Manassem regem habuit successorem bipedum omniũ nequissimum, qui Esaiam excarnificauit. Impia scelera tandem turpi carcere expiauit. Quippe cum Assyriorum armis peteretur, regni parte iam hostiliter depopulata, ipse dolo capitur, atque ad Barbarum deductus multa cum ignominia, aliquandiu apud hostem fuit: ubi in semetipsum descendens, resipuit, lachrymisque & orationibus reditu à Deo impetrato, in libertatem regnumque restituitur. Mutato igitur uitae instituto, interpolatis sacris rebus, muros urbis maiore aliquanto apparatu, quàm antea erant, refecit, multis in locis praesidiis firmatis. Rempublicã releuare conabatur ac erigere. Morte preuento, Amon filius eius regnum iniit; qui cum Dominum contemneret, etiam seruis contemptibilis, conspiratione in eum facta, trucidatur. Subsequitur Iosias, qui indole Dauidem referre uidebatur; & spem de se optimam pollicebatur ante annos, prudentiam quandam senilem, religionem & pietatem pre se ferebat, aequi iustique amator, nil quod ad Phani ornatũ, ad urbis ornamentũ, ad Reip. utilitatẽ spectaret, intermittẽs. Ferũt etiã ipsum Deũ eius causa calamitatem populi distulisse. Is cum pace, diuitiis & gloria omnes antecelleret, amico Assyrio opem laturus, Nechaoni Aegyptio obuiam fertur. sagitta transuerberatus, magno omnium luctu periit, urgente, puto, quae imminebat, ira diuina. Interim cum regiis inferretur monumentis, captum tumultu populi, Ioachim filium eius regem dixerunt, quem tertio mense ad se euocatum Aegypti rex in uincula coniecit, Eliachim fratre eius substituto ac sub tributo suffecto. Hîc primum urbs precario imperio recta, tributaria quoque facta, numinis iram praesentissimam sensit. Nam urbi cum prouincia centum argenti talenta, & auri unum, tributi nomine impositum est. Tanta Reipublicae labes & ignominia regem nihil omnino flexit, nihil erga Deum reddidit humiliorem, sed elatus occasiones omnes captabat, quibus fidem falleret, aut promissa negaret tributa. Octauo igitur eius regni anno, deuicto Nechaone, Babylonius Nabuchodonosor uictor etiam Iudaeam inuadit, tributa illi extorsit. quae cum tertio anno post, res nouas molientibus Aegyptiis, reddere negaret, Babyloniam prouocauit, quem certis conditionibus in urbem recipere haud ueritus est, Barbarus datam fidem aspernatus, omnem florem iuuentutis, cum ipso rege, militibus immissis gladio cõfecit. Cadauer regis extra muros proiicitur insepultum. Filium huius Ioachim in regem creat, abductis ex Hierosolymis triginta hominum milibus. Hunc etiam Babylonius mense tertio regno amouet, cum in fidem eius concessisset, Sedechia patruo constituto, cum militiae artiumque peritis omnibus migrare iussus. Reipublicę Hierosolymitanorum sic afflictę annis octo cum praefuisset Sedechias, in homines perfidus, in Deum arrogans, ad Aegyptios defecit, urbis & regni excidium accelerans. Nam Babylonius perfidiam hominis ulturus, Aegyptium aduentantem conficit, Iudaeam ferro ac flam-

ma depopulatur, castra Hierosolymis admouet, noctu urbem capit. Ex fuga retractus Sedechias, filiorum necem contemplatur, nec diutius illi oculi reseruati, sed eruti post suorum cædem. Priuatus luminibus, iniectis cathenis, Babyloniam ad perpetuos cruciatus mandatur. Vrbs sacro prophanoq́ cultu spoliata, incenso templo, à fundamentis diruitur. Captiua multitudo omnis sexus, omnis ætatis Babyloniam abducta. Sic Respublica Hierosolymitana ab uno & uiginti regibus administrata, si in numerū regina imperans assumitur. Quorum uitam si percurreris omnem, exceptis Dauide & Iosia (quibus uitia sua etiam non desunt) nullum eorum in bonorum albo habere poteris. Inter mediocres forsitan numerabis Solomonem, Asam, Iosaphat, Oziam, Ezechiam & Ioathan, certè reliquos omnes perditissimorum nebulonum feces arbitrêre. quod calumniandi causa haud dixerim, sed quod admonitum uelim omnes, si tales præsunt rebus publicis, flagitia hominum à Deo optimo maximo re nulla manifestius execrari posset. Exemplo enim, exosos diuinitati, in acceleratam quandam perniciem deducunt, aut tyrannide sanabiles adhuc in se redire compellunt. Passa est sub his regibus obsidiones alias nouem: sexies occupata & expugnata, ut superius annotauimus, redempta atque ab inuasione ingenti pecunia liberata secundo. Semel prodigio leuata obsidione. Aegyptijs etiam tributaria facta: demum anno postquam Dauid in urbe regnare cœperat 487. mense sexto, nisi uelis Ammonis imperio annos demere decem, per Babylonios, ut diximus, destructa.

Hierosolymorum res quo in statu à destructa urbe usque ad Machabæos fuerint. Caput X.

EXtinctis regibus, atque Hierosolymarum urbe diruta, gens refractaria Deo, hominibus renitens, nec ullo beneficio, nec gratia ulla uicta Babyloniam abducitur, colonis aliquot sub Duce Godolia relictis: quo sexto post mense, Ismaëlis fraude perempto, Persarum ultionem etiam innoxij timentes, Hieremia id prohibente, Aegyptum aufugiunt reliquię prouinciæ. Quum uerò Aegyptum intrasset Nabuchodonosor, & illos omnes abduxit captiuos, ac Syriam denuò ingressus ob Godoliæ patratam cædem, si qui supererant in Palæstina, traduxit Babyloniam, credidítq́ hoc modo, Iudæam totam penè cultu inhumano destitutam. Post septuagesimum deinde annum, gens afflicta & oppressa captiuitate, miseratione Diuina remissionem obtinuit per Cyrum, qui Zorobabele Duce hominum quinquaginta milia regredi persuasit. Is assumpto Iesu Pontifice, patriam, urbem, Templum, leges & sacra restituturus, in Iudæā concessit. At triginta annis, quibus Cyrus regnauit, à Cuthæis impediti, fundamenta Templi uix aliquantulū subleuare potuerūt. Accessit deinde Cambysis ambitio, qui cū diuini honoris appetens, Iudæos sciret se nunq́ illi tales exhibituros, præter id quod à Iudith Holoferne trucidato, hominem iritarāt, ac finitimi iuges in tentarent apud eum nostrorum criminationes, opus inceptum, rescripto tyranni protinus interdictum, ac per annos nouem dilatum. Dario deinde ex uoto et Orbari astu rege creato, Zorobabele, qui iterum in Babyloniam profectus, & iam inde à priuata fortuna ei fuerat familiaris, inter fidissimos cubiculi ministros recepto, contigit, ut suscepti uoti Darius à Zorobabele admo-

admonitus, per ministros suos ex tribu Iuda & Beniamin, ingenti numero multitudine collecta, Hierosolymam remitteret. Praesides deinde Syriae scripto admonuit, ut materia ad templi refectionem praebita, reuersos liberos esse atque immunes sinerent. Ipse quoque uasa quae Nabuchodonosor exportauerat, remisit. Sic septimo anno Templum aedificatum & absolutum. Hierosolyma iterum ciuili quadā administratiōe regi coepta. eius Principes, Pontifices habebantur. Xerxes dein Dario mortuo cum successisset, septimo sui imperij anno Hierosolymam magnum Leuitarum numerum, donatos auro ingenti, argento & necessarijs instructos remisit. sic in integrū restituto diuino cultu, Rempublicam auxit maximè. Tricesimo ac paulo plus deinde annò, Neemias impensis & iussu Xerxis, Syrijs inuitis & renitentibus, operarijs una manu gladium tenentibus, altera materiam aggerentibus, muros urbis instaurauit. Et per hos labores, duodecim annorum spacio, urbem ualido muro cinctam reddidit. deinde quae in agris uicatim agebat multitudo, in urbem traducta est. Vrbs quoque frequentius culta. Sed haec Reipub. initia Amani odium fermè in primo furore extinxisset, nisi Hesteres puellae precibus Asuerum à caede Iudaeorum contigisset reuocari. nam illa senis Mardochaei auunculi consilio, gentilitati omni pacem & libertatem impetrauit. Quantum uerò puellę pietas tunc profecit, tantum Reipublicae obfuit, sub Ocho Asueri successore, omnium qui imperarunt Persis uiro crudelissimo, parricidium Ioannis Pontificis, qui in Templo Iesum fratrem trucidauerat. Vagosus enim Syriae Praeses amici necem ulturus, Hierosolymā uenit, Phanum spoliauit, septennij tributo ciuibus imposito. Manasses deinde & ipse impudens, immemor fraterna inimicitia quantum mali inuexerat, aemulatiore contra fratrem Iaddum contendens, sacrum Reip. cultum multum afflixit. quae res cum in apertum odium erupisset, perpetuam urbi & prouinciae seditionem excitauit. Nam cum Templum in Garizim, Alexandri Magni sententia accedente, aedificauerat Alexander, Iudaeorum potentiam in partes scindere atq; imminuere gestiebat. à quibus cum uiros & commeatus petijsset, repulsam passus fuerat. Gaza obsessa quoque & Tyro expugnata, haud exiguum terrorem urbi iniecerat: quae omnia in Reipub. usum & ornatū diuinitas conuertit. Iratus siquidem Alexander, sub urbe, sacerdotis Iaddi praesentia placatus, discessit, ac tantum abfuit, ut Respublica ab eo in aliquo laederetur, quod etiam inuito Parmenione sacris indutum ueneraretur & adoraret, in templo sacrificaret luculentissimè, Iudaico autem ritu. Sacerdotes deinde amplissimis muneribus donati. Reipub. concessit, patrijs uti legibus, fidem adhibens, Babyloniam quàm primum peruicisset, idem tributibus se concessurum. Tributo deinde septennij remisso, aemulis non auditis, uictoriam prosequutus est. Haud diu tanta foelicitate frui potuit urbs. ueneno enim extincto Alexandro, Ptolemaeo Lagi filio & Aegyptus sorte, Syria uerò ui cessit. Hic Iudaeae imperare cupiens, urbem obsedit, at frustra. Vi deinde in fraudem conuersa, Sabbathi die, specie sacrificij, Iudaeis concedentibus, ciuitatem inuasit, ciues securos oppressit, tyrannidem immanem in eos exercuit diu: captiuis deinde ab

mis securi percussis, ad decem milia uinculis innexos abduxit. Muros deinde deijciens, aedificijs ignem inijcere iubet. Vrbis eminentiori parti praesidium imposuit aedificijs munitissimum, quod commeatu, armis, telis, & milite, Macedone quidem impleuit, addito eis Iudaeorum quouis peruersissimo. In sacrario aram construxit, ut porci immolarentur: idola erexit, in uicis urbis Templa deorum. Circumcisionem omnem prohibuit, tormentis interminatis, dicto minus obedientibus. Abiens etiam praepositos constituit, qui imperata renitentes facere cogerent. Philippus Phryx Hierosolymis, Andronius & Menelaus apud Garizim praesidia obtinent. Anno post reaedificatũ Templum 349. mense quarto, Non. ipsis decembris, undecim pontificum principatu, per tot annos recta, postremò ambitione eorum destructa & pessundata. Vrbs cum iam iterum muris circundata, ciuitatis nomen meruerat anno ducẽtesimo sexagesimoseptimo, mense nono, à Vagoso, Alexandro Magno, Ptolemaeo Lagi, Antiocho Theo, Ptolemaeo Epiphane, Seleuco, iam ante sexto inuasa & direpta fuerat.

Quae fortuna Respub. Hierosolymitana sub Machabeis excepta sit. Caput XI.

CVm igitur urbe iam secundò in cineres fermè redacta, timidiores & perditi, Syrorum imperium & religionem sequerentur, probatissimus autem quisque, impietatem abhorrens, atrocissimis poenis perderetur, Mathathias quidam, uir consilio & manu promptus, filijs quinque masculis & fortissimis foelix, pietatis & patriae se primum assertorem exhibuit. Is obtruncato, qui alieno sacrificabat ritu aliquo, Apollonium prouinciae praesidem ferro opprimit. deinde cum liberis & paganorum non contemnẽda manu, quos omnes ad libertatem uindicandam, conuocauerat, ex Modine uico suo mouet, Hierosolymã regni caput petens. In itinere cum castra metatus esset, sabbatho insidias patitur, sed collectis reliquijs, uiribus auctis, non integro anno, aris idolorum demolitis, ritus & sacramenta patrum restituit. Iuda demum filio suo in ducem dato, ipse uita decessit. Filius haud degener, primo conflictu Apollonium in fugam conuertit, atque exutum castris Syria expulit. nec Seron foeliciori pugna cum ipso congressus, etenim uita cum imperio amissa. Iudas Bethoron occupat, ac Reipublicae prouinciam recuperauit circa urbem sitam. Hac clade ipse Antiochus territus, Lysiam peditum equitumque exercitu ingenti, Iudae obuiam misit. is receptis cum Nicanore & Gorgia auxiliaribus copijs, in hostem fertur. Par his fuit exitus; uictoria penes Iudam constituta. Aucti spolijs nostri, supra fidem opulentissimis. Redintegratur bellum à Lysia, renouantur nostrorum trophaea; uictus Lysias pertinacia nostrorum redit Antiochiam. nec mora Iudas Hierosolymam exercitum ducit, oppugnat arcem, Templum purgat, urbem restaurat, munit, atque habitabilem reddit. finitimos aggreditur, imperio urbis subijcit. In Galilaea etiam per Simonem fortiter pugnatum est. per Iosippum regni fines custoditi. Ipse Timotheo debellato, uictor redijt, cum hominem iam secundò castris exuisset. Respublica in immensum creuit. Trepidatum est nonnihil, cum contra iussa, Iosippus ad Iudaeae praesidium, temerè & infaustè dimicasset. Praesidium, iam audita Antiochi Epiphanis morte, maiore quàm unquam antea, oppugnatione adoritur.

Sed iam aderat Eupater Epiphanis filius, incredibili exercitu, beluarumq; Indicarũ ui magna, ex quibus cum Eleazar (qui cum fratre Iuda aduenienti occurrerat) unam prosterneret & eam maximam, pondere cadentis oppressus interijt. Rex qui Iudam cum suis in urbem se recipientibus, ad urbem usq; insecutus fuerat, ea obsessa, annonæ inopia, aut potius Lysiç astu, persuasus, obsidionem soluit. pactus cum Iuda, ut ij qui in armis erant, templo excederent, uiuerentq; suis legibus: cæterum Templum deditum, contra fidem destruitur, Onia sacerdote ablegato & interfecto, & Alchino substituto. Variè deinde Iudæ cum Nicanore Demetrij Duce pugnatum uarijs in locis, Iuda superiore, & Ioachimo Pontifice manente. Sacerdote autem demortuo, cæso Nicanore, regni Templiq; principatus omnium consensu Iudæ defertur. Cum Romanis initum fœdus. Mox à Bacchide Demetrij Duce, Iudas haud incruenta uictoria uictus & extinctus est. Ionathas huius frater res perditas suscipit, qui fugato Bacchide, Arabes magna clade afficit: ad pacem deinde Bacchidem coëgit. Vrbis muros iterum instaurauit, Templi dirutam partem turribus communiuit, fratre Simone ad prouinciam tutandam misso. Cum Alexandro Demetrij æmulo amicitia huic interuenit, à quo Pontifex creatus, purpuratus quoque Apollonium deuicit, & ab ipso Alexandro, ob id laudari meruit. Demetrio in ipsum mouenti reconciliatur, aliquot donatus immunitatibus: delusus tamen ab eo præsidium obtinere non potuit. Diodoto inter Tyrum & Dalilæã deuicto, cum Lacædemonijs & Romanis fœdus renouat. Demũ Demetrianis iterum cæsis, Nabathæos Reip. adiecit. Sic ubi Iudæorum res ubiq; lætæ erãt, trucidatur Ionathas. Simon, fratre insidijs Tryphonis necato, Reip. gubernacula suscepit. Accolas statim infestos bello edomuit. Arcem Hierosolymitanam non tantum diruit, sed solo æquatum tumulũ deijci mãdauit, cui præsidiũ fuerat impositũ. quod opus ciuitatẽ triennio exercuit, aream'q; ipsi templo subiecit. Sed et is Antiochi Ducem Cendebæũ, ad Modim pugna, & fugauit, et multa strage Syria expulit. Iamq; satis tutus ab omni externa ui, domestica fraude opprimitur à Ptolemæo Abobi filio, qui ueneno hominẽ extinxit. Ioannes huius filius regni princeps & sacerdotũ primus dicit. hũc Hyrcanũ à deuictis Hyrcanis nominãt. Sub hoc Hierosolyma ab Antiocho obsessa, Dauidis sepulchro aperto, eruta inde auri magna parte, ac hosti numerata, obsidio soluta est. Mercenariũ hic militem primus aluit. Vrbẽ centũ tribus turribus cinxit, atque munitiorẽ reddidit. Idumæam armis subegit. Samariam ui captam diruit, Antiocho Grypho repugnante. Amicitiam inijt cum Romanis. Nec Hierosolymis solum, sed toto terrarum orbe Iudæorum gloria & fortuna excelluit. Sic fœliciter anno primo supra tricesimum sui principatus, uitam finiuit. Rebus igitur per Mathathiam & posteros suos per annos sexaginta quatuor, sub Ducibus quatuor, in tantum auctis, præficitur Aristobulus, cognomento Philellen. Is ueteri principatus forma mutata, diademate sumpto, & rex dici & Pontifex haberi uoluit. Ituræos partim ad circuncisionem admouit, opes & ritus Reipublicę, domi forisq; ampliauit. domestica simultate infœlix, ut qui matrem noua molientem, in carcere necare coactus sit, ac Antigonum fratrem aliena

fraude

fraude necatum uidit. Ipſe dolore uiſcerum extinctus, Iannæum Alexandrũ ſucceſſorem habuit, qui & ipſe rex dictus, rei ampliandæ cupidus, Ptolemaidem inuadit, ac Lathyri Ptolemæi uiribus repulſus, magna ſuorum cæde deſtitit ab incepto, ſuorum ad triginta milia deſideratis, prouincia male afflicta. Cleopatræ fœdus adeptus & auxilium, à Theodoro iterum caſtris exutus, infœliciter pugnauit, amiſſis cum impedimentis plusquàm decem millibus militũ. Clade nil territus, Gazæos expugnauit, urbem igne deſtruxit. Tributa Galaatitis & Moabitis imperauit, Theodoro uidẽte Amathautos occupauit. Ligneo pariete ſacerdotes in Templo à populo diſtinxit. Tandem ab Arabibus deuictus, domeſticis oppugnatus armis, à Demetrio ſemel fugatus, uires reſumpſit, atque uictorem Syria eiecit. Ciuile bellum pertulit, in quo cõfecit hominum quinquaginta millia. A Stratonis turre, Rhinoceram uſque, quæ intererant oppida ac præſidia, omnemꝗ oram Syriæ ſuo imperio adiecit. Cumꝗ pacatus agere non poſſet, etiam febre laborans, caſtellum trans Iordanem obſedit, quod mortuo eo, uxor Alexandra in caſtris agens, expugnauit. Victrix Hieroſolymam reuertitur, ac regnum ipſa init. quæ Ptolemæo Minæo Iudæam inuadenti Ariſtobulum filium obuiam mittit. Exuta per filium paulo pòſt regno, uitam dolore amiſit. A morte huius ſtatim, inter Hyrcanum Pontificem & Ariſtobulum regem, fratres, apud Hiericunta de regno initur certamen, ac de rerum ſumma conflictu habito, uictus Hyrcanus, regiam tamen occupat & munit. in Phano deinde reconciliati. regnum Ariſtobulo, Hyrcano cæteri honores deferuntur. Mox metu ac animi inquietudine inductus, Antipater Idumæus falſis delationibus, Hyrcano perſuadet in Arabiam diſcedere, ipſe præcurrit à regẽ fidem accepturus, ne ſupplicẽ inimicis tradat. Promiſſis inductus Arabum rex, in Iudæam mouet, Ariſtobulum fugat, atque in urbe clauſit. Scaurus autem Põpeij legatus, Hyrcani Ariſtobuliꝗ pollicitis ſollicitatus. hic ut in regno obtinendo ſibi adſit, ille ut obſidionis leuandæ cauſa accedat, quadraginta talenta ſinguli promittunt. Scaurus quęſtũ ſecutus, Ariſtobuli promiſſa præfert, accepto auro po. Ro. atꝗ Põpeij nomine, Aretę Arabi bellũ indicit, niſi mox ſoluta obſidione abeat. Diſceſſerat Scaurus, abierat Aretas. Ariſtobulus ingẽti exercitu parato, hoſtem pugna cruenta uicit, in qua apud Capiron multa Arabũ et Iudęorũ milia promiſcuę ceciderunt. Pompeius in Syriam deſcenſurus, Damaſcũ peruenerat, cum Ariſtobulus ei uitem aureã quingentorum talentorũ dono miſit. Peruenerãt eò Iudæorum legati, cum Hyrcano, Ariſtobulum accuſantes: is etſi conſtanter ad omnia reſpõdebat, turbato tamen à Pompeio diſceſſit animo, belloꝗ iam cũ Pompeio cõgredi cogitabat. Pompeius illi tempus ad parandũ bellum haud dari ratus idoneum, Hieroſolymã abeuntem inſequitur, quẽ Ariſtobulus ſuſcipiens ſuppliciter, muneribus ſibi recõciliauit. Promiſſa ingens pecunia; quamcũ ad recipiendã cũ milite Gabinius adueniſſet, ciuitate excluſus eſt: milites enĩ Ariſtobuli pactis haud conſentire uoluerũt. in carcerẽ igitꝰ detruſo Ariſtobulo, exorta in urbe ſeditione, factio Hyrcani Põpeiũ admittit. Regij milites ponte deiecto, Templũ occupant. Hic menſe tertio uix in Phanũ irruptũ eſt, Fauſto Cornelio Syllæ F. primo murũ tranſcẽdere auſo. Occubuerũt Iudęorũ

duodecim

duodecim milia, Romanorum perpauci. Arcana alienis nunquam uisa, detecta. quod quidem genti grauissimum fuit. Pompeius etiam ipse, quæ nulli accedere fas præter sacerdoti, adijt inspectis thesauris & uasis sacris omnibus. Manus tamen pertinacissimè abstinuit, nihil inde auferens. Aedituis postera die curare Templum præcipit, sacra ueteri ritu instaurari. Hyrcano sacerdotium restituit. Belli autores securi percussit. Sublata administratione regia, popularem induxit. Vrbem Romanis tributariam fecit. Sic urbs Rom. Pop. potestati subijcitur, postquam res sub Ducibus quatuor, tribus regibus, una regina annos fuerat 39. ab eo tempore quo per Machabæos iterum restaurata sunt centesimotertio anno, quater prius obsessa & expugnata, aut redempta pecunijs.

Quæ Hierosolymitano regno acciderint, usque ad Titi oppugnationem, & Templi destructionem sub Romanis. Caput XII.

SIc Pompeij auspicijs, sub potestatem S. P. Q. R. urbs Hierosolymorū iam redacta, Iudæorum libertate sublata, Scaurum Præsidem Syrię, ac regni ab Aegypti finibus usque ad Euphratem, cum duabus legionibus summæ præficit. Cœlesyriæ urbes, quas Iudæi ceperant, illi parêre iussit. Aristobulum cum duabus filiabus, totidemq; filijs captiuum abducit. Scaurus Arabiam inuadit, rex uerò ter centum talentis pacem redemit. Alexander, qui Pompeio euaserat, Aristobuli filius, Iudęam depopulatur. Hyrcano imminet Gabinius, qui iā Scauro successerat. uictum prælio, obsessum in prę sidio, quod Alexādrium appellabatur, compescit. Hyrcano in Pontificatum reducto, atque Iudęorum gente in quinque Curias distributa, sub optimatibus uiuere uoluit. Aristobulum deinde fugitiuum, demum captum Romam misit. Secundo pręlio iterum uictum Alexandrum Aristobuli fugauit, in Arabes exercitum duxit. ijs deuictis Republica Hierosolymarum optimè instructa, successorem habuit Crassum. huic quamprimum prouinciam attigit, curę fuit, sacram diripere pecuniam omnem, etiam contra datam fidem, quippe quas Pompeius non attigerat, homo auarissimus abstulit opes. quibus quidem nihil aliud egit, nisi quod in Parthos ducens, fœdissimam & teterrimam Populi Romani cladem procurauit, homo delirus, senex, qui nec omina, nec diras hominum imprecationes ueritus, populo nominis Romani studiosissimo, bellum, sola glorię cupiditate accensus, intulit. Quęstor Crassi deinde Cassius, cum in Syriam aufugisset, ipsi decreta fuit prouincia. Hic cęsis Tarichęis, triginta millia Iudęorum uendidit. Antipatrum amicum habuit. quem etiam per omnes ordines ad rerum gubernacula euexit. Hunc cum iam Aristobulus à Pompeianis ueneno necatus esset, Cæsar à bello ciuili in Aegyptum perueniens, Iudææ præfecit. Antipater statim muro à Pompeio diruto, firmata urbe atque communita, cum Hyrcanum segniorem uideret, Phaselum filium militibus, ad custodiam urbis deputatis præfecit. Herodem ætate posteriorem, Galilææ Præsidem fecit. Phaselus ciuibus charus, omnium in se beneuolentiam conuertit. Hyrcano cum Herode intercidit simultas. Transacta res Sexto Cæsare Sequestro. Parum autem abfuit, quin Herodes Hierosolymam

Hierosolymā inuasisset. Sexto Cæsare dolo necato, uenit successor Marcus. Cæsare Romæ interfecto, Syriam etiam petit Cassius. hic indicto stipendio ciuitatibus, septingenta talenta iussit conferre. Herodes largitionibus fauorem Cassij obtinuit, cum reliqui omnes segnitiei ab eo accusarentur. Herodes Syriæ procurator, à Marco & Cassio dictus, iniecta illi spe regni Iudæorum. Malicho deinde oppresso, Felice qui urbem obsederat fugato, ac Antigono Aristobuli depulso, Hierosolymam uenit, affinitate cum Hyrcano cō tracta, omnium fauorem meruit. Cassio in Philippis interfecto, M. Antonius in Asiam discessit, qui etiam non auditis accusatoribus Herodis, Phaselum fratrem eius, atque ipsum Iudææ Tetrarchas cōstituit. Postremò à Parthis fugatus, ingēti calamitate oppressus, cū Antigonus urbem iā occupauerat, Parthi Phaselū & Hyrcanū captiuos abduxerant, uix urbe pulsi, ipse Romam aufugit. Rex igitur Hierosolymarum Romæ creatur. Delatus in Syriam, urbem nequicquam oppugnat. coactus hyemis asperitate, obsidione soluta, ad Antonium qui circa Samosatum agebat, se contulit. Res suæ interea in Iudæa fractæ. Tertio deinde anno postquam rex declaratur, urbem recipit, Antigono ad Antonium misso, qui statim securi percussus est. sæuitum dein in factiosos. Rapinæ urbis ab eo inhibitæ, ac miles liberaliter cum Sosio duce donatus. Hyrcano consilio sororis deinde sublato, infœlicitatem station domesticam sensit, regis uxoribus inter se discordias ferentibus. Auctus deinde ab Octauiano Traconitide & Ituræa, pluribus alijs ciuitatibus, Gallicis ac Germanicis, dono Cæsaris, militibus stipatus. Factus augustior, animum maioribus adiecit. Templum restaurauit regio sumptu ac magnificentia conueniente. Antoniam præsidium Phano adiecit. Regias duas, Cæsarium & Agrippium ædificauit. ab ijs ad splendidiora itum, Cęsaream urbem, Sebastiam, theatrum Hierosolymis, in Campo maximo Amphitheatrum. Condidit & Antipatridam, Cypriam & Phaselum turres. Nec exteri tantæ eius munificentiæ expertes fuere. Pythium in Rhodo, in Accio publica balnea, Antiochiæ platea exornata porticibus, & strata polito lapide. alia omitto. Legibus instruxit quoque Rempublicam. Arabes deuicit. Hæc quidem omnia regia atque illustria dici possunt: sed in rebus domesticis infœlicissimus fuit. crudelissimus quoque socrum, uxores, fratrem, filios, familiarissimum quemq; extinxit. Dauidici generis quotquot reperire potuit, necauit. Sed cui parceret, qui Christum ipsum extirpare conatus sit? qui moribundus optimorum sanguine sibi parentare uoluit. Sed tyranno extincto, Archelaus in ipso parentis funere rex proclamatur, ille autem titulo regis in Cæsaris sententiam coniecto, diadema imponere uoluit, beneuolentiam omnium sibi conciliare, uerbis benignis studuit. Atorta seditione, cum aliquot Iudæorum millia desiderarentur, Romam ipse proficiscitur regnū petiturus. Sabinus autē in Iudæam uenit, thesauros Herodis custoditurus. is aūt Vari persuasione, ad Archelai reditū intacta omnia relinquere pollicitus, fide soluta, Hierosolymā ueniens, omnem potestatē conatē arripere. Romę de regno disceptāt Archelaus & Antipater. Tumultuatū Hierosolymis est, sed à Varo suppressa seditio, quę paulo pòst Sabini nequitia iterū excitata, atq; Reip. clade maxima uix sopita, pulso Sabino, atq; militib. eius obsessis. Nec res ex

tra urbē quietiores fuere, Iuda Galilęo quodā, res nouas moliente. Varus deinde superuenit, Sabinū & seditionis autores compescit, capitibus factionis Romā missis. Archelaus post lōgas altercationes, Toparcha dimidię Iudęae ab Augusto creatur, duabus reliquis regni partibus Philippo & Antipæ diuisis. Sic Hierosolymæ Cæsarea, Sebastia, & Ioppæ Archelao cedunt: Idumeæ Samariæ & Iudęæ scilicet Metropoles. Pseudoalexander interim agnoscitur, ac in numerum nautarum constituitur. Archelaus statim pontificatū uendere cœpit, tyrannum magis quàm regem se exhibens, quapropter accusatus à suis, in exilium mittitur. Tunc Prouincia Iudææ, Syriæ adscripta, tributaria efficitur. Mittitur igitur ab Augusto uir consularis Cyrenius, censor gentis destinatus, cui Copinius additus, plures annos Prouinciam præsidio obtinuit. Censu indicto, exoritur seditio, Iuda Gaulonitide autore. hinc cædes ciuium ac sociorum maxima. Sacerdotium Præsidis mutatur libitu. Samaritæ per totum Phanum quē noctu ingressi fuerant, egestis tumulis, mortuorum ossa dispergunt. Coponio Romam reuerso, succedunt Marcus, Annius Rufus, Valerius Gratus. horum ductu nihil memoria dignum actum. tantum sub Grato Sacerdotium iterum atq; iterum pro præsidis arbitrio & datum & ablatum est. Secuta deinde Pontij Pilati procuratio, quæ ab initio grauis fuit & molesta Iudęis. ipse enim templo, Cęsaris statuam inferre conatus, tandem pertinacia eorum uictus Hierosolyma imagines extulit. Deinde uoluit etiam ex sacra pecunia fontem in urbem inducere. quę res multo stetit Reipub. sanguine. Caphedonis deinde hominis facinorosi persuasio Pręsidem ad arma compulit, multosq; Iudęorum extinxit. Christum Iesum is cruci addixit. Romam à Vitellio missus, causam dicere iussus, ac in exilium pulsus, uim sibi ipsi infert. Marcellus Procurator à Vitellio creatus, pacatè egit. Hierosolymam deinde ipse Vitellius perrexit, Sacerdotis summi ornamenta quæ in Antonia seruabantur, Pontifici custodienda tradidit. Cō mutatis sacerdotibus, populo uenalium rerū precio leuigato, Antiochiam discessit, cum Artabono Parthorū rege Pop. Rom. & Tyberij nomine pacem confirmaturus. Imagines Caij ne per regionem Iudææ perferrentur, cōtra Arabes proficiscens, altam uiam exquirit. quòd Caius grauiter ferēs Legatum mittit Petroniū, abrogato Vitellio, qui uel ui Hierosolymarū urbi signa eius inferret. Repugnatū est uerbis per quadraginta dies. Petronius demollitus, ut Cæsaris irā, quàm Iudæorum calamitatē perferre mallet. Interea à Tyberij filio Caio, dictus rex Agrippa, ac à Claudio in regnum missus, Hierosolymā uenit. Vbi rebuspublicis optimè institutis, Syllam militiæ præficit. Doritas auxilio Petronij castigauit, Hierosolymorum muros sumptib. restaurauit ingentibus. Marsi deinde præsidis calumnijs impeditus, Claudij iussu ab ædificijs reparandis inuitus destitit. Vrbem frequentius inhabitauit. Intercessit illi cum Marso magna simultas. Moritur magno omnium luctu. Guspius Fadius Præses mittitur. Is Iudæam, latronibus oppressis, pacatiorē reddit. Helena regina Adiabenorum ad Iudaismum conuertitur, quæ annonā, in magna fame, Remp. iuuit, ac pecunia donauit ingenti. Theodas seditiosus cum factione sua opprimitur. Tunc uenit successor Fadio, Tyberius Alexander, & huic Cumanus. cuius in procuratione militis cuiusdam

impietate

impietate excitato in urbe tumultu, ad uiginti millia hominũ trucidata sunt. In militem deinde Moseos legem discerpentem securi animaduersum. Tandem ipso Cumano in exilium deportato, cura prouinciæ Fœlici cessit. Eleazarum hic principem latronum oppressit, Sicarij suo tempore exorti in urbe. Aegyptius pseudopropheta deuictus, nec extra urbem Iudæis quies. Festo deinde succedẽte iterũ latrones uincuntur. inter Agrippã & Iudæos exorta cõtentio, Popeæ Neronis uxoris opera sopita. Superuenit huic Albinus prędator prouinciæ, tributis, uectigalibus auctis, bonis singulorũ intẽtus, latrocinia pecunia redimi permisit: nocens sub eo, qui nihil dedisset. ueneno, ui, iniuria omnia mercabãtur, ordines, amicitiæ, opes. Sed ex carnificina Neronis successit huic Gessius Florus, qui eum comparatione sui fecit pientissimum. Ille enim occultè & cum fraude nocuerat, hic palàm prodigiosis et portentosis malis gloriabatur. Auaritia sua regiones desolatas reddebat, urbes spoliabat, populis labes inferebat, Cęstio Gallo socio & adiutore. Belli seminarium Iudæis dedit, Neronis pro Cæsariensibus sententia, atq; Præsidis in Iudæos animum implacabilẽ. Nulla sub eo nec linguæ libertas, fora etiã uenalia ab eo direpta, nobiles uerberibus dilaniebant. Equestris ordinis flagellabãtur, crucisigebant optimi quiq;, talione recepta, cũ olim ipsi Christũ opt. max. crucis necarãt supplicio. cędes deinde in populũ cõmissa, in Berenicen intentata contumelia, in sacros thesauros rapina. Tãdem cũ Florus non mutaretur, mutandum imperium duxerunt Iudæi, ac in Romanos apertè sæuitum. Omnia sacrificia præter Iudæorum in templo despecta, imò non receptæ Cæsarum hostiæ. Antonia cæteraq; præsidia regum oppugnata Sabbato ipso, flagitia summa commissa. Apud Cæsaream trucidati Iudæi, uincti etiam à Floro in harenam deducti. Iudæi Syriam exacerbati uastant, è contra. Hęc belli Iudaici pręludia. Hierosolyma à Cæstio obsessa nequicquã, prodigia horrenda uisa. Fugatus Cæstius, Romani necati. Belli Duces Hierosolymis creati. prouincia omnibus quæ ad bellum spectabant instructa, urbs commeatu. Vespasiano à Nerone cura belli commissa, datus exercitus, ipse Antiochiam uenit. Deinde cum præter urbem, prouinciam omnem in potestatem Romani populi redegisset, mors nunciatur Neronis, ipse Imperator dicitur, Tito filio reliquiæ belli decretæ. Interim Hierosolyma scissa studijs, Simoni portas aperit. Obsidetur à Tito factione, fame, tabe, ferro, illachrimante etiam hoste, capitur urbs, exscinditur. Templum igne deletum, ad fundamẽta usq; omnia deiecta. Perierũt Iudæorũ hoc bello Myriades supra septẽ millia cẽtũ et uiginti. Capti & uenũdati, aut spectaculis exhibiti 17. milia. Hũc finẽ sortita est urbs Hierosolymorũ apud omnes homines clarissima 129, anno postquam à Pompeio in potestatem Pop. Rom. redacta fuerat, regibus duobus, Procuratoribus uerò uiginti quatuor administrata. obsessa antea & inuasa quarta uice, nunc uerò sic excisa, ut uix unquam habitata uideretur. Per reliquas quoq; orbis prouincias in cæteros Iudæos sęuitũ, ut Antiochiæ per dies septem ferro atq; igne conficerentur. Ipsis deinde imperatũ, ut ubilibet sub imperio Romæ degentes, drachmas duas, quas quotannis Hierosolymitano Phano debebant, in ærarium Romanum deferrent, id est, Prophetarum, atque ipsius Christi sanguinem luerent. Tardæ, sed certissimæ atque grauissimæ uindictæ numinis exemplum.

De Iudæorum templis quæ iam interseruntur scitu digna. Caput XIII.

SOlum Hebræis à rerũ initio datum eſt, pura quadã mente & deuota, Deum inuiſibilẽ, remota prorſus imagine, colere & adorare. Atq; ita Abel primogenitus hominũ, quẽ non uiderat, cœpit colere. quod quidẽ certa quædam & perſpicua ſignificatio eſt, uerum cultũ diuinũ, ductum diuinitatis potius eſſe, quàm ullius ingenij dexteritatẽ. Enos deinde, cũ omnis creatura creatori recalcitrare inciperet, & ipſe mẽte quadã Deũ inuocãte, colendũ docet Numen. Cuius rei nõ ignarus Noë, altari ædificato, quod in cœlis regnare didicerat, numen colit. Imitatus hunc Abrahã, deiurata regione, in qua formæ cultus exhibebatur, etiã altari cõdito, promiſſiones illi in cor imprimens numen, non uiſum unquàm colere nititur. Iſaac poſtea ipſe ſacrificiũ factus, fide quàm cultu, diuinitatem propius agnoſci ſentijt, cum uxorẽ audiret mente ſynceta conſuluiſſe Dominum, atque reſponſum de gemino partu, in animo concepiſſe. Sic Iacob, quem tantum in ſomnis uiderat, uigilans adorat & teſtatur. Ad hunc uerum Dei cultum, cum in Aegypto deprauatum populum reducere uellet Moſes, ſecundum typum quem animo totum Deo dedito conceperat, templum quoddam portatile, populo, qui uiſibilibus ducebatur, extruxit, adduci potuit nunquam, ut humana ſagacitate comprehenſibile aliquid in eo adorandum exponeret. Hinc eſt quod nunc in igne gloria Domini, deinde in nebula, uoce aliquando, ſplendore ſæpius diuinitas deſcendit, atque Templum ſiue tabernaculum inhabitat. Primum hoc templum igitur à Moſe ædificatum, non uetuſtate corruptum, non hominum ui conſcerptum eſt, ſed quãdiu typus ueri Templi durauit, maiori ex parte, illæſus permanſit. Quod hactenus à paucis animaduerſum eſt. Fuit autem id diſpoſitionis diuinæ euidentiſſimum argumentum. Deus enim, cum hominum iudicio, maieſtatis ſuæ omnino impari in tabernaculo, gloriam & potentiam ſuam æternam, euidentius in nullo locorum aliàs comparere fecerit, nec ullo alio tempore, quàm his ſub pellibus cultus fuerit, religioſius admonitos nos uoluit in Chriſto homine (quod natura ſibi haud facilè perſuadebit) diuinitatis ſuæ plenitudinem apparituram aliquãdo, nec ab alia re unquam, quàm à Chriſto ſalutem ſperandam fore. Regum uerò deinde ſollicitudo inanis, qui ſuperbiſſimis ædificijs honorare Deum, quàm mente humili ſatius duxerunt, ſed tanta templi magnificẽtia id præſtare nequiuerunt, ne alijs in locis, quàm in templo celeberrimo, ac hominibus admirando, Deus non irritaretur cultura quadam ſuperſtitioſa: quæ res aliud nihil indicare uoluit, quàm quod primo quoque tempore, quo ratio humana, doctrinæ ab ipſo traditæ affingeret aliquid, quantumuis glorioſum, id omne niſi hæreſes pariturum nihil, ac contemptum potius, quàm cultum Dei excitaturum. Signum deinde eſt Euangelij ſacroſancti commonitionibus adimpletis, rerum finem adeſſe, quod in Archiuis Templi, tabernaculum ipſum reſeruatum, ac in adytu Phani, teſtimonij arca conſtituta, ultimo tantum excidio Titi ſcilicet opera, deperijt. Sed hęc Theologis relinquamus. Stetit hoc Moſis Templum per annos 473. cum res apud Iudęos in tantã fœlicitatẽ rerũ excreuerãt, ut uel ipſum Deũ (queadmodũ fieri aſſolet) beare cuperẽt, atq; glorię ſuę, quàm humilitatis teſtimoniũ apud poſteros reponere auerent magis.

Nec

Nec defuit sententiæ materia. nam marmore, cedro, auro, argento, & quod maximum est, ingenio, miracula orbis Salomon hoc unico ædificio, longè superauit, ac omnibus seculis rem prodigiosam inimitabilem ostendit. Hac una re, unum hoc profecit, ut uniuersi orbis uires fatigaret admiratione atque æmulatione, cum hi industrium honoribus afficere, illi opus excindere conantur. Aegyptiorum ambitio, Susacho rege atque Duce, primò omnium manus inferre ausa 46. anno post erectā molē, eius splēdorem delibauit. Derasit nōnihil postea Ioas Samarites. Ezechias ipse deplumauit ornatū, ab Assyrijs pacem mercaturus. Manasses externis immitior deformauit rem splendidissimam, adeò ut conuulsis aliquot ornamentis imparem iam præberet à priori aspectum. At Babylonij expoliatum fanum, tandem deijcere haud potuerunt omnino, licet concrematū in nonnullis locis ad pauimentum usque destruerent. Sic Solomonis opus quadringentesimo quadragesimoquarto anno destructum. Esdras deinde post reditum ex Babylonia, Cyri, Darii, & Xerxis assensu, sumptibus quoque regiis templum extruxit. quo in opere consummauit annos quadraginta. quod tamē ad imitationē Salomonis, ex cuius ruinis id restaurabat, nunquā potuit perducere. tantum enim abfuit ornatus, ut ii, quibus prioris Templi inerat memoria, quosque id uidisse contigisset, erecto ædificio cæteris magnum & lætū acclamātibus, illachrymarēt, comparatione prioris templi in memoriam redacta. Nec defuit tamen huic operi, aut splendor, aut sumptus ingenij'ue præstātia. Cum uerò Iudæi hoc opus homicidio priores contaminassent, Persarum uiolentia nonnihil deturpatum fuit, à Macedone autem Alexandro donatum & honorificè dotatum. Aegyptii quoque nunc honoribus, nunc ui intentata, dedecore affecerunt. Syri autem omni turpitudinis genere demolitum atque destructum cōpilarunt, anno instaurationis Templi 349. Sic quoque & Esdræ Templū finem habuit, atque Ioui Olympio dedicatū est. At Iudas Machabęus ex ruinis Phanū restituit, si opes respexeris, magnificè, si opus, tenuiter. quod quidem à Syris diu intactum non fuit, uix enim exiccato cæmento, diripitur. restituitur paulo pòst per Simonem huius fratrē. Deinde uaria fortuna uel ornatum uel deprędatum est. Pompeius, Crassus, Cassius uim & sacris & thesauris intulerunt. Herodes rex illud ita exornauit, ut nouum omnino, non instauratum uideri posset. Opere Salomonem superatum diceres, uictum tantum opibus Herodem. Aliis præterea tum externis tum gentilibus Regibus opus exornare curæ fuit, quoad per Titum, imò per tyrannos urbis, funditus periit, anno postquam restitutum erat per Machabæum, ducentesimo uigesimonono. Fuerunt pręterea Iudęis templa duo, sed nō in urbe. Vnum quidem in Samaria, in monte qui Garizim uocabatur, alterū in Aegypto, apud Heliopolim. Priori dedit initium Manasses quidam, is cum fratre Iaddo de principatu cōtendens, ut diximus, Sanabalats Samarię pręfecti filiam uxorem duxit, nomine Isacham. soceri potentia fretus, fratrē dignitate exuere, atque à pontificatu, ipso suffecto, deiicere ui nititur. At cum alienigenā uxorem duxisset, nec noua affinitas illi adiumento fuit, nec soceri autoritas. genti toti exosus, ob id impugnatur ab omnibus, & passus etiam exilium, ad socerum contendit, qui iratus Iaddo & Iudęis, generi causa, omnem occasio-

nem quærebat ultionis. Dario interea ab Alexandro oppresso, cum in Phœniciam Alexander peruenisset, Samballat in castra Macedonum, octo millibus armatorum comitatus, supplex concessit. data fide Alexandro, fidelem se posthac præstiturum operam addicit. Receptus benignè & dimissus, cum Genero templum in mõte Garizim instituit, & sacerdotem Manassem fecit. quod discordiæ ciuilis inter Iudæos maximum fuit fomentum. Si quis enim parum ritè sacrificasset, leges, iura, morum honestatem trãsgrediens, ad supplicium uel pœnam uocabatur, statim quasi in asylum ad Sichimitas se recipiebat, de tyrannide Hierosolymitanos insimulãs. Antiocho deinde regnante, Cretæo Ioui templum id dedicatum est, annuentibus etiam & id petentibus Samaritanis. Tandem & hoc Hyrcanus Iudæorum Põtifex diruit, post annum suæ ædificationis ducentesimum. Templo Heliopolitano initium fuit ab Onia sacerdotum principe. Antiochus captis Hierosolymis Oniam huius patrem, qui etiam Menelaus dicebatur, captiuum abduxit, ac apud Berœam Syriæ urbem securi percussit, Alchimo qui & Ioachim dicitur, in locum eius subfecto. Hoc iniquo animo ferens Onias, cum talis honor Alchino haud gentilis esset, fugit ad Ptolemæum regem Aegypti. à quo exceptus benignè obtinuit, in Heliopolitana regione templum ædificare, Hierosolymitano simile, cum ara, exiguum tamen, ornatusq; tenuissimi. Distabat locus ille 180. stadijs à Memphi urbe. Donauit illud donarijs, lychnis, & alijs. addidit rex agros & reditus pecuniæ, ut sacerdotibus copia cultus non deesset. Hoc templum deindè à Lupo & Paulino, post urbem Hierosolymã destructam, cum templum per 333. annos stetisset, clausum & inaccessum factum est. Operæprecium uerò uidetur quędam de miraculis templi inserere quæ haud passim occurrunt. ea quamuis ex sacra scriptura hauriri nequeãt, omnia traditionibus tamen ueterum, uero quàm proxima, literis sunt interserta. nec omittemus quomodo & quando hæc desierint, nempe ante 40. huius ultimæ euersionis templi annum. Ignis sacer, quo holocausta & sacrificia omnia consumebantur, primò quidem è cœlo datus, cum Moses instructo phano, oblationes aræ imposuerat. Hic duabus assulis nutriebatur per diem, quas mane & uesperi apponebant sacerdotes. Sic nutritus usque ad Nabuchodonosoris inuasionẽ illæsus permansit. cumq; sub dio per tot annos nutriretur, nec pluuia, nec uẽtis ab omni plaga irruẽtibus extinctus est, imò summè ascendentem, nullius auræ uehementia uel modicum inflexit, sed alta petens rectà sursum ferebatur. Cineres eius à loco ipso absorbebãtur. Ingruente autẽ hoste, Hieremias cui templi & urbis destructio bene cognita erat, raptis stipitib. & altaris prunis, facta scrobe in ualle Iosaphat, ea intulit, et obstruxit, locũ incognitũ futurũ prędicẽs, donec Deus populi sui misertus, in libertatẽ esset restituturus. Instaurato autem templo, cum Neemię ignis deesset, indictis supplicationibus locum adijt. rimatis cuniculis stipites & carbones inuenerunt, cum aqua quadam crassa. Aræ deinde stipites atque carbones extinctos imponens, sacrificijs et uictimis aggregatis, suffundere aquam inuentam pręcipit. Quo facto, solis se radius intulit, magnaq; omnium admiratione accensus rogus. Cumq; nulli dubium esset, hũc ignem eundem esse, quem Mosco Dominus misisset, qui cum postea per longum quidem tem-

pus,consuetis alimẽtis nutriretur,pauló ante ultimã templi destructionem, uix ingenti lignorũ aceruo per diem ali potuit,extinguebatur nonnunquam,adeó ut opus esset sufflatione flammam excitare. Inerat ornatui summi sacerdótis bulla, gemmis preciosissimis duodecim interstincta. Rationale appellabatur,ex qua si sacrificijs cõsultus Deus,in Reip.negocijs quid agendũ sciscitaretur,lingula quædã splendescentis candoris ad dextrã ascendere uidebatur. Desijt aũt hoc fieri,quanquã aliquando in sinistrã sanguinea ferebatur. Imponebantur sabbati dilúculo 12.panes calidi,ac per totam hebdomadam non amouebantur, redeunte Sabbato, à sacerdotibus amoti edebantur.de quibus,cuicunque oliuę magnitudine buccella dabatur,satur per diem munia sua obibat.cum alijs quoque tandẽ imminuta est gratia.Quod omnem admirationẽ præcellit,est,cũ indies armentorum & gregis uis magna & uictimæ innumerę iugularentur in templo,nemo unquam foetorem uel sanguinis uel carnis sensit,propter nidorẽ carnium nullam unquam mulierum abortum pati contigit,nec musca uisa est unquam in macello Phani. Situ nunquam uel carie obducti panes Propositionis. Stantibus in templo angustus uidebatur locus procidẽtibus,& ad adorandũ propãsis spaciosissimus. Nocuit nulli unquam scorpius,nec serpẽs in Hierusalem.nunquam moram accusabat,quantumcunque temporis in templo quis degebat.Nec desunt,qui affirmẽt,Salomonem omnis generis fructum ex auro infra Templum plãtasse,qui & florẽ & fructus stato tempore producerent,ac uento deinde adflante leni,excutiebantur. Inde aũt in usum templi ac sacerdotum omnia coëmpta & parata fuisse. Germina aũt horũ exaruisse,quàmprimũ alienigenæ Phanũ prophanassent.Fides penes autores sit.In collatione deinde primi ac secundi tẽpli,qui omnino posterius extenuãt,defuisse dicunt,Linguã fortis domini,ignẽ è coelo delapsum, inter Cherubim apparentẽ diuinitatẽ,Arcam Testamẽti,& oleũ unctionis. qui uerò priori postremũ præferre contendunt, causam adducũt, quod Deus in primo quidem templo per prophetas tantum populo suo loquebatur, in secundo per seipsum locutus sit,per seipsum turbas docuerit, per seipsum in eo miracula fecerit. Vnum hoc & nõ amplius addam. Quod nulla alia re, quàm ex seipso illud instaurari uoluit,id est,Aram propitiationis, templum misericordiæ pijs omnibus se exhibuit.

Magistratuum apud Iudæos ratio,de quibus in sacris libris non adeò frequens memoria. Cap. XIIII.

CONstat nullam unquã Remp.legislatorem habuisse certiorem aut sapientiorem Iudæis.quis enim qua ratione ipse coli uelit, homo adiuuari possit,Deo melius nouit. Harum legũ cum obseruãdissimi haberi uellent Iudæi,seniores quosdã,uitæ probatæ,scientia præclaros adhibuerũt, qui in dubijs interpretandi normã,in difficilibus definitionũ grauitatẽ,in arduis iudicium sanũ docerent.Sanhedrin hos uocabant,quos Iudices ordinarios forsitan quis non inepte appellabit. horum placita legis habebãt uigorem.Eligebantur ad hoc muneris uiri 70 1.corporis proceritate pręcellẽtes,facie uenusti,senecta uenerãdi,iudicio elegantes,linguarũ diuersarũ periti,ac Magię nõ ignari, qui per officia uaria distribuebãtur.Pretorũ collegium,ad quos capitaliũ causarum iudicium pertinebat,quos ipsi animarũ uocabãt iudiciũ, uiginti tribus constabat,quorũ suffragijs paribus,reum cõdemnare oportebat.

bat. Tribunal eorũ Gazith appellabatur, locus equidem lapidibus politis & & quadratis stratus. Hos ieiunos ius dicere, atq; totũ diem, si quem condem nassent, sobriũ agere oportebat. Suppliciorum genera, quibus rei occidebãtur, erant quatuor, lapis, ignis, gladius atq; funis. Rerum atq; bonorũ uel pecuniarum actio ad Triumuiros causarum Forensium deferebatur. De bello ineundo, rege creando, inaugurando Pontifice, ad senatum referebatur, qui ex 71. uiro creatus erat. Si de Reipublicæ uectigalibus ordinandũ, de templi sumptibus decernendum erat, hoc etiã P.C. ac Senatus totius autoritate, conficiebatur. Pari modo res tribuũ, Magi aut pseudoprophetæ censura, omnes sollicitos habebat. Legere in Senatũ aliquẽ, aut mortuo aliquo, alium substituere, omniũ suffragio coueniebat fieri. Qui in ordinẽ ascitus erat, progressus in medium, à quinq; uiris senatorijs, qui capiti eius dexteras imponebãt, Rabbinus, id est, magister appellabaẽ. In ordinãdo uerò hæ addebantur ceremoniæ, quod capitalium rerum iudices, quos prętores dixi, leonem, ursum, pardum, lupum, & serpentẽ interimebant. Senatus aũt 71. uiri Ghedola, cõmuni appellatione uocabatur, Hierosolymis hi erant. Coibant quandoq; in atrijs tẽpli, nõnunq; in porta regiæ domus. à mane usq; ad uesperam haud soluebatur Senatus. Sabbatho atq; festis diebus in muro urbis, de reb. consultabant. In prouincia uerò unicuiq; ciuitati collegium præerat, Sanhedrim nomine, ad quos tantũ de rebus ciuilibus actiones deferebantur de maioribus, apud Hierosolymitanos disceptabatur. Legebantur hęc collegia, Senatus maioris in urbe decreto, deinde iuramento adstringebantur parere iussui. De eis prouocatio dabatur ad ipsum eundem Hierosolymitanũ Senatum. Senatus consulta hac clausula finiebantur. Sic exposui, ac sic simul exposuerunt collegæ mei. Sic docui & eadẽ docuerunt socij mei. In hos sęuijt Herodes Ascalonita, sublata omni eorum potestate. is enim Hyrcano, qui de genere regũ supererat, trucidato, quotquot eiusdẽ gentilitatis conquiri potuit, interfecit, exustis Cõmentarijs, quibus regum natales & successiones continebantur. Deinde etiam Antigono sacerdote extincto, Pontificatum ad ignobiliores traduxit, tandẽ Iudices omnes & diuinæ legis interpretes pari scelere extinxit, Baba quodã tantum reseruato, cuius consilijs uteretur, quem cũ nõ assentantẽ reperisset, oculis tandẽ priuauit, ratus si nullis amplius Israelitici generis cõscriptionũ fascibus urgerẽ, nouitatis ipsius calumniã subterfugere, sibiq; atq; successoribus regiã constabilire posse autoritatẽ sublata recuperãdę potestatis spe, cũ reliquũ esse patriciorũ neminẽ crederẽt. Ad Titũ redeamus.

Vrbis & prouinciæ sub imperatoribus conditio describitur. Caput XV.

Caesaream iam abierat Titus, cumq; hyeme prohibente, in Italiam traijcere nequiret, fratris natalem diẽ, Berythi postea patris peregit, spectaculis æditis magnificẽtissimis, in eis Iudæorum cõsumptis multis. Legioni aũt Decimæ, cui præerat Terentius Rufus, Hierosolymorum custodiã credit. is Simonem Gioræ tyrannum, qui cum in cloacã se abdiderat, nec ingenio, nec labore euadere posset, captum ad Titum misit, qui triũpho reseruatus, Cæsareæ suorum tribulum cum bestijs depugnantium, & inter gladiatores pereuntium numerum duorum millium & quingentorum interire uidit. Percrebruerat interim etiã apud Romanos oraculum, quod designaret nasciturum in Hierosolymitana prouincia regẽ, qui orbis imperium arriperet. Vespasianus

ſpaſianus igitur Tito nunciat,ut diligenter ſi qui fortè ex Dauidis ſuperſunt familia,inquirat,proſapiamq; regiam extinguat.Hac magis cauſa ingens Iudæis ingeſta calamitas & perſecutio orta.Titus Hieroſolymã redit,ſolitudinẽ urbis cum cerneret,illachrymãs,ſeditionis autoribus mala imprecabatur. Tanta principis clemẽtia,diuerſis ſentẽtijs interpretata fuit.Miles uerò ingeniũ ſecutus,rudera perſcrutabatur ex magnis diuitijs.magna pars auri argentiq; inueniebat,multo plura captiui defoſſa indicabãt,quæ incertã belli fortunã timẽtes,terræ condiderãt.Hęc maior quędã calamitas inſequitur.Liberius Max. procurationẽ ſuſceperat Iudææ,ſcribit ei Veſpaſianus,ut omnem Iudęorũ terrã haſtæ ſub ijciat,nulla inſtaurata ciuitate,omninò ærario Reip. agrũ cõſeruet.Octingẽtis deinde militib.prouincię cura cõmiſſa.Ammaus præſidiũ datũ,& ager quẽ incolerẽt,ab Hieroſolymis triginta ſtadijs diſtans, additus.Euaſerãt cladẽ,qui Chriſto nomẽ dederãt,& in oppidũ Pellã effugerant.& iã in urbe degebat epiſcopus Chriſtianorũ à Iacobo,quẽ Amanus lapidarat,Simon Cleophæ reuerſus ab exilio,ſecundus,quorũ quidẽ tenuitas nulli ſuſpecta,trãquillitatẽ meruit,uſq; ad Iudæ epiſcopatũ,qui procuratore reuocato,cum ſuis reus factus,regni affectati cauſam ſubire coactus eſt ſub Domitiano.Domitianus enĩ,quos pater Veſpaſianus,Titusq; nõ ſolũ incolumes ſeruarãt,ſed etiã honoribus auctos apud ſe detinuerãt,ęmulus Dauidici nominis, capitis accerſit oẽs ex ſtirpe eius uenientes. Vocati,cõfeſſi, cenſiti, de regno Chriſti interrogati, liberi dimiſſi.Deſitũ etiã ſæuire in alios.Iuſtus deinde epiſcopus dictus,urbẽ cõplanatis mœnib.,foſſis adimpletis,latronũ ſicariorũq; habitaculum,in diuinis docuit.Zachæus huic ſuccedit,Tobias, Beniamin,Ioannes,Matthias,Philippus, cũ ſub Traiano iterũ tumultuatur in prouincia.Miſſus igiť Lucius Quietus,interẽptis plurimis,procurationẽ Iudęę init.ſub hoc res aliquãdiu pacatę,Senecã,Iuſtũ,Leui,Ephrem,Ioſeph, Iudam epiſcopos nutrierunt,cũ gens Iudęa uelut hydra,malis excreſcẽs, pro uindiã tres annos exercuit.Hi enim occupata Bittera urbe,ac cõmunita,regẽ ſibi cõſtituunt,ac Meſſiæ nomine honorãt,cũ aliàs Barcozba appellaretur. hic cum in Romanos moliretur bellum,milites inauthorabat ſacramento inſueto.nullus enim recipiebatur,niſi prius detruncato ſibiipſi digito,audaciã ſuam probaret.Referunt quidam,ad ducenta milia hominum huius in exercitu fuiſſe,qui ſinguli cedrum radicitus euellere in Libano uno niſu poſſent: ac ipſum tyrannum,tantam de ſe ſuiſq; concepiſſe fiduciam, ut in diuinitatem ipſam eiaculari conuitia auderet, dicens, Tu machinæ huius autor, qui tuos repuliſti, faceſſe hinc, opera enim tua quĩ indigeam? Ruffus obſeſſa urbe, fame & ſiti eam oppugnat. Tyrannus deſperatione adactus erupit, cruenta uictoria Romanis conceſſa, urbem,imperium,& uitam amiſit. Sanguinem torrentis in modum tunc omnia inundaſſe,atque in mare cadauera, arma interemptorum, etiam ſaxa fluxu ſuo traxiſſe, ſunt qui ſcribant. Victor exercitus, iuſſu Adriani, Hieroſolymarum muros inſtaurauit, Chriſtianis urbe ad inhabitandum conceſſa. Aelia ex cognomento Imperatoris, urbs uocatur, ut in Romanorum ius conuerſa, cum ritu etiam uocabulum mũtaret. Ioui ex aduerſo Templi ædes excitata.Hinc rurſus bellũ Iudæorum ortum. clàm primo, deinde apertè machinata in Romanos mala,orbis,ut ita loquar,terrarum hoc motu concuſſus. Iulius Se-

uerus missus,insidijs & cũctatiõe eos oppressit. Iudæa omnis desolata. quos ferrum reliquos fecerat,neruis uinctos,hostis uenundedit,& abduxit. Iudęorum nomẽ in ipsa Iudęa deletum. Episcopatum ex gentibus accepit Marcus primus,cũ Solomonis sepulchrũ sponte corruisset,lupi & hyenæ per urbes & uicos passim discurrerent,Iudæos si qui latitabãt,discerpentes. Sancitum deinde decreto Imperatoris,Senatus quoq; consulto cautum,ne quis Iudæorum prophano obtutu patriũ solum à longe inspicere auderet. Sic confluentibus peregrinarũ nationũ hominib. à Tito euersa,opera Adriani instaurata est urbs mirificè. Episcopi sibinuicẽ insequẽtes fuerũt,Cassianus,Publius,Maximus,Iulianus,Gaius,Iulianus II. Capito,Valens,Dolicianus,Narcissus. His omnib. in ecclesia læta seges,messis diues, Commodo theatris q̃ rebus publicis magis intento. At crimine falso obiecto latitabat Narcissus. subrogatur illi Dius,Germanio,Gordius,Alexander,qui instructa bibliotheca,rem Christianã auxit mirũ in modũ. Persecutionẽ passus ille, Mazzabanes,Hymenæus inuicẽ sequuntur. Diocletiani carnificina secuta,afflicta Resp. Labdas ecclesiæ præficitur,post hunc Termon,tandẽ Macharius. Nicæensi concilio primatum nanciscitur ecclesia Hierosolymitana, indicio diuino crux sancta ab Helena inuestigata,sub Veneris statua,quã ecclesiæ inimici Caluariæ loco imposuerant. Res Christianorũ in urbe,tẽplis,publicis & priuatis donis exornatæ. Et hæc hactenus de Hierosolymitana urbe reperiuntur apud autores idoneos,per annos à destructione urbis,per Titũ factæ 222. quod nulli mirum erit,qui uel hoc animaduerterit,nos rerum per Iudæam gestarũ notitia destitui,ob Romanorum tum in Iudæos tum in Christianos inuidiam, quorum quidem tempore, & deuotionem et pietatem,superstitiosam quandam persuasionem esse credebant. Nulla igitur eorum ratione habita, nec mentionem de his habere dignati sunt. Adde,quod qui Syriæ præfectus erat,hãc quoq; uiribus,opibus,armis,militibus exutã regebat,cumq; Christiana res pace quàm bello magis accresceret,tumultu nunquam inclaruit Iudæa,neminem Imperatorum seditione nobilitauit. Iniuriæ huius quoq; non minimam partem sibi asciscit temporis iniuria,maxima hominum incuria, quibus harum rerum Commentarij deperierunt.

Respublica Hierosolymitana sub Græcis quantum sit aucta. Caput XVI.

MAximus Ecclesiæ iam preerat,cum imperium ad Græcos deuolutum fidem Christi Iesu amplectebatur. Matre enim in nullo inferior filius, Pietati cœpit studere Constantinus, ad dedicationem Hierosolymitanã ex omni orbe coire sacerdotes præcipit. hanc autem fœlicitatem Ariana labes mox inficit Cyrillo sedente. Tentarunt nonnihil Iudæi, sed oppressi atque exterminati desierunt. Lactauit autem spe quadam inani miseros Iulianus,qui ficta religione in imperium irrepserat. Interrogati ab eo,cur non sacrificarent, hoc in solo Hierosolymorum templo fieri posse ingerunt. Accepta licentia,opus igne consumptum reparare incipiunt, Christianis insultare. Materia aggesta, fundamenta iaciuntur cũ nocte sequenti,longè lateq;,cõmota terra,quicquid superstructũ erat,quicquid reliquũ fuerat, prosternitur,operarios opprimit. globuli deinde ignei emicant,discurrentes per uias & plateas,ultrò citroq; cõmeantes Iudæos miserè adurunt & exanimãt.

Deterriti

Deterriti igitur Iudaei & gentiles coeptis desistunt. Procurationem tunc habebant prouinciae Alypius. Varia fortuna tunc sub Valente usq; ad Theodosium agitata Resp. Ioannem successorē Cyrilli nacta. Iudaei Hierosolymā somniantes, Cretaeo in mari summersi à pseudopropheta, deperierunt. Eudociae Augustae munificētia ornata urbs, Paulae, Eustochiae, Hieronymi prę sentia nobilitata florebat multum. Thoma deinde Ecclesiam docente, à Persis iamdudum lacessitum Graecorum imperiū, indies corripiebatur. Cumq; Phocas nomini responderet, somno & delicijs deditus, Casdroēs Hierosolymā occupata ad nonaginta milia Christianorū interemit. diruta urbe, & pollutis locis sacris, praedam ingentē abstulit. Heraclius, qui iam imperij sceptra sortitus erat, in Syriam ducit exercitū. Imperij iura uēdicaturus, fugit hostis, quem Heraclius magnis & difficillimis itineribus insequitur. Congresso eo regi, caesa sunt Persarum millia multa, uiginti septem signa militaria relata. Casdroē filij impietate necato, prouincia cum urbe, Episcopo Zacharia, imperio restituta. Dominica crux, magno omniū applausu, iterum locis sacris illata. Tertiae pugnę dies fastis Romanis adscriptus. Sarraceno militi parcē datum stipendium, res nouas moliri fecit. Aegyptū primò, Arabiam postmodum, Persiam subigunt. tandē potiti Syria, Hierosolymam expugnant, prouincia subacta, anno imperij Graecorum 314. Decreuerā nihil omnino de ijs rebus, quę inter Francorum imperiū, siue regnum in urbe obtentum, per Sarracenos, uel alios gestae reperiuntur, addere. Mutata deinde sententia, & hoc taedij deuorare libuit, ut traderem quae coniecturis nōnulli colligūt, aut cōtra omniū opinionem quidam affirmant. Ergo ad rem, cum prius hic admonuerim Lectorem, quae in Tyrensi reperiantur, non admodum curiosè me tradere uoluisse, sed ad ipsius Authoris scripta Lectorem remittere.

Occupata urbe à Sarracenis, quae apud nonnullos, usque ad Francorum regnum, in prouincia, & ipsa urbe agitata reperiantur. Caput XVII.

SArraceni & si Rhodon insulā cū Colosso Christianis abstulerāt, Cōstante ad portū Phoenicis deuicto, duce Mathnan, etiam à Constantino 4. superati, pacē petierunt, atq; tributa soluere promiserūt. A Ioanne Patritio sub Leontio atq; adeò ab ipso Absymaro Tiberio deuicti, desideratis ducentis millibus, Hierosolyma cū tota prouincia Syrię recuperata tradit. Ciuilib. aūt bellis imperiū cum agitaretur, nec res in Syria quieuere. sub Philippico eā Sarraceni prouinciā populantur, ac adeò efferebantur, ut sub Isaurico, Zuleymon ipsam urbē Constantinopolim, post deuastatā urbem Hierosolymorū, oppugnare aggressus, & per trienniū obsederit. Repressa aliquantulū eorū insolētia, à Leone 4. eius nominis: sic dubio marte ac uices alternante, nūc Graecis nūc Sarracenis, imperiū occupantibus, sub decem Sarracenorū tyrannis ecclesiae & prouincia deprędata. tyrannorū nomina fuisse tradūt hęc. Ebubeher, Haumar, Hethmō, Muhamas, Girith, Machnau, HabdalōHabdimelech, Vlid, & quē diximus Zuleymon. Cū uerò iterū Sarraceni Reip. dominiū occupassent, sub alijs decē tyrannis, multa passa est incōmoda, quorū appellationē eā fuisse cōperimus. Haumar I I. Gizid, Elued, Girid, Aiscēs, Murcham, Muhamad, Habdallas, Mady, Moses. quorū ultimus cū Gręcis uaria gessit bella, à Cōstantino Copronymo septies uictus, toties uictor, in

Christianos

Sub Turcis quæ perpessa sit urbs, usque ad Francorum regnum. Caput XVIII.

HAud diu sub Turcis quieuerat urbs sancta, cum gens illa prophana, exhausta exactionibus Republica, aurum quæreret, sacris etiam locis manus iniecit, ac quæ prius intacta reliquerat, diripiens, fœda omnia cōmaculauit. Michael autem Calaphates, cum postea Leonis noni Papæ, inter cessione & precibus adhortaretur, cum Turcis rem transegit, ut accepta potestate, Imperiali magnificentia, demolita & prophanata extrueret. Tentauit etiam Otho Mediolanensium Princeps, Turcarum uim ex Syria deijcere, habitis apud Turonum Comitijs, Gallorum è primoribus multi se illi adiunxerunt, classe quoque in Syriam traijciunt. uetum erat ad urbem, eaq; necquicquam oppugnata, Volux quidam, cum Othone, singulari certamine congredi se uelle, exclamat. nec mora, congrediuntur, deiectus equo Barbarus, ab Othone interimitur, atq; arreptis deuicti hostis armis, suis successoribus, in perpetuum insignia uictoriæ reliquit: Viperam nempè, quæ inuoluta & implicata nodis, surgebat in umbone Barbari ænea, & infantem extensis brachijs auxilia implorantem, & iam ad costas usq; deuoratum, mandebat. tandē illata ac accepta clade, infecto negotio nostri redeunt. Decennio pòst, cū ad septem millia hominum orandi gratia Hierusalem petijssent, ipsa Parasceues die, in quodam Castello, à Turcis obsessi, ad internicionem cæsi: qua clade accepta, cū qui effugissent, ad suos se recepissent, ac rē gestā enarrarent, inter Occidentales principes cōsultari cœptū, quibus rationibus res in Syria recuperādę. altero decennio cōsultando cōsumpto, tandē bellū in Barbaros apud Claromontē, decernit. Secundo deinde anno, Duce Godofredo Lotharengo, urbs cum prouincia, atq; adeò tota Syria Turcis eripitur, postq; in manus Turcarum peruenerat anno octuagesimo octauo.

Franci quandiu urbem sub imperio tenuerint, & certa ab urbe condita usque ad recuperatam à Salahadino urbem, annorum computatio. Caput XIX.

SIc Hierosolymorū regno Turcis atq; Sarracenis utrinq; cruentissimè erepto, reges octo seinuicem sequētes, cruore multo, quàm regnū ipsum preciosiore, id tenuerunt annos 88. Quæ omnia in Guilhelmo nostro & copiosè et argutissimè descripta, comperiuntur, quanquā in exemplari, quę per annos tres nouissimos, gesta fuere desīnt, id tamē rudi nostra Minerua, Apellis Veneri, adiecimus. Reductis igitur annis ad calculum (quem quidem nullius præfero, sed conferendum cum aliarum enumeratione propono) computatisq; temporibus, quibus urbs fundata atq; inhabitata fuit, ad Salahadini usque imperium, annorum summam sic colligere potes. Fundatā à Salem, tenent.

Iebusæi usq; ad reges annis	923. menses sex.
Reges ad destructionem Babyloniorum	487. menses sex.
A reditu captiuitatis ad Duces sunt anni	70.
Duces usq; ad Machabęos obtinent eā per an.	349. mens. 4.
Machabæi quoad per Pop. Rom. subiugata fuit	103.
Sub Procuratione Pop. Rom. usq; ad Imperatores	129.
Ab Imperatorum Rom. Imperio usq; ad Græcos	222.
Græcorum potestati ablata fuit per Sarracenos anno	314.

Turci Sarracenis illam eripiunt anno 372.
In Francorum postea potestatem uenit anno 88.
Salahadinus Francos imperio urbis exuit anno 88.

Sic cum per ter mille centum atq; quadraginta sex annos, quę Hierosolymis gesta, passim apud autores reperiuntur, indicauerim, quæq; deinceps, ad patrum nostrorum memoriã usq; pro recuperanda urbe, à Christianis, aut exteris tentata, & per ter centum quinquaginta annos uaria fortuna gesta adijcere decreuerim, ad historiam ipsam redeundum puto.

Primi ergo continuatę historię Libri finis hic esto.

IOANNI RVDOLPHO TRANQVILLO MVRBACENSIS AC LVTRENSIS COLLEGIORVM ABBATI

Ioannes Herold Höchstettensis S. D.



AMplitudinem illam tuam Princeps optime, iam dudum in huius ętatis doctissimorum uirorum agone, elegantissimo iudicio suo, orchestram conscendisse, atq; eos omnes, quid ingenio, quid in Rep. literaria possint, tibi uni ostentare, examen tuum reuereri, pauere censuram, constat. merito quidem, cum studio in amorem tales allicias, beneficio prouocare nunquam desistas. Liceret utinam, quandoquidem libet, parua magnis conferre, tamen qui me melius noscat, qui sanctius huius nostræ uoluntatis testimonium reddere possit, qui iusta harum confessione me pręuertat, scio esse neminem. Verumenimuerò ante aliquot annos, sic ex uultu, ex oculis, ex fronte ipsa (ut aiunt) sic etiam ex oratione perspexi; ipsaq; adeò ex liberalitate tua quæstum percepi, quàm ardentissimis uotis, literas bonas cum ipsis literatis, amplexeris, exosculeris. Fatear, æmulis aut parum, aut omnino nihil relictum quod in te uituperent, omnes siquidē habere, quibus tũ amantissimè, tum honorificentissimè scriptis nomen tuum posteritati commendatius reddant, in confesso est: hoc certè unum ego, quoad uiuã, ubiubi gentium sim, de te prędicabo, quod ipsissimi boni, quod eius, quod bona omnia in se continet, scilicet studiorum bonorum ac liberalium amore inflammeris, ardeas, atq; flagres. Hoc unum, dico, cum in principe summum mihi uideatur, quandocunq; toti orbi de te persuasero, concedam facilè quibuscunque quocunq; nomine te celebrare, quãcũq; ingenij dexteritate immortalem reddere uelint: imò pro ingenij mei tenuitate, te liberalissimè à me tractatum, existimabo. Cæterum æquitate id postulante, ut apertè etiam ostendant, recordationem beneficiorum in animo mihi hærere, occasionē, gratitudinis meæ testem, nolui amittere, quæ primum iam & commodum, mussitanti mihi sese obtulit. Postquam enim, eas res, quas Guilhelmi Tyrensis historiam in Repub. Hierosolymitana & præcessisse, & insecutas esse constat, describere creueram, ac priori libro, ab urbe condita usq; ad bellum sacrum, Godefrido Duci susceptum et gestum: deinde à Dictatura Tripolitani, usq; ad id tempus, quõ Salahadinus expugnata urbe, prouinciam omnem occupauit, quę contigerant, collegissem, studio memorandarum rerum septemdecim anno

runt

rum curriculo gestarum tractus, tantos orbis motus, et illos quidem uanos, tot regum conatus uerum inanes, tantos pro recuperanda Syria, ac tam prodigos sumptus, humanæ curiositatis, ne dicam stultitiæ monumentum, referre exploratius statui, nō me hercle, ut homines in Remp. optimè affectos, qualescunq; aliàs fuerint, insectarer, sed ut eos tanquam diuinos uiros, nostris studio imitandos, proponerem, quanquam non occurrebat, quo ambitionem & arrogantiam ipsorum horrendam, aut tegere aut leuare, possem uel uellem. Sed de omnibus his (ne Historię leges transeam) prudentioribus iudicium relinquendum duco. Quadriduum profectò hic mihi liber absumpsit, & hoc integrum: quanquam nulla elegantiæ cura, sed ueritatis me exercuit sollicitudo miserè: adde, operas pensum exscribendi importunè efflagitantes. Suscipe igitur, Princeps optime, grati animi mei, qualecunq; sit, & obseruantiæ in te meæ pignus, quod si autoritate tua & gratia, tàm strenuè ab æmulorum calumnijs defendes, quàm mihi certum est, & auidè, & summo synceroq; iudicio te lecturum omnia, quantum huc usq; in Historia profecerim, audacius testatumq; apud omnes citius relinquam.

DE BELLO SACRO CONTINVATAE HISTORIAE LIBER SECVNDVS, IN ORDINE uicesimus quintus.

Proditoris Tripolitani mors, atque Ascalone expugnatio narratur. Caput I.



Xpugnata urbe Hierosolymarum, expulsis Latinis, sacris foedè prophanatis, uersus Tripolim tēdit Salahadinus, cui proditio tantū, ob utilitatē ingentem accepta, proditor Tripolitanus nunq; placuit. is em̄ cū Guidone captū, ac optimū quenque uinculis addictū, ex pugna per Barbaros comitatus (relicto Saph castello, in quod se receperat) Tripolim urbam peruenisset, spe recuperādi regni, in uerba Salahadini iurauerat, & abnegato quadragies deo, recutitus, de traditione urbis rationes inibat. Missis igitur, qui urbem nomine Salahadini exposcerent, Comitem adeunt, ac ciues, ut eadem iurent, cohortantur. Nec mora, conuocatis ciuibus, in foro, regio more extructam sedem ascendit Comes, lictoribus stipatus, silentio indicto, primò Salahadini mansuetudinem, clementiam, atq; uires commendare, deinde regem se iā dictū apertè fateri incipit, non dissimulato iuramento, quo se Salahadini tributarium effecisset. nam se Reip. salutem, tranquillitatem, summamq; fœlicitatem ita quæsijsse, temporum, regniq; conditiones in statum meliorem redegisse. Addit iam Salahadinum prouinciæ cum exercitu excessurum, restituturū illi occupata, captiuos, ac prædā si qua reliqua inueniri posset: modò iuramentum in bonum ac æquum conceptū præstare uelint, ac sese omniaq; tam sacra quàm prophana Salahadino dedere non differant. Multa deinde de Salahadino, de seipso plurima & optima quæq; pollicetur, regni caput so

re Tripolim,ciuibus inde lucrum,ærario publico emolumentum maximū, inde cessurū. Postremo addit minas,renitentesq́ extrema omnia passuros, ac exēplis perituros crudelissimis. Tanti mali sensus cū ad ciues peruenisset, libertati à Comite insidiari,& quid animo uolueret,intelligentes,ægrè à pru dentioribus temperatum est,animis plebis exacerbatis, quin extemplo in ty rannum impetum facerent,à quo sine difficultate oppressi fuissent,cum om- nia occupasset,ac orbe armatorum facto,clausos in medio contineret,& ue- lut indagine captiuos habebat. Defuit tamen tyranno ingenium, ac simulata quadam patientia à populo seductus,iubet edere responsum. Iurandi formu lam hi petunt,è contra ille hoc unum ab ipsis petere,ut ratum id habituros se,iurent,quę ipse suo Reipublicęq́ nomine iamdudum iurasset. Post longā utriusq́ partis consultationem in diem sequentem res differtur. Ciues inte- rim ad uindicandam libertatem, cum remedium aliud nullum superesse cer nerent,arma parare,acies clanculum componunt,postera luce gladijs & te- lis tyranno responsuri. Mira uerò res,qui iam regnum Hierosolymitanum si bi somniabat, antequam postera lux terris redderetur, in lecto supinus atq́ extinctus inuenitur. Sunt qui tradant,corruptis ære custodibus & cubicula rijs,ciuium opera ea nocte tyrannum suffocatum esse. Tradunt etiam nōnul li,Legatorum Salahadini machinatione id factitatum , qui à nonnullis per- suasi,urbem extincto tyranno,metu & terrore citius in potestatem Salahadi ni uenturam,præterea eos hominis uersipellis perfidiam & leuitatē suspectā habuisse,ob id etiam ad necem ipsius promptiores factos. Atq́ quibus ueri- tas suffragari uidetur,eorum opinio mihi magis arridet,cum tradant, diui- na illum ultione subito expirasse,dolore ex præcisis genitalibus accedente,et præualente. Dum enim cadauer per uespillones elatum,curatur,præputium inuolutum & medicatum,inuentum est. Sic perijt,qui non modo à Guido- ne æmulo rege,sed etiam à Christo seruatore,desciuerat. Post tyranni mortē Legati Salahadini urbem excedere iubentur,atq́ ijs responsum , Populum Tripolitanum iam liberum esse,ac extrema quæq́ pro libertate tuenda pas- surum. Rogare Salahadinum,ut quando à Tripolitanis nulla lacessitus sit in iuria,sinat eos in libertate uiuere,satis calamitatis eos perpeti,cum socias ur- bes et regni ipsum caput sub hostis potestate uidere cogant. Deinde ab oppi danis ad munimen urbis acceleratum,contabulātur turres,muris crates,pin nis loricæ attexuntur. à plebe eò omnia congeruntur,quibus à muris hostis arceri possit. Matronæ,uirgines, senes & pueri,deiecto pudore, assumpto animo,ad tuitionem urbis parati,amorē patriæ,labore indefesso ostendunt. Vocatur etiam Antiochenus Princeps,Reip. cura illi committitur. Salahadi nus perspecto situ urbis,audita ciuium constantia,Principis in re militari ex perientia agnita,omissa obsidione quam decreuerat,contra Ascalonitas mo uet. Paucis equidem diebus antea,Salahadinus exercitus parte missa,ut An tiochenorum fines deprędaret,ipse Hierosolymitanas res interim constitue- ret,ad Laodiceam usq́ Barbari progressi erāt, ferro,flamma omnia uastā- tes,Raymundum cum paucis obuium habent. Inita pugna , numero nostri inferiores, paulatim in loca æditiora montis Noerei se recipiunt, haud sine clade. Barbari successu elati, Antiochiam ipsam petunt,dum nostri conglo-

meratis, ac undecunque corrogatis uiribus, prædæ onustos inuadunt, & impeditos onere, à fronte à tergo cædunt. Tandem in fugā coniectos insequuntur & trucidant, præda recuperata, liberatis captiuis, ad suos se recipiunt. Accepta clade in hostem uictoria ferocientem, donec alia quædam calamitas exultantis animum frangeret, ducere Salahadinus inconsultum æstimabat. igitur sub Ascalonæ mœnibus castrametatus, obsidione cingit urbem, erectis machinis, tormentisq́ ac omni genere telorum oppugnare contendit. Inaudierat autem, Conradum atque Guilhelmum fratres, Bonifacij Montisferrati Comitis filios, quem in uinculis habebat, audita patris captiuitate, eues̄tigio conducta apud Ianuenses naue, impositis aliquot equitibus, armis & uiris, delatos Constantinopolim, casu obsessum Imperatorem liberasse, ob bene nauatam operam classe instructos ab Isaacio, Conradum Tyrum applicuisse, spōte se dedentibus ciuibus, ut ab eo defenderentur. Percrebruerat quoque rumor, eūdem Guilhelmum, commeatu, uiris & armis Ascalonam instructiorem reddidisse, quæ res nimium Salahadini animum afficiebat. qui uerò maiorem illi incutiebat terrorem, nuncium acceperat, Guilhelmum regem Siculum, cum triremibus quadraginta aduentare. Vna itaque atque altera oppugnatione nequicquam tentata, ad blanditias conuertitur. Fidei datæ ciues admonet, qui se suaq́ in potestate eius fore, captis Hierosolymis quondam polliciti erant. Offert conditiones æquas, pollicetur multa: credebat enim eam ualido munitam præsidio, quę uacua erat milite: effecit persuasio, ut nostris petentibus nihil denegaret, dummodo eā recipere posset. Iam decimus agebatur obsidionis dies, cum nostri etiam necessarijs destituti, deditionis mentionem audire incipiunt. Tandem conuenit, ut rex magisterq́ Templariorum dimitterentur, ac supellectili omni concessa ad Christianos se conferre quisque posset. Dedita urbe, Barbarus nostrorum necessitatem contemplatus, qua etiam absq́ conditionibus in potestatem uenire suam, breui adacti fuissent, pœnitudine captus, fraude deceptum se cōquerebatur, mutatis conditionibus, nostris potestatem ad Christianos redeundi, nisi anno propè circumacto, & spoliatis fortunis omnibus, haud concessit. Guidonem deinde ad iureiurandum coëgit, ne regni ius unquam prosequeretur, aut armis uindicaret. Hac una re Salahadinus fidei datæ spretor, alioqui iusiurandi tenacissimus, clemens uictor. quibus effecit, ut nostri tres tantum nobiles urbes, Tripolim scilicet & Tyrum cum Antiohia obtinerent.

Salahadinus oppugnata Tyro, castris exutus, fines Antiochiæ depopulatur. Caput II.

CONradus Marchio Montisferrati, ut prius dictum est, Tyrum applicuerat, Græcorum nauibus uectus: ac orantibus, atque in eius uerba iurantibus Tyrijs, eam urbem à Barbaris defendendam suscepit, exceptis, qui à clade apud Ethim uicum aufugerant, qui Hierosolymis expulsi, atq́ alijs urbibus extorres facti, magna annonæ copia, urbem communiuit. ac uelut ex cōposito Margaritus quidam classis Siciliæ Prætor, cum quadraginta triremibus apparebat. Cum Salahadinus, uocata classe ex Alexandria, atq́ in ijs nauibus, quas apud Ascalonam inuenerat, instructis, receptisq́ ex Damasco et Alapia auxiliaribus copijs, Tyrum terra mariq́ circundat: consumpto triduo in extruendis machinis oppugnationem per præcones indicit, præmia

 ingentia

ingentia promittuntur ei, qui primus murum conscendat. dato signo, ex castris concurritur. At oppidani per mœnia stantes, succedentē hostem, ui qua cunque possunt, submouēt, suggerunt tela senes, pueri, uirgines. Nullū discrimen sexus, nulla ætatis ratio, occupat locum, arripit telum unusquisque obuium, concurritur ad periculum publicum, ad patriæ tutelam. Matres per partus dolores filios, uxores, maritos per thori fidem, liberi parentes per ingentem sollicitudinem obtestabantur, ad bene de patria promerendum. Interea Conradus prudentis Imperatoris, strenui militis officia obibat. Margaritum Prætorem classis, maritima obire, purgare latrociniis ora, & Barbarorum naues inuadere quando opus esset, iubebat, ipse urbana iuuentute in armis constituta, præsidiis in muris dispositis, eruptionem parat. Vix Margaritus impetū in classem fecerat, cum ancipiti pugna oborta, strepebant omnia, nauium collisarum fragore, nautarum ac militum clamor horrendus ad cœlum usque attollebatur, pugna ciebatur acerrima. Inde scapha incendiaria immissa, flamma hostium classem corripit. Fœdissima oritur tūc strages. Perterriti hostes, oppugnationi inceptæ remissius instant, non uerbis, non precibus animantur. nostri erumpunt ex urbe, cunctantes à fronte, qui in triremibus erāt, in littus desiliunt, ac à tergo, à lateribus hostem inuadunt. Barbarus, cui sub primum incensæ classis aspectum, minus ac minus ordines constare cœperāt, uictus in fugā uertitur, ab oppugnatione desistere cogitur. Sic classe amissa, desideratis ex Sarracenis aliquot milibus, obsidionē soluit, castris etiā exutus. nostri uictores diripiunt, at insequi hostē, insidias uerentes non sunt ausi. Barbarus aūt prouinciam omnem longè lateque populatur, ac expugnatis præsidiis multis, ferro, flamma, fame, in deditionē omnia recipit. In agrum deinde Antiochenū, auctis uiribus, & redintegrato exercitu mouet, omnia consilia, omnes apparatus, ad obsidionē urbiū, & murorū euersionem ordinabat. sic peragrans uniuersam prouinciā, tacitè nunc per syluas irrepens, nunc per ualles ex insidiis erumpens, uicos, oppida opprimit omnia, quasi flumen concitatissimū & exundans, prosternit & conuellit. trium mensium spacio, omnia præter urbem obtinuit: quamquidem adire aut obsidere noluit, non ignarus, eandem non sine magna sanguinis effusione, & suorum periculo ingenti, per uim occupare posse, sed occupata prouincia, breui aut proditione, aut necessitate in potestatē suam uenturā urbē. Nec falsus est opinione sua homo sagacissimus, equidē largitionibus corruptū Patriarcham ad id impulit, ut arce prodita, præsidium reciperet: ciuibus siue manendi in urbe in pristino statu, seu ut quisque eligat, discedendi potestate oblata. Sic præsidium auaritia Patriarchæ traditur anno postque à Boamundo principe in manus Christianorum deuenerat 90. eodem mēse Iunio. Vrbs autē quæ prima fuit principis Apostolorū cathedra, ubi primū Christiani appellati, cū antea discipuli dicerent, quæ quoque sub uno Patriarcha uiginti habebat prouincias, 12. Metropolitanos, 153. Præsules, ac in ipsa urbe tēpla 366. diu postea à Sarracenis in præsidiū positis, malis exercetē multis, & bello iugi.

Pontifices Romani ad recuperandam urbem & prouinciam, quam diligentiam adhibuerint, de Tyrensis ad reges aduentu, de cruce signatis. Caput III.

Fama rerum in Oriente aduersarū, animos Pontificū mœrore impleuit. nam tristi nuncio Hierosolymæ amissæ, sollicitus ad hæc de Antiochia

Vrbanus

Vrbanus III. quam Salahadinus oppugnare dicebat, Venetias petebat, cũ mœrore animi Ferrariæ subsistens, dolore & febre correptus, obijt. Sunt qui scribant, Venetijs tunc aliquot conuenisse cum non contemnenda manu proceres, qui in nauibus Syriam transportari peterent. Venetos accepta mercede, aduersos uentos simulasse, in Dalmatia expositos, in Iaderam aliasq; Illyrici urbes rebelles Veneto, duxisse. Sicq; priuatis rebus consulentes, Remp. Hierosolymitanã prodiderũt. E contra uerò affirmãt nõnulli, magnum nobilium numerum eos tunc traiecisse, & in Tyrum transportasse, quorum aduentu territi hostes, ac penè desperantes Christiani, refrigerati sint. At hæc suis relinquamus autoribus. Vrbano successit Gregorius octauus, sic dignitatem, sic sollicitudinẽ prædecessoris amplectens: nam primis Papatus initijs, literas ac nuncios ad Christianos principes mittit, ut unà secũ collatis uiribus, terra mariq; Hierosolymã recuperare contendant. Quo uerò id liberius fieri liceret, Pisas statim proficiscitur, ut inter Pisanos ac Genuenses pace cõposita, utrũq; populum ea tẽpestate, maritimis opibus excellentem, ad subsidiũ Terræ sanctæ hortaretur. at his intentus maxima Reip. Hierosolymitanæ iactura, duode sexagesimo die Pontificatus sui, Pisis moritur. Curas has subit statim Clemẽs III. ac ad bellũ Asiaticũ erubescẽtes Christianos exhortatur & accendit, qui ne res piorũ in Syria, inclinatione inchoata, ferrentur atq; perirent tã præcipites, profectionẽ adornant. Ex ipsa Syria accessere in hoc rerũ statu, Oratores, inter quos præcipui nominis & facundiæ ingentis homo erat, Guilhelmus noster Archiepiscopus Tyrẽsis, ad opẽ reliquijs Christianorũ in Oriente, implorandã. Peruenerat Tyrensis Rauennam, exceptus ab Archiepiscopo Oddone hominem persuadet, ut nomen det militiæ sacræ, idem persuasit Pisano Præsuli Hugbaldo Lanfranco. & is Reip. Pisanæ classi, quæ constabat L. triremibus præficitur, cum Rauennas Venetorum præficeretur nauibus. Nec defuerũt Genuẽses, Guidone Spinula Prætore, additis Nicolao Embriaco, Fulcone Castella, Simone Auriensi, Balduino Guercio, Spezza Petra, Rossone de Volta prefectis, triremiũ & onerariarũ nauiũ mittunt uim ingentẽ. Per Alpes deinde in Galliã trãsijt Tyrẽsis, quẽ subsequutus est Henricus Albanensiũ Episcopus, Henricus Legatus Pontificis. quos cũ Philippus omni honoris genere suscepisset, per aliquot dies apud se habuit, & tractauit regiè. In Vellocassibus inter Triam & Gisortiũ dies ad colloquendũ de sacris rebus indicta. Idib. Ian. adfuerũt Philippus Francorum, & Henricus Anglorũ, reges, ubi in magna principũ corona, suadendo Tyrensis effecit, ut nõ solum à regibus, sed etiã ab omnibus astantibus acclamatum sit, in hostem Reip. Christianæ eatur, inimicus Christiani nominis extirpetur. Hierosolymæ urbs sacra redimatur, recuperetur Antiochia, Ptolemais recipiatur. Exaudi Philippe, exaudi Henrice, honores piorum restituantur. Præroga, præroga, omnes censemus in hostem cõmunem eundum. Qui omnes expellit, expellatur. Qui omnem ætatem, qui utrunq; sexum occidit, extirpetur. De bello ineundo refer, refer, sequemur signa. Reges statim iunctis dextris, animos cõiungere uisi, unum atque idem uterq; sentire. Cruce in communes hostes, more solito, desumpta, ad parandum exercitum maturè digrediuntur. Locus in quo hæc facta sunt, cruce li-

gnea tūc signatus,tandē basilica ibidē fundata, Ager sanctus appellat. Otho quoq; Dux Burgūdię & Lotharingię in eādē militiā ascribi uoluit. Iacobus deinde Auenis, Annonię oppido ortus, Brabantię ducis militię magister cū Roberto Druidū, Gerardo Lossensi, Theobaldo Blesensi, Rodolpho Claromōtano comitib. Philippo Episcopo Bellouacorū, sacrā militiā profitet. hi duodecim triremes instruxerūt, quib. inerāt armatorū 7000. quos Daci & Frisones insecuti 50. triremiū classe. Adiecerūt Flādribellicas naues 37. Fridericus primus Ro. Imp. ueteranus quidē bello inuictus, et ipse crucē assumpsit, cū Frederico filio, Sueuiæ, Bertholdo Mæxrauiæ, Hermanno Badensiū Ducib. Lupoldo v. Austriæ, qui pietatē Lupoldi tertij, aui sui sequens, maiorē q̄ ille anno 196. duxerat, exercitū instruxit. Dederūt nomina insuper, Robertus Nassouius, Ludouicus Turingiæ, Florentiæ, Hollandiæ, Engelbertus Montanus, Gothfredus Lisiquianus cū Henrico Barleduco, Hērico Campaniæ, Stephano Blesensi, Raynaldo Niuernensi, Ioanne Pōtiui, Bernardo Pinciniaco, Florentio Angesti, Roberto Betuniensi, Guilhelmo Odomariensi, Oliuerio Machliuiensi, Rodolpho Conacensi, Vidono Castelloniensi & Leonaldo eius fratre, Rudolpho à Turribus, Rogerio ab Ardenchorte, Guilhelmo Petramōtano, Andrea Brenna, Ostone Trasinio, Eustachio Rodiano, Valterno Varniaco, Henrico Binchiano, Viniano Valentianensi, Amando Nasca, Hillino Variaco, Comitibus, equitibus, nobilibusq; alijs innumeris. Præsules quoq; ecclesię, Rogerius Cameracēsis, Vualtherus Rothomagensis, Vesontinus, Tarantasianus, Monasteriensis, Ostraburgensis, Misnensis, Herbipolensis, Adelhardus Veronensis, Girardus Auxitanus, Bernhardus Baiocēsis cū alijs permultis. Bela rex Vngariæ, ne hostis Christianæ Reip. haberet, suffragāte pontifice, cū Venetis duorū annorū inducias iniuit. Florentini & ipsi, cōscripto ex ciuibus exercitu, numero & uiribus præstantissimo, nomē dederunt. Quinetiā Guilhelmus Sicilię rex, utilissimā Reip. nauauit operā. classe ein sua mare à piratis pacatū reddidit, annonā ex Sicilia & Apulia Christianis deferens. Lōgum quidē esset homines pios natalibus et uirtutibus ornatos enumerare, qui sacro bello, militiā sunt aggressi. Orbis in id uniuersus cōspirasse uidebat. Imperator em̄ Fridericus ex Germania, fortissimorum uirorū sexcenta millia secum duxisse perhibetur. Quorum tessera in armis uestibusq; depicta fuit in hanc formam, ♁. quo Symbolo, Iesum Christum, dominū crucifixum, toti terrarum orbi præesse debere, indicare uoluerunt. Quod quidem unius Tyrensis nostri eloquētia comparatum haud iniuriè quis dicat. Inita deinde apud oēs de stipendijs & pecunijs bellorum neruis ratio. In Gallia Senatu procerū habito, qui domi manerent, siue prophani siue sacri, ut decimas omniū rerum pensitarēt, decretum. Hæcq; Salahadini decimæ dictę. in Anglia possessiones, portoria, uectigalia, præfecturæ, regiæ & publicæ, oppignoratæ partim, partim uenditæ. Expoliatus Hugo Dulmensis pecunijs, cū ingēti precio Nothūbrię comitatū mercat: ex ueterano Episcopo nouitius Comes factus. Londinienses & ipsi Consulatum siue Belliuatum ingenti pecunia coëmerunt. Cæteri uel genuina liberalitate, & propria abundantia, aut Pontificis, Imperatoris ue magnificentia excitati atq; conducti.

Guido

Guido rex à Salahadino religione solutus, Tyrum petit à ciuibus exclusus, Venetorum ope & aliorum adiutus, Ptolemaidem obsidet. Caput IIII.

IAm Salahadinus postq̃ per annũ Guidonẽ regem in uinculis habuerat, audito occidẽtalium motu, Reip. gratificaturus, ac liberatione Guidonis, celeritatẽ nostrorum remoraturus, Lusignanum suis restituerat, adiuratum, ut diximus, ne unq̃ regni iura prosequi tẽtaret. Liberatus nuncijs missis ad Pontificẽ, patrum sentẽtia respõsum habuit, sponsionẽ ratam nõ habendam esse, idq̃ Oriẽtalium Episcoporum decreto sancitum quoq̃, eo quod hostis ipse regẽ non statim, ut pactus fuerat, reddidisset, igitur uiolatori fidem haud seruandã. Is igitur regio tumẽs nomine, ad Tyrum statim se cõfert, res nouas molitur, ut deiecto Montisferratensi, urbis imperio potiretur. At ciues fidei memores, blanditias, minas Guidonis aspernati, prudẽtia summa absq̃ uerborũ cõtumelia, aut facti alicuius iniuria, ut urbe excederet persuaserunt. accessit ad id consilium Americi fratris, & Heraclij Patriarchæ, ut Siculi qui ex classe Margariti, reliqui in urbe manserãt, Berchtoldum Zaringiæ, Albertũ Habspurgẽsem Comites, in castra sua, quæ ante urbem locauerat, euocaret. quo facto etiã Pisanorũ aliquot, qui urbẽ habitabãt, fauere plus æquo Guidoni uisi, pellunt, ac castris se cõiungũt. Salahadinus id tẽporis, castrũ quoddã Bellofort dictũ, obsederat, cũ piorũ exercitu ualido subnixũ audiret Guidonẽ, soluta obsidione, ex improuiso in hostẽ irruit. At nostri inuocato diuino auxilio, arma corripiũt, & iã uallo & castris imminentẽ hostẽ cęde magna tergadare compellunt. Sarracenorũ multos ex fuga retractos, in uincula coniecerũt. Cõsultatũ deinde quid facto opus, pro tẽpore nostri utuntur prudentia. Soluta Tyri obsidiõe, his copijs, quas ad manũ habebãt, Ptolemaidẽ obsidendã esse decretũ. ad quã cũ castra metata essent, cõfluxerũt, qui ex amissis Asiæ urbibus & oppidis Latini nominis pulsæ erant, copiæ haud paruę. Affluebãt etiã ex Europa classes & piorũ exercitus quotidie, quorũ primi cũ Adelhardo Põtificis Legato & Acconensi episcopo monacho, Veneti Pisaniq̃ magnã nobilitatis Italicæ partem, classe instructissima ornatissimaq̃ castris inferebant. at tricesimo die à Guidonis discessu Tyrũ hi applicuerũt. Interim Iacobus Auienis per Gaditanũ fretũ ingressus, in Siciliã delatus, quẽ Dani, Frisij, Hollandi, Flandriq̃ consecuti, apud Messanã classis suæ Prætorem dicunt, cum prius Barbaris & Aphricanis bellum intulissent, quod hi non cõtenti suis finibus, Hispaniã depopularenẽ & urerẽt, Syluina urbe quadragesimo die expugnata, cædẽ mortaliũ crudelissimã cõmisissent. Sic cum multo tardius q̃ res nostræ exigebant, in Asiã traijcerent, ductu Iacobi, tandem Guidoni apud Accã se coniunxere. Tumulus est urbi imminens, Thoronum uocãt, quẽ castris locum Guido delectũ, Gaufredo fratri (nã & ipse cum Iacobi classe aduenerat) communiendum attribuit, ut cætera ipse belli onera liberior obire posset. Sed tertia uix die, omissa oppugnatiõe Bellofor ti, iterum adfuit Salahadinus, ingenti concepta spe, quod in nassam se coniecissent nostræ reliquiæ: nostros inuadere noluit, fratrem expectans, quem & gloriæ suæ participem uelle, apertè testatus est. Sed paulo pòst, cum ille suis parat subsidium, adfuerunt & Veneti Pisaniq̃, qui in castra copias exposuerunt. Quibus copijs auctus Guido bina fossa, uallum communiuit

stadio inuicem distant, ut hinc ab eruptione, inde ab insultu exercitus tutior esset. Salahadinus nostros uidens & uires & animos recepisse, à Septentrione impetu facto, ex nostris multos cædit, & obtruncat, qui operi intenti, iam arma posuerant, sed Phrisonum audacia repulsus, receptui canit. Monteferratensis uocatus, instructis triremibus, in portũ applicuit. Ex Gallijs & Germania indies accedebat miles, qui Imperatoris, regumq́ spẽ faciebãt. ita nostri aucti uiribus, Salahadinus restauratis copijs, ex composito in aciem descenderunt. Fuit ab initio res Christiana superior, metu uerò imaginario, deinde fuga orta, fermè ingens excepta fuisset clades, nisi Gaudfredus Guidonis frater, ad custodiam castrorũ relictus, eruptione facta, hostes in fugam adegisset, ac suorũ fuga inhibita, rem fortiter gessisset. Brennæ Comes, Templariorum magister Gerardus, cum duobus milibus Christianorum perierunt, magno tamẽ stetit Salahadino ea pugna. Interim oppugnatio urbis adornatur, machinæ cõstruuntur. Tentatum est etiam cuniculis urbem suffodi. Salahadinus ex Alexandria ascita classe, triremium quinquaginta in nostrorum omniũ conspectũ, uirum, arma, annonam intulit urbi: quibus aucti oppidani irruptionibus frequentibus nostros exagitabant, machinis conterebant plures, nec conuitiorum temperantes, opprobria in nostros, & religionẽ ipsam conijciebant, imaginẽ crucifixi, in muro erectã, flagellabãt. Iam quoq; Siculus rex diem suũ obierat, certissimum firmũq́ piorum in Syria tutamen, qui cum cõmeatus in castra mari mittere solitus non parcè consueuerat, res in multis iuuabat: quo sublato, Barbari fretũ occupantes, annonã omnem, atq; aduenientes peregrinos, aut intercipiebant, aut aditũ prohibebant. Vnde Christianorũ castra fames tanta inuasit, quantã humana corpora sufferre uix posse credebatur. Gallina decẽ solidis, libra bouillæ eodẽ precio, tribus ouum uendebatur. Lignorũ, salis, olei, ordei, frumenti inueniebãt omnino nihil, nec nummatis erat, quod esse quirent. Multi fame adacti apud hostes precariã uitam quærebant, cadaueribus pasti nõnulli, tabẽ, & quod assolet fieri, dysenteriam castris intulerunt, quæ nostros populata est maiore clade, quàm unq; ab acie ulla timeri posset. Perpulit hoc plebem, ut ex desperatione regẽ & cæteros Duces cogeret, atq; in ipsis hostium castris annonam petendã esse exclamaret. Eruperũt itaq; ex omni natione, ex omni ordine hominũ optimorũ triginta millia, clamore sublato, ut rabidi, ferarum modo, in hostes feruntur. qui ita affectos haud operiri rati, castris excedunt, plena ea erãt publica priuataq́ opulẽtia. nostri cibo utunt, deerat ad obruendũ uinũ uenenũ præsentissimũ, eo quod Sarraceni usum eius non habent. Vorantes Duces admonent, cauendas hostis insidias, sed nostri auelli nõ potuere, nisi præda onusti, sarcinarijs camelis etiã in castris relictis, ut quod adferrent, imponerent. adfuit hostis, dispalatos aggreditur: cecidere qui procerũ præceptis parere noluerunt. Cõsternatio maior fuit, quàm cædes. Exempta tamen fuisset Ptolemais obsidione, nisi Henricus Comes Campaniæ, cum gentis suę nobilitate aduenĩes, ne animũ nostri desponderẽt, effecisset. Obijt interea regina Sibylla, ac quatuor ex Guidone eius liberi. Belli mala omnia sequebãt, cum sesquianno in obsidione exacto, per hyemis sæuitiã, & imbres perpetuos, tam Barbari quàm nostri sub pellibus, ueris initium expectabãt.

Conradus

Conradus Montisferrati Comes Isabellam rapit, regni titulum ambiens. *Caput V.*

GVido afflictus uxoris & liberorũ morte, fame & inopia oppressus, hoste à fronte à tergo circundatus, consilio inito cum proceribus, Conradum Montesferratensem, Tyrum mittendũ, ac inde exercitui uictum parandum decreuit. Præterea etiam in mandatis illi datum, ut refecta classe, naues aduehat, quibus hosti imperium maris eripiatur. Fefellit igitur hostium uigilantiam, triremis Gaucnsium, quę Conradũ, insequentibus multis, Tyrũ saluum deduxit. quò cum peruenisset, offendit Hemfredũ de Torono, cui olim à Balduino soror Isabella desponsata fuerat, eumq́ spe quadam à proceribus Christianis subnixum, quasi iam inde à morte Sibyllæ, regni Hierosolymitani sceptra, sponsæ occasione, acquirere posset: quodq́ erigebat iuuenẽ mirũ in modum, erat aduentus Campani Comitis Henrici, cuius autoritate intercedente, magna sibi pollicebatur. Nec diu hoc iuuenis studium occultatum, quin etiam continuò in contentionem erupit, adeò ut Guido, sic conatibus obuiam iturus, conuocatis principibus, temeritatem Hemfredi incusans, se inauguratum, unctum, & coronatum legitimè, re quoque publica strenuè defensa, nulli cessurum affirmaret, imò nullius se rei conscium diceret, qua regiam dignitatem uel labefactari, uel imminui potuisset. Cum uerò diuersæ suffragia exciperet, Henricus Comes, qui plurimum in exercitu ualebat, uectigalia, redditus, pœnariasq́ censuras regni Hemfredo addixit, Guidoni regni titulum deferens. Permulti taciti causæ Guidonis & uirtuti aderãt, quas omnes in acies reductos, in hostem ducere, atque eorum auxilio cum Barbaris confligere statuit. Ne igitur ex desperatione regis, Respublica in discrimẽ conijceretur, publico decreto sancitũ est, ut in integrum Guido rex restitueretur. Hemfredus igitur priuatus, ac æmulatione motus, Tyrum quoq́ peruenerat. Conradus igitur, cui exercitus inopia, ac sua copia nota, deinde discordia Guidonis ac Hemfredi occasionẽ prębere persuasum erat, de ineundo regno cõsilia cœpit agitare. Corrupta igitũ largitionibus matre, Maria scilicet, quæ cũ Isabella Tyri morã faciebat, Hemfredo socrus diẽ dixit, diuortiũ obijcit, cõficto nescio quo cognationis impedimẽto, quo minus Hemfredo Isabella nubere posset. Ferũt Guidonẽ ipsum cũ socru hæc actitasse, ut æmulo sublato, liberius regnaret. Nec mora, fit iudiciũ, ac publicata sentẽtia excidit uxore. Hãc statim sibi iungit matrimonio Ferratẽsis, nihil omnino dubitãs, quin iure dotali Hierosolymorũ rex salutaretur, cõsumptoq́ matrimonio, titulis regni haud abstinuit. Guido hoc nuncio iterũ exacerbatus, deorũ hominũq́ fidem implorãs, cũ semel iustus rex totius orbis cõsensu dictus, ab æmulo tutatus, iã etiam regno ne exueretur, hoc numini ipsi æquũ, hoc bonis omnibus consultũ uideri debere, cũ raptus, maiestatis læsę crimẽ Conradus nullo modo excusare possit. Displicuit quoq́ multis, fatale exemplũ spõsæ alienæ rapiendæ, propalàm autẽ offensum nobilissimũ uirũ ac regni ęmulum potentissimum, nolebant: quippe in eius manu, suprema iã urgẽte necessitate, Tyrum esse, urbem ad belli usus opportunam. demum copiam uidebant, unde reliqua spes cõmeatus sustentabatur, adeò ut siue æquis siue iniquis animis ad id flagitium conniuendum potius, quàm criminandum ipsum ducerent. Solus Guido impatiens æmuli, ad Cæsarem, ad Reges uenientes prouocabat, cum ingenij dexteritate, Conradus primores quosque & potentiores

res indices sibi conciliaret, profusa quadam largitione & munificentia. Refecta uerò classe, atque instructis aliquot triremibus, machinis quoque multis paratis, uiro, annona nauibus impositis, Maio mense iam adest Tyrensis, quem summis uotis omnes exceperunt. Transacta res inter Guidonem & Conradum, ut titulis regni reseruatis, Conradus Imperium Guidonis sequeretur, ad Imperatoris aduentum, qui controuersiam hanc componeret. Statim oppugnatio cœpta, admotæ muris machinæ. eæ autem ab hoste incensæ, demolitæ, magno exercitus totius planctu. Successu elati hostes, ipsa ascensionis Dominicæ die, apertis portis erumpunt, nostris uerò uiriliter resistentibus, in urbem desideratis multis se recipiunt: ne uerò ex clade accepta animos demisisse uiderentur, tertia sequente luce, horrendum inclamantes, in nostros impetum faciunt: excipiunt furentes, nostri. pugnatum acerrimè, nunc in castra impressionem faciente, nunc in fossam præcipitato, & pedem referente hoste. Veronensium uirtus ea die maximè inclaruit, qui tanto furore in hostem delati, ut fugientem, ad portas urbis usque insequentes, trucidarent: traxit aliquos ardor ille cum hostibus per portas in urbem, qui postea multitudine instantium magis oppressi, quàm cæsi, pro muris suspensi, nostris spectaculū fuerunt inamœnum. Tentarūt uallum postea irrumpere Saladini exercitus, ipsa Pentecostes die. pariter etiam 17. Calend. Iulij prælia cum eis cōmissa periculosissima, sed hostis in medio pugnæ ardore, ex cō posito Aegyptiam classem, uiris, annona & armis instructam, portui immittit, quæ res quidem urbis uires auxit plurimum. Receptui igitur canit Saladinus, cum ex sentētia rem successisse audisset. Nostri triremibus uiris impletis, clasem aduersam ex statione tentant elicere, ex nauibus missilia in hostem assiduè mittunt. Barbari ignominiæ impatientes, antennas ac uela subitò expedire incipiunt, nostri expectare qua parte erumpere uelint. Demum uenientem hostem ferociter excipiunt, cum Barbari igne Græco triremes nostras exurere gestiunt, sed frustra. nam subitò ex transuerso nostri in hostem prorumpentes, collisis nauibus, ac à strage ægrè reuulsis, hostem in fugā uertunt, duabus triremibus captis. Hac sanè atrocissima pugna, quæ in annum 1189. & Cal. Iulij incidit, fracti, nec mari nec terra, in nostros aliquid moliri amplius sunt ausi.

De Expeditione Frederici Imperatoris, ac eius obitu. Caput VI.

IAm ciuilibus bellis expeditus Cæsar Fredericus, dati nominis, atque sacramenti militaris memor, cruce insignitus, Comitia Norinbergæ indicit, ibi de Repub. & bello sacro, rationibus initis, ad Ratisponam omnes conuenire iubet. comparatisque & instructis nauibus, per Danubium descendens, Viennam uenit, exceptus à Lupoldo magnificè, in consortium accepto Marchione, secundo flumine delatus Budam, peruenit ad Belam III. tunc in Hungaria regem, quem cum ad bellum sacrum suscipiendum persuadere nō posset, tamen desponsata regis filia, Frederico quem secum habebat filio, eò perpulit, ut tenuioribus, Imperatorem sequentibus, iter tutū, rerumque omnium copiā, uili etiā precio exhiberet. Emensa Bulgaria atque Thracia, insidias sæpius passus Fredericus, apud Constātinopolim desedit, ab Isaaco Angelo magnificè exceptus. Sed suspectus uidebat Græculo, Imperatoris Ro. exercitus, cuius

cuius potentiam diu ante formidauerat. Vt igitur Bosphorum quàm celerrimè traijceret, suadere incipit. Fredericus ingenio Græco parum fidens, pacem, concordiam, atque fidem antea promissam denuo repetit, ac electis obsidibus, acceptis nauibus, atque annona, mare transit, Lycaoniā intrat. Erat tunc regulus quidam Sarracenorum, qui Iconio urbi ab idolo per Prometheum & Mineruam Iouis iussu fabricato, nomen habente, & eo in loco sitæ, præerat, aduetu eius territus, nec exercitui iter, nec rerum esculentarum aut poculentarum aliquid exhibere uoluit, etiāsi priusquàm Fredericus Bosphorum traieciſset, abundè omnia pollicitus fuerat. Congregatoque exercitu, accitis undique auxiliarijs copijs, uelitationibus Cæsarē lacessebat. Iratus Imperator, aciebus ordinatis, hostem aggreditur, qui statim in fugā conuersus, Iconium in urbem se recipit. insequendi finem nostri non faciunt, donec inclusum castris metatis obsident atque oppugnant. Barbarus cum urbem circumuallatam, ac immunitam, nec annona instructam cerneret, ex tempore consilium capiens, fœdus cum Imperatore inire uelle simulans, cum ad confirmandam fidem euocaretur, fugam inijt. Imperator depopulata regione, urbem militi diripiendam concessit, direptam incendit & diruit, iniuriarum memor, quas olim Conradus patruus, à ciuibus et Soldano acceperat. In Ciliciam deinde tendit, quum nunciatur, Sarracenorum ingentem numerum Tauri montis fauces insedisse, ac transitum illi omnino negaturos. Instructis igitur aciebus, præmittit, qui hostem aggrediantur, ac primo facto impetu pedetentim se ad suos recipiant, cumque in patentes campos se receperint, fugam simulent. quo facto, ex insidijs latè sequentem hostem, omni ex parte aggreditur, stragem Sarracenis intulit incredibilem. Ad Philomelium deinde urbem peruenit, quam omni genere telorum, uiris & commeatu instruxerat Soldanus, & munitissimam reddiderat. Ciues cum de deditione nuncios mitteret Imperator, iure gentium uiolato, necatis Legatis, impetu facto magno, per portas nostris occurrūt: at magna clade repulsos, in urbem receptos oppugnat Imperator, nec Cæsaris clementiam implorantes, exaudire uoluit, ac obstinato animo, cum miles murum inijsset, effractis & perterebratis portis, equitatu immisso, omnem ætatem, sexum omnem dilaniare iubet & conculcare, direptam deinde urbem in cineres redigi. Armeniam deinde ingressus minorem, Melitenem expugnat, ac inita cum Sarracenis, qui in subsidium urbis uenerant, pugna, interemit hominum plusquàm ducenta milia hominum. adita omnia in potestatem compulit. Tantus Frederici successus, ac uirtus inuicta Principis, regulos omnes cōciuit confines, qui missis ingentibus donis, amicitiam & fœdus cum ipso cōtrahunt, ac in uerba eius iurant. In Comagenam per Amanum profectus, Salahadini filium Saphadinum, ingenti exercitu obuium habuit. Cum quo congressus, dum fusos hostes insequitur, atque cedentibus instat, præaltum flumen, Sarum scilicet (quem nunc Selephum, alij Fartarum, Ferrum aliqui, nonnulli Saram dicunt) inexplorato uado, pugnam ciendo transmittere conatur, equo offendente, iam grauis ætate, lapsus est. Equo autem natatu, ad citimam ripam reuerso, iam aquis fermè suffocatum Imperatorem stapedi inhærentem, fractum, armorum onere oppressum, ita affecit, ut inter manus suorum

ſuorum ſublatus, poſtquam paululum reſpiraſſet, oculis in cœlum intentis, hæc uerba uix ſit effatus. O per omnia laudandus Deus, qui ut per aquam in hunc mundum natum peccatorem regenerauit, eundem per aquã ſceleribus purgatum, ad æternam uitam recipere dignatur. Accipe Ieſu Chriſte ſpiritũ meum. His dictis referunt, quòd paulo pòſt expirarit: totius quidem Reipub. Chriſtianæ & periculo ingenti, & luctu piorum maximo, homo quidem inuictiſſimus, & in recuperandis Imperio Romano terris amiſſis, ſingularis animi & uirtutis. Iam enim Salahadinus, expugnatis tribus urbibus munitiſſimis, ac tertiò de exercitibus innumerabilis multitudinis, aduenientẽ uictorem, cuius uel fortunam, uel in re militari experientiam atque dexteritatem, Salahadinus frater apud Germanum in immenſum extulerat, ita ſuſpectam habere cœpit hoſtis ſolertiſſimus, ut nec prius, nec poſt, ſuo unquam exterminio magis extimuerit: imò relicta Syria, iam de Aegypto ſollicitus, ad Cayrum ſe conferre cogitaret. loca omnia per quæ Imperator tranſiturus erat, diripere & excindere iuſſit, Prouincias flamma depopulari, Biblium, Berythum, Sidonem, Laodiceam muris nudari. Perijt autem Fredericus ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo, Imperij trigeſimo octauo, à natiuitate Chriſti 1190. quarto Idus Iunij.

Exercitus Imperatoris à morte ipſius quid egerit. Caput VII.

DE capto Antiochiæ præſidio, & prodito per Patriarcham, fecimus prius mentionem, haud ignari, nec temporibus, nec rationi id conuenire. cæterum ſcriptorum diſſonantia ductus, id tamen, quod apud plures pro uero affirmatur præterire nolui, certiſſimum enim mihi erat, quod iam ſcripturus ſum, obuium fore, quo uel quorundam redarguerem negligentiam, aut reprehenderem æmulationem. quale nam id ſit, Lector depræhẽdet. Fredericus Filius, parente iam mortuo, ab exercitu, Duce iam deſtituto, Imperator dictus, Reipublicæ curam, quàm priuatam ſollicitudinem, potiorem habendam ratus, funus parẽtis à corruptione medicamentis cuſtodire iubet, iuſta perſoluturus, cum ad id pacatis rebus offerretur occaſio. Ordinibus conuocatis, in medium adferre poſcit, quid cuique uideatur optimum, tandem in id omnes conſenſere, ut nuncijs miſſis, Guidonem regem de rerum ſtatu certiorem reddant, uiciſſim explorent, quo loco res apud eundem ſint conſtitutæ. Præcipit deinde, Guidoni nuncient: ſtare in animo, ſi ſub muris rex, cum ſuo exercitu ad aliquod tempus perſiſtere poſſit (reges enim breui et certò adfuturos) uel Samoſatum, Tarſum, aut Alapiam ipſam, cum copijs ſuis petere: ſibi enim facile eſſe, exercitu integro, & uictorijs ferociore, quæ hoſtis Reipub. Chriſtianæ ademerat, recuperare, aut Salahadini uires diſtrahere, adeò ut oppidanis deſertis, cumque ipſo congredi, aut ad direptionẽ et populationẽ Ciliciæ, Meſopotamiæ, ipſiusque Syriæ, conniuere cogat. Hæc quidẽ apud ſe magni momenti uideri, ſed ne ambitioſius aliquid agere uideat, cũ res Chriſti omnium ſit, procerum conſiliũ uniuerſorũ adhibere uelle. Legationis huius Principes fuere uiri, & lingua & manu promptiſſimi, Fredericus de Bergen, Conradus de Dambach. qui cum in caſtra regis perueniſſent, dicere iuſſi, ex ordine omnium pandunt ſententiam. Reſponſum eſt, Si Rempublicã ſaluam uellet Fredericus, nõ in aliena uirtute, uel in nequicquam

quam tamdiu regum expectato aduentu, spem eum collocaturum. Caput petendum illi, cui persuasum sit, primo ictu hostem interempturũ. Laborare exercitum fame, uexari oppidanorũ insultu, diurna frigoris & æstus intemperie iam in annum fermè tertium quassari, nescire tamen, an obsessorum, an obsidentium conditio prior sit. Proinde properet, hostem non abesse, imò adesse eum, quo deuicto, Respub. uerè libera atq; salua esse possit: quo uno cadente, Sarracenorum imperium in præceps ruiturum, non ambiget. Vix castris egressi Frederici Legati erant, cum audita morte Imperatoris, Sarraceni exercitum orbatum parẽte, duce & patrono, luctui, gemitibusq; uacantem irruunt. At illorum aduentu, per hinnitus equorum & armorum strepitũ prodito, Princeps subita re perculsus, quæ tam in præcipiti re potuit, procurat. Oritur dimicatio primò circa tentoria Austriacorum, quæ fortè prima apparebant. hi cum fortiter resisterent, hostes instarent pertinacius, pugnam protraxere, donec collecta in unum & densata Sueuorum, Saxonum et Francorum Orientalium manus ualida, robur equ.dem castrorum, ad propulsandam iniuriam accurreret. tunc mars anceps apparuit. Tandẽ antesignani hostium aliquot cæsi, terrorem hosti incussere. sustinebãt igitur pudore magis quàm uiribus ordines aliquantulum, sed ubi fortunam suorum ubiq; inclinare uident, sparsi passim per agros fugam ineunt. Hostẽ nostri segnius insequuti. Impediebat nanq; lassitudo & mœror omnium animos, carpebatur tamẽ postremum signum, in multis locis capiebantur plurimi, supererat diei parum. Igitur signo dato, ad castra reuersum est, cum clade ingenti Barbarus repulsus esset. qui quando armis rem facere posse despẽraret, ferro, igneq; per omnem prouinciam immisso, absumptis casis, segetibus, arboribus, abactis armentis, pecoribusq;, omnibus solo æquatis, ea saltem uictoriæ uestigia relinquenda censebat; ac omnem annonam Christianis auferendam. Oritur exinde fames ac rerum omnium penuria maxima, quàm cum per tertiam iam hebdomadam pertulerant nostri, adsunt cum Legatis, Balduinus Petræ Arabiæ regulus, & Galanus Pictauiensis miles, qui decreto procerum ac scitu exercitus totius, Fredericum properare iubent, & totis uiribus id unum eniti, ut quàm citissimè nostris apud Acconem coniungatur: comperto uerò, inopia, uiribus exhaustũ exercitum, nullo modo, nisi refectum, per tam longinquum iter ducere posse, ad refocillandum legiones Antiochiam diuerterunt. Vidisses tunc commotam effusamq; omnem urbem Frederico accurrere, ciues omnes cuiusq; conditionis aut sexus, festiuos & alacres, in foro, in omnibus deniq; locis; de aduentu Sueui uoces & iubilationes mittere, & gratulationes. affatim de omnibus & uniuersis prouisum, domus, uictus, imò deliciæ & luxus abundãter. Miles ociosus inde per urbẽ et uicos discurrere, ingurgitare se & inebriare incipit. Ciues penu omne profundere, ut tot laboribus fractum, bellis inuictum militẽ reficiãt. Quinq; iam & decem dies ocio dati, cum Princeps, re non ultra cunctationem recipiente, in animo sibi esse, qui ad Ptolemaidem nostris incumbebat, hostem aggredi pronunciat. Frena nonnulli, ephippia quidam, omnes arma, tela, reficere curant, cum cæliacus morbus grassare occepit. cadunt hinc inde indies per multi, iurares capiti, nullum membrum superuicturum. Princeps hac pestẽ

ac aëris intemperie, cum suos paulatim imminui uideret, mœstus equidem, tamen fronte hilari procumbentes in domicilijs & diuersorijs adibat, nunc spem uitæ, nunc salutis æternæ fiduciam illis ingerens: postremò aërē mutaturus, urbē deserit, ac primis castris, cū reliquijs ad triginta fermè millia passuū secedens, castrametatus est, cum nunciū recipit, Dodequinum quē Saladinus copijs, ex Aegypto accitis præfecerat, magnis itineribus aduentare: Fredericus unitis ordinibus, & ex sententia milite confecto (septena solummodo hominum millia, ex tanto numero superfuisse comperio, quorū equites septingenti tantum, reliqua peditum multitudo) explicatis Aquilis, parentis funere in media acie collocato, hosti obuiam progreditur. Vbi in conspectum uenit Barbarus, moderatiore gradu paulatim prope hostem nostri irrepunt. Dodequinus prior, clamore & impetu orditur pugnā (uiginti Turcarum millia, sub signis Dodequini eo tempore pugnasse ferunt) fit prælium utrinque maximum, cadunt non rari, fluctuat Mars, uictoria modo huc, modo illuc flectitur: nam nostri uirtute, Barbari numero præualebant. Iam pedites nostri prima acie pulsi, in secunda laborabant, cum Fredericus equitū facto cuneo, paternæ uirtutis memor, in aduersam hostium aciem irrumpit, tanto quidem impetu, ut perculsus hostis loco moueretur. Vt semel motam aciē sensere, Lupoldus Austriæ dux, ac Albertus Hapspurgensis, pulsis terrorem addunt, peditem inferunt, qui equos confossos ad terram deijciat. Hostis igitur, ubi aciem quæ primò uim intulerat, retrocedentem inspexit, in secundam eam recipit, sed densatam cum à tergo à fronte, ex omnique latere cedere uidet, nec se expedire posse, præ loci angustia, pauidus in fugam conuertit. At nostri strage hominū ingenti locū in quo steterāt, ubique repleuerūt, ut propè difficilius esset, fugientē hostē insequi quàm confertissimū hostē antea fuerat disijcere. itaque qui qui primi fuerunt per cadauera, & tabē, qua quisque poterat hostē sequentes, signa & ordines confundunt, fusos trucidant, donec ubique sparsi, ne paucitate nostrorum conspecta, hostis animos resumeret, redire in ordines nostri sunt coacti. Cæsa sunt hostium eo die supra quatuor millia, capti fermè mille, cum signis militaribus 15. uictores ad quinquaginta occubuerunt. Fredericus ea die in pugna ipsa, & ante initum prælium, etiā Dodequini confessione, omnium in re militaris candidatorum calculo, laudem illam adeptus est, quam optimo Imperatori, & fortissimo ac strenuo militi peculiarem perhibent. Victor deinde Fredericus Tyrum petit, quò cum peruenisset, tabe & ferro consumpto suo exercitu, parētis corpus, quod Hierosolymis sepelire decreuerat, Tyri in cathedrali ecclesia sepeliuit, cuius exequiæ & feriæ more maiorū, ingenti pōpa, luctuque omniū et dolore maximo, patrio ritu deductæ sunt. Laudauit defunctū Tyrius Archiepiscopus. Mittit deinde Fredericus Legatos ad Guidonem, obsessos ab hoste omnes aditus, omne iter exclusum indicat, suam omniumque suorum sententiā esse, uias, claustra & itinera, ferro reseranda & aperienda: at ne temerè aliquid aggrediatur, nec hoc illis occultū esse uelle, rogare quoque, ut parati ad sinistros casus, illi adesse uelint. Ad hoc consilium initum, iuuenem, qui tot experimentis, uirtutis & prudentiæ suæ periculum fecisset, fortunæ & belli aleæ nō obiectandū amplius, sed ut quàm fieri possit celerrimè atque tutissimè, in castra deducatur,

catur, curandũ. Magnum & opportunũ eius usum fore, cum irreparabile damnum, si quid illi accideret sinistri, existimarent omnes. Diu iam consultatũ; tandẽ decernitur Monteferratensem iuueni in occursum mittendum. quod cum per terrã fieri non posset, decreta classis, ut equitem ac peditem, manibus impositum, aduehcret. Cal. igitur Septembris, in portu Simeonis, omnibus satis instructis ac praeparatis, cibaria menstrua, aquaq; hominibus & iumentis in naues conuecta, frumenti quantũ ex agro hostili residuum, inuenire & acquirere poterant, ex castris hostium deuictorum cõportarunt: id omne in naues impositum, scaphis ipsi triremes ordine, & sine tumultu conscendunt. Vbi uela data uentis, militibus indixit, ut silentium quieti, sine certamine, nautis ad ministeria exequenda bene obedientes praestarent. Sic tandem Fredericus uictor, regijs castris illatus est, ab omnibus magno gaudio susceptus. At Monteferratensis longè aliũ castrorũ aspectũ tunc inuenit, quàm reliquerit. Turcae enim per portam Septentrionalem eruperant, in milites Hospitalarios. qui primi erant, impetum faciunt, aggerem iam secundò conscendentes, multis in locis in castra ignẽ conijciebant. Deformatis sic castris, iam iam ui perrumpere, & nostros expellere uidebantur, cum equites nostri per aliam castrorum portã egressi, à lateribus hostem aggrediuntur, perruptaq; eius acie, posteriores ad urbẽ usq; fugant, pugnantes ad uallum etiã à tergo sagittis & gladijs uulnerant redeundo. Qui uerò in castris pugnabant, uidentes partẽ hostium in urbem repulsam, eam quae castra oppugnasset, rariorẽ, & uiribus deficere, resumptis animis, consertim in hostẽ feruntur, ac praecipitem adigunt extra uallem, in fossam: qui cum ad suos redire conaretur, exceptus ab equitibus, telis cõficiebatur. Pauci igitur eorũ quos ardor pugnandi in castra euexerat, euaserunt. trucidati fermè quingenti, capti triginta. nostris maiore terrore quàm damno res stetit. Nec in mari res pacatior. nã oneraria quaedam nauis cõmeatu plena, ex Aegypto aduentans, nostris nequicquam oppugnantibus ac cadentibus multis, in portũ se receperat. triremes autem tres, telis onustas, urbem intrare uolentes, classe quae ad manum erat, magno nostrorum damno summersae interim. Ad turrim Muscarum praeterea nostri, machinam ingẽtem, tolemonibus, arietibusq; instructam, ac naui impositã, moenijs admouerãt. Perfringebantur supernè omnia, mangonibus ac petrarijs cõterebantur, tum publica tum priuata ędificia, tantũ non capta urbs, cum igne Graeco iniecto, Turcae & nauem & machinã destruunt ac in cinerẽ redigunt, unà cum ariete, quẽ Vesontinus praesul prope moenia adduxerat, murorũ fundamenta cõuellens. Hanc cladem cũ Fridericus conspexisset, Ecquid Conrade (inquit) inulta haec relinquant? Consilio statim habito, corona urbem circundandam decernunt. Stationes designatae. Pisanis & Templarijs maritima concessa, rex cum suis ijs additus. Pons Beli fluminis ac loca omnia, quę eundem ac Praesulis aulã interiacent, Sueuo commendatur. Veneti, Genuenses, Hospitalarij, quae à Germanorum statione usque ad Raymundi aedes erãt, reliqua occupant. Phrisijs, Flandris, & Hollandis, ex altera parte, quae ad mare uergebant, tradita, ad castrorum custodiam relictis ex omni natione selectis & optimis. Iam miles scalas muris iniecerat; iã ad summam per mille uulnera contendebat, cum Salahadinus castra irrum-

pit,replentur tumultu subito omnia.Stationarij primum hostis impetum satis audacter excipiunt,sed ubi pluribus amissis,impares se uiribus hostis uident,pedem referre incipiunt:pulsi igitur loco,Turcæ tentoria aliquot diripiunt,signa auferunt,injiciunt ignem,cæsis ex nostris centum & amplius. Fredericus anxius animo,cum oppugnationem parum procedere,in castris laborare suos uideret,acies reuocat oppugnantes: ad castra proficiscitur. Sed priusquã fermè hi mouissent,Sarracenus suspectis tot hominum uiribus,imparem se ratus,conuersis signis,fuga sibi & suis consulit. Cæterum ardore illo dimicandi Salahadinus sui oblitus,inter confertissimos hostes præterlatus,fermè oppressus est,ac ægrè se subduxit,cum à nostris insequeretur. qui cum longius processissent,ab hoste in insidijs locato,intercepti sunt reuertentes,cum Claromontano Rodulpho,equites triginta, qui prædam optimã uenati,ipsi præda facti sunt. Pridie Idus Octob. hæc acta referunt quidam. Excursiones deinde frequentes factæ à nostris,& prædæ comparandæ gratia sæpius pugnatum. Sueuo,Blesensiq; Theobaldo castrorum cura commissa. sæpius cum erupentibus Turcis pugnandum fuit. Noui semper proceres militiam sacram professi,cõfluebant,at auctis numero nostris,fames augebatur,æmulatio deinde regis & Monteserratensis accessit,quæ rem omnem impediebant. sæpius enim parte una fortiter faciente,ociabatur altera,ne in præmium uirtutis alteri cedere cogeretur. Oritur Bulimia, quæ inter alios Fredericum absumit,cuius quidem interitus,tanti momenti fuit,ut ad regiũ aduentum usq; postea nostri castris exire haud ausi sint, etiamsi pridie Cal. Ianuarij omnium in conspectu naues,ãnnona & commeatibus onustæ septẽ portum intrarent, nostros conuicijs lacessentes, & ad pugnam inuitantes. Fatentur etiam illius temporis autores,qui rebus gestis ipsi interfuere,Germanorum uirtutem, mœniorũ coronã sæpius conscendisse, Turcis ad nomen Germanorum expauescentibus, nec non urbem primo ipsorum accessu, nisi aliorum negligentia obstitisset,fermè captam. Nam occupata turre quadam, cum Austrius in repugnantem hostem sæuiret atrocius, suorum cæsis permultis,in mare se præcipitem dare coactus est, totus suffusus sanguine,cingulo tenus duntaxat,quod album corpus intersecabat,à cruore immunis,ad suos se recepit. Vnde ex euentu Fredericus totius exercitus suffragio,noua illi insignia,rubro & albo coloribus interstincta, concessit.

De Regum Philippi Francorum,& Richardi Anglorum expeditione. Caput VIII.

ANnus præterierat iam secundus,cũ Philippus & Henricus sacram militiã professi,ad paranda necessaria diuerterant,cũ nescio quis malus dæmon,Christianis rebus inuidens,pacẽ inter reges uiolauit. Perfidiæ eius notam scriptores Galli in Anglũ contorquent,econtrà Angli eam culpã attribuunt Franco. Verũ quicunq; id fœdus uiolarit,apertissimum est per bienniũ integrũ,profectionẽ in Barbaros bellis intestinis, magno Reip. Christianæ & periculo & dedecore dilatã. Anno igit̃ salutis 1190. mortuo Heinrico,inter Richardũ & Philippũ fœdus initur,bello amissa,pace Anglo restituũtur,Francũ cõiunxit illi affinitas cõtracta. Audito etiã Fredericum Imperatorem Bosphorũ traiecisse,ac Syriæ illum imminere,æmulatione incensi, cõmunicato cõsilio,classe parata,ambo ad iter in Syriã faciendũ se accingũt. Nonis

Nonis Ianuarij Imperator expeditionem inierat, circiter Calendas Iulij Philippus iter parat: filium bimulum Ludouicum, regniq; procurationem fidei matris Adelæ committit, tutore adhibito, Guilhelmo auunculo, Remensi antistite, testamẽtoq; solenni cauet, ne quis principũ per id temporis quod abesset, totum, exactionem ullam à subditis extorqueret. Si uero sinistri illi aliquid accideret, aut si occumberet, ærario regio in tres partes diuiso, pro reparandis phanis unam, alteram in militum sacrorum stipendium, tertiam in adiuuandis egentibus profunderent. Thesauris autem, pro custodiendo & nutriendo regio puero, uterentur. Susceptis deinde in Dionysij Phano, sacræ peregrinationis insignibus, baculo scilicet & pera, terrestri itinere, Genuam peruenit, classem eo loci instruit, octuaginta omnis generis nauium. dum uentum expectat, uno eodemq; die quinquies fulmen cœlo decidit. Ingressus mare, aliquandiu prosperè cursum tenuit, cum iam autem ipsam Siciliam in conspectu haberet, tempestate uehementi exorta, naues disiectę sunt, aliæ fractæ, aliæ fluctibus submersæ, aliæ armamentis laceratæ & nudatæ. Virorum equorumq; multi naufragio periere, machinarum tormentorũq; iactura facta, quæ omnia, ad reliquam classem onere leuandam apparata erant. Salo iactatus miserè tandem Messanam peruenit, à Tancredo Rogerij notho honorificè susceptus. Dum igitur Philippus quassatam classem reficit, supplementum ex Francia expectat, ecce adest & Richardus, qui cum ad Dunstablum uicum, sereno cœlo, medio die, in aëre cruce, & in ea hominis pendentis imaginem uidisset, ostentum rei bene gerendæ putans, Cal. Augusti, quindecim triremium, & aliarum nauium multarum classe comparata, Roberto Sabcollo, Ranulpho Fulgerio, Henrico Badulpho, strenuis Ducibus & classis præfectis, in negócijs dat cibaria, ad minimum in sexaginta dies portandi. Si quid illi humanitus accideret in tam longo itinere, ne hærede careret, Artharum nepotem successorem designauit. Classe deinde ad Sequanæ ostium traducta, ipse cum electa parte militum, robore & uirtute florentium, terrestri itinere Massiliam contendit, ibidem nauem conscensurus. dum aduentum classis ibidem opperitur, commeatum & cætera nauigationi necessaria, magno studio comparat, à Sarracenorum piratis, Hispaniæ oram infestantibus, nauigia interim multis afficiuntur incommodis. Tantę moræ impatiens rex Richardus, classem impeditam & obrutam arbitrans, cõductis ubiq; nauigijs, in Siciliam ire perrexit. Messanam urbem, quò paulo antè Francus peruenerat, attigit magno apparatu. & is à Tancredo acceptus, paulo pòst, ob suspicionẽ affectati regni, & militum suorum licentiam, urbe ejicitur. Nihil profuit simulata deinde reconciliatio, Frãciq; intercessio. Richardus urbem expugnat atq; capit, rapina, cędibus omnia repleta. Exorta deinde lis inter Francos & Anglos, ob repudiatam Adelam Philippi sororem, quo Francus se ignominia affectum putabat, Anglus auaritiæ & uiolati hospitij calumnia à Franco se insimulatum, ægrè ferebat. res ad tumultum peruenit, cædesq; ingens fuisset ædita, nisi uterq; Princeps tumultũ oppressisset. Fuit hæc altercatio impedimentũ, quo minus rebus communibus in tẽpore subueniret, quo multo pulcherrima uictoria nostris Ducibus postmodum ex manibus excuteretur. dissimulauit uterq; iniuriam, sed lõgo alie-

no tēpore, odiū in medium erumpit. quarū cōtentionum coniectura motus Ioachim Abbas, parū in bello sacro reges profecturos, dixit. quod deinde à uulgo uaticinij loco exceptū est. Sic tota hyems altercationibus inter reges et hospitem protracta, qui multa pecunia ab amicis mutuo sumpta, reddita Ioannæ reginæ dote, quæ soror regis Richardi atq; Gulhelmi defuncti, Siculi uidua erat relicta, pacem ære redemit, ac Arthuro Britanniæ Duci filiam in matrimonium pollicetur. Dum igitur reges in insula hybernabāt, cœlum indies ingenti tonitru horrendum sonabat, assiduis fulminibus peribant milites, & Insulani permulti, magni mali certissimum nuncium.

De uarijs fortunis eorum, qui ad Acconem residebant, reges expectantes. Caput IX.

FRederico Sueuo mortuo iusta apud Tyrū soluunt. nā procerū omnium consensu, paternis illatus est monumētis. Pridie igit Idus Ian. anni 1191. mirū dictu, horrendo fragore cœpit cœlum frigidissimū intonare. decidebāt grandines densissimę, micabat firmamentū cœli, ignibus crebris, inde imber uento permixtus, secutus fragor cadentiū fulminū, uis magna aquarū ex aëre se profundit, uentibusq; omnia proscindente terra ipsa, tremoribus horribilibus concutitur, ac muri urbis partē magnā prosternit: fœda tempestas in mari orta, mare efferuescens subsolani flatibus uehementissimis, in molē & aggeres urbis illisit, mutuoq; cōcursu & atroci cōflictatione attritus, procellis grandissimis contriuit, & summersit naues quatuor, triremes duodecim, annona & cōmeatu uario plenas. Virorū quoq; nō paruus numerus in ijs absumptus. Qui in urbe erāt, tanta clade perterriti, ignari quid facerent, cum ira diuina, nullius hominis ui, muros disiectos, classem omnē quæ in anchoris steterat, disiectā & pessundatam uiderent, urbe excedere parati erant, nunq; posse se resistere ijs putantes, pro quibus & cœli machina depugnaret. At nostri nō minus animis turbatis, in castris cōstiterunt, cū oculos imber et micantia fulgura illis perfringerent, degrauati grandine, nec armis nec telis uti posse uidebant, cū nullius principis hortatu, ut urbē iam omnino apertā intrarent, cōmonefierent. Hostes cū nostros nihil omnino moliri sentirent, resumptis uiribus, sedata paulisper tēpestate, disiecta reficere, trabibus, stipitibus, sarmentis, cōgesta terra lapidibusq;, locū reparare nitunt. Tentarunt nō nihil reliquiæ Germanorū territos inuadere, sed uidentes exercitus uires nō moueri, & ipsi à cœptis desistunt. Accedebat nostrorū ex ignauia, ferocia & fastus ingens obsessis, nec diutius se continere poterant, quin 13. Cal. Feb. in castra irrumperent. Traxerat sociorum suorū casus & longa obsidio Aegyptiorum ad duo milia, ad subsidia præstanda oppidanis, qui cum classe, quā tēpestate obrutā iā diximus, in urbē paulo antè uenerant. hi periculū de uiribus nostrorū facere cupiētes, laudis auidi, summo mane per portas erūpūt, iāq; aliquot uallū transierant, ascenderātq; aggerē, pulsis primis stationarijs, prout prædę cupidiora sunt ingenia mortaliū, ad direptionē tentoriorū, tāq; omnino deuicto hoste, se cōuertunt: nō tardatus igit equęs noster, priusquā totis copijs tumulū conscenderent, in hostē medij feruntur partim, plures extrema iā & dispalata. Turcarū agmina, à tergo inuadunt. relicta igit pugna, castrisq;, pauore cōsternati, fugā arripiūt primi, intercepti nostrorū acie media trucidant. Magno igit ea die didicerunt, cū nostris cōgredi. tāta utiq; clade affecti, se in urbē receperūt, ut per eā obsidionē, nihil amplius in nostros

non

nō laceſſiti tentarint. Salahadinus aūt ne res quietiores eſſent, cum obſeſſorū uires debilitatas cerneret, ſequenti nocte, quarta ferè hora noctis in noſtros educit ſigna. unde minimè timebat, ex ea parte in caſtra irrupit. Incerta igitur in caſtris iā omnia, ac maximè trepidatū, alijs hinc, alijs inde diſcurſantibus, cæteris ſocios excitantibus, ad arcēdos hoſtiū aggreſſus, ad arma proclamātes. Fit ſtatim Germanorū cōcurſus, qui interuentu ſuo hoſtem diſtinent, donec robur caſtrorū cōueniret. collato tunc pede, gladij gladijs, ſcuta ſcutis, cōcrepuere, tandē miles noſter hoſtē pepulit in fugā, atq; à munimentis auertit. Inſequi fugientes nox prohibuit, quū inſidiarum timor eſſet. Barbaris tamen uulneribus ac gemitus plena fuit diſceſſio, nec omnino incruenta. nam ſole orto, Sarracenorū triginta in foſſa reperti exanimes, cū tamē ex duobus, quos noſtri ceperant, cōpertum ſit, nobiliores eos & cæſos iumentis aſportaſſe. Hæc tertiò iam tentata Barbaris. ubi uerò ſe fœdè ſemper repulſos uiderunt, inanes conatus agnoſcere incipiunt intra muros, in Salahadini caſtris ignauiter ſe cōtinentes. Hoc multū animi noſtris addebat. Monteferratenſis igitur ex caſtris, Italo milite in naues conuocato, paratis machinis, Muſcarū turrim oppugnare aggreſſus, quæ quidem turris in medio portus fundata, Pharea dici poteſt, Beelzebub olim phanū celeberrimū. cum uerò ob machinarum molē, ac littus uadoſum propius turrim accedere nō potuit, igitur amotis machinis, ac ad caſtra relatis, re infecta, mare ingreditur iā claſſe Aegyptiaca liberū. Sed quia fame adhuc exercitus laborabat, miſſi frumentatores, qui in conuehenda ad ſuos annona operā darent: ad id muneris deſtinati lectiſſimorū hominū mille, additi regionū peritiſſimi. At præmonitus de eorum egreſſu Salahadinus per Polinum quendam, 7. Idus Martij, proinde extemplo, qui in inſidijs locati, redeūtes interciperēt, miſſi ab hoſte, obuios noſtros habuerūt. partim igitur capti, partim cæſi, reliqui in fugā uerſi, frumentū omne ſimul cū iumentis & equis deſerūt. quę in caſtra hoſtiū delata, & inter milites diſtributa ſunt. Increuit in caſtris rerum inopia interim, ut ab obſcœniſſimo quoq; cibo nihil abſtinerēt: multi etiā inedia deficiebāt. ſupplicatiōes ergo decretæ, & eleemoſynæ erogationeſq; in pauperes cōſtitutæ, nihilq; omiſſum ad placandā Dei irā, cū ſtatim rerū omniū abundātia affluxerit. Iam enim ubi modius farinæ inueniebāt, precia ei ab aureis nonaginta ad nonagintaſex, frumenti ſexdeni, ordei quadrageni. Furfuris modiū dabatur pro aureis ſeptem, cūm ſubitò apparēte Marchione, qui inſulas finitimas adierat, onerarat triremes, & nauigia frumēto & alio cōmeatu expleuerat, tantā caſtris intulit copiā, ut tribus aureis modius farinæ emptus, mercatorem non inueniret. Qua una re, Conradus omnium ſibi beneuolentiam deuicit & conciliauit, ut ſpreto Guidone, hunc unū Reip. præficiēdum, palàm omnes dicerēt.

De Regum ad Ptolemaidem acceſſu. Caput X.

DVm hæc ad Ptolemaidem uaria fortuna, & noſtrorum pertinacia admiranda aguntur, ſpes una in regibus, Franco ſcilicet & Anglo. eos omnium uota expectabāt. Igitur uere appetente, rex Francus ex Sicilia in Syriā ſecunda nauigatione delatus, ueluti cœlo demiſſus, exceptus eſt 5. Eidus April. ab exercitu, qui iā Ptolemaidi aſſidebat, triceſimumtertiū menſem. Refectus uetus miles auxilijs, Imperatoribus auctus, caſtra munimēto firmiore circumuallata, arctius obſeſſi premi cœpti, machinæ tormentaq; delata na-

uibus,noua quæq; instituta,omnia ad oppugnationem parata.miles exemplo,uerbo,pollicitis acuebat.Prætoriũ regium medijs in castris, ex tabulis erectũ arcis instar.Couenerat inter reges,ne absente alio, alter oppugnationem adoriretur,sic,ut collatis uiribus, Barbaro uires nostrorũ augustiores ostenderentur sic,ut in cõmuni causa,cõmunis uictoriæ fructus foret.Placuit igit aduentũ Richardi expectare. Serius igitur,tamen Messana soluit Anglus,cõpositis cum Tancredo rebus,ac unà cum Ioanna sorore, quæ Berengariã puellam,filiam regis Nauarræ sponsam ducebat,nauem ingressus,in altum uix delatus,graue incidit tempestatem,quã non nebulæ,non æquoris fremitus,non minæ aliquot cœlestes præcessere, sed subitò nihil tale timentes,penè obruit.Discerpuntur uela, rudentes è manibus remigũ excutiũtur. naufragiũ triremes duæ,nauis una fecerunt,disiectæ laboriosissima cura receptæ, concussæ tamen & quassatæ. Vi maris superata,in insulam Cyprum tandem perferuntur.Colluctatus diu mari, ab Insulanis portu prohibetur. Indignitate tantæ rei motus Rex,ui facta, uirtute terrã obtinet,eamq; late populatus,urbes & oppida,incredibili quodã successu,celeri uictoria,cũ insula tota in potestatẽ redegit,insulæq; tyrannũ,qui ne Græco suo Augusto,nisi malo coactus paruerat,bello cepit.Captam magno suorũ præsidio firmauit,captiuis multis apud se retentis,& pecunia ingenti acquisita. Sponsam deinde factis nuptijs,sibi matrimonio iunxit.Hinc postea profectus, in Syriam iter tendit.Cum igitur Franci regis accessum,ualidiores cerneret res Christianas Salahadinus,obsidionẽ quoq; haud facilè solui posse,statuit suis omnino mare aperire, addiditq; uiribus dolũ.Onerariam ex Aegypto adduci iubet,quæ cõmeatus,tela,atq; omnis generis arma cõportabat: erant in ea,ut postea innotuit,præter frumenti uim magnã,ducenti quinquaginta scorpiones:uascula plurima,igne Græco plena,etiã caueolæ serpentibus uenenatis. refertæ.Dromonem uocabant Barbari hanc molem,quæ forte fortuna Anglo aduenienti occurrit:ea ubi primùm in conspectu fuit, ac iam uenena,ut in nostros conijceret,expediret,priusq; Barbari,qui in ea erant, arte ulla uti possent,ante portum,cętera classe fusa & fugata,à nostris studio demersa fuit. Descensione postea facta,castris se coniunxit Richardus. Amplissimè à Franco,et benignissimè susceptus,cum multa Anglo offerret,Philippi Flandrensis machinas poscit(is enim per hos dies humanis exemptus erat)concessa omnia,tunc uniuersis uiribus Latini urbem oppugnare cœperunt.

Ptolemais oppugnata & capta. Caput. XI.

SAlahadinus cum iam suos conatus irritos omnes uideret,opem amplius ferre suis haud est ausus.Apparatis igit tormentis,& super rotarũ uehicula impositis,turres promouebãtur,cõcutiebantur iã arietibus latera mœnium,cõuellebant ima summaq;,nõ in priuato,non in publico cuiq; cõsistere tutè licebat. Singula enim fermè tentoria,singulos apparatus æmulatione quadam depromebant,dum quisque tacita contentione muralem coronam ambit.Expositis deinde ordinibus, ac in coronæ modum urbe circundata, ad oppugnationem murorum tam publico tam priuato studio accurritur. Oppidanus,fidei & honesti memor, desperatis externis auxilijs, pertinaciam maiorem ostentat, & licet deformata, & in partibus diruta mœnia

aspectu

aspectu ipso dolorem & pauorem incuterent, solabantur tamen se inuicem Characux quidam, & Sunathosius satrapæ, qui inter eos erant urbis Præfecti, dexteras suorum & pectora demulcentes. Hæc sunt, dicebãt, infracta propugnacula urbis, hic murus aheneus, hi immoti lapides, hoc firmissimum cementi genus, fortium scilicet uirorum animi inuicti. in ministeria sua quisq; delapsus, certius teli genus, in succedentes projcere occipiunt. Recentibus recentes submittuntur à nostris, & in urbe per uices mutatus miles, integer defatigato succedit. Euaserat in muros Florentinus quidam, cui Barbarus occurrit, signum altera manu deferens coloris sanguinei, altera acinace correpto, ictum accurrenti intentabat. Quo Florentinus parmula excepto, punctim Barbarum transfigit atq; prosternit, arreptoq; signo, in ipsam urbem peruadit, obuios omnes prosternens. Oppidani qui atrocitatem rei conspexerant, quamdiu cuneo suorum comitum procedit, aufugiũt omnes. quũ uerò Itali sentirent, ob Anglorum peruicaciam, à Gallis oppugnationem rarescere, in se suosq; hostium uim omnium conuerti, pedem referre paulatim incipiunt. Pugnando demum cum socios decem amisisset, intus turrim occupat, quam fortiter ad noctem usq; defendit. Barbari fessi, custodibus circundatam obsident, ille noctu per funes delapsus, cum ingenti omnium gaudio, ad castra redijt incolumis. Insignis quoq; huius facinoris memoriam posteris relinquens, in patriam reuersus, signum Barbari in Phano D. Ioannis Baptistæ sacrum fecit. Eluxit etiam ea die Genuensium uirtus, quod tot in urbe Tyri priuilegia, ipsis concessa ab Henrico Cãpano, testantur. Cecidere ea die uiri permulti, ac inter eos regi Philippo charissimus, Theobaldus equitum magister, Blesensium Comes. Vulnerati plures, igne Græco, oleo feruenti, pice incensa, arena ignita ustulati plurimi. Reducto igitur in castra milite, corporibus refectis, saucijsq; curatis, Philippus accitis peritiorib. quibusdam, maximo habito consilio, laboriosissimum opus, cuniculus inchoatur. Partito numero artificum in horas & manipulos, subterraneo itinere ad turrim urbis, quam Maledictam uocant, uentum est, qua suffossa, & sustentaculis ligneis, ac pro proportione molis, maximis suffulta, adiecta insuper materia, quæ ignem subito concipiat, ad regem redierunt. Ciues quoque, quibus hostem non ociari persuasissimum erat, ea nocte, intus cuncta exactissima ratione procurant. Aurora apparente, miles corpus curare iussus, ac signum expectare. Stationes Ducibus assignatæ expeditissimi conuolant omnes, copia pugnandi petita. Dato itaque signo, uno omnes impetu, mœnibus succedebant. Obuenerat sorte Austrio Lupoldo turris quædam, quam ad oppugnandam cum interstitio suo susceperat, Phano sancti Dimini contigua, ultima omnium, & ea parte qua ad mare uergebat, regijs copijs, Anglis scilicet & Francis obiecta, adeo, ut dissita tantũ ab alijs, quæ in alio latere urbis agerent, nec uidere nec audire potuerit. Dũ igitur omnibus in locis intra & extra muros pugnatur strenuè, ignis iniectus, sustẽtacula turris subfossæ iam cõcremarat, cum ecce subito ingenti ruina, fragore horrendo, moles in terram cadit. Oppidani casu territi & obstupefacti, iam de deditione mentionem admittunt. Offeruntur statim, ut in tumultu fieri solet, conditiones. Vrbe dedita, redderẽt sacrosanctã crucẽ. Ducenta millia Byzantiorum

tiorum

tiorum aureorum soluerent. Captiui omnes, qui etiam apud Salahadinum Christiani tenerentur in uinculis, liberati, ad suos redirēt. Barbaris aliud nihil promissum, quàm ut salui & oppidani & præsidium, cum uestimentis in tuta perducerentur. Nec fuit conditio quæ uel populantes Christianos, uel spondentes Barbaros, magis fatigauerit, q̄ de restituenda cruce dominica recipiendaq̄. Attamen his legibus hoc ex latere, portæ urbis aperiuntur. In alio latere nulla huius rei notitia, cunctantibus cæteris, omnium primus, Lupoldus Austrius in muros euadit, telis expositus undiq̄ stabat. Scutū uiri ita perfractum, ferro ita attritum erat, ut uix forma maneret. omnium tela solus excipiebat. Festinabant Germani Ducem sequi, quū pondere accelerantium scalæ diffringūtur, ipse uerò omnium horum inscius, in urbem hostium plenam præcipiti saltu desiluit, ac fortuna comite, uim omnem aduersariorum qui pro aris, pro focis decertabant, solus sustinuit, donec nouis allatis, & in muros coniectis scalis, necessarij sui, conscensis mœnijs, hoste deturbato, per media tela ad Ducē feruntur. Interim de deditione rumor exoritur. Barbari depositis armis fidem implorare, manus porrigere incipiunt. Cognita re Lupoldus, turrim quā ceperat, intrat, ac Austriaeq; domus signis erectis, quidnam agat, intentus expectat; cum statim Anglus Richardus adest, ac ilico in terram excussis Lupoldi signis, sua subiecit. Tantam ignominiā miles Germanus cedere nescius, ægrè ferre, uim fieri Imperatori suo exclamant. iracundia & audacia impulsi, arma corripiunt, iamiam Anglos inuasuri, cum Lupoldus, iniuriā pro tempore dissimulandam ratus, ferocientem militem, blanditijs minisq̄ compescit. Magno hoc facinus Richardo stetit: sed ad rem redeo. Recepta per hunc modum Ptolemaide, annona uiritim & æquâ lance distributa, regis Guidonis insignia erecta, captiuorum cura Franco & Anglo omnis cōmissa, utriq̄ dimidia pars deducendorum Barbarorum attributa. Cum autem promissa repeterentur, crux nostros maximè sollicitos habuit, sed ea cum à Barbaris quæreretur, nusq̄ comparuit, nusquā inuenta. Richardus hoc fraude factum interpretatus, qui Barbarorum, ut ad Soldanū suum reducerentur ei obuenerant, productos in medium, præter nobilissimum & ditissimum quenquam, omnes interemit. Ad septem milia fuisse feruntur, quod illi quidem uitio datum, quod eos non seruasset ad Christianorū captiuorū cōmutationem. Deglutierant Barbari nōnulli aurū, ne scrutati per milites, uiaticū amitterēt. qua arte detecta, interemptorū uiscera aperta rimantur, recrementa perquiruntur. quibus autem obscœna displicebant, auaritia ingenium excitauit, ut exustis corporibus, cineres euoluerent, aurum sequestrantes. Alij obstinato odio impiorum, cruorem auidè hauriebant, ac excoriatis Barbaris, pellibus utebantur. Hi in usum solearum, alij cordas arcubus ex ijs inflectebant. Francus prudentiori usus consilio, quos in potestate habebat, asseruari iussit, ut Christianos permutatione eorum liberaret. Characux illi quoque sortè obuenerat captiuus, uir formæ despicatissimæ, consilij sanctissimi. Quo consulto rex didicit, nisi Aegypti Imperio euerso, urbem & Prouinciam Hierosolymitanam, sub Imperio Christianorum nunquam permansuram, ad euertendam Aegyptum, Damiatæ possessionem necessariam esse. Pietate Conradi Marchionis hoc

tempore

tempore etiam pater Bonifacius Montisferratēsis liberatus. Capitur urbs tertio obsidionis anno, quarto Idus Iulij, anno 1191. cum peste tantū apud nostros intra paucos dies, plus quàm quinquaginta Pontifices, Comitesq; periere. inter quos præcipui nominis Rauennas, Fauentinus, Vesontinus, & Balduinus Cantuariensis, ac præter dictos, Turingiæ Lantgrauius in reditu, tempestate maris submersus est.

Discordia atque æmulatio inter reges oritur. Caput XII.

GEminum illud odium Francorum & Anglorum, innataq; inimicitia, Conradi & Guidonis æmulatio, omnem dissimulationem auferre, fucatūq; fœdus soluere fecit, statim à capta urbe. tum enim de regio nomine res agi cœpta, cumq; uterq; suas partes habet, ius suū defendit strenuè Francus simplicioris ingenij uir, atq; in Remp. propensioris, uiribus, opibus, dexteritate excellentiorem præfert Conradum, ac ne cum Anglo sentire uideatur, precariam inaugurationem, impiam coronationem annullandā censet. Sacrosanctę regum Hierosolymitanorum memoriæ hoc equidem dandum, ne proles parentum sanguine cōparato in regno, licitatori postponatur. Reipublicæ dandum, ut à fortissimo administraretur, ab hostibus undique cincta. Vera hæc & pia quibusdā uidebantur, alijs odio profecta. Anglus quem ingenij calliditas maximoperè commendabat, si duarum insularum imperio, mediterraneum regnum adijceret, maiorum suorum nomen uincere, atque posteris se admirandum præbere posse uidebat: prospecta quoque in Guidone ingenij obtusi indole, uires flaccescentes, opum & auiditatem & indigentiam, fautorum uel paucitatem uel tepiditatem, debilioris partes amplexus est, ut facilius in suam sententiam deinde uel renitentem pertrahere posset. Tyrus igitur Conrado cum regni titulo concessa, quam quidem ipse Marchio nulli reliquisset, sed Philippi sententia liberius omnia usurpauit. Guido cum Anglis in castris commorans, spe recuperatarum rerum gaudebat. Debilitari uirtus Salahadini cœperat, amissa Ptolemaide, maius illi damnum à Richardo additum, inflicta clades maior, cum ille Acconense præsidium, quod ex ipsius Salahadini & totius Aegypti robore selectum fuerat, trucidasset. Christianis igitur diutius posse resistere, iam desperat. igitur urbes quæcunq; situ & opere ad resistendum minus idoneæ uidebantur, mœnibus nudat, de reddēda Hierosolyma cogitans. Diripiuntur igitur Porphyria, Cæsarea, Ascalon, Gaza, & Elan. De bello igitur continuando consultatum inter reges & duces diu. sententiæ bifariam diuisæ, cum alio qui terra mariq; Aegyptum petendum, & euertēdum, deinde in reditu Damascenorum urbem & prouinciam occupandam esse dicerent, ac factu facillimum. Cæteri uerò, regni caput Hierosolymā recuperandum primò, Damascum deinde, postremò Aegyptū armis infestis exercendā. Pedibus in posteriorē itum est, & acclamatū, quod q; primū fieret, ac ut à tergo qui hostium insidias propelleret, nostri haberent custodes, ac tergiductores adhibiti. deinde omniū decreto, Ioppen instaurandā & muniendā esse, cōstitit. id oneris sorte Richardo obuenit. Occupatū ea re, Salahadinus impedire nitebat, impetu in nostros irruēs terribili, à Richardo pedē referre coactus. is cū accita magna classe, urbē occupare iubet, dein immissa maiore, collatis exercitib. in

hostem

hostem fertur, quem primo congressu fugat atq; dissipat. Insequentem Salahadinus, magnis missis muneribus gradum sistere rogat, ac legatorum colloquia petit. Rei nouitate permotus Richardus, suos inhibet ac receptui canit, cum adsunt à Salahadino missi, qui pacem petunt, potestatem muniendi Ioppen offerunt. De pace nihil responsum, de urbis instauratione id adiectũ, & hoc absq; consensu Salahadini futurum, scire se Salahadini astũ. Pro magno igitur æstimet, quod absq; insigni aliqua clade ita abierit, fraudi hoc illi aliquando fore. Legati discedere iussi, ac ne unquam redeant, nisi quæ adhuc in potestate sua habeat Salahadinus, offerant. Ioppen igitur Richardus instaurat, coq; Christianorum coloniam deducit. Redeuntem omnes mira excipiunt lætitia, hunc unum in ore habentes regem, qui Rempub. Christianã possit & uelit iuuare. Tanta igitur Richardi gloria refricat purulenta odia. ægrè ferre in primis hominum uoces, atq; Richardi laudes, paulatim carpere dicta, calumniari facta, huius ocium, somnolentiam, tarditatem uicissim exprobrare Anglus. Miles cauillis, scommate se lacessere alternatim. duces sententijs diuidi incipiunt, tandem ipsi reges iurgia miscere, inuicem ambitionẽ principatus exprobrare, deinde proditionis insimulare. Francus acceptam à Salahadino pecuniam condemnabat, Anglus in gerendo bello Franci socordiam. Quocirca Philippus uir & ipse magnanimus, rerum magnarum cupidus, cum Richardi res increscere cerneret, ferocia animiq; magnitudine, cæteris ducibus præstantiorem quoq;, principatus æmulum similem haud ferre, maiorem haud pati posse. Vno rege, in bello omnia cõsultius geri, cœli grauitatem obtendens, morbum, ut quidam uolunt, nõ omnino uanè. affligebatur enim cupiditate Comitatus Flandriæ mirum immodum. Fauebant Franco, Oddo Burgundiæ Dux, Rodulphus Claromontensis, Tyrensis Conradus, Templarij, Genuenses, Thuringiæ Langrauius, Robertus Nassouius, Philippus Bellouacorum Episcopus. Richardi partes tuebantur, Flandrensis Nepos Balduinus, Henricus Cãpaniæ regulus, Guido rex, Hospitalarij, Veneti, Pisani & alij plures. Cęterum simulato morbo, Philippus in corona procerum se abiturum refert, quingentos equites, peditũ decem millia, sub Oddone Burgundo, in Syria ad bellum finiendum se relicturum, stipẽdium, arma, machinas, commeatus, et tela præstiturum se affatim. Excepta est hæc uox ab omnibus animo infensissimo, ille contrà, inclementiam cœli ulterius se ferre non posse testatur. Excusationem Richardus non accipiebat, decedere illum dicit, ut Normanniã Aquitaniamq; milite uacuã occuparet. Fidem Francus iureiurando interponit, se nulli rei quæ sub Angli ditione foret, ui uel fraude obfuturum, citrà quinquagesimum quàm domum redijsset, diem. Ita relictis ad sacrum bellum quotquot suorum professus fuerat, cæteros in naues Gallicas imposuit, & è Genuensium classe socia tres naues sibi ac nauatchum coniunxit. Ruphinum Voltam, Asiam manifesto errore, infamia maiore, omniũq; imprecatiõe mala, reliquit. Aegeo mari illatus, Ioniũ legit ad inferiorẽ orã Italiæ circũuectus apud Hostiã, Tyberim intrat. ad Celestinũ III. qui Clemẽti in Papatũ successerat, ueniẽs, magna data pecunia, quã in Asiã pro stipẽdio militũ, Põtifex missurũ se pollicitus est, religione soluit. inuisis deinde sacris ædib. atq; mari repetito, domum diuertit.

Quæ

Quæ incommoda poſt Philippi diſceſſum ſequuta ſint. Caput XIII.

ABeunte rege Franco, dilabentibus paſſim noſtris, Auſtrius dux, & ipſe acceptæ iniuriæ memor, cum Imperium omne ad æmulum delatum cerneret, clanculum profectus, domum rediјt. Claſſem Veneti ex Syria reuocant, opus eſſe ſupplemento & reparatione dictitantes. Piſani & ipſi ex prouincia profecti, in qua cum Venetis tanta æmulatione per triennium certauerāt, ut res etiam in mutuum odium, apertaſq; inimicitias excreuerit. Oppreſſere enim Piſani in reditu Polam tributariam Venetorum urbem. Genuenſes & ipſi reuocata claſſe, Tancredum, ab Henrico Imperatore conducti, Sicilia eјcere conantur. Florentini redierant quoq;. Conradus Tyrenſis, inſidias æmuli ueritus, in urbem ſe contulerat, qua optime munita, relicto in caſtris milite, in ciuitate ſe continuit ipſe. Accidit autem, ut quadam die Cōradus in forum deſcenderet, Reip. negotia curaturus, cum ſubordinati duo ſicarij, iam domum redeuntem, gladijs confoderent. retracti homicidæ ex fuga exquiſitiſſimis cruciatibus enecati, uelut egregio ædito facinore, alacres et læti mortem obierunt. Tantæ cædis cauſa in uarios relata, ſuſpicione quoq; Richardum deformauit, quaſi is autor cædis extitiſſet, cum diu Conradi affinitatem nequicq; ambijſſet, Ioannam ſororem in matrimonium illi offerēs, ſi repudiata ea quam rapuerat, regis ſententiam amplecteretur. Herfrandus Toronius, quem alij Henfredum appellant, dolore, atq; odio iuſto, ſuſpicione huius rei petitus quoq;, exiſtimantibus nōnullis, impatientia adulterij cōmotū, qui adulterū occiderent ſubornaſſe. Mortis ſuæ ipſummet Conradū ſibi cauſam præbuiſſe quidam contendunt, dum habendi cupiditate, mercatores duos Arſacidas, clancularijs inſidijs in urbe oppreſſerit. Sunt qui dicunt confeſſos eſſe latrones, ſeniorem Aſſiſſimorum apud ſe ratū habere, ſimili machinatione, omnes Latinorum Duces in Syria extirpare. Qua ex re etiā fama increbruerat, in Galliā huius iuſſu tranſiſſe ſicarios, qui regē Francum interimerēt. Sed hoc confictum eſſe ab ijs, qui diſcordiam ſeminare inter Anglum & Francum cupiebant, poſtea cōpertum eſt. Anglus occaſionem adeſſe ratus regni acquirendi, Iſabellam blanditijs euocatam, Henrico Campaniæ Comiti nuptui collocat, in uerba ſua iurantem, Tyro urbi præficit, Guidone plurimum reclamante. Richardus rogare primum, deinde cōpellere hominem, pollicēdo pellicere, ut regnum Cypri à ſe capeſſeret, Templarijſq; quibus ipſe illum oppugnauerat, pecuniam creditam ſolueret, cederetq; iure, quod ſibi eſſe in regnum Hieroſolymitanum, cæteramq; Syriam contenderet. Guido rogatu potentioris coactus, rei pluſquā incertæ ſpei inhians, ſublatis ſecum ſuis rebus, in Cyprum tranſmiſit. Anglicis regibus ex hoc titulus Hieroſolymitani regni ceſſit, quem in hunc diem uſurpant. Quo regno Luſignianorum familia, per annos ducentos octuaginta tres potita eſt, donec Veneti, Poſthumo Iacobi Nicoſienſis pereunte, regnum iure hæreditario inuaſerunt. Salahadinus, cui iam extorſa eſſet confeſſio, Chriſtianis ſe haud parem eſſe, detrectando certamine, qui ſuis rebus diffidere cœperat, qui potius ſuis manibus euerti, quę retinere deſperauerat, aut integra capi, ſeruariq; à noſtris malebat, diſceſſu noſtrorum animis receptis, ac diſcordia noſtrorum audita, omnino audacior factus, ſicut prius Chriſtia-

nos spernere cœpit, crebris ex Hierosolymis excursionibus, prælijsq; ac uelitationibus Latinos lacessere ac exagitare.

Richardi regis in Syria gesta explicantur. Caput XIIII.

SVmma rerum ita ad Richardum delata, maiore quàm antea animo ad rem bellicam procedit. Ptolemaidis muros à nostris quassatos, & Ascalonis cæterarumq; urbium à Salahadino dirutos, reficit, et instaurat. Exin cõsilium cepit tentandæ Hierosolymæ, quod unum huius belli operæprecium restabat. Coniunxit se illi Oddo Burgundiæ dux, exercitus Francorum Prætor, ut communiter res gererent. Antipatrida peruenerãt oppidum inter Cæsaream Ioppenq; situm. Præcedebat Richardus, impedimẽtra trahens, Franci sequebantur, ultimum agmen Auenienſis Iacobus Comes claudebat, alterum iam diem profecti, cum tertia Salahadinus apparet, de repente iam latera, iam terga adoritur. Conuersis igitur signis, Auenienſis impetum excipit præstantissimè, sustinuitq; quoad Franci qui proximi steterant, subsidio accurrerent. Anglus ad primum clamorem, circumacto equo, suos in prælia rapit. Salahadinus non ignarus nostros Hierosolymam petere, eamq; & belli summam, & uictoris precium esse commodissimũ, nõ minori certabat animo. Meridiano tẽpore, pugna inita plena, ad solis occasum usq; protracta, recruduit eo quod sagitta saucius Richardus, cum regem se esse oblitus, uesani militis partibus fungebatur. Nec Oddo ociose spectabat, sed cõglobatis uiribus Barbaro instabat, circunductaq; ala, premebat hostem ab aperto latere. Auenienſis quasi cygneum melos, fortitudinis testimonium supremũ ea die reliquit, quam palmam omnium consensu morte ipsa emit. quæ quidem fugato hoste sola dolori fuit, in cæteris apud nostros, neq; numerus, neque claritas cladem insigniuit. Interempta tamen ferunt tot hostium milia, quot patrum memoria cæsa, una die, uno prælio, nemo tradit. Noctem nostri illo in loco peregerunt, uenerunt deinde tertijs castris ad Bethleemitidem uicum, ab Hierosolymis & Ioppe æquo spacio distantem. Communitis castris cognouit Richardus ingentem camelorum multitudinem ex Aegypto, cum cõmeatibus Hierosolymam properare, eamq; diuersam à castris uiam tenere, sed locum in quem uentura esset, tantum sex millium passuum longè distare. Itaq; delecta non mediocri militum manu, iuuentutisq; robore coacto, nocte concubia proficiscitur per asperrima locorũ suos, & deuia circum ducẽs, prædam omnem interceptam cum agasonibus Aegyptijs, in castra perduxit. Tantæ uictoriæ fructum ut nostri perciperẽt, numini haud uisum fuit. Prope in oculis urbs erat sancta, magna diuersarum nationum expectatio, omnium Christianorum deuotio id unum expectabat, ut obsideretur. Proinde constans fama etiam apud Barbaros, Salahadinum expertum tanti exercitus uires, nunq; in urbe expectaturũ, in quam etiã perpauci ex suis se includi paterentur, deterriti Ptolemaidis exemplo, quæ in eius oculis capta, præsidium traditum, & cęsum. Nec minor apud hostes erat urbis defendendæ desperatio, quàm apud nostros eius potiundæ confidentia. Celestinus Pontifex, missis in stipendium militum pecunijs, ad id maximoperè hortabatur Richardum, qui cum omnium ora in ipsum conuersa essent, causatus hyemem instare, Ioppen quoq; portum, mari sæuiente hybernis tempestatibus,

tibus,cōmeatui excipiendo,alendoq; exercitui inutilem fore,in hyberna ad Ascalonam concessit.Gallos dissuasisse obsidionem,quidam scribunt,propterea quod uni Richardo,attributam iri uictoriæ gloriam uiderent.Franci Tyrum petierunt,ad Henricum suæ gentis hominem.Hæc equidem tātum Reip.Christianæ nocuerunt,ut mox ferè omnia pessum irent. Ne uerò ociaretur Richardus,aut militum animos luxu immergi sineret, statuit omnino in ea quiete et hibernatione,aliquo ingenio hostibus negocium facessere,allectus loci,id est,urbis Ascalonæ opportunitate,eam instaurare cogitauit.Igitur nihil moratus,munimenta uetera, quæ partim diruta, partim quassata, nonnulla etiam demolita erant,omnia renouauit cinxitq;,firmiore elegantioreq; addita specie, quàm ab antiqua simplicitate fuerāt cōstructa.Id & Templarij in Gaza instauranda fecerunt.Parata enim calce,lapidibus & cæteris ad structuram necessarijs,breuissimo tempore per summam quietem castellum refecerunt,priuata quædam ædificia ac militares stationes construxerunt.Inter hæc uer appetebat, cum Oddo ex Tyro,Richardus ex Ascalone mouent.confluunt Christiani exercitus,qui in Syria remanserant,undiq; ad Bethleemitidem, ubi præterita æstate castra habuerant.Annona ad obsidionē necessaria iam destinata,in castra ipsa illata fuerat, atq; undiq; contractā, cum urgente quodam dæmone Francus res Normannicas infestare cœpit: adest tanti sceleris nuncius, qui omnium nostrorum animos consternauit, Richardum dolore summo,bonos omnes mœrore afficit.Concione igitur habita, domū sibi redeundū esse ait, ne dum procul pro Rep.Christiana bella gerit,proprij regni iacturā patiatur.Hic sermo statim in Barbaros diuulgatus,qui in certissimam uictoriæ spē ipsos euexit. Damnata est hęc Richardi concio,nulla alia ratione magis,quàm quod imprudēter tam citò fuerit disseminata. Oportuerat nanq; prius induciarū aut pacis fœdera cum Soldano intentari,quæ ille ad præscriptum fuerat accepturus:quod enī de Salahadini uoluntate prius dictū est,multo magis hoc tēpore futurum erat. Vt Salahadinus Hierosolymā cum omni prouincia æquis conditionibus restitueret,cum refectum atq; quasi innouatum,animisq; renatum nostrum cerneret exercitum,eundem etiam indies, æstatis commodo,nouis supplementis auctū iri haud difficulter credebat. At hæc interturbauit disseminatus, ut dixi,rerum Occidentaliū rumor.Coactus igitur Salahadino pacem offerre,etiam has conditiones accipere coactus est.Dirueret omnino & imminutas relinqueret urbes omnes,quas Latini post receptā Ptolemaidem instaurassent.Barbarus præmij loco,per quinquenniū Christianorum res,ad Tyrum Ptolemaidemq; cum omni agro qui ad Ioppen inde protenditur, pertinentes, omnino nō molestaret.ne tamen durior,aut inhonesta omnino conditio uideretur,pro euersa Ascalona,paruula quædā ignobilia oppida uulgo concessa,regi ingens pecunia numerata.Id hoc unum erat,ut tanto duorum regum conatu,nihil actum uideretur, utq; in Syria integri nihil nostris,præter Tyrum Ptolemaidem atq; Antiochiam relinqueretur. Cætera triennio capta,ingenti labore obtenta,redderentur hosti.Callide equidem à Barbaro factum,ut alios inde à bello sibi inferendo absterreret,quando tantorum regum operam inanem,& frustrà enauatam fuisse cernerent.

Anglum Syria excedentem quæ fortuna exceperit. Caput XV.

PAce necessaria magis q̃ honesta cũ Salahadino cõfecta, Richardus pacata classe, Berengariã uxorẽ cum Ioanna sorore, & magna suorũ parte in Siciliam, & inde in Angliã præmittit, ipse uerò cum paucis Thraciã cursu petens, in grauẽ incidit tempestatẽ, qua iactatus diu, in Dalmatiã defertur, hic mutato uestitu, per Germaniã iter facit, Templarij habitu, lento incedẽs gradu. tandem superiorẽ Pannoniã, quæ Austria dicitur, attingit, ac simul certior factus ab exploratoribus famã sui aduentus per eam regionẽ passim uulgari, cœpit timere sibi, & ob id non nisi explorate ac prætentatis itineribus incedere. uerùm periculum euitare nõ potuit. Cũ enim in uillulam non procul à Vienna, quæ caput Austriæ habetur, in quoddã diuersorium peruenisset, ac prandere uellet, ne agnosceretur, coquo cuidã fuligine ubiq; deformatus, & laceris uestimentis unctisq; operã dedisse dicit, ut uel hac fraude manus hostis effugeret. Cumq; carnes ueru ad focũ assaret, hospes annulũ regis in digito cõtemplatus (quẽ obliuioni datũ nõ detraxerat) statim rem ad Ducem defert. nã sibi persuadere nõ poterat, personam quam habitu humili rex gerebat, tanto thesauro digitos amicire. Dicũt aliqui, facie à quodã milite, qui apud Acconẽ cũ Lupoldo militauerat, agnitũ, alij linguã Anglicã, & quod carius obsonaret, indicio fuisse: utcunq; proditus sit, Lupoldus hostẽ diuinitus sibi oblatũ ratus, Hadamarũ de Chunring, equitũ Ducis præfectũ præpropere mittit, ut captum adducat regẽ. Erat interea domus ubi ille diuertisset, corona satellitũ cincta, ut nemo hominũ inde elabi posset. Richardus postq; illi enunciatum est, satellites Ducis pro foribus esse, mentitũ deponit habitũ, regias uestes resumit, magna audacia se militibus, qui iã cum Hadamaro aduenerant ostendens, quærit, Ecquid sit cur sic armati circũstent. Responsum, Illum ipsum peti. Infert rex, Quàm Duci aliàs nemini captiuũ se traditurũ: se illius fidei quũ præsto adsit, ultrò cõmendaturum. Duci aduẽtanti obuius factus, gladiũ porrigit. Blande appellatũ Dux in arcem Tyrenstein certis heroibus custodiendũ cõmisit. Romanus Põtifex audita Richardi captiuitate Duci mandat, ut illum ex tẽplo dimittat. Cæsar eundẽ sibi tradi petit. minantur cęteri principes uim se adhibituros Duci, nisi liberet hominem. His nihil motus Princeps, execrationẽ Pontificis paruipendens, Cæsaris petitiones, principum minas cõtemnens, per annũ integrum in custodia detinuit hostẽ, donec distractis calicibus, crucibus, uasis & id generis ecclesiarũ Anglicarum thesauris, magno se à Duce redimeret. tunc ad ipsum Imperatorẽ Vuormatiam adducit. Auxit rem mirũ in modũ capto in Austria Richardo Lupoldus: nam tãtum pecuniarũ aceruum ex regis redemptione cõparauit, ut Styriæ ducatum à genero emeret, Neuburgensem, Linzensem & Vuelsensem Comitatus, à Cathedris Patauiensi & Vuirtzburgensi compararet. Pomœria urbis Viennẽsis ampliaret, adiectis aliquot mille ędium numero. Nouam deinde construxit à fundamentis ciuitatẽ. Peylstein, Klingenberg, Buten, & Hundsberg, destituta hęredibus feuda, ab imperatore hac pecunia mercatus est. Rotundum diuæ uirginis templum huius rei trophæũ cõstitutum Viennæ, quod Dominicani postea inhabitarunt. Liberatum à Duce, redimere ab Henrico oportuit. Noua tributa crudelissimẽ imperata in Anglia, & centũ

millia

millia pondo cum quingentis, militiæ nomine numerata, quod cum Salahadino pacem turpi conditione fecisset, quod Syriam petens, Siciliam deprędatus fuisset. Sic Richardus Francum, à quo maximè insidias & uim me tuebat, uitaturum se ratus, aliunde malum ei conflatum incidit. Dum Christianæ Reipub. commodum priuatum præfert, gloriæ fructu carere, ac in glorius opibus exui meruit. At duodeuigesimo mense postquam in custodiam uenerat Richardus, in Angliam redijt.

Henricus Campanię Comes moritur, Salahadinus hominem exuit. *Caput* XVI.

Reliquerat aliquot militum copias Richardus abiens, Henrico Campano. Oddo quoq; Burgundus cum cæteris Christianis, manu equidem haud contemnenda, in Syria degens, Tyrum & Ptolemaidem se receperāt. Interpellatus sæpius à pijs, ut regni titulū reciperet Henricus, uires, animos, opemq; in ipso tuendo offerebant, ille uerò tantæ dignitatis onus uiribus suis maius ratus, nullo modo adduci potuit, ut regis nomen usurparet. Res quietæ erant, induciarum respectu. domum repedabāt, quorum res uel familiaris, uel publica, prǽsentiā poscere uidebatur, adeò ut ipse Henricus, delicijs magis q̃ bello natus, reditū ad propria pararet. at numini aliter uisum erat. dum enim superiorē aulæ suæ partē incautius circuit, præceps delatus expirauit. Obijt quoq; diē suum in Cypro eodē tempore Guido Rex, cui frater Americus subfectus, uir ambitiosus, parum aūt prudens. Is statim de regni Hierosolymitani titulis inita ratione, Isabellam secundo iam uiduam, in uxorem duxit, cumq; nulli duces iam in Syria agerent, qui gubernaculis rerū idonei, uel possent admoueri, dotis nomine, regni titulos, cum uxore, Tyro & Ptolemaide recepit Americus. Nec tamen sic satis firmæ res, aut diuturnæ futuræ in Asia uidebantur, licet Cypri regnum, Hierosolymitano iam coniunctum, ac egregiè à Constantinopolitano classe tutatum esset. quantum enim induciarum tempori elabebatur, tantum periculi rebus Christianorum accedere, uerebantur omnes: cum nec sollicitudine aut studio futura à rege occuparentur, nec in ipso, ingruente necessitate spes ulla, aut fortitudinis aut experientiæ eius eluceret. Iam omni autem deficiente ratione, adfuit diuina illa misericordia, cùm Salahadinus uir omnium eius seculi uirtute gestarum rerum gloria & potentia facile princeps, extinctus, posteris magnū de regno suo certamen reliquisset. tunc ēm unū hoc Americus beneficium Reipub. cōtulit, ut discordia Turcarum fretus, etiā cōtra fœdera Bybliū à Sarracenis pecunia redemptum, cōmuniuerit & instaurauerit. Nec prætereundam censeo rem, quę omnibus quidē historijs meritò interseritur, Salahadini (qui unicus nostrorum terror fuerat) etiā iam morientis prudētissimum æquè ac memorandum institutum. Iussu enim ipsius, Signifer, qui imperij eius signum, omnibus in prælijs, ferre cōsueuerat, funus eius præcedebat. Hic lanceæ trunco, interiorem illius tunicam, in modum trophæi præferebat, altum inclamitās, Salahadinus Asię ac totius Orientis domitor, illud unum secum defert. Spectaculum certè sapientissimi & cordatissimi principis, cui præter uerā Christi cognitionem, ad summam laudem nihil unquam defuit. Nouem filios reliquerat. eos omnes præter unum Norcadinum, necauit patruus Saphadinus: qui in Alapienses magno odio desæuijt postea, quòd fide ac uirtute eo-

rũ insidias eius nepos ex fratre euaserat. Mortuo igitur Salahadino Celestinus Papa, in magnam recuperandæ Hierosolymæ spem uenit. Restituit etiam ea mors nostrorum omnium animos, ut etsi parua recipiendæ Hierosolymæ relicta, magna tamen retinendæ quam possidebant terræ, addita spes ac confidentia uideretur, dũ sic pernicioſissimo odio, & filius & frater Salahadini ubiq; cõcurrerent, Turcis, Sarracenis, Arabibusq; dissidijs interse diuisis.

Quæ ad tuendam Rempub. Christianam in Syria Henricus VI. Imperator molitus sit. Caput XVII.

PHilippus atq; Richardus nec hac occasione, proditæ rei calumniam diluere tentarunt, imò exacta multa pecunia, quam in stipendium illis missuros se fingerẽt, qui armis in Syria rẽ Christianã tutarenẽ, ut alter alteri bellũ inferre posset, profuderũt, nihil etiã obtestationibus, nihil minis Põtificis moti, in bellũ Christianæ rei calamitosum ruunt. Henricus igitẽ Imperator à Põtifice persuasus, apud Argentinã crucẽ assumpsit, cũ ipse id obire nõ posset, Cõstãtię reginæ & Iordanis Siculi cõiuratiõe impeditus, dũ illa adultero regnũ parat, ac uel ueneno Imperatorẽ necare gestiret, iamq; induciarũ finis instaret, Henricũ ducẽ Saxoniæ, magistrũ equitũ, & exercitus ductorẽ dicit, eũq; cũ ingentibus copijs in Asiã ire iubet. adduntẽ ei Legati, Cunradi duo, alter Mogũtiæ, alter apud Herbipolenses pręsul. his se adiungũt sacrã militiã professi, Hermanus Thuringię Lantgrauius, duo Henrici, Palatinus Rheni unus, secũdus uerò Brabãtiæ dux, Hartuneus Bremẽsis, Rodulphus Verdens. Halberstattẽsis, Cicẽsis, Patauiẽsis, Ratisponẽsis, Episcopi. Marchio deniq; Cõradus Morauię, et Albertus Habspurgẽs. Henricus Caladinus Mareſcalcus Bappẽheymiorũ familiæ propagator. Hi cũ iã per Danubiũ Viennã delati, Fredericũ Lupoldi filium, Styrensem comitẽ, uestigia maiorũ omni cursu sequentẽ, sacram militiã professum, in comitatũ receperũt. Pãnonia inferiore, Thraciaq; emẽsa, ab Alexio Angelo, Cæsare Cõstãtinopolitano, cuius soror Irene Philippo Henrici Augusti fratri despõsata erat, armis annona & reb. necessarijs omnib. adiuti, ac classe Græcorũ Antiochiã delati, terrestri itinere Tyrũ tandẽ peruenerũt. Conradus aũt Herbipolensis, Imperij Scriba supremus, quẽ Cãcellariũ uocabãt, iussu Imperatoris, dum copiæ ad Tyrũ reficiunẽ, in Cyprũ traijcit, Americũ regẽ coronaturus, qui à Græculo inaugurari noluerat. Cõfecto deinde negotio ad Ptolemaidẽ, quò exercitũ peruenisse audierat, reuertiẽ. Ioppẽ oppidũ statim aggreditur: id ẽm Richardus instauratũ, Germanis custodiendũ tradiderat, cũ Syria excederet, à Sarracenis deinde obsessum, strenue tutatũ ẽ pręsidio per aliquot menses, donec hostis liberius diuagaretẽ, nostrisq; insultaret, dictisq; Germanos lacesseret. Tũc Germani uirtutis, q̃ numeri & uirium magis memores, erũpunt, palantes obtruncant, in castra fugientes se recipere compellunt. Oppidani autem æmulatione an proditione incertum, redeuntes uictores excludunt, nec in urbem admittunt. Quod uidentes hostes, tota acie in paucos ferũtur, strenueq; pugnantes ad unum opprimunt, obruuntq;. Conditionibus deinde & oppidum recipiunt, occupatum destruunt funditus. Ad ruinas igitur, ubi uentum erat, cum hostis appareret nullus, Sidonẽ petunt, quæ urbs etiam à Sarracenis, abacta præda et captiuis, deserta erat. Ad Sarepta Sidoniorum deinde itum, nec hæsitatũ diu: illa relicta, Berythum uersus proficiscuntur,

ſcuntur,quò hoſtes ſe contulerant.quod cum eſſet oppidum altiſſimo et mu nitiſſimo loco,telis,cõmeatu,præſidio ad triennium inſtructum,à capta Hic roſolyma Salahadino inhabitabatur. Decem & nouem millia captiuorum Chriſtianorum detenta fuiſſe in eo oppido ferũtur,ac ipſum tyrannum pro inſigni loci gloria,ibidem coronari,Hieroſolymarum Babyloniḉque regem ſe appellari uoluiſſe. Incolebatur quoq; ab ĳs, qui perpetui religionis noſtri hoſtes,terra mariq́; Chriſtianos indies uexabant.eorum cõprimere audaci-am,ad exiſtimationem & autoritatem Ducum pertinere uiſum,quo facilius aliorum Sarracenorum animi frangerentur, caſtris ſepiunt, aggere, uineis, turribusq́; oppugnant.Geritur res ubiq; acerrimè, noſtri potiundę urbis et arcis cupiditate,& pro gloria certantes,muros ſubeunt, repulſi in caſtra re-uertuntur.qua re hoſtis factus ferocior,egreſſus oppidum,ad caſtra uſq; ac-cedens,pugnam init. Tunc claſſis noſtræ Præfectus, qui cum claſſiarĳs ali-quotq́; equitibus in loco ad inſidias idoneo,non paruo numero conſtiterat, à tergo ferocientẽ hoſtẽ aggreſſus,magno edito clamore inuadit. pugna cru enta cõmittĩ. Hic cum Sarracenus quidã iactabundus ſæuiret, obuios pro-ſterneret,Henricus proximum Horſtmariæ dominum Bernhardum cõpel lat. Viden(inquit) beluam illam immanem?quin proſtratam terra obtrun-cas?Bernhardus itaq; fertur in hoſtẽ,equoq́; eum deĳcit.at Barbarus reſum ptis uiribus, in pedes ſe recipit,armiſq́; bene munitus,inimicum ira exæſtu-ans aggreditur denuo,quum Henricus per medias acies Bernhardo occur-rẽs,uulnerat hominẽ.nec mora dũ talionẽ parat Barbarus,enſe Bernhardus latus illius hauſit,caput proiecto cadaueri amputat,haſtæq́; infixum oſtẽtat. quo uiſo hoſtes terga uertunt,fit cædes magna,dũ ad urbẽ Barbari fuga cõ-tendũt.Noſtri hoſtẽ inſecuti,portas urbis occupãt,unaq́; in urbẽ irrũpunt. Præſidiũ cæteris ſaluti fuit,in quod ſe recipiunt,qui impetũ noſtrorũ euaſe-re.Capti ſunt ex principib.uiris duo,haud infimæ cõditionis.Direpta urbs, effracti carceres ac ergaſtula,in quibus Chriſtiani nominis, utriuſq; ſexus, milia multa coërcebanĩ.quod quidẽ magna lętitia affecit noſtros.Tandẽ no ctu aufugientib.hoſtibus,captũ eſt pręſidiũ. tantũ armorũ in eo repertũ,ut duab. licet onerarĳs nauibus exportari uix poterat.Ingẽs annonę uis reper ta, quæ diu noſtros in hoſtili terra,ſuſtẽtare potuit. Inſtaurata deinde urbe, uerſus Toronũ caſtra mouẽt.Antiochenus Princeps ad ſua reuerſus,in pro uincia multa recuperauit,quæ Sarraceni,noſtrorũ audiẽtes ſucceſsũ,relique rãt loca,& ſitu et opere munitiſſima.Sarraceni et Turcæ,cũ audirẽt Germa num hoſtem ferociſſimum Syriam ingreſſum, omnia cæde, flamma uaſta-re,graſſari in omnes, initis fœderibus,indicĳs inuicem datis, collatis uirib. hoſti obuiam egreſſi,ad Toronum præſidium,ubi Germanos caſtrameta-tos eſſe audierant,properant.Noſtri ne Berythum nuper inſtauratam, non adeò firmatam et munitam bene Sarraceni occuparent,ſelectiſſimorum mi-litũ robur in urbẽ cũ annona ſufficiẽti mittũt.Miſſis etiã cemẽtarĳs & parte maiori artificũ,additis quatuor milib.paulo plus militũ,qui ſi qui Sarraceni impetum facere uellent,arcerent à perturbatione negotĳ.Ioppen inſtaurare iuſſerant,ſaluti Reipublicæ per eam ædificationem prouiſum multum ar-bitrantes.Peracto negotio ĳdem milites, præſidium in tutelam recepere.

Haud procul à nostris sua tentoria fixerãt Barbari, uixq́ ea firmarãt, cũ bis terq́ in castra nostra, quidnam uiriũ, quæ experientia militiæ, quodnã corporis robur nostris insit, experturi erãt. Sed incruentæ fuere hæ incursiones, nihilq́ gestũ dignũ memoratu, quũ nostri inuigilarẽt ad defendẽda castra, ac ad alliciendũ hostẽ magis intenti, q̃ ad lacessendũ. Ferociores ea re facti Barbari, nocte media castris appropinquãt. strepitu eques se prodidit, tamẽ quia maiores assueto tenebræ erãt, & caligine cœlũ obnubilatũ, malè potuit quippiã aduersus impetum uenientium prouideri. Sed pro tempore ordo militi datus, prout exaudiri hostis potuit. Animos interim Barbarorũ etiã horror ceperat, cum illis habitudo noctis suspecta, atq́ nostra diligentia. nihilominus ad munimenta ipsa procurrunt, missilibus furorẽ & clamore exæquãt: interim dies fugare tenebras incipit, nostri per auersam castrorum portã excundo à tergo à latere, hac illac cursitantẽ, & uociferantẽ hostẽ aggrediuntur. primo impetu pulsi uersis ad tẽtoria equis, fuga, qua sola poterãt, se saluarũt, plures tamẽ in fuga ceciderũt. Dũq́ ardẽtissimi nostri Barbaros insequunt, quosdã in castra hostium, impetus detulit, terrore, tumultu, omnia cõplent, occisis aliquot stationarijs, titionibus surreptis. quæ ferro nequeunt, igne absumere gestiunt. at ne opprimerẽtur occurrẽtium multitudine, citatis equis, se ad suos recipiunt, parte castrorum, hostium & cæde & incendio desormata relicta. Abinde hostes cautius se habere incipiunt. nã haud paruo illis hęc stetit irruptio. uulnerati missilibus nostrorum aliqui, cæterum desideratus nullus. Iam in tertium mensem protracta obsidio, cum inclusa undecunq́ ijs qui in præsidio erãt annonæ facultate, obsidionis diuturnæ assuetũ malum, famẽ nempe minabatur: uerebant etiã obsessi, quum coacti ad deditionẽ cõpellerentur, ne hostilia omnia essent passuri. Cumq́ igit nostri eos nunc leniter, nunc asperè ad resignandũ præsidium sollicitarẽt, diem decimum præfigunt, quo si suorũ subsidio nõ liberarent, tradito pręsidio cum armis abirẽt. Interim Barbari de cõditione inita admoniti, per internuncios, qui coactis undiq́ subitarijs auxilijs ad soluendam eam obsidionẽ pro more, pertinacius annisi sunt, atq́ ui dolum addiderunt. diuisis ẽm copijs, quas per diẽ antea ingentes & instructissimas ostẽtarant, partẽ unam ad Berythense præsidium, quod negligentius custodiri audiebant, expugnandum, noctu miserũt, dissemitato rumore, ex Aegypto nouas quasdam expeditiones, cum classe ingenti accessisse: sic quoq́ summo mane, alteram copiarum partem, quam nostri integrum rebantur exercitum, quẽ pridie uiderant, uersus castra educũt. Nostri uerò de Berytho urbe magis solliciti, relicto Torono, suis in auxiliũ properant, cũ medio in itinere militũ agmẽ, qui præsidio excesserant, apparuit triste, erroris cõscientia demisso in terram uultu, ueniam facinoris flebiliter orantes. Henricus delusis facilè ueniam largiri se dixit, qui & ipse falsus, iam receptum præsidium amisisse, Barbari dolo se fatebatur. At commune peccatum, publicæ quodã uirtutis facinore luẽdum & emẽdandum esse. pergerent igit, & ipsum sequerent, nõ sine dubio Barbaros iam pręsidium Ioppen se quoq́ tẽtaturos, quo tutato, Reip. Christianæ cõmodũ maximũ accederet, amisso, & dedecus ac periculũ ingẽs. Barbari aũt occupato præsidio, ne

in potestatem nostrorum rediret,funditus euerterũt occupatã. Sic Berythus urbs 1197. Salutis anno & instaurata,& paucis mensibus euersa fuit.

De Simonis Montfortensis in Syriam transitu,ac Germanorum reditu. Caput XVIII.

VIx hęc Henricus effatus,cum cõiunctis rursum copijs Barbari nostros ad Ioppen tendentes insequũtur. Celestinus Papa interea moritur, cui Innocentius III. suffectus,qui primo Pontificatus sui die ad cõponendas lites,& reconciliandosq; regũ Francorũ & Angliæ animos, Petrum Capuensem,Legatum mittit.is re infecta,redire iussus,unũ hoc obtinuit, ut Simon Montfortensis Comes,eo seculo militaris disciplinæ peritissimus dux in Syriam,ad defendendas res,mitteretur. Is statim ascitis Volmaro Lemburgẽsi, Theodorico Cleuensi, Adolpho Holsatio, Gualtero Blesensi, Andrea Sauengio,Guilhelmo Barensi, Vgone Florinio, Guilhelmo Saleberiensi, Comitibus,classe mare traijcit.ac iam Syriam cum copijs suis tenuerat,Ptolemaidem delatus,arma uirumq; reficit,propediẽ in hostẽ ducturus,seq; nostris adiuncturus. Barbari iam propius apud nostros,qui sub mœnibus urbis Ioppensis castra fixerant,cõsedebant. Nostri hostem qui numero præstabat,arte quadã fallere,ad pugnam allicere,exactum ad certamen,opprimere gestiebãt. Motis igit̃ ab urbe castris,nocte ea in aliũ locũ,40. stadijs ab hoste remouent,cõsilij oppidanos admonitos,ad insidias paratos esse hortant̃. Curatis deinde corporibus,ordine dato & instructis singulis,apta insidijs loca milite cõplent. Barbari,nostros metu discessisse arbitrantes,partim ad urbem oppugnandã accurrunt,partim ad insequendũ nostros, sine ordine ferunt̃. nostrorũ pauci è stationibus progressi aduentãtibus occurrunt,primo tamẽ cõgressu paululũ recedentes,simulato pauore,arripiunt fugã. Barbari ubi animaduertunt nostros fugere,turmatim omnes,q; cõcitatissimis equis in nostros insultant, pedite,ut ocyus sequeret̃,inclamato,& iam toto Marte nostris incũbunt. Qui fugam mœsti arripuerant,cõuersis equis sistũt primo insequentes,tũ uno impetu omnes prorũpũt,strictis cominus gladijs inferũt pedẽ, quasi necessitate coacti dimicãtes. Turcę nihil territi,sublatis scutis appropinquãtes hosti,ordiunt̃ pugnã. Tunc ex insidijs adsunt electissimi ex omni uirorũ robore & principes iuuentutis, qui hostẽ à tergo adoriebant̃. onerabat hostẽ,quod sui sine discrimine,ignaui fortesq; simul,prout tumultuariè exierãt,pugnabãt. Igitur statim uictoriæ desperatio, salutis quoq; discrimen ob oculos illi uersatur. quare referentes se in latus sinistrũ, apertã ineunt fugã,cũ ecce per puluerẽ,qui ad oppugnationẽ ierant Barbari adesse indicantur. dant igitur nostri fugiẽdi liberã facultatẽ disiectis,exactissimoq; cõsilio,relictis corporibus,et spolijs occisorũ,robur agminis aduentanti hosti obuiũ mittunt,cui iã à tergo,qui præsidio eruperãt, imminebant. In mediũ redacta hostium caterua,ex desperatiõe fortissimè pugnabãt,donec in Ducẽ eorũ inuectus Fredericus Austrius,cõfossum equo deiecit. tunc fœdã fugam per cãpum ineunt,dispalati in mare agunt̃ à nostris,aut cędunt̃ discerpunt̃q; gladijs. Profligato hoste,lectis spolijs,nostrę sub urbis mœnia reuertunt̃. Ceciderũt ea die Barbarorũ aliquot millia,nostrorũ incertus,tamẽ pro numero rariss. miles. Sed tantæ uictoriæ gaudiũ imminuit,imò extinxit duorũ fortissimorũ uirorũ Saxonis & Austrij casus;siquidẽ dũ ea die,omne munus Du-

cis

cis prudentissimi ac militis gnauissimi obierant, alter solis æstu, & laboris immensitate defatigatus, cum à pugna auram captaret, grauem incidit febrē, qua quarta die, postea extinctus fuit: alter ab hoste, quem, ut diximus, equo deiecerat, ueruto trāsfixus, dum spreto uulnere, ultimus ex pugna discedit, profuso sanguine, uiribus amissis, ea ipsa nocte quæ uictoriam insecuta est, hominem exuit. Destitutus uictor miles, alium recipit nunciū. Henricum Cæsarem diē suum obijsse, patres diuisis sententijs Philippū defuncti fratrē, Othonem Saxonem quoq; imparibus suffragijs Imperatores dixisse, bello ciuili omnia deformari. quę quidem magnum in castris tumultū excitarunt. Moguntinus cuius in deligēdo Imperatore magna erat & præcipua autoritas, dignitatis suę nullā apud reliquos Septemuiros fuisse, suprà q̃ dici potest, tulit ęgerrimè, adeò ut iam abitum pararet, cum literę & nuncij Innocentij adsunt, qui tumultuantē firmarent. pręmiis, precibus, pollicitationibus omnia plena. Promissum etiā, successorem expectaret, unico deinde eius suffragio, eum inauguratum imperio præfore, cui ipse astipularet. At his omnibus nec Duces, nec milites flecti potuerunt, ut in prouincia amplius persisterent, sed inuecta in præsidium annona, armis id instruxerunt, & uoluntario milite classe qua uenerant, Cōstantinopolim rediere, ac deinde per Thraciā & Hungariam maximis itineribus, in patriam uenerunt. Conradus igitur Vuittelspanhensis, Moguntinus pręsul, adiuncto sibi Rodolpho Vuerdēsi Episcopo, terrestri itinere in Armeniam tendit, ubi Leonem, iussu Henrici, regio diademate insigniuit, ac pace sequestra, inter eundē regē principēq; Antiochię, controuersias composuit, à quo ingentibus donatus muneribus, domum & ipse reuertitur.

Expugnata à Barbaris Ioppe & destructa. Simon Montfortensis inducias extorquet dissidentibus, ac domum redit. Caput XIX.

DIscedentibus Germanis, statim Barbari, sub mœnibus castra figunt, & per aliquot dies cōtinuata oppugnatione sæpius repulsi, tamē nostros numero paucos, uiribus exhauriebāt. Cū eīn Ioppe urbs à Ptolemaide Tyroq; remotissima, classe ablata, in coronā ab hostibus circundaret, nec nuncios mittere, nec recipere poterant, qui suos de rerum statu certiores facerēt. Attamen subitus suorum discessus, intus increscentia indicię incommoda, ut res licet frangerēt, animū nō frangebant. Nulli tot malorū effugij fœda subrepit cogitatio. Disponebantur omnia exacto iudicio, parcior militi præbebatur cibus, tela inuanum non projciebantur. Fixum omnibus erat, laceratione corporum suorum, religionem et professam militiam, fidemq; Reipub. Christianæ seruare. Ostentata sæpius ab hoste iritamenta pauoris omnia contemnunt. productis etiam sub mœnia captiuis, quos nisi tradito præsidio, fœdè trucidaturos minabantur Barbari, nullū nec sanguinis, nec gentilitatis cura dementauit: admoniti etiā, ut urbē dederēt, respōsum dignū Germanis dederūt. Fidē Germanā habitu animorū, nō aduersarū rerū euētu, metiendā esse. Barbari cū minas, cū blāditias suas sperni cernerēt, die noctuq; incūbebāt, ut expugnata urbe, irā exsatiare possent, uilissimū existimantes, uel 50. suorum capitibus unius Christiani necē emercari posse. nostri erūpentes quoque sæpius apparatus Barbarorū deturbabant, beneficio loci & uirtu-

tē

te periculorum adsueta adiuti. Deficiente autem iam annona quoq;, periculum augeri, animus Germanorum & ingenium exacui incepit. Iuuentus inter milites urinator, hostem fefellit, atq; commodum Ptolemaidem peruenit, ubi inuento Simone Montfortensi, qui in reficienda classe, & instruendo exercitu occupatus ibi consederat, hominem edocet, quo in rerum statu Ioppense præsidium constitutum sit, quo animo subsidium expectet. Peruaserat etiam rumor, de applicata Simonis classe, hostiū castra, quod ex hostium instātissima oppugnatione haud diu latuit. Igitur spe ducti subsidij animos sumūt, omnes conatus hostium irrident, ac, ut fit, securitate negligentiam parientе, segnior pro portis excubare miles, rarior in muris cōspiciebatur armatorum numerus. Admittebatur quoq; Barbarus sæpius ad colloquia, qua ille captata occasione, benignis uerbis ad deditionem, magnis propositis muneribus, nunc hoc nunc illos inuitat. Varia subinde responsa tulit, sed tandē cupiditas sordida perditum quendam exciuit, ut accepto premio, socios proderet & præsidium. Obseruato igitur tempore, cum tertio Eidus Nouemb. pro more Germani cœnarent lautius, poculisq; se inuitarēt coronatis, uinoq; & somno sepulti in stratis stertebant, uigiles ipsi mero obruti, custodiā portarum neglexerant, effractis seris, portam unam hosti proditor aperuit, hoste intromisso, in somno oppressos sæuitum acerbè, ad unum omnes occisi, urbs à fundamentis murorum ubiq; euulsis, in aream ac solo æquata. Iam hostes belli reliquias persequi decreuerant, cum ecce Simon Montfortensis copijs suis omnibus ijsq; instructissimis, rectà Ioppen tendit, at excepto nuncio cladis, tristis substitit, consulturus quibus de hoste ultionem sumere, et tantam fœditatem eluere possit. Omnium sententia acclamatum, contra hostē cundum, ac conferendam esse pugnam, sed quasi prohibentibus fatis, tanta uis aquarū cœlo delapsa est, per tres dies, ut ne pedē ex castris mouēdi facultas sit cōcessa: cessantibus pluuijs, frigore omnia cōgelabāt, rigescebāt militū manus, ut nec arma quis cōmode tenere, nedū ijs uti posset. Dū igitē multis cōsultationibus hebdomada, atq; cœli inclemētia cōsumitur in castris, ad hyberna redeundū censent, si ullā pacis honestæ conditionē impetrare ab hoste possint. Cōmodum aūt accidit, ut orta inter Barbaros discordia, inducię abrumperent, quas tū in Germanos ducturi, inierant. cōflictantes ergo inter se odijs, iniurias cohibuere, donec captatis colloquijs, utrinq; pacis cōditiones admitterent. Proposita igitē & accepta sine uariatione hæc unica pacis conditio, ut Barbari priores, Richardi cōditiones ratas haberent, per decennium Tyro Ptolemaidiq; arma nō inferrent. Rebus ita ex usu cōpositis, præconia per uniuersam prouinciā decerni iubēt, et cupidā pacē omnibus annunciari. Quo facto, solutis castris utrinq; discessere. Simon Asiā satis tutā uidēs, suos è Syria demum deducit. Barbari contrarijs studijs, ad sua quisq; dilabendo, seditionibus Imperiū ipsorum distrahunt & affligunt. Hoc ipso anno 1198. Herlinus S. Dionysij monachus, magnam uim Britonum in Lugdunensi Gallia sacris persuasionibus excitauerat, ut sacræ militiæ nomē darent, quos omnes classe Ptolemaidē transuexit: cum uerò Simonē Ducē ad propria redijsse, paceq; publicata, omnia quieta esse uiderent, nec Ducem haberent, cuius consilijs regerentur, nullo ordine dilapsi, domum reuersi sunt.

Exercitus qui in Syriam mittitur, Constantinopolitanum imperium occupat. Caput XX.

CVm Turcarum Sarracenorumq́ discordia, continuaq́ eorum pugnę, magnam iam occasionem præbere uiderentur Hierosolymarum recuperandarũ, Innocentius principes omnes religione soluit, ac à Simone Monfortio iuratum, præstitumq́ fœdus irritum habendum, sua autoritate per nuncios edicit. At reuera aliquid aliud agebatur. Alexius enim uir sceleratissimus (quem Isaacius frater, à Turcis magno ære redemerat captiuum, cui præter Imperij nomen, omnia ex æquò concesserat) fratre per insidias excæcato, Constantinopolitanum Imperium inuasit, Isaacij filium pari cruciatu perdere quęrens, nisi fuga salutem is redemisset. Alexius qui patrui scelera tas manus effugerat, præcoci prudentia fretus, Græcam ecclesiam Romanę semper obcalcitrasse cum optimè nouisset, id consilij capit, ut duodenis missis clandestinis nuncijs, ad Innocentium, qui calamitatẽ parentis, adolescentisq́ Pontifici enumerarent, supplices adhiberent preces, ut cõsilio, opibus adiuuarentur, fore si solus aut cum parente restitutus esset in imperiũ, quod in primis Græcam subijceret Romanæ ecclesiæ. quod præstito iuramẽto firmatum est. Legatis benignè respõsum, auxilium insuper promissum. Pontificis autoritate sollicitati Occidentalium principes, uicesima omni generi ordiniq́ hominum indicta, ingens pondo auri sacri à Germanis emunctum, qui intestinis bellis, ne militiam profiterentur, distringebantur. Gallus Rex per literas cum Bonifacio Monteferratensi, rerum Orientalium peritissimo, qui & in Græcia & in Syria res gessisset, ut se Ducem suarum copiarum præberet, egit. Sacra induit arma Balduinus cũ fratre Henrico Flandrensi. his socios se addiderat, Betuniẽsis aduocatus Guilhelmus, cũ fratre Bartholomęo, Ioannes & Henricus Nigellani, Rasso & Rogerius Gauerii, Leuinus Aexellanus, Vimocus Houdescotanus, Theodoricus Dixmontanus, Iodocus à Materis, Ioannes Odenhonius, Ioannes Zomerghem, Ioannes & Ferricus Dairre. Ex maioris autem notæ uiris secuti sunt Balduinum Henricus Louaniensis Dux, Reginaldus Dampetra, Galterus Bremæ Comes, Gotfredus Genuilla, Henricus Aegellerius, Ioannes Virson, Oliuerius Rochiuordius, Nortuicensis & Nartanloniæ Comites, à Ioanne Anglię rege extorres facti. Proceres iuuentutis Franciæ etiam nomina dabant, Theobaldo Campano Duce, quem Simon & Guido Montfortenses sequebantur cum Popino Aurelianensi, Gotfredo & Stephano fratrib. Petracensibus. Bonifacio adhærebant Ludouici duo, alter Sabaudus, alter Blesensis, cum Garnerio Tricassium, Milone Suessionum, Matthæo Monerantiaco, Alphõso Baiouensi Episcopis. Nomẽ quoq́ Ioannis Bremę Comitis, atq́ Hugonis phani Pauli, hoc bello illustre fuit. Flandrus Philippo fratri ac Bochardo Aneuiensi curam Flandriæ & Hannoniæ, filiarumq́ duarum committit. Modestia Bonifacij Gallicam iuuẽtutem, mortuo in Subalpinis regionibus Theobaldo, dicto habuit morigeram, præfuitq́ illis, ut omnes eum prædicarent parentem. Innocentius tam copiosi, tamq́ instructi exercitus profectione audita, consultare cœpit, qua ratione classis tantæ multitudinis paranda: nam uulgus religione persuasus sturnatim conuolarat. Principes taciti admoniti omnes tantæ prædæ inhiabant. Tres erant in Italia maritimis rebus urbes

præpotentes, Pisæ, Genua, Venetiæ. Orientalibus rebus capessendis oppor tunius uidebatur Venetũ nomẽ. Missi igitur Legati, qui cum Venetis paciscerentur, ut undetriginta peditum milia, in quibus nouem scutatorum essent, equitum quatuor millia, & quingentos, commeatus ad hæc, equosq́ue usq; ad Thracium Bosphorum conuectarent. Vtrinq; fœliciter eueniebat. nam Franco classe opus erat, Veneto egregijs militibus, cum piratæ Illyrici, Hungarus rex & mare & Dalmatiam Venetis infestam redderẽt. Pro uectu ra copiarum à Pontifice Venetis magnum argenti pondus pactum. Duces uerò cum serius aduentarent, inuicemq; expectarent, consumpto uiatico, mu tuam petere à Venetis pecuniam coacti, quos ut inautoratos haberẽt, petitam pecuniam ea conditione dono dederunt, ut & operam & societatem in administrando bello Veneto deferrent, ac Dalmatiæ statu pacato, ubi quicquid bello receptum esset, Veneti ut antea, tenerent, bellum postea ea conditione in Asiam transferretur, ut quæcunq; loca ex hoste caperentur, dimidiũ Venetis cederet. Venetus naulum, triginta trium millium marcarum precium remitteret, atq; triremes sexaginta in præsentem expeditionem educeret militibus ac cõmeatu instructas. Inter hęc ne cui res suboleret, Maria Baldui ni uxor cum Ioanne Nigellano in Syriam præmittitur, quæ post uarias iactationes, pericula q; innumera Ptolemaidem delata, dum maritum ibi oppe ritur, morbo contracto defuncta est 4. Cal. Septemb. Henricus Dandulus primus omnium, rebus iam compositis, Venetias profectus est. cum postridie reliqui secuti. Habuit classis uniuersa naues ducentas & quadraginta, triremes sexaginta, septuaginta onerarias, ad cõmeatus Vrserios centum & ui ginti. Addidit pontifex triremem cum Octauiano Hostiensi legato, quam Ambrosius Malaspina instruxerat, milite conducto sub Martinengo Brixiensi comite. Sub primum egressum, Histria pacata, Iadera expugnata, in hyberna deductus exercitus, cum ecce puer Alexius ex composito supplex adest, opem contra patruũ implorat. Exceptus ut Augusti filius, militi à sum mis uiris commendatus, nec ipse sibi deerat, forma, ingenio, ætate blandus. Tunc legatus pontificis humanis stimulis religionem addit. Bellum sacrum susceptum prius in Græcos reuocandum, ut Romanorum ecclesiæ iungerẽtur. Certissimum esse, discordiã Græcorum, & in Latinos odiũ, Turcis Sar racenisq; hactenus ansam Syriæ expugnandæ prębuisse, nec à ceruicibus no stris eos depelli posse, nisi prius impio Græcorum Imperio, Romanum iugum imponat. Insularũ, prouinciarũ imperia ducibus, militi præda pollicita. Omissis igitur Syriacarum rerum consilijs (licet multi ex prouincia Hiero solymitana in castra Latinorum peruenerant, ut eos ad regnum sacrum repe tendum incitarent, inter quos Bethleemites et Ptolemaidis episcopi) bellum Græcum suscipere placuit. Cretenses statim puero fidem dederunt. Byzanti um oppugnatur, expugnatũ tandem, fœde diripiẽ. Petitus in Cæsarem Ale xius puer cædem auertit. Liberatur Isaacius, Creta insula Bonifacio donata. Ecclesia Græca Romanę subiecta, soluta restitutionis merces, 33. milium au ri pondo Venetis. Ducenta pondo in annum Francis promissa. Classis Ve neta in annum iterum conducta. Ipse imperator, sacram militiam professus, sed repentinè mortuus, puer sceptra arripit. Græci subito tumultu co tici

citato (Latini enim urbe excesserant) reliqua imperij loca occupaturi, Romanis seruire, iura ab illis petere indignum putantes, in puerum regem impetum faciunt. Alexis Ferradensem, consilio supra ætatem promptissimo, clàm in urbem uocat, nihilominus se in potestate suorum ciuium futurum, alta uoce pronunciat. Sensit fucum Myrtilus, necato Alexi, iuuentutem armat, Augustus dictus, urbem defendere conatur. Mari terraq; iterum à nostris oppugnatur urbs, sedecim nauibus incendiarijs in classem immissis. conatus uanus cecidit. Nec excusatio Myrtili iram nostrorum compescere potuit. Duodeseptuaginta diebus oppugnata urbs, occupata, miserè direpta iterum. Confecto negotio, de creando nouo Augusto, habitum consilium. sententiæ bifariam diuisæ, Philippum Sueuum inaugurandum consulunt non nulli, ut redintegrato imperio, res Christiana ab uno regeretur in humanis, ut in diuinis unius pontificatu dirigitur. Plura suffragia habuit ea, quæ statim Augustum Rom. Græciæ præsentem, eligendum diceret. Instituti electores, ex Syris duo pontifices, Bethleemites & Ptolemaita: Veneti quinos dedere, Henricum Dandulum, M. Sannutum, Rabanum Carcerium, Iacobum Viadrum, Henricum Glasium, Galli totidem, Suessionum, Tricassium episcopos, Abbam Lucedij. Reginaldus Bononiensis, Balduinus Bellofortis, Ioannes Brema Sabaudus, Monteferratensis numerum quindecim uirorum expleuere: hi summo consensu Balduinum Flandriæ ac Hannoniæ comitem, Augustum renunciauerũt. Thomas deinde Maurocenus Venetus, Patriarcha creatus, pontificem haud annuentem habuit, donec ipse Romam profectus, Græcanicam ecclesiam Romanæ subiecit. Sed hactenus ab enarratione nostra, memorabilium profectò rerum causa abstracti, cum plus æquo historiæ dignitas nos alliceret, ad res Hierosolymitanas prosequendas redire libet, his secundo libro terminum statuentes.

Ioanni

IOANNI LANSTENIO FRVGI, MARBACENSIS COLLEGII PRIMORI, IOANNES Herold Hochstettensis S. D.



Ebmutui per triennium Lansteini amicissime, nec ad te, fateor, ullã misi literam unquam, non quod amoris tui in me singularis obliuio aliqua me interim ceperit, quem dulci quadam cõmemoratione & assidua, non tantum animo, sed & oculis cotidie obuersari certum est: at maximis istis Reipublicæ & literis bonis suspiciosis temporibus assentiri cupiebam, imò, ut ita dicam, in Pythagoricum planè silentium descendere, quandoquidem uiderem, ijs, qui se cautos ac sapientiores existimarent, satis esse, nonnullis gratulari, conuicijs proscindere multos, in una autem Reip. calamitate stupidos hærere. Erit igitur, scio, apud te hominem etiam constantissimum, huius meæ taciturnitatis, tum excusationis, tum ignoscendi locus: præsertim cum toto hoc ipso tempore, ipsemet agnoscendi discendiq; studio literis ac libris Hebræis atq; Græcis ita immersus latitaueris, ut nec ipso pedum dolore acerbissimo, uix pietate & domestica cura auocatus, prodire, aut ullius colloquium admittere uisus sis. Contenderem iam ego aduersus te, & quæ politiori elegantia, acuto & subtili dicendi genere, copiosa disputatione, abstrusa Philosophię sanctæ arcana aliquot libris complexus es, tandem amicis communicanda esse, ea ut in medium demum proferres, iure deposcerem, sed prudentiæ tuæ istud remitto Lansteini amicissime: atq; in hac etiam parte uinci me patiar silentio, toties à te humanitate & beneuolentia uictus, toties à te in misera & afflicta fortuna amabiliter restitutus. Itaq; ne ab officio discedam (quod neutiquam hominis grati esse puto) quinquaginta annorum historiã, quam de rebus Hierosolymitanis hoc libro ordine conscripsi, dedicare tibi, auspicioq; tui nominis publicare, hac equidem ratione cõsultum duxi, ut uigilias meas, & lucubratas noctes sex, apud te hominem collocarẽ mei amantissimum, quando pro maximis clarissimisq; tuis uirtutibus, ornare te laudibus, ingenij uires mihi deficiunt. Pellege ergo Lansteini amicissime, Heroldi tui scriptum, atq; animi obsequentissimi characterem.

DE BELLO SACRO CONTINVATAE HISTORIAE LIBER TERTIVS, IN ORDINE uicesimus sextus.

Ioannes Brenna ad regnum Hierosolymorum uocatur. *Caput I.*



Ace in Syria constituta, Soldanus Iconij, Graecam Europae urbem Sataliam, Siaui Illico adiacentē, ex qua Christiani in Asiam traijcere soliti erant, ui captā spoliat atq; diripit, trucidatis omnibus in ea incolis. Nec his contentus, Christianos ubiq; calamitatibus uexabat. Haec Americum regem omnino nō mouebāt, nec quicq; de Christianis in Asia Ptolemaidē Tyrūq; inhabitantibus, gestum est, aut contra molitū. Cōueniebat tamen nostris in Syria non omnino male cum Sarracenis, donec Norradinus Salahadini filius, praesidiū in monte Thabor Ptolemaidi imminēti aedificat, aedificatū cōmeatu, armis, & milite cōplet. Nulla nec huius rei Americo cura, cū cordatiores optimè intelligerēt, Barbarum moliri aliquid, quo expeditius, inducijs finitis, ipsam Acconē oppugnare posset. Missis igit nuncijs et literis ad Innocentium, ne quid detrimēti Resp. capiat, prouidere iubēt, iā nescio quid conari tyrannū, & uim intētare occultā. Mariā superstite Cōradi Montisferrateñ. filiā, elegantis formae, & nubili ętate puellā, quā Templarij Hospitalarijq; tutoris titulo, in spē regni educarēt, illā ei nuptui daturos, qui à pontifice tanti regni dignior aestimarēt. Pontifex occasionē hanc amittendā, piaculū, Rom. Ecclesiae potestatē delatam, arripiendā ratus, statim Ioannē Brennam, Viennae Allobrogū Metropolis regulum, multae celebritatis in re militari uirū accersit. Habito senatu, omniū consensu Americus rex Cypri, qui uxoris nomine regni Hierosolymitani titulos sibi usurparet, frigidè aūt hactenus rem Christianam administraret, regno priuat, atq; Brenna subrogatur ad capessendā prouinciā. Ioannes ne ingratus Romano appareret Pontifici, regnum Romanae sedi uectigale esse, & in perpetuū fore, iureiurando affirmat, nec unquā post hac regis nomen quenq; ferre posse, nisi quē Rom. pont. designasset. Ioannes igitur domū reuersus, rem domesticā curat, fratri tutela & administratione cōmissa. summo deinde studio, ad tantā expeditionem necessaria parat, pecuniam cōgerit, summā ingentem conficit militū, equites, quantū habere potest, conscribit, armis instruit. Omnia ut copiose, instructè & ornatè adsint, diligentiā habet. Cum res amplius nullam dilationē ferre possent, itinere terrestri Venetias petit, à Senatu omniq; hominū ordine magnificè exceptus. in publicum hospitiū adductus, dati ex patritio ordine pleriq;, qui urbē illi per ocia monstrarent, qui stiparent incedentis latera, exhibita spectacula nouello regi. Postq; uerò exercitus recreatus, abitū pararet, à patribus ad transuehendū suos, naues mercenarias poscit. Data sunt illi ultrò munera abeūti, datae triremes & naues aliquot, quae eū in Thessaliam traijcerent. Quò cum peruenisset, à Guilhelmo Thessaliae rege Bonifacij F. magnis Venetis di, missis muneribus, Constantinopolim transuectus, ab Imperatore Henrico liberalissimè tractatus, classe deinde delatus, Nonis Septemb. Anno salutis 1209. Ptolemaidē applicuit, ubi omniū procerum lętitia, tanq; rex exceptus ac salutatus, celebratis nuptijs, pridie Cal. Octob. Tyri cum coniuge, ingenti

pompa

pompa, diademate coronatus & inauguratus, regni sceptra suscepit. Magna omniũ hominum expectatio nutriebatur, nemo erat qui dubitaret, quin hoc rege res Syriacæ in integrũ restituerentur. Vnus Cypri rex, cui haud sufficiebat animus, ut iniuriã illatam uel ferret fortius, uel uindicaret cõstantius, mœrore animã exhalauit. Nec prætereundũ censeo, seculis inauditã rem, quã expectatio tantarũ rerum excitauit, ut quidã uolunt. nam nõ desunt qui magicis carminibus id adscribant. Increbruerat rumor per totũ Occidentẽ, Ioannem regẽ uirtute innata et rerũ peritia Sarracenos prælio uicisse, ipsam Hierosolymã occupasse, uitã uerò colonorum in Syria adeò deprauatam, ut nec ipsa elementa sceleratã uitam eorũ ferre diutius uellet. hoc solis defectu, frigore ingenti, terræ tremoribus frequentibus & ingẽtibus testari, deinde etiam oraculũ cœlitus delapsum, sola innocentia regnũ illud obtinendũ, quod innocentissimus noxęq; omnis nescius, rex Christus Iesus cõsecrasset suo sanguine. Frugem omnẽ, omnem lactis copiã, iam senioribus gustu amarissimam, pueris dulcissimã esse, ipsum hostem in senes tantùm odium exercere, pueris abblandiri & cedere. Hac fama ephebo rum uiginti milium numerum excitum ferũt. hi diuisis aciebus partim Massiliã peruenerũt, Galli scilicet. Brundusiũ petierunt Itali. Nicolai cuiusdã adolescentis ductu ex Germana nobilitate peruenerunt coętaneorũ Genuã septem millia, & habitu masculo indutæ puellæ multæ: rogati à patribus, quænam profectionis causa, quò tenderent, tãta animi cõstantia responderũt, ut Reip. sollicitudinẽ quandã, & suspicionẽ inijcerent, ne res nouas in urbe molirentũ. Septẽ tantum dierũ promissum hospitium, interim uigiliæ, stationes locis in omnibus frequentes & diligentes cõstitutæ. His omnibus hæc unica erat persuasio, exẽplo Hebræorũ mare sicco pede se transituros, fluctibus hinc inde murorum in speciem firmatis. Cæterum cum insaniã ipsorũ nullus probaret, nemo nec cõmeatu, nec nauibus adiuuaret, spe quoq; delusi, domũ aliqui redierunt, permulti uerò à prouincialibus hinc inde recepti, in Narboneñ. Brutio & Liguria consenuerunt. Accidisse hæc scriptorũ omnium cõsensu constat 1212. ac dolo Assinorum seniore procusum. cum eñ sacris initiatos, duos in uinculis teneret, magię species omnes se nouisse professi, in naturali illi primo, deinde Mathematica infecta, tertiò ueneficijs, goetia postea, tandẽ necromantia, specimen postremò & theurgiæ gustũ exhibuere. quarũ rerũ scientia delectatus tyrannus, magnis auctos honoribus, suũ illis apud eũ cõcessit locũ. Vltimò cũ libidine quadã ductus sceleratissima, aliqua re nomẽ suis apud posteros celebratũ relinquere gestiret, horũ cõsilio adductus, Occidentaliũ iuuentutẽ omnẽ, præstigijs in Syriã producere, atq; eo modo trucidare in animũ induxerat, sed ut omnia huius artis, sic etiã uana fuerũt hæc, quæ conatus est Barbarus.

Noui apparatus in Turcos, à Lateranensi Concilio decreti. *Caput. II.*

His omnibus rem Asianam nihil proficere, indies quantum pacis tempus elabebatur, tantũ etiam terroris accedere cõpertum. nam Salahadini filius Noradinus, & Saphadinus frater, cũ per totum nouenniũ digladiarentur, tandem mortuo Saphadino, eò res uenerunt, ut Alapiensi Imperio Noradinus cõtentus uiueret, Saphadini filij, Corradinus Damascũ & Syriã sortitus, Meledino fratri Aegyptũ relinqueret: instabat omnibus uiribus Corra

dinus,nostrorum conatuum non ignarus.Igitur id studium sequutus,quantum in recuperanda amissa Syria laborabãt nostri,tantum in retinenda adepta,diligenti cura insudabat.ac iam nõ uuius pontificis autoritate,non unius principis uirtute defendi posse res,igitur maturo consilio prouidendum, accelerandum auxilium omnibus uidebãt necessarium.Innocẽtius qua erat præditus animi prudentia,futura ex rerum statu facilè colligens,iamdudum Fredericum in ciuili discordia Rom.Imperatorem renunciarat,ea quidẽ con ditione,ut uoto se publico obligaret,subsidij Christianis in Asia adferendi. Nec dubium si diutius uita illi contigisset, prudentia & rerum experientia Remp.in immensum extulisset.Indicto deinde apud Lateranum cõcilio, de Asiatica expeditione relaturus,præter spem magnũ habuit procerum cõuentum.Ex quatuor orbis nobilissimis Patriarchis duo interfuere, Thomas Byzantiorum,Thomas Agni Hierosolymitanorũ.Antiochensis morbo,Alexandrinus ab hoste impediti.hic Anteradensem episcopum,ille Germanum Diaconum misit.Ioannis Hierosolymarum,Ioannis Anglorum,Ioannis Cypri,Henrici Constantinopolitani,Frederici Latinorum,Philippi Francorũ, Andreæ Hungarorum,Alphõsi Hispanorum,regum oratores adfuere.Metropolitani septuaginta,episcopi quadringenti,Abbates duodecim, Primores octingenti.Promulgatũ inter alia sacrosanctũ edictũ,opẽ rei Christianæ in Asia populariter adferendã.Missi qui pro suggestu in omnib. prouincijs proclamarẽt edictũ,adhortarent populũ,persuaderẽt magnatibus .Et quia cum Pisanis Genuenses,Mantuani ac Veronenses,bello acerrimo cõflictarentur,ipse pontifex ad pacẽ inter tumultuantes cõponendam,primo uere proficiscitur.sed apud Perusiã in itinere obijt,Honorio post eum eius nominis tertio,magistratum ineunte.Imperator Fredericus,qui iãdudum nomen dederat, Italicis bellis & Veronensium(quorum urbẽ excisam deformauit, studiumq; illinc generale Patauium transtulit)perfidia,in maiora dissidia tractus,uotum differre coactus est.nihilominus episcopus Halberstattensis, & Conradus de Marburg in inferiori,Salomon Herbipolensis in media,Ioannes Argentinensis in superiori Germania,rem strenue iuuabãt,declamationibus pijs.Assumpta cruce Theodoricus Treuirorum,Theodoricus Coloniensium,Sifridus Moguntinorum,Leodiensis præterea & Herbipolẽsis, Babenbergensis,Argentinensis,Patauiẽsis,Eichstettẽnsis episcopi. Comes Palatinus de Tybingen,Marchio Badensis,Comes Lohensis,Montẽsis,Spanheymensis,Nassauensis,Feldensis,Hirsutus,Syluestris, Synensis, Ludouicus Bauariæ dux,Lupoldus Austriæ,Henricus Brabantiæ,Morauiæ,Lemburgi,Ancæus,Iuliacensis.Ex Gallia & inferiore Germania Petrus Parisiorum,Gallerus Heduorum, Iardanus Lexouiensis episcopi, Gallerius Auenieñ,Erix Niuerneñ.comes,ex Anglia Raynulphus Cæstriæ, Guilhelmus Albonactus comites.Ex Italis Bonifacius Monteferratensis,Thessaliæ regis nepos.Florentini, Genuenses.Horum igitur omnium autoritate & adhortatione Andreas Hungariæ rex,Imperator dicitur.

Cruce signati quo ordine,quo tempore,Syriam ingressi sint. Caput III.

ANnus iam agebatur à Cõcilio habito secũdus, 1216 ,à natali Christi, et iam dies induciarum inter nostros Barbarosq; exierant. Andreas rex Hungariæ

Hungariæ paternum propriumq́ꝫ uotum persoluere adhuc cunctabatur, cũ Honorius Ioannem Cardinalem Columnensem, Græciæ & Syriæ legatũ declarat. hic etiam iussu Pontificis, Andream cõminationibus adigit, ut expeditionem ineat. Andreas nihil cunctatus, Bancbonum Borum regijs negotijs præficit, per Thraciã Constantinopolim, ad legatum Pontificis uenit. Secundum Hungari ingressum, cum Bauaro Ludouico hoste, Lupoldus fœdus init, priuatis odijs Reip. causa depositis, Hungarum magna militum manũ insequitur. Galli igitur regis iussu et ipsi iter ingrediuntur, Germaniq́ꝫ Venetias peruenerunt parata classe, ascitis Italis socijs, ad Cal. Septemb. mare ingressi, ductu Guilhelmi Nigri, Lanfranci Rossi, in Gręciã traijciuntur. Ex inferiore Germania deinde proceres soluunt, et classe octuaginta triremium, nauium centum uiginti oceanum sulcantes, fœdã incidunt tempestatẽ: qua sedata, nauibus multis amissis, mari infero celeriter emenso, in Cyprum tandem delati, legatum expectabant. Andreas, qui iã Cõstantinopolim peruenerat, ubi cum legato, dum cæteri duces conuenirent, moram aliquandiu traxisset, tandem miles nauibus impositus, rebus omnibus instructis, cum legato pontificio, rex in Syriam tendere cœpit. Iussi Nauarchi ad Ptolemaidem cursum suum tenere, quò ubi peruentum, Genuensiũ classe, Franci item ex Cypro cum rege, qui ex Germania per mare uenerãt, his se adiunxerunt. Venit etiam ex Tyro Ioannes Brennus rex. Magna spes suberat, tãta coacta manu, aliquid præclaræ rei geri posse. nam nostri in Syria degentes, loco rumperiti, summa lætitia excipiebant aduentantes. Hierosolymitanus Patriarcha, cum iam iter ingrederẽt nostri, crucis sanctæ particulam præferebat, quæ Salahadino ingruente, à fidelibus de trunco resecata, & reseruata fuit. Primis igitur castris, ad fontem Tubaniæ peruentum, ubi aliquot Barbarorum turmæ nostris occurrerunt, sed statim in fœdam fugam uersi, multos amiserunt. Secundis castris, ad Iordanem tẽtoria tribus in locis fixa, Turcarum præsidia circumiacentia destructa, præsidia fugata. Hic Andreas rex, ubi se fluuio Iordane lauisset, multum reclamante legato, & sociorum indignatione, tanquam se uoti religione exemisset, Ptolemaidem redijt, atq́ꝫ nulla memorabili re gesta, inde copias suas deportauit 3. Idus Nouemb. cũ iam tertium mensem domo abfuerat. Eo discedente nostri 3. Cal. Decemb. exercitum & copias eduxerunt, cum ecce adfuerunt Genuenses, classe triremium decem instructissima, Ioanne Rosso Voltano, & Petro Auria, prætorijs uiris administrata. Itum est in hostem, ac sub crepidine montis Thabor castrametatum. Primo sitis inuasit exercitum ex aquarum inopia uehemens, sed tandem quorundam indicio, uenæ aquarum fodiendo repertæ. Iam situs præsidij, & montis præcipitia omnem spem oppugnandi aut obtinendi præsidij auferebant, cum captum adolescentulũ Sarracenum, ad duces quidã deduxerũt, qui ostensis aliquot uestigijs, quib. miles in summũ euadere possit, donatus liberaliter, magno cõmodo fuit pijs: etiã Ioannes rex Hierosolymitanus nocte sublustri, præmisso inermi, qui uias tẽtaret, exploratis omnib. ipse cum armatis, qui alterna ope subnixi, per rupes & inuia, in summũ iugũ euadunt. Deinde impetu facto, in portas præsidij irruunt, quibus cũ hostes effractis seris occurrerẽt, prę sidij ducẽ rex statim obtruncat, stipatorẽ dñi mortẽ

 uindicare

uindicare uolentẽ,repetito ictu transfigit.Interim etiam equites peditesq̀ȝ ali quot,ductu Guilhelmi de monte Acuto Hospitaliorũ magistro, & Tẽpla riȷ,per planiora ascendunt.quorum aduentu territi hostes in præsidium se recipiũt,obfirmatis portis.Rex cum Cyprio,& aliȷs ducibus,quid factu opus consultantes,castra in monte metanda, & præsidium circundandũ optimũ esse arbitrari se dicunt.Tripolitanus Boëmundus patre nihil sincerior,obsidionẽ in monte dissuadet,nec exercitũ diuidendum esse,quod futurũ sit,cũ locus totum nõ recipiat.Fame longaq̀ȝ & diutina obsidione expugnandum pręsidium,aut cæteris locis omnibus receptis,ipsum ultrò in nostrorũ potestatem uenturum.Sic perfidissimi hominis consilio,rei pulcherrimę gerendi occasio,cũ ipso pręsidio amissa.nam à Sarracenis lacessiti,tempestate hyemis uiolenta homines,præterea iumenta perierunt multa, maximè 9. Cal.Ianuariȷ.Dimissus est ergo exercitus in hyberna.rex Cyprius Tripolim se contulit,pars Ptolemaidẽ reuersa.Austrius cũ rege Hierosolymitanorum & Ordinum magistris inter Cæsareã & Caiaphã,promontorium occupauere, ac omnibus rebus cõmuniuerunt,quo ueluti ex arce omnia infesta Barbaris circa incolentibus facerent.Id castrum peregrinorũ uocitatum,terra mariq̀ȝ nostris perdiu usui fuit,sic pace,sic bello cõmodum.hic dum fundamentorum rudera eȷicerent,magnã uim auri,argenti & æris signati inuenerunt,unde militibus in longum diẽ liberalissimum stipendium largiebãt.Repertę sunt quoque,quod omnes mirabantur, aquarũ dulcium ebullientes uenæ in magna copia,lapis ad calcẽ parandũ aptissimus.Propinquitate aũt,præsidio montis Thabor fuit infestum.equidẽ prohibiti à nostris,nec arare nec serere securè potuerunt,qui custodiæ fuerunt impositi.Hoc anno ostenta multa in cœlo uisa,cruces candidæ,cerulei Cometæ,defectio solis & lunæ,quæ magna & grauia generi humano portendere uidebantur.

Aegyptum ex Syria inuadunt nostri. Caput IIII.

NIhil antiquius nostris fuit,q̀ȝ cum mari terraq̀ȝ ualidissimæ confluerent copię,uirorũq̀ȝ robur ex toto Occidente ita cõuenirẽt,animis, rebusq̀ȝ omnibus ad res gerendas instructissimis,q̀ȝ quod aliquid attentarent,quod gloriæ illis esset,atq̀ȝ Reip.q̀ȝ cõmodissimũ.Igitẽ Nonis Maiȷ,cũ ex hybernis oẽs euocatæ copiæ,ad castrũ peregrinorũ cõuenire iussæ, iactis ancoris,naues & triremes oẽs paratæ,in salo apud prædictũ locũ,uentũ expectarent,in castra duces cum cõuenissent,Ioannes rex consilium habuit.tum uariæ hinc inde sententiæ proferebantur,tandem in id cõsensere omnes, Aegyptum superstitionis & mali omnis caput petendum.Haud enim parum in rem fore rebantur,si Damiata,quæ olim Heliopolis dicta fuit,primò obsiderẽt, qua recepta,Alexandria subigi facile posset,tum flumen Nilum & regionem omnem in potestate fore,ac Hierosolymã ultro ad nostros uenturam, quandoquidem insulam Cyprum,& in continenti Ptolemaidem cum Tyro & Antiochiã fideles possiderent.Classis igitur Borea uento excepta,datis uelis,in altũ ferẽ,ac tertia die postq̀ȝ à castro peregrino soluerat, ad portum Damiatę peruenit Idib.scilicet Maiȷs.Duces aũt de Rep.cõsultantes apud Ptolemaidẽ præeuntem classem uix sexta die assequi potuerunt,uentorũ flatu contrario prohibiti.quapropter cũ classis alterũ iam diẽ in anchoris necquicq̀ȝ corum

aduentum opperiretur, Nicosiēsis, uersa prora reditum parātem prohibuit atq; persuasit, ut Pontifarię comitis ductu in terrā descensum sit, atq; portus occupatus. Plurimi qui nondū instructi, prima nauigatione apud Ptolemaidem remanserunt, paulo pòst naues cōscendentes, prioribus se cōiungere nitebāt, fœda tempestate disiecti, aut per mensem & amplius salo iactati in portum Damiatæ uenerunt, aut in mari periere. Tandē ubi duces castris se coniunxere, cupidissimis cōfidentibusq; animis urbis oppugnatio decreta. Damiata triplici muro, eodemq; lateritio cincta, ac deriuato quodam Nili alueo, Tyberis Romani magnitudinē habentis, in longæ insulę speciem obducitur. Huic quoq; Pharea turris, neq; crassitudine neq; altitudine cōmendabilis, sed quæ suburbiū, apothecas mercatorū, ac publica horrea à piratis tutaretur. Poterant nostri in portu & mari libero discursu uolitare, sed cathena obiecta à Nili alueo eos arcebat. ea uirtute atq; arte perrupta, turrim terra mariq; aggrediunt, quæ lateritia materia firma sua mole defendebat, cum telis, machinis, tormentis, egregijs propugnatoribus esset instructissima. Nostræ naues in quibus turres excitatæ erāt, dum hi propius eas appelli, alij reduci, hi pontes eijci, & militē exponi, illi circumuehi, & alia parte adoriri iubent, dum miles nautarum ministeria, nautæ militum munia impediebant, nihil omnino exequebantur, imò ex nostrjs turris, quæ cæteras celsitudine superabat, solutis compàgibus, concidit, milites partim in Nilum excussit, partim ruina extinxit. Miserabile spectaculū erat, donec sedato tumultu, suo quisque Duci, suo magistro dicto ut essent audientes, Rex Ioannes, cui iam belli summa commissa erat, iubet. Resumptis itaque uiribus, expugnatur turris cū suburbijs. capta horrea, mercium tabernæ opulentissimæ, miles annona & preciosarum rerum copia ditatus. Præsidia partim cæsa, partim capta: prima hac uictoria animi militum confirmati.

Nili inundatione nostri afficiuntur multis incommodis, indictæ supplicationes, mirabilis nostris data diuinitus uictoria. Caput V.

PRotracta erat iam obsidio; excursionibus, insultibus ac huiusmodi bellicis negotijs, fermè usq; in Calend. Iulij, ac iusta obsidione claudebatur urbs, cū aduersissimis & uentis uehementius flantibus, mare adeò usq; intumuit, ut Nili fluenta remoraretur. quare factum, ut nostra castra penitus inundarentur. quare miserabilis impedimentorum æquè ac commeatuum iactura facta, annona inundatione corrupta. Id non rerum natura, aut fluminis ui, quod suo quidem ac stato, sed non eo tempore ànni se per Aegyptum diffundere consueuisset, ira tantum numinis factum, nostri existimauerant. Accito igitur Pontificum collegio, de placando numine consulitur, ne Reipublicę commodissimum inceptum hoc detrimento impediretur. Viri igitur sacri, indictis supplicationibus, atque ieiunio triduano, ad obsecrationes milites, & omnes in castris degentes adhortantur. Ecce mox quarta luce, mitescente cœlo, mare sæuire desijt, flumen inter ripas se recipit, tranquillitate magna sequente. Quapropter qui Deum optimum maximum precationibus prius inuocauerant, exauditi, gratiarum actiones per circuitum castrorum celebrabant. Sed hoc miraculum, maiori prodigio ac lætissima uictoria celebrius redditum paulo pòst. Soldanus magna Orientalium

entalium manu ad ſoluendam obſidionem uenerat, at tenui Nili alueo, qui Damiatam ambibat, tantum à noſtris diuiſus, caſtra his maiora poſuerat, unde illi æquè inuehendi reuehendiq́ in urbem præſidia & cõmmeatus, facultas erat. Mittebat crebros per flumen obſeſſis nuncios, intromittebat frugẽ, milites delectos, tela, tormenta, & omnia quæ uſui eſſe poterant, occaſionem aucupans noſtrorum opprimendorum, ſi quam aut fortuna, aut eorum negligentia præberet. Ea re intellecta, noſtri ſtatim quærere rationẽ cœperunt, ſi qua urbem unica obſidione ultra citraq́ flumen circundare, ſi hoſtem ad uniuerſum certamen elicere poſſent, ſed neq́ prouocatione neque conuitio iritari unquam potuit. Agmen igitur noſtri ualidiſſimum, ad metandum ultra Nilum, & ea quidem parte, qua hoſtium caſtra, mittunt. Quod ubi per exploratores Soldanus accepit, & in alteram ripam noſtros ingenti animo tendere uidiſſet, amentia potius quàm pauore perterritus, caſtra fugiens, cõmeatibus & impedimentis plena reliquit. Chriſtiani milites, ubi cum citatiſſimo atque denſiſſimo agmine fugientem uidiſſent, quidnam tam ſubita profectio ſibi uellet, ignari, animo ſuſpenſo hærentes conſtitere. Miſſis deinde, qui explorarent, an nullę inſidię, an nullus fucus fugę, cum caſtra uacua milite, ac integra capi poſſe renunciaretur, ratibus ad id iamdudũ paratis, & cæteros tranſmiſerunt. hoſtium caſtra ingreſſi, annona, impedimentis, ac ditioris apparatus ſupellectile referta obtinuerunt, ubi Chriſtianus exercitus maiori quàm prius ad turrim Pharcam, copia eſt repletus. Collocatis deinde alteris in ulteriore ripa caſtris, iniectoq́ ponte, utraque ripa flumen coniungunt, ut mutuo ſeſe, & auxilio defendere, & urbem arctius concludere poſſint. Soldanus, exercitus parte una amiſſa, parte altera in Aegyptum reducta, Chairum ſuos reuocat, atque urbem communit. Hinc Damiatæ magna deſperatio oritur, ac omnium ciuium animos Soldani fuga miſerè affecit. Soldanus uerò uidens alieno tempore Nilum excreuiſſe, ſeq́ alieno tempore in alueum ſuum recepiſſe, imò quo uno fœlicitas ubertaſq́ ſoli conſtat, ſignum conſuetum inundatione ſua non attigiſſe, annonæ penuriam ueritus, cum Corradino fratre agit, ut per Oratores conditiones pacis ſibi, Aegyptioq́ peteret, nam Damiata libera, breui omnia recuperari poſſe. His Meledini precibus pollicitationibuſq́ perſuaſus, Chriſtianis pacem offert his conditionibus. Crucem ſacroſanctam ſe reſtituturũ, & quicquid de noſtris in Syria uel ipſe, uel patruus Salahadinus, aut pater Saphadinus cepiſſet. Placuere hæ conditiones Gallis, Anglis & Italis, dicentes capta fuiſſe hæc arma, ut quod in Syria ſummorum Ducum uirtute partum eſſet, id nobis ereptum recuperaretur, elueretur q́ ignominia. His reſtitutis, nullam reſtare belli cauſam. Reges, Ordinum magiſtri, Auſtriæ dux, & qui aderant Germani, pacem aſpernabantur, contra ſuperſtitionem Mahumeticam hoc bellum ſuſceptum eſſe, Aegyptum arcem belli iam debilitatam, perdomandam. His accedebat Pelagius Legatus, qui Columnæ ſucceſſerat, eiuſq́ authoritas obtinuit, ut re infecta, Damaſceni Oratores dimitterentur. Tunc & Corradinus, ſpe retinendæ ultra Hieroſolymæ amiſſa & reiecta omni, eam muro diſcinxit, paulóque magnificentiora ædificia & monumenta diruit, præter turrim Dauid. Sacro quoque pepercit ſepulchro

chro Domini, à quo diruendo manus abstinuit, ut alij uolunt religione numinis, ut quidam dicunt, inhibentium & supplicantium Christianorum ciuium gratia. Nam Hierosolymam adhuc Syrij, Armenij, Aethiopes, Georgiani, ac multi Asiæ populi, nostri fidei cultores incolebant.

Subsidia in Aegyptum nostris mittuntur, fames oritur in castris, in urbe lues, tandem Damiata expugnatur. Caput VI.

VRbis obsessæ fama iam etiam Occidentem omnem peruaserat, Aegyptiorum pusillanimitas multos nostrorum alliciebat. Iam nouæ copiæ ex Italia accedebant, nouus quoque commeatus, Mediolanensis, Regiẽsis, Fauentini, Brixiensis pontificum ductu adferebatur. Ex Germania Sifridus à Rechberg, Augustæ Vindelicorum episcopus, Ludouicus Bauarus, comes de Vohburg, Henricus de Busmanshusen, quod oppidum Danubium & Lycum interiacet, ab utroque flumine 15. millia passuum distans, corrupto uocabulo Zusmarshusen iam dicitur, insignis Christophori à Stadio episcopi, pietate, qui Xenodochium eo loci condidit celeberrimum: adiunxit se ijs Cõradus ab Hochstet urbis eius, quæ mihi ortum dedit, patriæ scilicet dulcissimæ, regulus. Horum aduentu, dictu mirum quantum recreatus sit exercitus: erant enim homines in re militari eo tempore clarissimi, uiribus integri, cõmeatum importabant, quo maxime egebat exercitus. Pœnitebat iam Duces se potius uoluntati legati paruisse hominis togati, quàm proprijs consilijs obtemperasse. Pelagius legatus male audire cœpit, & sunt qui scribant, eo quod Hispanus esset, incredibili exarsisse desiderio, ac spem ingentem cõcepisse, suo ductu Hierosolymam recuperatum iri, maxime quod in fatis esse diceretur, ex Hispania uenturum, qui illam de Barbaris tandẽ reciperet. hinc ferũt tãtopere ipsum laborasse, ne cõditiones à Corradino acciperent. Sextũ decimũ iam mensem tenebat obsidio, cum occulto nuncio misso, Soldanum iterum reuocant ciues, ne urbem tam commodam, tam fidelem deserat, opẽ ferat ijs, quibus uitam quàm fidem amittere uideatur melius. Ne igitur eos prodere uelle omnino calumniari possit, ad aquarum diuortia, qua Nili pars deriuatur in fossam Damiatæ proximam, castra ponit. quacunque potest, arte munit. Quarto Non. Octob. noctis ingruente conticinio, aliquot cohortes emittit, ut urbem adeant, recepti que defendant strenue. Ingressi erant aliquot, recipiebantur reliqui, cum fraudis sensus ad Latinos peruenit. Conclamatum est ad arma, qui nondum ingressi erant, cęsi ad unum ducenti, eo, quod qui in urbe erant fores raptim portæ obiecerunt, eosque exclusos cædi reliquerũt. Hac uictoria elati nostri, postridie relicta, quanta satis foret ad cõtinuandam obsidionem copiarum parte, ad Soldani castra sub signis ducti, oppugnationem adoriuntur. Hostis postquam numerum nostrorum exiguum intellexerat, uelut nostrorum impetu territus, castris excedit. nostri ueram fugã putantes, deserta castra, nõ cõmeatu, sed præda reliqua repleta intrant. deprædantur omnia, abitum parãtes. obuiũ habent hostem, qui castra rursum petit, nostrosque magno impetu adoritẽ, ac iactabundũ militẽ igne missili (quẽ facibus tragulisque Sarraceni mittere cõsueuerũt) non paucos amburunt, inter quos Brenna rex eodẽ igne, facie afflatus et deformatus uix euasit. Gualterus Gallorũ ductor, ac Milo Meduteñ, ferro cecidere cũ alijs multis.

Intercepti

Intercepti plurimi in hostium potestatem peruenerunt. Hac ignominia recepta, ne inultam relinquerent iniuriam, classem instruunt. fabri toto exercitu conquisiti, duabus nauibus cōiunctis, ex firmissima materia in eis turrim iterum construunt, cuius altitudo turrim quę Nilo eminebat, æquabat. hæc igitur turrita nauis aduersus propugnaculum appelli cœpta. Præparatæ deinde etiam aliæ & ornatæ, ad alias partes urbis immittuntur. ad hoc in ripa exercitus in armis signisq́ stabat, simul ad terrorem, simul ne quid Soldanus impunè contramoueret. Pestis urbem totam inuaserat, grassabaturq́ in ciues atrociter, cuius rei nostri omnino ignari. nam portas obstrui iusserant, uulgusq́ à muris arceri, ne quis exire, aut è muris se demittere posset, solum Mamaluchi omnia circuibant asseruabantq́: nostri eos fame premi tantū nouerant, uastitatem tam fœdæ pestilentiæ ignorabant. Igitur cū hinc inde turres nauibus & castellis oppugnarent, contigit, ut magno impetu Mamaluchi in unam nostrorū nauium insilirent, quæ Germanos ferebat, naualis pugnæ gentem non admodum expertem. Pugnatum est diu, tandem cum multitudini Mamaluchorū resistere nō possent, caderent multi, nōnulli in flumē sese deijcientes, uel enatarēt ad suos, uel mergerent pōdere armorum oppressi, aut uulnerum dolore fatigati, Conradus Hochstettensis facinus omnibus seculis aggreditur memorandum. Per medios enim Barbaros, uia ad ostiolum facta, quo in nauis fundum descendebatur, se demisit, arreptaq́ quā fors obtulit, securi, præfracto & cōfracto nauis fundo, ipsam nauim cū Barbaris, & Christianis se ęgrè defensantibus, summersit, quibus unà eū perijsse hoc indicauit, quod postea nusquā comparuit. Perijt ea die & Henricus de Busmanhusen, socius itineris & mortis Conradi, atq; in eadem naui. Oppugnatione ita per totam diem continuata, tandem nox diremit prœlium, magnis hinc inde acceptis cladibus. Ea quidem nocte, qui adhuc uiribus pollebant, Mamaluchi, nauem quam ceperant in oppugnatione, deceptis nostris stationarijs, in mare delapsi, per deuia ad Soldanum peruenerant, statum deploratum, & deperditę urbis fatum instare indicantes. Placuit deinde ducibus nostris, neq; terra neq; mari, nec cum Soldano, nec cum urbe congredi, sed religione & precibus diuinum auxilium implorandum & expectandum. Contigit igitur die tertia, postquam male pugnatum erat, quod ex Florentinorū cœtu, prospecto urbis silentio, aliquot milites, portas propius accessere, ut quid in urbe fieret, explorarent. Quum igitur altum silētium in propugnaculis & intra mœnia intellexissent, sopitos primò custodes, aut alia causa abesse existimarunt, regressi clàm ad socios, scalas corripiunt, quas propugnaculis portę admouent, murum superāt, nemine repugnante, in urbē descendunt. dolum abesse, insidias nullas conspicati, perfringūt portam aliqui, alij murū iterum ascendentes, signum Reip. purpureum, lilio candido interstinctum, uentilantes, alios ad rei nouitatem stupefactos conuocant. Germani qui portę effractę accubabant proximi, adcurrunt, cohortem unam introducunt, cædunt paucos, quos obuios habent, Sarracenos. In castris exoritur rumor, urbem esse captam, quę furor administrat tela, arripiunt omnes, sine ordine, sine duce, ad cædem faciendam omnes accurrunt. Tam lōginqua obsidione exhaustus miles, irritatus dux, cruorem hostis sitit, stricto ense accurrens in quem

quem desæuiat, non inuenit. cadauera mille & mille cuiq; oblata, indignam uindictæ occasionem præbebant. Ex septuaginta millibus, millia tria, non solidæ, sed adolescentioris ætatis iuuenta, pueri, senes, uiri etiam reliqui, absumpti omnes, genere fati miserrimo, famam nemo, pestem nullus, omnes incognitam cladem fuisse, & inauditam affirmant, quod superaret affectum, deploratumq;. Vita donata ea lege tantum, ut urbem purgarent, qui labor in tertium mensem usq; eos exercuit. Sed quod omnium admirationem uincit, est id, cum in cęteris rebus nominis laudisq; trahantur cupiditate mortales, qui uel ut ullam in urbis captæ gloriam sibi adscriberet, rationem aut quærere, aut dicere non est inuentus. Non. Nouemb. capta est, ingens thesaurus repertus, auri, argenti, gemmarum, preciosæ uestis, supellectilis exquisitissimæ, ad fastidium usq; parta præda. Conuenerat inter omnes, etiam iuramento firmatum fuit, capta urbe, æqua ratione spolia diuidenda: tamen in tanta copia capacitas nō defuit. Post captam urbem, Antistitum consensu ac iussu, de agendis Deo gratijs diligentissimè curatum, cuius benignitate & auxilio, sine cæde, uenustissima ditissimaq; urbe potiti essent. Præsidia munitionib. & portis indita. Dulcissimum erat in conspectu Barbari urbem captam, qui cum ne hiscere quidem auderet, terga nostris, incensis castris, ostēderet. Cōmoratum est deinde in castris tantisper, quousq; exacta pestilentis morbi suspicione, cœli salubritas instauraretur. Curato aëre, sub Cal. Feb. Christiani primò urbem ingrediuntur. Postero die à Legato pontificio, cum singulari Episcoporum pompa, Purificationis solennia diuæ Virginis celebrata. Exacta peste, Machumeti Basilica, magnæ matri uirgini Mariæ dicata. Episcopo ornata, sub Antistite: ad omnes aras Deo gratiæ actæ. Mox de agrorū diuisione in concilio principum, & deducenda colonia actum est.

Titanum urbs occupatur ab exploratoribus Christianorum. Caput VII.

VRbe Damiata iam capta, turres munitissimę distributæ sunt, quarum primariā illam, quę Babyloniā uersus spectabat, legato Romanę ecclesię nomine assignabant, in hanc immisso præsidio, Latinorum copiæ eā cum porta adiacente, custodiebant, ac Romanam appellari uoluerunt. Archiepiscopo urbis, quemcunq; sors ferret, assignatur statim alia turris, elegātia priori in nullo, munitione tamen cedens aliquantulū. Germanis machinæ omnes dono dantur, quibus oppugnata mœnia, qui statim cum Frisonibus, ponte facto, in utroq; littore, pręsidium extruunt cum specula quadam altissima, ad pontis scilicet tuitionem, & aduentantium nauigiorum receptum tutissimū. Vrbs deinde tota cum prouincia, ac mero mixtoq; imperio, regibus Hierosolymitanis addicta. Deinde circumquaq; emissi frumentarij atq; exploratores, qui in urbem ex agris cōmeatus conferrent, & hostium consilia expiscarent. Accidit autē nono Cal. Decemb. quod ex omnibus nationibus, ad mille fermè uiri, naues conscenderent, adiacentia mari oppida inuasuri. nec mora, proximum Nili ostium Taniticum scilicet, irrumpētes, aduersa aqua per flumen ad Tanim urbem usq; perueniunt, quę olim Titanis dicta, à Giganti bus, septem annos post Hebron ędificata fuit. Distat autem à Chairo stadijs 80, quę etsi ornatu & amplitudine, Pelusium olim anteierat, nunc uerò extra pręsidium, quod extabat munitissimum, tantum pulcherrimorum, sic prius

i torum

torum,hic publicorum ędificiorum ostentabat ruinas.Nostri cū iam per Nilum ab hostibus adnauigare conspecti essent, Barbari totius exercitus classem aduentare rebantur,fuga arrepta,castrū deserunt.quod nostri intrantes copia annonæ & diuitijs plenum,expoliatum, ac imposita custodia,cum præda ingenti ad nostros reuertentes,in potestatem redactum annunciabāt. Fuit res nostris tantò acceptior,quantò minus antea spes fuerat, quod totus exercitus id expugnare aut obsidere posset,tum propter murorum firmitatem,fossarum amplitudinem,tum aditum difficillimum,quem lacus hic hyeme,hic æstate equitibus negabat.

De Legati ambitione,regis ira,clade nostrorum misera. Caput VIII.

IAm rebus suis diffidens Meledinus incęsis castris,Chayrum abierat,Babyloniamq́ munitiorem ac instructiorem reddere conabatur.Latini patriæ ueteris immemores,tanquam in coloniam uenissent, in urbe Damiata per annum fermè integrum desedere,quum inter Pelagiū Cardinalem ac Brennam regē de ditione contentio oritur grauissima. Partes enim sibi in omnibus primas legatus, iure legationis uendicabat. Brenna rex, omnium suffragijs,urbis imperium iamdudum adeptus,exercitus imperatorem se esse, & dici debere contendebat,nec se unquam uiro togato cessurum apertè minabatur.Erat autem Ioannes uir aliàs & in Republica, & in militia administranda clarus,gratus tam ciuibus quàm militibus omnibus. Nec deerant ex peregrinis,qui huic ob uirtutes in eo clarissimas impense fauerent: è contra,Pelagio inuidebant,tanquam homini arrogantissimo, qui ambitionis modum nesciret.Inuenti sunt etiam,qui in Brennam regem,huius discordiæ causam transferrent,quod de se nimium confidens ex arbitrio omnia regeret,admonitionibus legati,nulla habita conditionis reuerentia, immodestius in omnibus recalcitraret.Hæc autem contentio magnis ausibus moram intulit, reiq́ bene gerendæ tum occasionem, tum omne ademit tempus. Rex enim iratus, Ptolemaidem magna militum manu secessit, causam capiens,quod Milichasecaph Saphadini filius,dum in urbe Damiata expugnanda & constituenda moraretur, Templarios bello exercens, Albam speculam,præsidium munificentissimum destruxisset, occupassetq́ castrum Saphet,Damascenorum Soldanus.Hanc igitur tantam Reipublicæ cladem ulciscendam sibi esse,ac Templarijs subsidia ferenda dicebat.Fore, ut concisas uires Sarracenorum attereret,& cōprimeret temerarios eorum ausus,recuperatisq́ præsidijs,breui ad exercitū reuerteretur.Constabat præterea, Gorgianos,qui ad Caspios montes terram inhabitant,Colchis,Iberis finitimis, auxilia per literas pollicitos esse, atq́ Leonem regem,qui unà cum Armenijs eos regebat,adfuturum propediem.Hos ut exciperet,Brenna iturum se iactabat,nec non Iconiensis regis copias auxiliares se adducturum.Quę omnia etsi uerisimilia uidebantur,in colorem quæsita magis,quàm in animo regis fuerunt.Deses enim apud Acconem,rerum omnino nihil agens,ter quaterq́ uocatus,reditum ad Damiatam negauit. Quare factum, ut quantum lætitiæ ex urbe capta Honorius Papa hausisset, tantum tristitiæ ex duorum hominum obstinatissimorum ambitione cōciperet.Ne igitur Resp. aliquid detrimenti caperet,Ioannem Cardinalem,ex familia Columnensium,succes-

forem

forem Pelagio iterũ mittit,qui Genuensiũ,Venetorũ,Pisanorũq́ nauibus in Syriam usque traiecit.Hi enim captiuitate urbis opulẽtissimę allecti,haud contemnendum numerum militum conscripserant. Idcirco spe longior illa mora,apud Damiatam acta,non usquequaq; inutilis habita est.Præter classem enim,multorum aliorum principum supplementa accessere. Inter quos ipse Bauarus Ludouicus,cum popularium suorum magna manu, exercitui Christiano se adiunxit,à Frederico secundo,cũ trecentorũ ex aula uirorũ fortissimorũ cohorte præmissus,quẽ statim insequuturũ se,literis & ore affirmauerat Imperator. Appulit etiam sub Cal.Iulij Matthæus comes, quem Fredericus Apuliæ præfecerat,triremibus instructissimis octo,septingentos ex Sicula nobilitate equites,iussu Frederici deuehens,dum in Syriaco mari piratarum Aegyptiorum classem,obuia quæq; deprędari audisset,duodecim longis hostiũ nauibus se infert,ipsis congressus,haud magno negotio fudit. Oppressit ex eis naues quatuor,ac aqua demersit.Reliquę trepida fuga in Aegyptum se recepere,duabus exceptis,quas captas secum Damiatam, præda onustas deduxit,ducentis Sarracenis suspendio enecatis.His aucta res Christiana uiribus,florere uidebatur,ac ad res gerendas tantum imperatore carere.Incipiebat etiam proceres tam segnis moræ tędere,spes euertendę Barbaræ superstitionis,omnes maturare negotium compellebat. Legatus igitur, milites ad signa conuenire,in Sultanum ire iubebat.Miles dicto haud parebat,& si magna ei promitterentur,quanquam de Indorum rege,Dauide appropinquante,& auxilia Christianis ferente,multa dicebantur. Meledinus etenim,audita Pelagij & Brennę contentione,lecto milite Aegyptio,ad diei unius iter,prope urbẽ castra locauerat. Indies nostros prouocabat populationibus & excursionibus,in omnem occasionem intentus, qua nostros ex urbe,in campos patentes,ac exundationibus Nili obnoxios, pelliceret. Igitur ne tantam ignominiam perferre diutius cogerentur nostri,Legatus nuntios ad Brennam mittit, qui hominem reuocent, ac imperium exercitus illi deferant,quo sine, miles non latum pedem progressurum se persancte iurauerat.Rex Ioannes,audita militis pertinacia,uisis publicis nuntijs, qui cõsensu militari missi fuerant,etiam si à Pelagio antea sæpius reuocatus, nouas semper non ueniendi moras causasq; contexuisset,uictus Columnensis amici,ac fatigatus procerum precibus,tandem ducem Dei uiuentis exercitui,se præbiturum respondit. Auctus igitur milite, commeatu & armis, postquã decimum mensem abfuerat,Damiatam peruenit,acclamationibus ac omnium imprecationibus faustis exceptus.Iam imperatorem,iam ducem,iam cõmilitonem se habere exclamat miles,iam qui sacris,qui bello præsint, qui ritẽ omnia curare possint adesse,cum legatus consilio, Brenna armis Rempub. tutandam,unanimes suscepissent. De summa rei,postquam satis humanitati atq; amplexibus datũ, consultatum,sed uarijs sentẽtijs. Legatus ferro cum hoste protinus decernendum esse,consenescere militem,aliàs cunctando,ocium & desidiam inualescere,hosti mora uires accrescere, uirtutem augeri & fiduciam,nostris tędium atq; contemptum,spem exinaniri omnem. Victo hoste,aut etiam in castris abdito,Chayrum obsidẽdam,quæ imperij caput, quo succiso,Aegyptum omnem intermorituram.Summa consilij,aut Me-

dinum, exutis castris, morte uel fuga, Aegypto eijciendum, aut Chayrum tyranni receptaculũ, euertẽdam. Brenna rex expertus, quàm magno periculo superioris Aegypti res tentarentur, de Hierosolyma urbe, de sacra prouincia certamen esse, non de Memphi, non de Babylone, non de Thebis dicebat, quas etiam expugnatas in fide retinere nemo possit. Ad Syriacas res ipsum euocatum, malle se Hierosolymarum regem, quàm Aegyptum Sultanũ dici. Res Syriacas, ab Aegypti latere, satis tutas esse, si ualido præsidio munita Damiata, hostem distineat, donec restitutis & instauratis Syriæ rebus, uires accrescant regno, quo ad Occidentaliũ res pacificatę, totis uiribus in Orientem trahi possint. Ludouicus Bauarus de Tani urbis ruinis restaurandis, ac deducenda eo loci colonia, consilium dabat, qua Memphitici ea facilius reprimerentur, cum propter loci propinquitatem, tum propter munitissimum naturæ situm. Nec tantum Aegyptios ab obsidione Damiatæ auerti posse, sed in officio Arabes contineri, in procliui fore. quandoquidem ab Oriente paludes Arabibus ex montanis descendentibus obstarent, ab Occidente Nili fluenta Aegyptios arcerent, à meridie Traianus amnis, rubri maris accolas distineret, ad Septentrionem atq; Syriam uersus, omnia in tuto essent. Hæc equidem sententia, regem non admodum renitentem habuit, cui uidebatur colonia inducta, exercitum in Syriam duci posse unanimi consensu. Nec displicuit Legato Bauari consilium, quem haud latebat, aut cum Barbaro congrediendum fore, dum conatus nostrorum impedire uellet, aut colonia & præsidio positis, cupidinẽ inuasuros nostros obsidendi Chairum, quã prospectu intuerentur. Decreto itaque publicato, plebi diuersus fuit animus, & in Syriam magis propensus, tamen cum uiderent uniuersi, legatum sententiæ inhærere, iureq; sacrosanctæ potestatis, Brennam regem, Bauarũ & cæteros duces, persuasionibus, precibus, minisq; adigi, execrariq; eum, qui dicto inobedientem se præstáret. Eid. Quintilib. ad septuaginta hominũ millia, ex urbe prorumpunt, in hostem ituri. Barbarus incertum uero an simulato metu, quò commodum uidebatur, semper cedebat. qua re legati lætitia, omniumq; spes admodum aucta est: atq; quæ inter Chairum, Damiatamq; occupata omnia. Pons etiã naualis, quo Nilum traiecerat hostis, duobus præsidijs, in utraq; ripa constitutis, expugnatis, interfectis custodibus, recipitur. Castris igitur locatis, operi nostri partim instant, partim ad Chayrum usq; procursantes, segnitiem, ignauiam & timiditatem hosti incluso exprobrant, si uiri essent, prodirent, manus consererent, quos in speculis uidẽt, hortantur. At Barbari in ea urbe, in bello natos, fortes, ac spolijs assuetos milites collocauerãt, qui fiduciam nostrorũ ridebant, ac cunctando perniciem nostris machinabantur. Nam dum ædificando, circumuolitãdoq; dies è die ducitur, ludificando Barbarus nostros in secundum fermè iam mensem detinuerat, nũc ex castris, nũc ex urbe nostros uelitationibus urgens, ac ita ad sui contemptum pertraxit, quod ignari locorum, rerum & temporum, inter aggeres Nili, tanquam in propugnacula se reciperent. Hostis in nassam deductos, cum omne rei bene gerendæ compendium ereptum nostris uidet, ac nullum uirtutis exercendæ locum superesse, Nilum omnem in castra nostrorum, quæ commeatu referta erant (nam ad menses tres annonam se-

cum

cum conuexerant sufficientem)emittit. Coërcent hunc amnem undique ripæ eleuatiores, alicubi uero pro soli situ, depressiores. addita sunt hominum cōmenta, fossæ hinc illinc ductæ, quibus alluuionis tempore per patentia de riuatur, & Nilus tunc forte increscens, cataractis apertis & effossis, ad fundum ripis latè se effundit, regionem diluuio omnem occupās, ut nostrorum castra, etiam ubi solum natura aut congesta terra eleuatius erat, tamen ad cubiti unius altitudinem superaret. Editiora loca, molesq; Aegyptij locorū gnari occupant, qua arte, & fiducia & uirtus nostrorum perijt omnis. Quippe et iumentis & hominibus necessaria omnia ui fluminis corrumpebantur, nec saluum aut reliquum erat, quo uel in triduum nostri sustentarentur. Priuatā calumniam publica compescebat calamitas. Aciem hostis, madidi, mersi luto, nequaquam posse penetrare uidebant, nec fugæ inire iter, cum unda omnia tegerentur. nec alueus, nec uadum apparebat. Omnia pōtus erāt. qui per aggeres patebat exitus, crebris & ualidis hostium præsidijs insidebatur. In classe ac reliqua apud Damiatam relicta turba, nulla spes. Quippe hi maritimis uiribus, quàm terrestribus firmiores, nec per flexuosas ac tortuosas riuorum moles, ab hoste obsessas, facile erat, ad nostros irrumpere, aut suppetias perditis inferre rebus. Vnanimi cōsensu denunciatur totis castris, inedia potius omnibus pereundum esse, quàm turpes conditiones admittere, aut pacem turpem pangere. Breui fore, ut Nili fluentis detumescentibus, suæ rediret terræ siccitas, Aegyptijs gaudium luctu permutaretur. Orationes indictæ & supplicationes, at nihil impetratum. Iam sopor triduo ieiunio grauior, acies instructas, hac illac fluitantes opprimit. innixos hastis, aut humeris proximè astantiū inclinatos, uidere erat, dissolutis somno membris, in aquas concidere. quæ res Meledini Soldani, etiam hostis animum, in admirationē uirtutis & constantiæ perduxit. Nec dissimulare diutius potuit, quem ex pertinacia nostrorum dolorem contraxerat. nuncios ad legatum & regem, cæterosq; principes mittit, qui eos communis salutis rationem habere iubeant. Non ignorare ipsum, quo in statu res ipsorum collocatæ sint, Nilum indies alluuione excrescere naturali suo instituto, atque ante autumnale æquinoctium haud in alueum se recepturum. Non recusare se pugnam, sed imbellem forti, ignauum strenuo, præsertim aquæ uiolentia, fame atq; somno eneruato, iam præstaturum. Pareant itaq; necessitati, legesq; accipiant, quas sine dedecore, sine ignominia, absq; nota, suscipere possint. Nepharium ipsi uideri, si tantæ multitudinis cladem solem conspicere contingat, ipsum non nefarium à nostris scelus exposcere, tantum id postulare, ut Aegyptus in libertatem pristinam restituta, suis utatur legibus. Legatione audita, quantum Respublica Christiana detrimentum acceptura esset, ex interitu tantorum & tot uirorum, item ipsis amissis, quæ in Syria possidebantur à fidelibus, in apertum exitium ferri perspiciebant. Tandem his conditionibus pacem se uelle respondent. Si sacrosanctam crucem, quā Salahadinus intercepisset, nostris redderetur. Si exercitus deportaretur, & illæsus in tutum collocaretur, additum præsidium Titani siue Tanis urbis, in potestate Soldani fore. ille Damiatā petere cœpit. Tunc exclamatum præstare mori millies, quàm hoc

hoc flagitium admittere,grauia, dura ac aspera hæc postulata esse. Soldanus deliberationi tempus concedit. Itaque prima noctis insequentis uigilia,tessera data. Damiatam uersus,totus exercitus contendit, ac è luto illu uiecꝙ emergere tentat. Germani quæ super aquam extabant incendentes, sequuntur, quæ res hosti nostrorum fugam patefecit. Obstructis igitur uiarum aditibus, cum aquis exitus negaretur, restagnantibus ijs, magna ea nocte nostrorum perijt multitudo. Duces igitur cum periculum increscere uiderent, acies in quodam colle collocant, quem & si aqua inundauerat, tamen tenuius quàm cętera obtectum, occuparant, ibi expectato sole, consilium ex euentu captant. Meledinus autem, orto sole, uidens nostros eò redactos, unde nisi maxima clade regredi non possent, iterum ad proceres mittit, qui cunctabundos periculi admoneant. Damiatam petant, Christianis in Syria pacem & inducias offerant, per octo annos integros. De cruce Dominica, ac exercitus incolumitate omnino nihil immutent. Consensu demum totius exercitus, iureiurando hæ conditiones firmatæ. Datis deinde & receptis uicissim obsidibus, impedimenta omnia, machinæ, arma hostis fidei concredita, qui ut aliquid hostile moliretur in deditios, tantum absuit, quod etiam fame affectos liberalissimè refecit, & pauit splendidissimè.

De urbe Damiata reddita Soldano, nostrorumꝙ deditione & discessu miserabili. Caput IX.

CLadis acceptæ fama, iamdudum ciuium ac reliquorum in Damiata agentium, perculerat aures, cum uerò nuncius de dedita urbe audiebatur, ingens controuersia exorta fuit. Nam sublatis in cœlum manibus, plurimi & Legatum & reliquos Duces apertè diris deuouebant, pectora unguibus dilacerabant, capita pugnis contundebant, crines euellebant, raras & miserabiles uoces proferentes. Venetus, Genuensis, Pisanus, Siculus, Italicꝙ, tam nobile emporium, tam munitum propugnaculum Orientis, nunquam dimittendum censebant. nam ea amissa, spem omnem, & Imperij in Syria conceptam persuasionem unà euerti. omnia prius expedienda esse, quàm tam fœdam pacem, tam indecoram deditionem faciendam dicebant. Germani, Franci atque alij è contra, tot millia hominum, dum incolumes redimi una urbe possent, seruãda esse, imò uix eam retinendam, si uel unius Christiani sanguine commutanda ueniret. Vrbes censeri uiris, uiros muris, mœnibus haud constare. Hanc ipsam aliquando recuperari & expugnari iterum posse, cum tanta hominum multitudo, tot fortium uirorum capita haud facilè congregari possint. Belli leges esse uincere & uinci: humanum esse, fortissimis uiris accidere sinistros atque pares casus. Creuit tentatio, adeo ut dimisso concilio, qui urbem reddere recusabant, ad arma discurrerent, hospitiacꝙ Principum aduersæ sententiæ, ac clientum irrumpentes, eorum arma compilant, armamentarium publicum occupant, inermes deinde in sententiam suam descendere cogunt, urbem

mu-

muniunt, catapultas & iacula in mœnibus congerunt, hostem expectaturi. Postquam renunciatum est circumuentis ab hoste, Damiatæ certari de sententijs, ac quosdam periculum publicum, quàm priuatum commodum minùs habere sollicitos, consultare cœperunt, quidnam agendum. Meledinus eos bono animo esse iubet, in innoxios se nunquam sæuiturum, perinde sibi esse, si Ptolemaidem, quam in potestate haberent, pro Damiata sibi reddere curarent. Hæc ijs renunciari iusserunt nostri, quibus de tuenda Damiata, sententia, quibus etiam uxores & liberi, cum domibus & supellectile, apud Ptolemaidem relicta erant. Hoc nuncio itaque territi, de urbe restituenda fœdera tandem admittunt. ad quam relationem, miserabilis in publico & priuato oritur lamentatio. Quam matronarum fletus & comploratio auxit, dum hinc inde ad Templa cursitant, Heroës sanctos, ipsamq; Dei genitricem, quàm æquum sit, plus Sarracenis conniuere accusant, quàm iustum sit, in fideles iratiores esse. Complectebantur aliæ paruos natos, sortem illorum lamentantes, quorum ortus in ea tempora incidissent, ut patriæ incognitæ adhuc excedere cogerentur. Hunc omnium ordinum, ætatum, sexus omnis dolorem, Templariorum, Hospitaliorum, Germanorumq; magnanimitas, persuasionibus atque pollicitis leniebant, ita ut ad diem præstitutam, urbe exeuntes ciues, arma, supellectilem in castra, quæ ad Nilum collocauerant, deueherent. Tertia deinde die, adest Meledinus, ubi recensitis qui urbem exierant, septuaginta millia hominum capita inuenit, quos singulos starlingum unum soluere sibi iussit, nullam pecuniæ cupiditatem secutus, tantum ne quouis iuris prætextu, Christiani imperium & urbis possessionem liberam tenuisse uiderentur. Est autem Starlyngus numismatis genus, Sturni auiculæ nota signatus, quod eo seculo Principibus, sturno insigniri placuit, ut posteri ultramarinarum eorum expeditionum admonerentur. Sicut enim sturni gregatim uolantes, magno impendentis uindemiæ damno aduolant, sic exercitibus Orientis regiones uberrimas sese occupasse, indicare uolebant. Habeo tamen authores idoneos, qui in altera parte denarium stellam habuisse, in altera sturnum, quæ duo insignia, etymo apud Occidentales plurimum respondent. Valor sex & uiginti starlingorum, unius unciæ argenti. atque apud Anglos in usu esse etiam hodie perhibetur, Esterlingorum nomine, O in E mutato. Ost enim, Oriens ipsis dici solet, quod à rebus Orientalibus nomen numisma deduxisse, haud leue argumentum exhibet. Captatione finita, cum classis quæ in portu Damiatæ subsederat, ad traijciendam in Syriam cum omni supellectile multitudinem haud sufficeret, rebus nauibus impositis, accepto à Soldano filio eius obside, illæsi per deserta in Palestinam usque omnes deducuntur. Quibus autem nec mari nec terra, reculæ tunc in Syriam deferri poterant, ad eas reuehendas, spacium anni integri datum atq; concessum est. Egit etiam cum fratre Corradino, Damascenorum Principe, ne in deditios per octennium aliquid hostile moueret. Ita restituta urbe Barbaris, tot irriti labores redditi,

dum Purificationis Marię die habitari sit cœpta, ad eiusdem natiuitatis diem sesquiennio postea, Barbarorum superstitioni reddita est, Anno uidelicet à nato Christo, millesimo ducẽtesimo uigesimoprimo, sexto Eid. mensis Germanici. Quam indignitatem leuiorem fecit, quod Meledinus incruẽta uictoria de nostris potitus, clementissimum se nostris exhibuit principibus, tenuiores commeatu, uiatico iuuit. Proceres magnificè donatos, atque honoratos dimisit.

De Brennæ regis Hierosolymæ aduentu in Italiam, discordia inter Rom. Pont. & Imp. ac morte Gallorum regis. *Caput X.*

POstquam igitur nostri cum rebus omnibus integris, in Syriam redierant ex Aegypto, Legatus classe in Europam reuehitur, dissolutisq́ exercitibus, quisque principum ad propria reuersus est. Appulus Matthæus in suã prouinciam, Bauarus in Germaniam, Anglus autem Albonactus in itinere morbo perijt. Ioannes rex, urbe Tyro, Ptolemaideq́ munita resq́ suas, ut poterat, componens, pro subsidio implorando, iter ad Occidentales principes parabat, de fide Soldani securus: quam quidem expeditionem, Genuensium ac Pisanorum seditio multum morabatur. Pisanis rex mirum immodum fauere uidebatur, eorumq́ classe ut in Italiam deportaretur, omnia parare iusserat. Genuenses rerum Pisanorum æmulos, tanta apud regem authoritas magis iritare cœpit, ipsosq́ Pisanos elatiores reddebat. quæ res pacem quinto antea anno, pontificum cura, inter eos confectam, facile diremit. Primo equidem tacitæ criminationes, ac inter æmulos conuitia exaudiebantur, deinde rixæ exortæ, tandem ad arma uentum est. In ipsa Ptolemaide urbe apud Tyrum rex Brenna agebat, cum Pisani correptis armis, in ædes Genuensium, clientulorumq́ eorum impetum faciunt, obuios cædunt, fortiter resistentes, cum ferro uincere haud possent, ignem ædibus inijciunt, quo incendio magna urbis pars deformatur, necnon turris quæ Genuensium sumptibus (in ea urbis parte, quam pro rebus gestis, à Balduino secundo rege Hierosolymarum, dono acceperant) mira elegantia, solidissimeq́ ædificata fuerat, per Pisanos deijcitur. Tanta iniuria accensi Genuenses, collatis uiribus in hostem feruntur, tanto equidem furore, ut Pisani urbi cedere cogerentur. Profligato hoste, incendij restinguendi, rerumq́ suarum conseruandarum causa, Pisanos haud insecuti, in urbem redeunt, cum ecce Brenna rex forte fortuna aduentans, fugientes Pisanos in urbem reducit. Sæuitum est in Genuenses, rege non admodum prohibente, exsatiataq́ ira, cum demum de concordia partium agi cœptum. Conditiones pacis hæ fuere, Turrim deiectam restaurarent Pisani. Rerum iacturam, damnumq́ illatum ex æquo Genuensibus resarcirent. Genuensis tàm diu in ferendis in urbem mercibus abstineret, nauibusq́ suis in porta Berythensi consideret, quoad in integrum restituerentur omnia. Rebus ita compositis, Brenna rex, Pisanorum aliquot nauibus conductis, haud magno comitatu stipatus, in Italiam traijcit, per Tyberim Romàm delatus, ab Honorio tertio Pontifice Maximo susceptus benignè. Dies aliquot quieti dati. Senatus datus. Brenna

rex

rex coràm exposuit. Quo in statu Syriacæ res constitutæ essent. Inducias in octauum annum à Meledino datas, suspectas sibi esse, ac quum fidei tenacissimus haberi uelit Soldanus, ne Tartarorum ad id fœderis rumpendum auxilia imploret, se uereri. Armeniam enim maiorem, gentem illam diripere, ne scio quid Syrię minari. Tẽpus elabi, pręsidia minui, indies & uires, animos decrescere, nihil apparere, de quo cõfidere possit, quandoquidẽ & ipsi Sarraceni, malis edocti sapere, Christianorum Tartarorumq; uires suspectas habere, animos consociare incipiant. Proinde se aduenisse, ut consilio, ope & auxilio Occidentalium implorato, maturè rebus Hierosolymitanis consuleret. Romanam sedem primo adijsse se, tanquã columen, Reipublicæq; Christianæ caput. Regnum quod uectigale Innocentio fecisset, Honorio iam resignare, nisi quibus integrum Ecclesiæ conseruare possit, illi subueniatur. At ne consilij omnino expers uideatur, iamdudum illum rationem inijsse, ut priuato commodo postposito, Reipublicæ consulere possit. Genuisse se ex Maria Balduini Quarti Hierosolymitani regis nepte, Conradi Monteserratensis filia, Tolantam, uirginem nubilem, eamq; Frederico Siculo, Henrici filio, quem imperio Romano præfectum audijsset, per internuncios despondisse, principi suo iudicio maximo, qui terra mariq; potẽs, desperatis fermè rebus, haud dubiè opem adferre possit facilè. Nec Fredericum tantę rei onus recusaturum, quandoquidem ipsemet pollicitus esset, iuri omni se renunciaturum, quo ad res Hierosolymitanas appetendas uti posset, imò & iure materno, et dotali, in filiam sacri regni potestatem omnem se remissurum, ut Fredericus maiore animo sacrum bellum tandem capesseret. Hæc cõfractas Syrię opes, hæc & tempora ipsa exposcere, sibi uideri. Quod si alia aliqua Reipublicæ Christianæ in Syria subleuandæ ratio supersit, patres ipsi consultent, se omnia pro uirili exequuturum, & administraturum strenuè. Hæc effatus, ac excedere iussus, diu consultatum fuit imparibus sententijs. Fredericus eo enim tempore hostis Ecclesiæ Romanæ habebatur, sacrisq; abstentus, pessimè illi cum Honorio conueniebat. Is ab Innocentio, infans adhuc, pupillus à tutore hæreditario regno spoliatus, ex libero factus tributarius, nec Henrici parentis, nec matris Constantiæ fide aut precibus, liberè regnare permissus. Cum inter Othonẽ 4. & ipsum Innocentium, deinde exorta discordia, imperij res turbarentur, Otho Sicilię regnum etiam Inuito Papa inuasisset, qui quidem ipse regni imperium ambiebat, sic decimũ ac quartum annum agens Fredericus, quanq; etiam in cunis anno ætatis suę primo, Romanorum rex à Germanis dictus fuerat, per Henricum de Nisen, & Anshelmum de Iustingen uiros militares, nomine procerum Germanorum, ad imperiũ ex Sicilia euocatur. Romam igitur cum uenisset, à Pontifice, ciuibus, omnisq; Ordinis hominibus benignè susceptus, tamen exposcens, nec benedictionem nec coronationẽ ab Innocẽtio impetrare potuit, blandis tantũ uerbis à põtifice delinitus, in Germaniã abijt: nã pontifex, magni animi uir, & hũc, sicut Othonem prius, ex tota Italia quærebat deturbare. Fredericus ut artem arte luderet, pro tempore hæc dissimulanda ratus, cum Otho à Francorũ rege in prælio uictus aufugerat, Aquisgrani se coronare fecit, ac ut pontifex ratum haberet, quod Principes Germani constituerant, etiam Fundanum Comitatum

in

in Latina Italiæ regione illi dono dedit, assumpta crucis tessera. Sic Innocentius delinitus, quanquam Sueuorum genti esset inimicissimus, tamen ad coronam Augustalem, Romę suscipiẽdam Fredericũ adhortabat. Sed dum ad iter se parat Imperator, Papa discordiæ tollendæ causa inter Pisanos & Genuenses, Perusium uenit, ibíq; mortuo, Honorius tertius suffectus est. qui anno 1220. Fredericum, opera Hostiensis episcopi Hugolini, in urbe coronauit, uicissim multa prædia cum donis plurimis recipiens. A coronatione iniuriarum memor Fredericus, in Bononienses mouet, qui in itinere ad Romam euntem indignè exceperant. expugnata urbe, & incendio deformata, studium generale illinc in Patauium transtulit. Mox cum audijsset Apulię Comitem Matthæum, qui ex Syria redierat, res nouas moliri, ac ascito sceleꝛum socio, Thoma quodam regulo, præsidia & oppida plurima occupare, in Tuscia quoq; bella gerere, cõscripto milite, cõiuratos adorit, rebelles omni ditione eijcit, bonisq; omnibus priuatos, in exiliũ detrudit. Expulsis igitur aduersarijs, quod callidè diu occultauerat, animum scilicet in pontifices exulceratum, ostendit. Captata enim occasione, dum episcoporum nonnulli, in Sicilia, Campania, Brutio & reliquis regni locis contra ipsum conspirassent, ac inaugurati à pontifice, multa in ipsum moliti fuerant, eos omnes exauthoratos solum mutare coëgit, præter quosdam quos & uita priuauit, subiectis illis, de quorum fide & amicitia sibi magna polliceretur. Exules Romam perueniunt statim, põtificis subsidium implorantes. Hinc prima inimicitiarum fomenta, inter utrunque erumpunt. Pontifex missis legatis, petit, ut imperator ecclesiastica autoritate inauthoratos episcopos restituat. Vt à regulis, quos ecclesia in fidem recepisset, abstineret. Ad hæc indignatus imperator respondit. Hãc quidem inter sacerdotium & regnum diu coalitam discordiam refricare, pontificis esse ambitiosi, qui bellum quàm pacem mallet. Pessimo hoc exemplo fieri, cum quadringentis & amplius annis à Carolo Magno, Imperatoribus licuisset dignitates Archiepiscopales, nec non & cæteras, per singulas prouincias, per annulum & uirgam conferre. Quod si obijciatur Gregorij septimi, & successorum eius aliquot conatus, magno uniuersi orbis Christiani scandalo & fraude constituta, rescindi iure posse. Non se Henrico quinto, non Frederico auo inferiorem, idem onus ampliandi imperij illi incumbere. Haud sine dolore etiam in memoriam illi redigi, qua uiolentia Constantia Siciliæ regina, mater eius pientissima, iure electionis prælatorum, ab Innocentio sit spoliata. quandoquidem constet, Apuliæ reges id iuris habere peculiare. Hæc & si satis essent, ad alienationem animi, & amicitiam uel synceram interrumpendam, tamen ne publica tranquillitas interturbaret, deuorãda sibi proposuisse: ni tã aperto odio põtifex, & impotẽti debaccharetur, quod publicos imperij hostes, quod eius inimicos capitales immeritò foueret. iam fidem facere, iamdudum in omnium ore, uulgatæ famę, pontificis instinctu, quicquid tentassent, inchoatum fuisse. Hæc nec Guilhelmi auunculi in Romanam ecclesiam beneficia, nec parentis Henrici liberalitatem meruisse. Vltimò in hanc uocem cum prorupisse, ferunt. Quousque tandem, patientia mea abuti, quando ambitioni suæ pontifex modum uult statuere? Marquardum de Anvuiler, Flamminiæ prouinciæ nostræ pręfectum

fectum Innocentius Pontifex, dum in cunis ago, imperio eijcit, ut infantem me Hexarchatu Rauennæ spoliet. Theobaldum Picenorum prætorem, à genitore institutũ, exegit, ut puerulũ me etiam hac priuaret dignitate. Hetruriam mihi adolescenti sublaturus, per nuptiarum conuentiones Philippum patruum deludit. Fundanum comitatum, ne homo callidus, apud Germanos, ad imperium euocato, insidias strueret, mihi emunxit. Coronam liberi imperij, quam beneficio diuini numinis adscribimus, atque electioni principum tribuimus, unctionem Augustalem, quãtis muneribus emercari oportuit ab Honorio? Iam & maiestatem imperatoriam, quam suffragio proprio ratam fecit, contemptui habere incipit. Quis hanc diutius in sacerdote pręposterã ferat ambitionem? Ite, renunciate pontifici, coronam me prius depositurum, quàm commissurum, ut tantæ maiestatis diminutio inducatur. Hoc responso accepto Pontifex commotus, hostem ecclesiæ Fredericum pronunciat. Imperij & regnorum suorum subditos à sacramento fidelitatis absoluit: è contra magno impetu res Ecclesiæ Fredericus inuadit. Durauit sesquiannũ hæc discordia, & paulò amplius, cum ut diximus Brenna rex è Hierosolyma Occidentalinm subsidium imploraturus adest, ac Frederico cum filia regni iura ac titulos offerebat. Siquidem Constantia Arragonia iam fato functa erat, Frederici coniunx. Post longam procerum ecclesiæ consultationem, Põtifex persuasus, ut absolutus imperator, in amicitiam reciperetur ecclesiæ, Fredericus uicissim res ecclesiæ restitueret, in Asiam cum milite subsidiario se traiecturum iuraret, ac Iolen Brennæ regis filiam uxorem duceret. Ex quo, Fredericus, & qui deinceps in regno Siciliæ successerunt, Hierosolymarum reges appellati sunt. Nec mora, in Asiam mittuntur qui puellam imperatori aduehant. ipse Brenna rex Pisas deinde se contulit, totius urbis gaudio ingenti exceptus. Delatus inde in Franciam Meduntam ad regem Philippum, iam lecto decumbentem peruenit, qui quum tres & quadraginta annos regnasset, uita omnium dolore excedit. Ex testamento, ad usum belli sacri Brennæ regi, magistrisq́ Templi, & Hospitalis sexagena millia aureorum reliquit. Hac pecunia ditatus Hierosolymitanus, uoto se exoluturus, diui Iacobi ędes sacras ad Compostellam petit. in Angliam prius traijcit, ubi ab Henrico hospitaliter acceptus, magnis muneribus donatus est. Proficiscens, mausoleũ diui Thomæ Cantuariæ inuisit, quatuor preciosissimos Saphiros, qui domini nomine in ornamẽtis essent, ibidem reliquit. In Hispaniam profectus, Berengariam Castulonensis regis sororem, uxorẽ duxit. Tandem in Galliam reuersus, apud Viennã cũ coniuge, expeditionẽ Frederici expectãs, desedit.

Soldanus Imperatoris amicitiam ambit, Hierosolymarum regina Iole Frederico, è Syria transuecta, matrimonio copulatur. Caput II.

INterea dum nuncij Iolen in Europam aduecturi, in Syriam uenissent, ingens Christianorum exoritur lætitia: iam animos sumere, iam maxima quæque sibi polliceri fideles incipiunt, cum potentiam Frederici maximam scirent, cum nouissent, regem Hierosolymitanis rebus præfectum, qui animi corporisq́ dotibus ac bellica arte principes eo tempore, antecelleret omnes. Laboris patientem, ad pericula subeunda strenuum, inter ipsa discrimina magni consilij, liberalem, magnificum, Grææ, Latinæ,

Arabicæ, Gallicæ & Germanicæ linguæ peritum, regij splendoris, quo nullus à Carolo Magno Romanorum imperium tenuerat potentior. Præterꝗ enim quod Germanis fermè omnibus aut imperaret, aut obseruaretur, Siciliæ, Sardiniæ regna gubernabat. Fœlicem puellam esse, ac tali marito beatã exclamabant, eamq; ut tanto regi dignam reginam mitterent, publicis priuatisq; opibus, eam adornare student. Vestis uaria ac preciosa primò, deinde ornatus ambitiosissimus additus. Additæ puellæ ingenuæ, purpura & cocco amictæ, quæ profectionem comitarentur, additum stipatorum agmen, uiribus, ornatu admirandum. Classis parata, in qua multæ naues à puppi auro, cætera purpura stratæ apparebant. Sic regina, omnium fausta imprecatione, nihil inuita, nihil resistens auehitur. Dum autem hæc parantur, Corradinus Syriæ Soldanus, potentiam Frederici suspectam habens, rebus suis diffidere cœpit, nec armis imperatori resistendum ratus, sed beneficijs atque amicitia illum deliniendum. Missa igitur legatione ad Fredericum, de Meledini fratris inducijs, se omnino nihil mutaturum pollicetur, Christianorum res in Syria nulla molestia affecturum. Petere tantum, ut rata habeantur fœdera, per se Christianorum cuiq; tutum fore, loca sacra Hierosolymis, per totamq; Palęstinam uoti gratia inuisere. Cęterum si bellum quàm pacem magis amet, si pontificis Romani instigationibus, quàm Reip. tranquillitati inniti malit, haud defore sibi Tartaros, qui iamdudum ad tutandam gentilem persuasionem, arma, uiros ac omnia quę ad prohibendã uel inferendam uim satis sint pollicitos. Fredericus calliditate ingenij, has Soldani minas lusurus responsa differt, legatos blandis uerbis per sesquiennium in Germania detinuit, nunc ecclesiæ & regni discordiam, nunc imperij negotia, ac Germanorum motus causatus. Honorius enim negotium Syriæ & expeditionem urgebat, etiam alieno tempore, cum sacramenti religio, quo inita inter Sarracenos & Christianos pax firmata erat, obstaret. Præterea proximis annis Tartari utramque Armeniam cum Gorgia uastarant, direptasq; & uastatas, suo imperio subiecerãt, ac uictoria elatos, facilè adfuturos Corradino uerisimile apparebat. In cunctantem igitur Fredericum, animo infenso ferebatur Honorius, Ligures, Insubres & Venetos omnes concitarat, ut ad Ligniacũ de Repub. tuenda, & Frederici conatibus resistendo inirent rationes. ac denuo magni aliquid in ipsum molitus fuisset, nisi morte præuentus, extremũ clausisset diem. In locum igitur defuncti, Gregorius nonus succedit, qui homo arrogans, tumidusq;, statim omnia licere sibi putabat, temerè ac omnino uanè, diris & anathemate imperatorẽ ferit, non alia de causa, quàm quod uotum Hierosolymitanæ expeditionis (quod consulto & prudenter, multis rebus obstantibus differebat Cæsar) adhuc non soluisset. Sed commodum adfuit Iole sponsa Frederici, antequam latius imprudentis Pontificis odium serperet, aut excitaret rerum incommodum. Ea equidem, iam in portum Pisanorum applicuerat, ubi exquisitissimis honoribus, ac publico hospitio excepta, Parentem obuium habuit, ac imperatoris legatos cum ingentibus muneribus audiuit. Deinde cum procuratore imperatoris, more regio nuptias peragit. Iole enim nuda thorum coniugalem, matronis nonnullis ac principibus testibus ingressa, cum uicarius mariti imperatoris alterum crus genu

genu tenus intra stragula iniicit, perinde quasi ita puellæ notitia habita, matrimonium pro consummato haberi deberetur. Sic demum Brenna rex Romam deducitur, ubi cum pontifice Gregorio de reconciliatione imperatoris, ac filiæ nuptijs agit. Pontifex qui de agenda Ecclesiæ autoritate sollicitus, nisi Fredericus electionis ius, nonnullaq; oppida, quæ in Aprutio detineret, restitueret, ac primo quoq; tempore cũ copijs ipse in Asiam traijceret, omnem pacis spem admittere recusabat. Delinitus tandẽ Brennæ precibus, cum debitam reuerentiam ecclesiæ, ac expeditionem opportuno tempore polliceretur imperator, Romã ex decreto accessit. Raro ulli imperatorum itum est obuiam frequentius ab omnibus ordinibus. Ad D. Petri ædes in Vaticano, pontifex gratulatus illi fœlicem accessum, cum de more pedem exosculãdum exhibuisset, imperator genua ceu errore lapsus, summis uix labellis basiauit, quæ quidem incuria altius in pontificis animo hęsit, quàm ut unquam obliuisci posset. Sed ne quis motus in urbe oriretur, cum præsidia omnia & loca opportuna à Frederici militib. occupata uideret, omniumq; hominum animos in fauorem illius promptos cerneret, ad arã illum maximam comitatus, fausta imprecatione benedixit, in ędibus pontificijs hospitio excepit. Post aliquot dies, Iolę apud Hostiam applicuit, ubi triduo in præsidio fuit, ut maiore ornatu in urbem ueheretur. Patritiæ fœminæ ferè omnes, eleganti forma præditæ, cæterum auro, gemmis, purpura coccoq; fulgentes, triremibus magno studio instructis, secundo Tyberi, obuiam puellæ Hostiã usq; missę. Vtriq; ripæ præsidia & custodia imposita, ne quid intentaret abeuntibus aut redeuntib. Tandem ubi in naualia regina uenisset, à purpurato põtificis, imperatorisq; legato benignè excepta in Ianiculum, ubi olim castra Rauennatiũ, nunc S. Marię Transtyberinę palatium, & templũ à Calixto primo ædificatum, diuertit. Ex primoribus patrum eam mane uesperiq; officij causa adibant. dicta interim dies confarreationi, qua tanti hospites iungerentur, coronarentur, ac farreo libo communicato degustatoq;, solenni Christianorũ ritu, coniungerentur. Instructo itaq; ad tempus comitio, edicto iustitio, iussæ eò conuenire ex patritio ordine forma & ornatu prę stantissimę quęq;. Iolę in publicum uenienti corona à pontifice imponitur, inq; imperatricem uncta, Frederico imperij insignijs fulgenti, more maiorũ iunctis dextris, annuloq; dato, copulatur. Thesauri ingentis precium fuit, quod à pontifice, à patribus, puellę dono datum, nec matronarũ inferior fuit hilaritas atq; munificentia, pręter id quod S. P. Q. R. dono misit, quę et si uaria preciosaq;, Germanorum tamen liberalitate atq; ingenio superabantur. nam per legatos sponsis, futurę sobolis omen miserant, cunabula scilicet cum stragulis, ex cõchis, ebore, auro, margaritis tam scitè fabrefacta omnia, atq; texta, ut neq; precium ingenio, nec ars ualori cederet. Indulsit deinde tota urbs plures dies lętitię & nuptijs, nocturni ignes per uicos & compita editi, aurigationes, Taurilia indicta. Equestres ludos, quos Torneamẽta uocãt, Germani exhibuerunt, quibus imperator ipse pręsedit. Victores à Iole donati & laudati. Stips sparsa. Epulum deinde publicè datum. Multi ad equestrẽ dignitatem promoti, in tribus & centurias congiarium uiritim per sequestres & diuisores largitum. Dimissus igitur imperator cum coniuge, non mi

 nori

nori pompa quàm receptus erat, ad mare deducitur. Cōfestim ergo Neapolim transijt, quem sui terrestri itinere secuti sunt. Deinde in Siciliam cum traiecisset, reb. regni cōpositis, Rauennā adijt, postea Cremonā perueniēs, procerum conuētu habito, Syriacæ expeditionis cōsilia inijt. Audierat Corradinum res Christianas lacessere, ac ab Arsacida, instinctu Corradini sicarios in Europam missos, qui reges trucidarent, Francumq́ue regem; qui insidias præcauere iuberet, nuncium accepisse. Cōtinuo igitur ad bellum animū adijcit, pontifici consilium aperit, utq́ue subsidio sit, hortatur. Eo ipso quoque tempore, Iole puerum enixa in puerperio moritur, lætitiæ atq́ue doloris domestici publicíq́ue casus.

Fredericus in Asiam traiecturus, morbo impeditur, pontificisq́ue perfidia reuocatur. Caput XII.

ANnus iam à Christo nato agebatur millesimus uicesimusq́ue septimus supra ducentesimum, cum in Asiam traiecturus Fredericus, Italorum cōuentum habuisset Cremonæ, Henrico filio Cæsari mandat, ut apud Aquisgranum indictis comitijs, de bello Sarracenico referat. Affuit principū omnis ordo, collata pecunia, equi, arma, annona, impedimēta, commeatus, promissa & exhibita. cruce signata ingens hominū multitudo, cū in publicis concionibus, plebs ubique adhortaretur ad bellum sacrū suscipiēdum, conuolauit, quæ ut ad tertiam diem Brundusij cum armis adesset, iussa, duce Ludouico Turingiæ Lantgrauio, legato Sigefrido Rechbergensi Vindelicorum Episcopo. Interim etiam pontifex prætextu religionis, Brennam regem cum uxore Berengaria, ex Allobrogibus, Bononiam usque euocarat, Venetorumq́ue haud paruam nauigiorum uim conduxerat, quibus Brennam in Asiam mittere uelle iactabat, sed reuera aliud coquebat pontifex. Nā memor, quàm frigidè exosculatus esset Fredericus porrectos calceos, totius Italiæ imperium auferre illi conabatur. Vrgebat præterea hominem, ut tandē iter iniret, quod sacramento, se suscepturum hoc anno, firmauerat. Imperator ut Brennam regem cum classe Italica præmittat, pontificē hortatur, Germanos nulli, nisi suo imperatori parituros, neminem sequuturos. at surdo fabula narratur. Nisi maturet iter, pontifex diras, anathemata minatur. Nullos amplius nuncios, legatos nullos Imperatoris admittere, aut audire uoluit. Dum altercātur principes, magna peregrinorum manus ex Germania adest, quæ subito aëris insueti alteratione, dum classis paratur, affecta, peste & multis incommoditatibus consumitur, inter quos Ludouicus Dux, ac legatus Augustanus peste correpti, uiuere desierunt, cum conscensis nauibus, præeuntem Fredericum sequi instituissent. Is quoq́ue aduersa ualetudine correptus, ne Reipublicæ deesset, ad Maleacum promontorium usq́ue processerat. Vbi ab oræ illius principe Henrico, Genuensium amico ac socio, humaniter exceptus, tam uehementi morbo affligi cœpit, ut medicorum desperatione, omni solatio destitutus, præsentem opus habuit timere mortem. Auxit morbum de Thuringi & Augustani obitu allatus nuncius, item classis subsequētis periculum. Per quinquaginta enim millia passuum Maleę promontorium in mare protenditur, quo fit, ut aduersi flatus uentorum, inter Peloponesi & Cretæ insulę angustias, naues difficulter in Creticum mare emittant, sed scopulis sæpius illisas, periclitari faciant. At quod hominē penè enecauit

cauit, fuit pontificis perfidia, qui ſtatim à diſceſſu Frederici, Matthæum & Thomam, exules in Apuliam (ſubminiſtrata, quæ offerebatur in uſum Sarracenici belli pecunia) miſit. Rauennam deinde Brennam occupare ſuſſit, atque Flamminiæ Hexarchum dixit, cum Mediolanenſibus Veronenſibusꝗ egit, ut aduentantibus è Germania principibus iter obſtruerent, interciperent cruce ſignatos, uiaticoꝗ omni ſpoliarent, cum tamen prius per Conradum Portuenſem Cardinalē & Legatum, ad Hieroſolymitanā expeditionē, Chriſtianos omnis ordinis, tam ſeueriter efflagitaſſet. Iam uerò cõualeſcere incipiebat Imperator, dum cum ijs, qui in Laconiæ regionibus cõſtiterant, Brunduſium reuertitur, miſſo nuncio ad eos, qui in Aſiam tranſierant, propediem, & quàm primum conualeſceret, ſe adfuturum. Deinde ad infirmandas opes Pontificis, aſcitis ex urbe Frangepanibus, familia prępotenti, ingenti pecunia, fundos, prædia, clientelasꝗ ab ipſis mercatur, quæ mancipio omnia ipſe recepit, illis uſui dedit, inſuper etiā liberos, imperijꝗ clientes pronunciat. Illi ſtatim Pontifici in urbe & Latiò res nouas molienti obſtaculo fuere. Fredericus, exules qui oppida nonnulla receperant, prouincia iterum expellit, ac iam in Brennam ſocerum ducturus, conſilio & precibus amicorum ſubſiſtit. Nam Pontifex execratum publicis literis, libellisꝗ famoſis, deſertorem erronemꝗ appellabat, pædonem, parricidam, periurum, quod in Aſiam non traieciſſet, ſed ut Ludouici ſupellectilem diriperet, iuſiurandi immemor, ſimulata ualetudine rediſſet, quod ingenuæ cuidam puellæ, quæ Tolanti uxori ad officium adfuiſſet, ſtuprum intuliſſet, zelantem coniugem, ac apud parentem conquerentem, uerberibus affectam, in carcere enecaſſet, quod puſillanimitate & cũctatione ſua meticuloſa, iādudum Damiata ſit amiſſa, copiæ quæ nunc in Aſiam miſſæ proditæ ſint. quæ etſi ementita omnia, tamen qui pontificis authoritate ſimpliciores, aut inuidia excæcati, hæc & crederent, & uera eſſe affirmarent, reperti ſunt multi. Opus igitur erat, ut maieſtati inflictam notā dilueret, apud omnes, quod & fecit, miſſis ad Germanos literis, quibus rationē reddit geſtorum, ac præſentium deplorat iniuriam, ſumma in ijs modeſtia uſus, ut benedictis cum calumnia certare uideatur. Paratis iterum rebus, multa ſolertia, reparata claſſe, 3. Eidus Auguſti, Anno milleſimo ducenteſimo uigeſimooctauo, Brunduſio ſoluit, in Aſiam traiecturus.

Hieroſolymitanum regnum recuperat Fredericus ſecundus, atq; etiam inuito Pont. Max. inſidas regni ſuſcipit. Caput XIII.

PErueneratiam Fredericus in Cyprum inſulam, cum Corradinum, qui legatos de pace, & reſtituenda Hieroſolyma in Apuliam uſque miſerat, diem ſuum obijſſe comperit, liberorumꝗ eius tutorem cum ijs, qui illum in Aſiam præceſſerant, ad biennium inducias iniſſe. Allatæ etiam ſunt & interceptæ literæ, quas pontifex Hieroſolymitano Patriarchæ, cæterisꝗ regni proceribus ſcripſerat, ut ſibi ab Imperatore cauerent. Illum enim ſe inſalutato, execratum adhuc nec cum eccleſia reconciliatum, traieciſſe. Vereri ſe ne perfidum hominis ingenium, rem Chriſtianam afficeret aliquo incommodo, aut clade aliqua inſigni. Hæc ſimul in Syriam ſcripſerat, ſimulꝗ capṫata occaſione, ob abſentiam Imperatoris, Apuliam totam cum ingenti ex

ercitu inuadit, ditionem omnem occupat, qui cruce signati transfretare cupiunt, Italia eijcit. Picenum quoque agrum uastans, alterum Frederici præfectum, intra regni fines sese recipere coëgit. at iam Siciliæ regno imminebat conscripto ingenti milite, magnisq́ pollicitis allecto, ad sacram militiam proficiscente peregrino. Imperatorē ecclesiæ Brennam, & Columnensem Cardinalem legatum dicit. In Asia uerò Imperator pontificis insidijs petitus, Sarracenos, quàm Christianos habuit fideliores. Raynaldum Bauarum Vuelphonis F. quem magistrum equitum dixerat, iuuenem strenuum, Ptolemaidem cum copijs haud contemnendis præmittit. Is ut iussus erat, cum Soldano de pace agere cœpit. Templarij, Venetiq́ Frederico infensi, statim tumultum excitarunt. Prodi res Christianas exclamant, populum ad libertatem conuocant. Raynaldus oppressis seditiosis, urbe Venetos pellit, ac nisi religio obstitisset, Templarios unà cum eorum sacrario deleuisset penitus. Tunc consilio & ope Genuensium, Hospitalariorum, Teutonicorum fratrum, Pisanorumq́, Imp. in Syriam uenit. Conditiones à Sarracenis honestæ, Reipublicæq́ Christianæ saluberrimæ petitæ & oblatæ, priusquam tamen sacramento interposito firmaret aliquid, pontificem, quo in statu res sint, per literas nunciosq́ solennes, certiorem facit, congratulationem ab eo expectans, & gaudium publicum Christianorū. Insanus pontifex, nec legatos audire, nec literas recipere dignatur, sed discerptas proijcit, nouoq́ anathemate ferit Imperatorem, Hetruriæ Insubriæq́ regulos omnes excitans, ut conspiratione inita imperij res conturbent. Amens omnino, legatos, militesq́ & Germanos & Gallos, qui nuncij rerum aduenerant, ne uerum dicerent, detinet, tandem & trucidari facit. Fingit deinde mortuum esse Imperatorem, ut hac fraude, quæ adhuc in fide Frederici persisterent, ad se flecteret, nec omnino infœliciter illi hoc successit. Soldano deinde scribit, rogatq́, & enixè obtestatur, ne terram sanctam Frederico restituat. has ubi accepisset Soldanus, Frederico misit. At Imperator tanq́ fortis athleta, omnia fortiter tolerans, propter amorem Christi, in Cypro à rege etiam insidias perpessus, tandem cum Soldano pacem inijt. Fuerunt autem pacis formulæ. Fredericus Hierosolymorum rex ināgatur, ac habeatur. Ipsam urbem cum Palestina sibi habeat, Nazareth, Ioppen, cum oppidis & fundis instaurare, firmare illi pro libitu liceat. Eaq́ omnia quæ in potestate Balduini quarti fuerunt, et per Salahadinū ablata, Frederico restituantur. Captiui sine precio in libertatem redeant. Soldano uicissim templum Domini in Hierosolymis integrum reseruetur, præterea quod Arabiam spectat præsidium, Crath nomine, insuper etiam mons regalis. Cæterum utriq́ genti pax in decennium esto. Sic pace confecta, Imperator cū exercitu Hierosolymam peruenit, ubi ipsa Dominicæ resurrectionis die, millesimo ducentesimo uigesimonono anno, regni ciuitatisq́ sacras infulas suscepit, ac coronatur, præsentibus omnium regni illius urbium legatis. Patriarcha uerò cum clero, pontificijs minis exterritus, solennitati adesse aut non ausus fuit, aut noluit. quæ res quidem altius in animum Imperatoris descendit, quàm quisq́ suspicatus esset. Defuere etiam Cypri regis legati, Oliuerius Templi magister, cum suis quoque. Inauguratus iam regno Fredericus, urbis muros, ex fundamentis reparat.

parat, ædes quoque sacras restituit, quædam ex integro extruit. Nazareth deinde & Ioppe, pari modo firmatis, præsidia imponit, armis, commeatu, rerumque necessariarum copia communit. Tandem rebus optimè constitutis, Syriæ Raynaldum præficit, classe, milite, equiteque ad domandos rebelles illi adscripto, duabus tantum triremibus, in Apuliam reuersus est. quam occupatam à pontifice breui imperata facere coëgit, imò Gregorium ipsum adeò uexauit, ut ferme Roma, totaque ex Italia pepulisset certe, ut uno omnes consensu tradunt Historici, ita exercuit, ut impatientia doloris, è uita migrare coëgerit. Quæ quidem, ut gesta sint, describere, haud nostri est instituti.

Antiochiæ principatum Fredericus Imperatoris nothus obtinet, qua re inter Cypri regem & Principem bellum exortum est. Caput XIIII.

Capuam iam peruenerat Fredericus, cum, ut pontifex de recuperatô Hierosolymarum regno, ac induciarum formulam ratã haberet, omnimodo efficere statuisset, dissimulat omnia, cum omni obedientia, cum iustitiæ exhibitione, si quid deliquerit, absolutionem petit. Accersiti ex Germania Leopoldus Austriæ, Otto Merauiæ, Bernhardus Carnthiæ Principes, Sibotus à Gundelfingen Augustanorum, Seufridus Ratisponensis Episcopi. Additi his Aquilegiæ Patriarcha Bertoldus, Eberhardus Saltzburgensis episcopus, qui de concordia inter regnum & sacerdotium, de limitibus Apuliæ, de reconciliatione Imperatoris cum pontifice agerent. Sed hi infecta re, discedunt, inque sequentem annum negotium est dilatum. Quo interuentu Hermani, Teutonici ordinis magistri, ac Massanensis Archiepiscopi, pontifex imperij, regnorumque, Hierosolymæ Siciliarumque illi titulos restituit, his tamen conditionibus, uiginti centumque millibus auri uncijs, eo bello rum in Italia impendio consumptis, in ærarium pontificium relatis. Tunc Raynaldus in Templarios mouet, qui nullis hactenus nec beneficijs nec minis, ut Frederici res non lacesserent, auerti pôterant. Prouincia & præsidijs eiectos, in Ptolemaidem se recipere coegit, fortunis foras omnibus spoliatos. In Tyro, ipsaque Accone Veneti res nouas moliebant, sed industria Raynaldi atque Genuensium Pisanorumque auxilio citius sopita omnia. Obierat iam diem suum Antiochiæ princeps, nullo hærede legitimo superstite. Cypri rex, urbis imperium nescio quo iure poscebat, cum Fredericus Imperatoris, ex sorore Antiochiæ Principis, nothus, ac illegitimo thoro natus filius, in Asiam mittitur, quem Raynaldus, ciuibus magno gaudio exceptum, dominum statuit. Cyprius ius ac nomen suum hoc facto uiolari interpretatus, classem instruit, exercitum cogit, inque portum Simeonis delatus, obuia quæque diripit, uastat, & incendit. Fredericus adolescens, sollicitus de salute urbis, firmandis mœnibus, ubi debiliora uidebantur, confirmandisque ciuium animis intentus, urbanam iuuentutem in armis continet. Stationes ante portas, præsidia in muris, custodia in turribus disponit. Raynaldo nuncios mittit, qui certiorem faciant, ad suum aduentum tantum, eruptionem eum differre. Aduentans igitur Raynaldus cohortem exploratoriam obuiam habet, quam non ita magno fundit negotio. Clamore ac strepitu

rex excitus,alias aliquot cohortes suis auxilio mittere festinat, cum ciues ex urbe ad oppugnāda castra erumpere intelligit,distractus ancipiti periculo, dubius aliquando substitit, tandem totis uiribus in erumpentes conuertitur. Fredericus princeps,ut facto aliquo egregio ciues sibi conciliaret,toto impetu in regem fertur,deiectum equo pro mortuo habens,ad suos se recipit,per mediam Volonum aciem erumpens. Cyprij,ubi regem in terram deiectum conspicarentur,abiectis armis,fugam arripiūt. Instat Raynaldus fugientibus, multosq́ opprimit,captis quàm plurimis. Rex suorum opera,recenti equo,& eo quidem pernicissimo, impositus elabitur. Scapha ad classiarios deinde delatus,receptisq́ reliquijs belli, naues,quæ supererant, incendit,atque in Cyprum abijt. Raynaldus muneribus à Frederico donatus,Hierosolymam redit. Henricus autem Cypri rex tantam ignominiam, facinore aliquo ulcisci statuens,naues aliquot,quæ supplementum et cōmeatus,in Syriam,imperatoris nomine deportabant,intercepit. Hanc iniuriam haud quaquam ferēdam ratus Raynaldus,instructa classe,Phamaugustam littoralem atque regiam urbem petit. Expositis in campo diui Nicolai,qui regiæ subiacet,copijs,lustratum exercitum, in conspectum regis stupentis, exhibet. Vna alteraq́ oppugnatio nequicquam tentata. Relictis ad nauium custodiam militibus,quæ Pædicum fluuium adiacent,deprædatur,ferro, flamma uastat,Nicosiam uersus properans,quam securam imparatamq́ occupare sperabat. Defixit parumper ciuium animos subitus hostium aduentus,sed per exploratores,quātas Raynaldus haberet copias, certiores facti, freti locorum opportunitate,legatos ad regem mittunt,ut locorum imperitos ac temerè inexploratoq́ grassantes,à tergo adoriatur. Ipsi per syluulam quandam,cui oliuetum adiacet(abundat em insula oleo)ex insidijs,cum regem adesse sentirent,prorumpunt. Raynaldus ut ab hoste suo circumuentos uidit,collectis,quos in tanto impetu potuit,hinc inde per flumē emittit, qui suos ad naues redire iubeant. Ipse cuneo facto ad flumen,quod à Septentrione illi erat,agmen sistit,Græculos forti animo excipiens, qui contempta nostrorum paucitate, infensissimis in nostros ferebātur animis. Tandem et numero & loci iniquitate cum cedere cogeretur Raynaldus,suos flumen traijcere iubet,ipse cum paucis,belli pondus sustinet,donec suorum maiorē partem in altera fluminis ripa consistere audijt. Tunc & ipse fluuium traijciens,ac hoste inuito, ad naues euasit,clade non numerosa,sed quæ haud minima uideret,accepta,morte quorundā nobilissimorum summorumq́ hominum. ea aliquo modo ulta fuit,quum Orientalem insulæ partem lōgè lateq́ peruagatam,populatione & incendio uastam reliquerit, rerumq́ penuria adfecisset. Præda quoque ditissima,qua onustus in Syriam redierat,uictorem magis,quàm uictū ostendebat. Tandem sublato bello,pax insulę data, cū millesimo ducētesimo & tricesimo,mortuo Henrico, Alexius Lusignanus,cui Genuenses cū classe opē tulerāt,rerū in Cypro potiretur. Reconciliataq́ est Respublica Genuensium Augusto,deinde etiam imperatoris autoritate,ut & rex & princeps uterque suis rebus contentus uiueret, edictum, capitale quoque fore,si quis rebus nouis studere uideretur. His Augustus omnium

omnium Orientalium principum sibi conciliauit animos, adeò ut etiam ex ipso Aegypto, Aphricaq; & Sicilia, Sarraceni undiq; confluerent, Tuncticq; regis frater ipse, sub signis eius militaturus, haud cōtemnenda manu ad ipsum peruenerit. Hos imperator haud minori humanitate exceptos, acceptos habuit, honores atq; ordines militares illis conferens, tantaq; eorum familiaritate tenebatur, ut consuetudine quotidiana edoctus, Sarracenè sciret loquereturq;. Multos eorum amplissimis in Italia atq; Sicilia magistratibus præfecit. Nuceriam Apulus inhabitandā illis dedit, quæ etiam hodie Luceria Sarracenorū dicitur. Liberos ingenuosq; per totā regionē Sarracenos haberi uoluit, contendentes cum illis impunè occidebant. Quæ res effecit, ut quicquid Oriens uel monstrosum, uel preciosum haberet, huic uni non deesset. Species animalium à temporibus Cæsarū in Europa non uisæ, ad fastidium in castris Frederici exhibebantur. Asiæ luxus omnis, Orientis thesaurus omnis, quod quidē principi opt. uitio datū est ab ijs, qui pōtificis partes tutari uolunt: cum tamen certū sit, si gloriæ appetentissimus princeps, gestorum animiq; magnitudine, tot tantorum exterorum principū, aut amorem sibi, aut obseruantiā nō deuinxisset, à tribus pontificibus (qui omnibus omnia quę deliquissent, remittebāt, modò in exautoratū arma caperent) adactus fuisset, ad maiestatis tutelā, uel ab ipsis Antipodibus auxilia ciere atq; corradere. Nā præter id quod Christianos principes sacramento liberarat, quo illi adstricti fuerāt, etiā legatis missis, Aegypti Soldanū ab amicitia hominis, Innocentius retrahere conatus est. sed enituit fides Barbari, dū in hæc uerba pōtifici, quę extat, epistola respondet. Sed papa scit, quod inter nos et imperatorē iamdudū fuit familiaritas & cōcordia perfecta, à tēpore Soldani patris nostri. Et paulo post. Vnde nō licet nobis aliqua cōponere cū Christianis, nisi prius habuerimus super his ipsius consiliū & assensum. Pontifex constantiā Barbari miratus, cū nec arma, nec minas Fredericū timere sentijt, hominē calumnijs opprimere statuit. Supposititiū esse, nō ex Cōstantia genitū. Physici, molēdinarij, aut aucupis filiū, aut ex cōdemnato & sacrilego cōcubitu natū, quandoquidē cū ritè capta fuisset Cōstantia, ac in uerba religionis iurasset, furtim ex parthenone deducta fuisset. Sacrilegū, qui iura resq; ecclesiasticas ubiq; diminueret. Sarracenorū regulos lustrali aqua regenerari prohiberet. Blasphemū, qui etiā in Christū cōuitia cōijcere haud dubitaret, uocēq; horrendā eū protulisse. Quippe impostores tres fuisse, qui pręstigijs suis, orbē uniuersum demētarint, Mosem scilicet, qui Iudęos, Christum qui Christianos, Mahometum qui Sarracenos fascinauerant. quod si principes sententiā suam admittere uellent, monarchiam rationibus ita se stabiliturum, ut nulla superstitione contaminata, uanitate nulla infecta, et optima & utilissima perduraret. Quam fidem autem hęc mereātur, uiderint ij, quibus hæc literis mandari placuit. Certe Henrici et Constantiæ filium fuisse, nō ex illa anu, quam quidam fingunt, sed ex uirgine, de quo hoc extat Distichon,

Sponsa fuit speciosa nimis, Constantia dicta,
Iamq; tricennalis tempore uirgo fuit.

Quid uerò de Christo senserit, id apertè ostendit, quod ingenij industria res

Christianas in Syria, nulla uel gutta sanguinis Christiani auxerit, ac ad regiã dignitatem euexerit, quod nostri sub Gothefrido suo sanguine inundarunt, à uictoria deinde Saladini, per quinquaginta annos, nulla nec ui, nec industria obtinere potuerunt. Mirum autem non est, cum põtifex diuinis armis illi semper obluctaretur, ut interim taceam humanos conatus, si Imperator, quid ipse posset in armis, ostenderet, Miles scilicet sacerdoti, non uerbis, sed factis responderet. Sed hæc extra limites rapuerunt nos, sit ergo apud alios iudicium, ad nostra redeamus.

Nauarrij regis, aliorumq; principum in Syriam infausta expeditio describitur.

Caput XV.

PAx erat Christianis in Syria, optimeq; imperatorijs præfectis cum satrapis Sarracenorum conueniebat, cum induciarum terminus appeteret. Damascenus igitur Aegyptiusq;, rebus proprijs nõdum bene firmatis, cum Turcæ Sarracenią; distracti in plura imperia, assiduis tumultibus conflictarent, de fœdere renouando, legatos ad Augustum mittunt. Is pontifici gratificaturus, quem Perusijs agere audierat, missos à Dynastis nuncios, pontificem adire iubet. addidit præterea, qui pacis conditiones, arbitratui pontificis remittant, se ratum habiturum, quicquid illi consultum uideretur. Gregorius, ut erat homo superbus, siue quod Sarracenorum opes attritas esse existimabat, siue indignatus, quod ipsum primò non adijssent, pacẽ petentibus omnino negat. quod responsum etiam Oratores Ieonij Soldani, atque Trapezontini imperatoris tulere. At Fredericus redeuntes nouo fœdere sibi coniunxit, missisq; literis, præfectis suis atque Raynaldo legato, ut omni bello in Sarracenos abstinerent, præcepit. E contrà pontifex multis in Europæ locis, cœlestis uitæ premia proposuit omnibus, qui arma aduersus Sarracenos sumerent, dimisitq; Francisci Dominiciq; sectæ homines, qui dicendo ualerent, inauditam antea ad eam expeditionem exciuit multitudinem. Gallia, Italia, militem dedẽre, numos, cõmeatus, equosq;. Præficitur ijs Theobaldus Nauarræ rex. Hunc sequebantur Armericus Montfortensis, Henricus Bari Campaniæq;, Petrus Britanniæ Comes, Anshelmus de Insula. Hi per mare iter arripere non poterant, cumq; Veneti in tutando imperio Constantinopolitano essent occupati: nam Brenna rex, qui filiam, Martham nomine, Balduino secundo desponsauerat, ob id titulotenus imperium gerebat, cum uideret Exagonarum, Adrianopolisq; tyrannos nouo fœdere, nouaq; affinitate iunctos, imperium cõmuni nomine oppugnare, Venetos, cum aliunde à quo subsidium sperare posset, uideret neminem, accersiuit. Hi ergo comparata classe, Paleologum & Vatazem exercebãt, in Græcia bellum gerentes, ut neminem in Asia hoc tempore traiicere possent. Genuenses nouos urbium in Liguria Alpina motus, quæ imperata facere recusabant, atque ab imperio Reipub. desciuerãt, in ordinem redigere opus habebant. quo factum est, ut nec illi commodè tantam multitudinem in Asiam transferrẽt. Pisanos Frederico confœderatos naues nunquam ad usum eorum, qui diuersa ab imperatore sentirent, daturos, credere consentaneum erat. nam ad omnẽ euentũ parati classem Frederico instructã habebãt. Igitur

terrestri itinere eundum erat. Quæ res existimationi ac expectationi tantæ expeditionis multum ademit. Itineris primo longinquitas & temporis & commeatus multū insumebat, hosti uerò, ad res suas confirmandas, spacium & opportunitatē largiebatur. Græcorum deinde odium apertum, & Latinorum attritæ uires, Mœsias, Thraciamq́ atque adeò Hellespontum insidijs plena omnia reddebant, ut indies interciperentur & trucidarentur multi, qui mala ualetudine impediti, expeditos assequi non poterant, aut uictus gratia se paululum ab exercitu elongarant. Ventum autem ubi Constantinopolim, Latinorum copiæ tam tenues erāt, ut tantus exercitus haud quaquam ali aut refici posset, quandoquidem in insulis & mediterraneis in locis, ferro flammaq́ omnia miserè uastarent, reliquiæ præsidijs urbibusq́ inferrentur, ut tam Græcus quàm Latinus hostem diutius distinere posset. Bosphoro igitur tertia die traiecto, in Bithyniam uentum est, solum equidē rerum omnium fertilissimum, ad amnem Sangarium, aliquot dies requiei dati. Deinde Galatia emensa, ad Halym fluuiū substitere. Audierant enī nostri, ad Argæum montem Iconij, Soldanū, congregato ingenti exercitu castra locasse, transitum Antitauri illis prohibiturus. Decretum enim erat nostris, Leucosyriam, quæ ad Taurum Cappadocia est, petere, per Antitauri fauces, per quas Melas fluuius in Armeniam minorem irrumpit, ac deinde per Amani portas Antiochiam proficisci. Dum Leonem Armeniæ regem, insuper Fredericum principem amicos haberent, de Lycaonibus Lycijsq́ nihil pacati sperare possent. Barbarus per exploratores de nostrū numero certior factus, in castris se continuit, ad insidias parandas exercitui intentus. Nostri cum Barbarum nihil audere uiderent, moræ pertæsi, transito Haly fluuio, ac rostris incensis, ordinatis agminibus procedunt, tertijsq́ castris non procul à Mela fluuio, in conspectu Barbari considunt. Vbi uel in tertium diem nec conuitijs, nec incursionibus hostem elicere potuerunt, quarta luce sub diluculum, misso Montfortensi ad fauces ab hoste obsessas, occupandas, ipse Nauarrus castra hostis, magno sublato clamore adoritur, munimenta oppugnat. Cessit Montfortensi res admodum fœliciter: nam cæsis Barbaris, loca insidijs apta omnia expugnat. sed male pugnatū fuit apud castra. nam iniquitate loci uicti nostri, terga dare coacti, trepidè intra munimenta se conijciunt. Acceptis nuncijs, cum Barbarus quietè per totam diem se in castris contineret, ingruente nocte iter arripiendum duxerunt. & iam primum agmen in Armeniam pertransierat, cum exercitus robur impedimentis in medium receptis, iter init, suos sequuturum, ac uix Antitauri angustias primi attigerant cum subito Barbarus, effuso cursu, à tergo nostros aggreditur. Nostri conuersis signis & aciebus, audacia pleni, summa ui, omnibusq́ uiribus, pugnam aggrediuntur. Stetit diu uictoria, nutans in ancipiti, cū Barbari cōfusis ordinib. quasi profligati, pedē referre inceperant, cū nostri Martis furore, impetuq́ belli, studio instādi longius in apertos cāpos delati, hosti, qui equis pernicissimis, ijsq́ pastis optimè, ac indefatigatis, utebat, laxatis ordinib. penetrabiliores se & rariores dabant. Quodquidē magnę cladis causa nostris fuit. Equidē uelitatiōe tantū, nulla pugna stataria, nostros impetebant, qui inedia, lassitudine, equorū iumentorūq́ imbecillitate,

nocte demum ipsa premebatur, recentibus agminibus semper inualescenti bus nec resistere, nec qua uia irrūperent, benè perspicere poterāt, telis obruebantur, quæ depellere præ noctis tenebris, haud dabatur, cum in incertum, grandinatimq; ab hostibus iacularentur. Iam tenebræ præliū diremerant, cum Barbari remissius agere, nostri ad signa se pedetentim recipere incipiunt, ac ad fauces furcasq; progredi. intrantes festinè, cum loci angustia uix duos simul ingredientes caperet, in multam noctem, à circum equitante Barbaro, miles uexatur, donec impedimenta in pacatum euasere. Tandem & ipse dumosis syluarum iugis, ac saxorum undique crepidine implicitus, à dextra, montium cacuminibus, tenebras densiores offundentibus, impingit, à lęua per pręcipitia in impetuosum fluuium concidit: uix die illucescente in Armeniam transijt, qua magnis itineribus emensa, ad Amanum montem, prope Alapiam, quam ueteres Epiphaniam dixere, iterum hostium insidijs excepti, tandem Antiochiam peruenerunt, laceri, exuti opibus, commeatu, & maiore numero equorum amisso. Vbi lustrato exercitu, tertiam sibi uix adesse militum partem, non sine summo dolore duces perspexerunt. Iamq; una Antiocheni principis classis sufficiens inuenta, quæ totum exercitum, quàm celerrimè atq; commodè, ad Ptolemaidem deferret, quem mari tū prępotētes Respublicæ in Italia, propter multitudinem, traijcere noluere. Delati Ptolemaidem ciues, qui Imperatori, instinctu Templariorum haud multum fauebant, rati subsidium et supplemētum se recepisse, quo in hostes moliri non parua possent, illico igitur Templarijs ducibus Gazam uersus tendunt, populationibus longè lateq; commissis, exercitum ditissima præda ditarunt. Tantæ prædæ spes atque auiditas, prosperiq; successus, non semel, sed iterum atque iterum, imperitos principes pellexit, ut etiam prædando, urendoq; cum multis cohortibus, ipse Henricus, Theobaldus, Americusq; ad Gazam usque peruenirent. Haud occultum autem Barbaris erat, Augusti præfectos & præsides, suos intra regni continere limites, nihilq; intentarè, hominum tantum famelicorum colluuiem, sub uiarum ignaris, artisq; bellicæ omnino expertis principibus temere agros uastare. Missis igitur ex Aegypto Ascalonam copijs, subsidijsq; ex agro Damasceno conscriptis, propere regionem illam arenosam oblongamq;, quæ Ptolemaidem & Gazam interiacet, insidijs aptam occupant. Reuertentes Christianos, de longo itinere & onerosa præda fessos, à tergo adoriuntur. Tum nostri sese temeritatis ac dementiæ damnare cœperunt, captoq; ex tempore consilio, abiecta præda omni, conglobati, insequentem hostem adoriuntur. Enituit tunc nostrorum uirtus, nam dum per totam diem, à Barbaris expeditis pugnando fatigati (quippe Sarraceni in patentibus campis equis insidentes, nostros semper ad solis splendorem circumequitando uelitandoq; circumegerant, ut splendore luminis, qui oculos nostros obuerberabat, impediti pugnæ sortem iniquiorem haberent) iam inclinante die Barbaros pedem referre cogunt. Sed quid facerent, cum nec soli æqualitas, labor, inedia, nec tempus fugientes insequi permitteret? In armis igitur ea nocte, loco quem cœperant, constitere, cum ecce summo diluculo, copiæ ex Aegypto adsunt, in nostrosq; feruntur magno impetu, quibus ad cætera incommoda,

uigiliæ

uigiliæ noctis præteritæ,per omnes artus soporis uim incutiebāt,ut uix pedibus insistere,nedū fortiter hostem repellere possent, tamen necessitate adacti,pugnam ineunt,qua uix inita,quas aufugisse putāt,ac profligatas pridie copias,iam imminere sentiunt. Pugnarunt equidem diu strenueq;, ac iam tumulum arenæ occuparant, cum iterum in insidias incidunt. Itaque post multam cædem,cum omnes fermè uulnerati,uirtuti nullus locus appareret, Theobaldum pernicissimo equo impositum,diu resistentem, ut se Reipub. seruaret in meliora tempora, exorauerunt. dumq; illi Americus Henricusq; fugæ spacium pugnando præbere nituntur,cum suorum quibusq; fortissimis cadunt. Abiectiores uerò, quibus nec famæ,nec decoris cura, Ptolemaidem tantæ cladis infausti nuncij peruenerunt. At Theobaldus incertis itineribus biduum oberrans,tandem transito Iordane Ioppen peruenit. Versogeso in sacrum baculum,sacraq; pera sumpta, fide publica Hierosolymam uenit,inuisoq; sacro sepulchro,palma recepta,domum redijt,Petro fratre cómite Britanno,qui Maledocti nomen habebat,& paucissimis comitatus.

Richardi Angli in Syriam noua expeditio. Caput XVI.

AD tantæ cladis nuncium Pontifex Romanus,qui tum Perusijs agebat, Romam redire constituit, supplicationes habiturus, ad numinis iram placandam,cum ipse sacramenti infringendi autor antea fuisset. at ciuili tumultu urbe exclusus,apud Viterbiū substitit,donec pacato urbis statu, Corporij factione adiutus,reciperetur. Postquam in urbem deinde uenisset,conditionis suæ oblitus,impotenti ira,delictorum ueniam omnibus pollicetur, quibus crucis tessera assumpta,armisq; correptis,in Fredericum inuehi per suaderi possit. Indignatus imperator contra se dari crucem, captiuorum capita(nam urbi exercitum admouerat; strage quoque facta multos ceperat) crucis in modum, quadrifariam scindi iubet. Templariorum deinde bona ubicunque locorum inueniebātur in Italia,diripit,quos in Oriente Occidentéq;,fœderis inter Soldanum Imperatoremq; initi uiolatores nouerat. Attamen pacem in Syria & Pontifex iam moribundus interturbare conabatur, cumq; Itali Galliq; suo periculo admoniti nihil omnino tētaturi uiderentur, in Angliam misit,qui uehementi prædicatione,duces & populos; ad arma in Sarracenos induēda concitent. Horum igitur opera, breui tanta militum multitudo comparata est, ut unica Insula, quadraginta milia militum,cruce signatorum manum,in Syriam traiecerit. Per eos dies Patriarcha Hierosolymitanus,pōtificis literis accitus,in Angliā peruenerat,ut præsentia sua, precibus pondus adderet, polliceretúrq; Richardo Cornubiæ comiti, Henrici fratri, in Concilio Lateranēsi, illius dignitatis rationem,pontificem habiturum,ac si de abrogando imperio Frederico suo sororio sententia obtineret,apud Electores,ut illi surrogaretur,curaturum,modo Ducē exercitui in Asiā trajcienti se præberet. Spe imperij allectus Richardus,qui & fratri non admodū se charū nouerat,cruce se insigniri passus est. Parata classe, emenso Oceano Aquitanico Cātabricoq;,per fretū Herculeū inuectus,transit Pytiusas Balearesq; insulas. In Sardiniam delatus, quam Pisaniā Sarracenis recuperatam sub Henrico rege,Frederici Imperatoris filio obtinebant, sed titulo regni ob amicitiā Frederici,à pōtifice priuatos inuadit. Sulcam primò obtinet

obtinet impetu. Deinde Calarim obsidet, quò non multo postea, quos sequi iusserat Ioannes Albamarlensis, Petrus Malocensis comites, & Guilhelmus Fortis, cum non contemnenda manu perueniunt, sed cœli grauitatem, qua tota insula infamatur pertęsi, mediterranea omnia depopulantur, igneq; deuastant, congestaq; præda maxima, in naues se recipiunt, data uela uentis, Carpathium mare sulcant, ubi fœda tempestate iactati, in mare Pamphylio infra Ciliciæ angustias, multis nauibus militibusq; amissis, classem laceram apud Tyrum firmarunt. Exceptus à fidelibus honorificè, Hierosolymam peruenit, ubi cum Raynaldo communicato consilio, de rebus Syriæ tractare cœpit. Raynaldus pace res Syriæ firmas satis esse, nullas Anglo uires, ad impugnandas Sarracenorum opes, ratus, nunquam adduci potuit, ut quicquam tentaret, quod fœdera inita uiolare uideretur. Peruenerant forte fortuna Hierosolymam, Dominici tẽpli inuisendi causa, Babylonici, Aegyptij, Damasceniq; tyranni, legati, qui donaria ingẽtia, sacrarijs ex tyrannorum uoto inferebant. Attulerantq; munera preciosissima, cum diuersis cicurarum ferarumq; animantium generibus, homines quoq; portentosæ formę, in Europam ad Fredericum cum ijs omnibus traiecturi. Videns igitur Richardus res Christianas summa in pace uigere, suasq; copias debiliores tenuioresq; esse, quàm ut sua opera aut ope Sarracenis aliquid adimi posset, prudenti usus consilio, ijsdem inducijs Frederici, in aliquot annos subscribit, sicq; rebus pro tempore compositis, domum redijt, particula quadam sanguinis Christi, qui Hierosolymæ seruabatur, à Patriarcha, siue ut aliqui uolunt, à magno Hospitalis magistro donatus. quo factum, ut haud omnino nihil in Syria ipsum egisse uideretur. Sed Honorio interim mortuo, etiam Richardus spe imperij excidit, ad quod tamen decennio postea uocatus, peruenire non potuit. Sed hæc in nostris commentarijs, quos de uita Rodolphi Habspurgensis, libris octo confecimus, latius habentur.

Grossoini Syriam depopulantur, Hierosolymamq; deuastant, uiolato templo. Caput XVII.

INter pontificium anno uno & mensibus nouem iam fuerat, cum Innocentius quartus Ligur in pontificem eligitur. Hic statim prædecessorum suorum factionem contra Fredericum exercuit. Galliæ, Angliæq; regem, principesq; Christianos omnes Lugdunum uocat, ubi habito concilio, Fredericum primo imperio abdicat, Electoribus Germaniæ, ut alium Romanorum regem crearent, potestate facta. Quæ res adeò commouit hominem, ut rationes omnes quæreret, quibus fugitiuum pontificem, uel in media Gallia opprimere posset, tamq; pertinaci odio eius necessitudines & cognatos insequebatur, ut apud Parmam, quam plus biennio obsedit, Victoriã urbem castrorũ loco, tanta tũ priuata, tum publica munificentia extruxerit, ut ueterum Cæsarum magnificentiam uideretur, rerumq; splendorẽ superasse. Vnde ad pecuniæ inopiam recidit, ut uictoriatos, qui antea aurei cudebantur, iam scorteos facere coactus sit, cum perparua eius argentea effigie, edicto propalato, ut nummo aureo censerentur, fiscum suum tantundem illos æstimaturum accepturumq;. At diu contra illum imperium nemo subire ausus fuit, ex professo tamen assiduum bellum inter pontificẽ & Cęsarem prosequebatur. qua re factum, ut Latinorum imperium, quod inuidia sacerdotij ita

confundebatur

cōfundebat,ludibrio habitū ſit,etiam apud extremos penè orbis principes. Domeſtica huc accedebat Græcorū diſcordia,quæ res oēs deploratas redde bat & perditas,tum etiam res in Syria Raynaldi mors maximè attriuit.nam Templarij uana quadam fama,de Tartarorum initiatione elati,iam tum cō tra Sarracenos,dynaſtijs & odijs pluribus diſtractos,moliri incipiebāt om nia,ac populū præfectis imperialibus deſtitutū,minis perſuaſionibusq́ con tra fœdera,ad bellū ineundū cogere. Quod cū Soldanus Aegypti audiſſet, Choraſmios,quos nōnulli Groſſonios appellant,pollicitis in Syriā exciuit. Tartari etenim gens Scythica,quos pleriq; Mangalos uocant,quarto ante Lugdunenſe Conciliū anno,ſedibus proprijs egreſſa,fermè toti orbi uaſti tatē induxere,certè terrorē incuſſit omnibus. Volunt nōnulli hanc gentē ex Taurica Cherſoneſo progreſſam,demū in Scythia ſedes fixiſſe,auctam nu mero,triſariā diuiſo prole,ad orbis ruinā exijſſe. Colchos,Iberos, Armeni os una manus,Perſiam,Aſiāq; altera diripit. Sarmaniā,Rutenos, Polonos, Getasq́ colluuies tertia ſpoliat. Dauide rege Indiæ,cui in ſingulos annos tri buta pendebāt,obtruncato,deuictis tributa imperant,Choraſmios ſibi fini timos,ut etiam uectigal pendeant,ſi pacē uelint,adhortanē. Choraſmij gens ſuperſtitioſa ac Sarracenica, libera, atq; bello experientiſſima(Hos Perſas eſſe puto,quos Scythę ipſi Corſarios,recentiores corrupto uocabulo,Chò raſmios dicunt) indignitate poſtulatorum commota, legatos,iure gentium uiolato,interficiunt. Quare Tartari continuò arma in eos ſumunt. Exuun tur Choraſmij caſtris,totaq; ditione ejiciuntur. in fugam effuſi,ad Caſpios montes ſe conferunt, ubi in Georgia urbe & Tripoli, alijsq; præſidijs,ho ſtem expectantes,tandem etiam finibus eiecti,& fugati ſunt. Exules à Tur carum Soldano ſuſcepti, diu illi militarunt, donec,ut ſuperius dictum eſt,à Meledino Aegypti Soldano,in Syriā uocarentur. Ex Babylonia igitur acci ti,trāſito Euphrate,per Arabiā primo deſertam,deinde per Fœlicis Arabiæ montana,in Petreā perueniunt,Idumęa emenſa,Gazam uerſus properant. ea ſiquidē à Templariis occupata reſtaurataq; erat nuper. Caſtris locatis,cō tinua oppugnatione obſeſſos fatigant,tandē etiam expugnato præſidio tru cidant omnes,quotquot fuga euadere non potuerūt. Itum deinde Aſcalonā, quæ pari modo à Templariis munita,à Barbaris expugnata,noſtris magnā cladem intulit. Pari fortuna uſi ſunt Hoſpitalarii multis in locis,ſed publica ſtrages,quæ Palæſtinæ res ſubuertit omninò,ad Iordanem accepta,cum au dito Barbarorū aduentu,Patriarcha & magiſtris Templi Hoſpitalisq; pre euntibus, ex inſperato populus armatus, iuxta Tyberiadem, ad pontē ubi Iordanis fluenta ſe diuidunt,hoſti occurrit. Barbari eñ ne cū deſperatis, ini quo loco cōgredi cogerenē,pedem referunt paulatim,fugā ſimulantes,tamē noſtris animus defuit hoſtē inſequi,cum numero ſeſe & armis inferiores cer nerent. Habito cōſilio,caſtra in fluminis ripa firmant, ſatis egiſſe ſe, ſi hoſti tranſitum impediant,rati. Hoſtis interim ad quintū ſextúmue lapidē, procul à flumine diſceſſerat,quod metu factum noſtri interpretantes, inſidiarum ſe curi,uigilias ſtationesq́ negligentius circa flumē obibant, genio indulgen tes,uictores ſe,ac hoſtē finibus eieciſſe gloriabanē. Barbari uerò in omnem occaſionem intenti,forte ad lacum Genezar piſcatorias ſcaphas in littore ali

quot ſtare, per exploratores agnoſcunt, quibus occupatis, cõmodè lacum traiicere poſſint. Nec mora, peditem imponunt nauigiis, equites uero ad cõiunctionem fluminis tendunt, ac paulò ſupra Capharnaum fontem, flumen tranatant, inde ſuis celerrimè ſe iungunt, quos haud procul ſupra Tyberiadem, lunæ ſplendeſcentis beneficio adiutos, magno numero in alteram ripã peruaſiſſe reperiunt. Inſtructis igitur aciebus, citatis paſſibus, peditem ſe ſequi iubent, ac aurora iam rutilãte, nihil tale uerentes noſtros inuadunt, freti equorum pernicitate, horrendumq́; inclamantes ſemiſopitos circumſtrepũt, magnam uim telorum in caſtra coniicientes. Ad primum tumultum noſtri excitati, ſtratis exiliunt, armis prout ſors offerebat, correptis, nullo ordine, caſtris erumpunt, hoſtem paulatim cedentem inſequentes. Interim uerò peditum, quæ equidem ſequebatur acies, cum noſtris ad manus uenit. Fuit diu anceps pugna, multi hinc inde cæſi, demum Barbari noſtrorum uirtute repreſſi, fugam capeſſunt nõ ſimulatam, unde noſtri uictoria exultantes, ſine ordine, ſine imperio diſpalati hoſtem perſequuntur. Tunc ij qui ſcaphis per lacum tardius ad ripam delati, præeuntes ſequebantur, fugientibus obuiam facti, fugam ſiſtunt, magnoq́; impetu in noſtros feruntur, qui iam prædæ q̃ hoſti magis intenti. Aucto hoſte, & iam totis uiribus noſtris imminente, dum obſtupefacti noua ſigna admirantur, uelocitate Barbarorum præuenti, in ordinem redire, uires conglomerare nequeunt. Barbarus autem ſparſos inuadit, multos ſubita ui opprimit, ita uictores à uictis cæſi, fermè ad internicionem deleti, exceptis paucis qui cum ducibus Tyrum peruenerunt, fuga ſalutem cõſequuti. Nihil cunctatus hoſtis, cum in pugna uictor, oppugnationibusq́; præſidiorum ſuperior euaſiſſet, Hieroſolſymam ipſam, regni petit caput, quàm incruento marte in poteſtatem ſubito redegit, occupatam diripit, nulla conditionis aut ſexus ratione habita, ſine delectu ciues omnes fœdè trucidat. Ad ruinam urbis conuerſi, à Frederico Latino Imperatore reſtituta, aucta à Raynaldo, ac miro ſplendore tum priuata tum publica ornata ædificia, à fundamentis eruunt: mœnia deiiciunt, incendũt inſulas, ædes. Tandem ſacra ſacrilego furore inuadũt, ſacroſanctum Chriſti ſepulchrum ad ea uſq; tempora, omnibus gentibus intactum, omni nepharia fœditate, uaſtitate indignitateq́; polluunt. Quæ inſolentia fideles, ut par erat, ita exacerbauit, ut arma in eos ſumere, optimo cuique conſultum uideretur. Nec defuit quidem animis promptis, Ludouicus Galliæ rex, cum aliis principibus haud mediocri loco natis, quorum conatus in librum quartum reiiciendos, haud è re arbitror, cum hoc libro tertio, finem regni Hieroſolymitani complexus fuerim. Conſtat enim neminem adhuc è Chriſtianorum cœtu repertum, qui hanc elueret ignominiam, aut imperium Hieroſolymitanum recuperaret, ſed urbem eiuſq́; tyrannidẽ ad hæc uſq; tempora, penes Barbaros perſtitiſſe.

Materno

MATERNO BYLERO, ABSTHEMIO, DECVRIONI, CAETERISQVE LVTTENBACENSIS COLLEGII

Sodalibus Ioannes Herold Hochstettensis S. D.



AMaui in te semper Materne optime, ingeniū summum, mores suauissimos, ac singularem illam modestiam probitati coniunctam, nec (ut uideo) sine riuali. Sentio preterea, quo uerò fato, nescio, etiam id mihi negatum, aut iudicio, aut benemerendo de te, aliorum testimonium, studiúmue me præuertere nequiuisse, quanquam omnes homines, flagrantissimo uirtutum tuarum amore, multis (ut in prouerbio est) parasangis præcurram. Quapropter plurimum certè mea interest, uiros tantos, quorum prudentiæ temerè nihil accedit, qui certis liberisq́ suffragijs, rerum te Collegij tam celebris moderatorem, exemplar sibi innocentiæ præficere uoluerunt, plurimum (inquam) Materne, mea iam interest, tales persuasos reddere, ne Heroldum tuum, synceri & subtilis ipsorū iudicij infimis gradibus insistentem deturbent, quem non absq́ negligentiæ meæ nota, inter postremos uirtutum tuarum cultores reliquerunt. Aequitatem habet hæc postulatio VV. CC. ut ad uos sermonem traducam. quî enim fieri potest, ut mora debitum soluatur? Fatear huic nostro, meipsum, meaq́ omnia debere, in ęre suo habere ipsum uos omnes uel hoc ostendit, quòd summo apud uos in loco collocati hominis dignitatem & splendorem augere nunquam intermittitis, eiusmodi ac singulari eo studio, & benemerentem & integritatem tam à uobis adamatam, perbellè remunerantes. Priores ergo partes cum mihi surripueritis, ne omnino toti expers sim, exiguum erit humanissimis uobis uiris (sed in quo mihi plurimum momenti positum) gratitudinis uestræ in societatem me sublegi. Faxo equidem, haudquicquam in me sit moræ amplius, quin statim maturata alacritate, Bylero meo, cunctationis emendationem, unà cum uenerationis officio, qua uos iure prosequi debeo, specimen proferam, librum hunc scilicet de rebus Syriacis Quartum. quo mihi descributur, qua mente, quibus animis, publicæ salutis ac libertatis causam suscipiant boni, quantumq́ ciuiles dissensiones & immatura consilia, Reipub. summam opprimere soleant, iustum certè atq́ huic nostro seculo exemplū aptissimum, si ad hoc corrigere errata potius, quàm abundè & diu deploratum Reipub. statum obiter despici rerum coryphæi mallent. Ad hęc alio opus habent oratore. Vos interim uiri clarissimi, bellorum, qui paulò minus septem supra uiginti annos consumpserunt, commentarios, ea lege suscipite, ut ocellulam meam, quę fermè alteram mihi absorpsit hebdomadā, meq́ ipsum κοινοῖς μὲν uestrum, κτῆμα δὲ Absthemij nostri esse memineritis, ac ut totus quantus Curio sim, errare uos ne suppudeat rogo, si absq́ assentatione Heroldum plures de una fidelia parietes dealbare credideritis. Valete.

DE BELLO SACRO CONTINVATAE HISTORIAE LIBER QVARTVS, IN ORDINE tricesimus septimus.

Ludouici IX. Galliarum regis in Cyprum transitus. Caput I.



Errorá Chorasmijs ortus, iam omnem Europam, ad maximã indignationẽ prouocauerat, adeò ut Ludouicus Galliarum rex, apud Pontiforam decubans, cum nullum à medicis remedium superesse uideret, uoto se obstringeret, hãc Reip. cladẽ se ulturũ, cùm primum sanitatem recuperaret. Fredericus imperio abdicatus, Entium filium à Bononiensibus captũ, insuper inexpiabile odiũ pontificis uerebat. in Cãpaniam igitur se recepit, auita regna defensurus, si quid in eũ moliret. Nã quod in Syriã, quã proculdubio facile recuperasset, traijceret, haud integrũ illi uidebat, pontifice in excidiũ ipsius omnes occasiones captãte. Magnã igitur auri uim sacro bello destinat, quã à pontifice repudiatã, testamento posteris legauit in belli huius usum. ętate, curis, bellisq́ confectus, grauiter agitatus, à Manfredo filio ex pellice procreato necatur. Põtifex uero uidens Fredericũ quietẽ agere, rebusq́ suis contentum, genio indulgere, Cluniacũ adiens, ubi Lodouicus rex sanitate recuperata, per quindecim dies de Hierosolymitanorũ rebus, consilium põtifici cõmunicauit. Lætus põtifex currenti, ut aiũt, stimulos addit, obtestat, orat, pergat tandem uotũ explere. Legatos per prouincias mittit, qui populis suaderẽt, militiam Christi suscipere. Rex nihilo segnior, nuncios Genuam mittit, qui triremes ac naues mercede conducãt, quibus in Asiã traijcere possint. igitur opera Guilhelmi de Voragine Scribæ urbis, inter regem Rempublicãq́ Genuensiũ cõuenit, ut paratis sedecim nauibus, naulum reciperent Genuenses à rege mediocre. Dati etiã prętores maritimi duo, Hugo Lercarius, Iacobus Leuãtus. Priuatis sumptibus se adiũxit Fulco Guercius, cũ biremib. duabus & onerarijs totidem. Aderat quoq; Patriarcha Antiochenus, qui ut regẽ in Syriã deduceret, à procerib. Christianis missus fuerat. Erat iã annus octauus supra quadragesimũ, à 1200. cũ rex Parisiũ se cõtulit, Blanchã matrẽ, uiraginẽ illustrẽ, fide, ætate, maturitate usuq́ florẽtissimã cõuenit, quã expeditionẽ animo agitaret, ei indicat, regni procurationẽ omnẽ eius fidei se permissurũ. Deinde paratis quę ad tantã expeditionem usui forẽt, Carolũ Robertũq́ fratres comites sibi adiungit. erãt enĩ ei charissimi, pari etiã uoluntate illi eius amantissimi. Mater ingentis spiritus mulier, quòd filiorũ tam deuotã expeditionẽ, muliebri aliqua pusillanimitate interturbaret, tantum abfuit, quod etiam nurus ut cũ maritis sacra loca inuiserent adhortaret, deq́ regni amplitudine & defensione maxima quæq; polliceri, haud tacitè testari uisa sit. Guilhelmus quoq; Dampetra, Frandrus, se digno comitatu regẽ sequutus, nauẽ onerariã instruxerat, armis, cõmeatu, uirisq́ plenã, quę eum sequeret, sed in Oceano, temeritate gubernatorũ summersa perijt, cũ non exiguo sacrorum prophanorũq́ hominũ numero. Adiunxerunt se quoq; Gallo, Guilhelmus Barensis, Archenbaldus Borbonius, Robertus Bellouacorũ præsul, Guilelmus Melletanus, Vindonensis Montofortensisq́ comites. Pontifex Oddo

nem Tusculanensem episcopum, Cardinalē legatum illi dedit. Alphonsus frater etsi nomē in sacram militiā dederat, tamē morte soceri Raymundi Tolosatis, ne cū rege abiret, impedit, igitur cum matre ad regni tutelā relictus. Cal. igitur Iunij, ab omni ordine deductus, quinto ab urbe lapide, ad diui Antonij ædes, rex suis ualedicit, Lugdunūq; cōtendit, ubi Fredericum timens, Innocentius agebat. Salutato pontifice, eiusq; benedictione recepta, ad Eid. Aug. mensis, Rodanū nauibus cōscendit, secundoq; flumine in Inferum mare delapsus, ad fossas Marianas, C. passibus, à Rhodani ostijs, portum distantē (qui nūc ad Aquas mortuas dicitur) diuertit. Dies quieti data, cū sequēti, Genuensiū classis, quā ab initio cū Rep. pactus fuerat, adest. Ioanna Alphōsi uxor uterū gestās, maritimi itineris incōmoda abhorrēs, in Franciā inde redijt, mariti transitū expectans. Demū 8. Cal. Decemb. soluēs rex mare intrat, ad 11. Cal. Octob. Cyprū tenuit, insulam longè omnium commodissimā, uel Aegypti uel Syriæ rebus, cum classe insidiantibus. In portum igitur Lymithoniensem delatus, uel ut aliqui uolūt, Minotium, Alexius Lusignanus præsto illi adfuit, nullo hospitalitatis aut officij genere omisso.

Dum in hybernis apud Cyprum moratur, oriuntur seditiones, & sopiuntur. Caput II.

Imminebat iam hyems, sęuitiaq; maris omnē nauigationē negabat. Naues deinde aliquot, quibus omnis generis tela, annona, insuper et cōmeatus inditа erāt, nōdum appulerāt, exortaq; est pestilentia minax magis, q; funesta, quæ tamen Bergensem præfectum, Gisbertum uirum militari scientia clarū cōfestim enecauit. His rex coactus, persuasus quoq; à Cyprio rege, qui & ipse cū regni maiorib. uere ineunte, se in Syriā traiecturum, cōsociatis uiribus bellum sacrum gesturum pollicebat, in urbes Cypri exercitum diuidit. Peste in hybernis absumunt, Beluacensis, Montfortensis, Mellotus, Barensis, Borbonius, Vindociensis, Drocensis, alijq; multi, quorum clades uirtute nō numero ęstimabat. at ex plebe mille centū elatos fuisse reperio, et paulò plus. Peste liberatus fuit Carolus Andegauensis, regis frater. Hac calamitate leuatus rex, aliud illi exoritur infortuniū. Insula siquidē duos habebat Archiepiscopos, Latinum scilicet, Gręcumq;. Latinus cū ritum Rom. Ecclesiæ inducere, ac pro suo arbitratu sacerdotia ordinare uellet, imperiū quoq; in Græculum exercere, accessu Francorū elatior, restitantē habuit Gręcū, qui uiribus inferior uertere solum coactus est. Victoria potitus Latinus, cęteris episcopis omnibus, ne rē diuinā facerent Græci, interdicit, maiorē quoq; partē ueteris nobilitatis Cypriæ abstentos uocat, ac impiorum habet loco. Hac de re sacra cōtentione & superbia præsulis, iritati Cyprij in pontificē insurgunt, ad arma cōuolant, ac reuocato Græco, qui Nicosiæ præerat, Nimosiensem expellere tentant. Pontifex Latinus in præsidiū, quod Limissum & Paphū interiacet, munitum se recipit, imploratoq; auxilio Frācorum, qui ea in regione hybernabāt, iā obuiā hosti, et pugnā inire decreuerat. Cyprij numero ob locorum peritiā citius aucti, anteq; ad regē tantæ seditionis fama peruenisset, exacerbatis animis in prælia ruebāt, cū de tanto periculo rumor etiā regum aures percellit. Frācus rex insidias sibi parari ratus, euocatis ad signa militibus, per præcones, iā in ipsum Cypri regē, iniuriā hanc retrudere meditabat. Cyprius suspicionis sinistræ haud liber, Francum de ui suspectum habebat, præsi-

dia, portus & itinera custodire iubet, ac cũ delectorum suorum manu, suis subsidio aduolat. Miraculo fuit, tantũ motum ambarum partium, ex errore nõ deplorandã aliquam cladẽ cõmisisse. Sed dum acies signaq; aduersa utrique parti cõparere incipiunt, Oddo legatus in medium se cõfert, qui iam ex ordine rem omnẽ didicerat, reges causam edocet, armaq; deponere persuadet, cũ his põtificum, ipsum unum arbitrum postulet. Nec mora, industria uiri optimi, iunctis dextris, reges, pontifices, milites atq; Insulani in societatem amicitiãq; rediere. Diuina & humana reformata negotia, instaurati Ecclesię Rom. ritus, in sacris admissi Insulani. rerum deinde abundantia, omnis iniuriæ memoria abolita, atq; hospitalitate liberalitateq;, beneuolentia mutua recuperata. In luxũ effusus miles, diu in tranquillitate agere haud potuit. nam dum solũ gulę intentus potãdo se ingurgitat, rixas mouet. A militib. Castrodunensis reguli, Genuenses iniuria affecti, classiarij arma corripiũt, tela emittuntur, in portuq; omnia tumultus plena. Cadunt ex utraq; parte nõnulli, inter quos ex prætoribus Genuensiũ unus, emissa ex scorpione sagitta uulneratus morit. Latius uagata cædes fuisset, nisi rex in tẽpore, triremi aduectus, maiestate sua pręliũ diremisset. iã ẽm nõ eminus sese lacessebant, sed parabãt uela, remesq;, ut cominus cõgrederent. At rex Gallus, indicta pace, arma deponi iubet, professionis suæ regulũ admonẽs, obtestãsq; Genuẽses, ne funestã redderent hãc suã expeditionẽ. Increpitus Castrodunen. cum regẽ paulo ęquiorẽ Genuensib. cerneret, animũ ad alia cõsilia adijcit, Mõtefortensemq; superstitẽ persuadere incipit, ut militẽ qui signa eius sequeret, suo adiungat, ac deinde adunatis uirib. conscensa cæthea naui, in Syriam traijciant. Haud latuit regẽ quid molirent ambo, quod quidẽ tale erat, ut exercitus uires dissipare diuidereq;, ac Reip. dedecus ingẽs inferre posset. Classem igit parare iubet rex, excitisq; ex hybernis copijs, portuũ occupat fauces, uel uim abeũtib. illaturus. Insuper etiã naucleris edicit, ne quis nauigationẽ instituat, operãq; abeunti præbeat, alioquin hostiũ loco habiturũ se, quoscunq; dicto nõ audientes fuisse cõpertum sit. Castrodunensis postq; uidet eius oẽs conatus irritos, ad ingeniũ redit, regiq; sacramẽto cauet, se nõ abiturũ, nisi signa ipsius sequatur. Rex igitur classem subducere, militẽq; in hyberna redire iubet, ipse Nicosiã proficiscitur. Tũ Castrodunensis cætheã omni nauali apparatu priuat, cætera quoq; diripit, supellectile spoliat, suorũq; precibus uix retentus, ipsam molẽ incẽdere parat. Quę res cum regi indicaret, accersito regulo, quo iure rapinam hanc defendere uelit, interrogat. Is respondet, Iusto emptionis titulo. Nauem ẽm ingenti precio, cum omnibus rebus, à principio se emisse. Integrum esse sibi de rebus suis, quæ uelit, statuere, licereq;. Ad hæc Nauarchus. Nunq; de naui ipsum cũ aduersario pactum esse, de uectura tantum. Rex iubet, ut in honorarios arbitros compromittant, sequestrum ipsum aditurum. quod quidem neutra pars præstare uoluit, precibus tamen legati, regisq; minis adactus Castrodunensis, ablata restituit, cum Genuenses iurati, sub pœna ac mulcta bis mille pondo, re iudicata staturos se, quancunq; regis senatus hac in causa pronunciaret, pollicerentur.

Aegyptiorum æstus, ac contra Christianos aduentantes tentata consilia. Caput III.

DVm hæc in Cypro aguntur, fama aduentus regis totũ peragrarat Orientem

entem,uariusq́ pro hominū affectu rumor ferebatur. Erat Sarracenis nostrorum exercitus suspectus, cum ciuili bello omnia inter eos fluctuarent adhuc,nec à morte Salahadini cōiunctis animis reip.cōsulere poterant. Aegypti igitur Soldanus,Meledinus Damascū magno exercitu collecto adijt, rebus ibi cōpositis,Hierosolymam peruenit, rectà postea in Mesopotamiā proficiscit,ut cū Alapiensi Soldano de Rep.Sarracenorū tutanda, fœderibus initis,cōsilium capiat.Res inter legatos,qui à Baldacensi, Arsacidaq́ ad uenerant diu agitata,nullū effectum cōsequi potuit,cum Aegyptius cōditiones proponeret captiosas,quęq́ Alapiensi suspectę habebant. Gamalam igitur obsidet Aegyptius,eamq́ tēpore alieno,hybernoq́ milite,armis, annona,situq́ munitissimā,nequicq́ magna suorū clade atq́ lue oppugnat. Alapiensis magno cōscripto exercitu,in subsidium suis properat, castraq́ ante urbē in cōspectu hostis firmat.aliquot dies requiei datæ,quæ ad pugnā necessaria,interim parātur. Ad certamē etiam Aegyptij expediti,hostē in sequētem diē expectabant,de summa rerū dimicaturi,cū Alapiensem, Baldacensis legati adeunt,Christianorū motus,regis aduētum,armaq́ Christianorū præ foribus esse edocet.Periculum belli ciuilis oratione exaggerant,ad pacē hortant,atq́ pacē conciliare inter eos studēt.Hoc publicū bonum,hoc Mahometi religionē postulare. Alapiensis,q́ primum urbē obsidione liberatā uidere possit,in pacatum se abiturum pollicetur,alioquin summo mane,belli aleā se tentaturū.Legati,ut reditū eorū expectet,orāt,inq́ Aegyptiorū castra se cōferunt,nō minori usi dexteritate,quæ in rē uideant,exponunt,incōmoda huius belli amplificant,ad concordiam inflammant. Aegyptius belli sumptus petit,aut urbi direptionē,subsidio cædem minatur.Itum,reditum, à legatis deniq́ confecta pax.Persę Alapiam,Damascum Aegyptij redierē, quo in loco Meledinus graui infirmitate correptus,lectoq́ decumbens,certior factus est de Tartarorū edicto.Ferebatur enī Chaam Tartarorum regē olim idololatram,Christianam religionē professum,atq́ baptismate regeneratum,magno numero instructum militem habere,quo Ludouico gratulari et auxiliaris esse cuperet.Insuper legem in tota Tartaria latā recitatamq́ fuisse,quam omnes principes approbassent, sciuisset plebs,cui adfremuissent omnes conciones & tribus, ut quotquot arma ferre poterant,ad delendum Mahumetanæ superstitionis gentem, nomen darent, atque cum Erchalao imperatore exercitus,Euphratem transirent.Meledinus ne rebus deesset,uires sibi haud sufficere uidēs,dolis agere cōstituit,missis legatis,ad tyrannum Niniuitarū,quē Soldanū Mussulæ dicunt,additis literis,gratulationibus lętitiaq́ plenis,mēdacijs miroq́ uerborū lenocinio adornatis. Quibus certiorem faciebat Tyrannum,regem Galliæ, in mari Syriaco, classe exutū fuga tumq́, cepisseq́ se ex classe Christianorū triremes sexaginta,naues aliquot, hominum armorū,rerūq́ preciosarū refertissimas,ægrè regē periculū euasisse,tantoq́ cū periculo,ut per aliquot mēses eū perijsse,sui credidissent. Ad hęc Christianos oēs Syria eiecisse,occupatis Tyro & Ptolemaide,nihil omnino iam ab Aegypti fluuio Nilo,usq́ Antiochiā Christianis superesse,portus ad nauiū receptacula,præsidia omnia necessarijs se muniuisse,metu iam illi omnia parere. Proinde si sapiat, renunciata Christianis amicitia,in quib.

auxiliũ aut spes ulla superesse nequeat, quãdo etiam nõ minus turpe sit, ab instituto maiorum ac patriæ legibus desciscere. Iustissima igitur arma capesse re uelit, quibus omnium salutẽ tueatur, ac belli socium cõtra Tartaros se exhibere. Niniuites iactationẽ ostentationemq; hæc esse ratus, ac Meledinum timore & desperatione circumagi, literas ab Aegyptio receptas, ad Tartaros misit, legatos discedere iubet. Tartari cum de rebus Syriæ, deq; regis in Cyprum aduentu, per Niniuiten certiores effecti essent, nuncijs cum literis Erchaltay ad regem missis, auxiliares copias, suppetiasq; pollicentur, primo scilicet ineunte uere, suos duces rursus in mediam Asiam ducturos, Baldacensis regionem ferro, flamma uastaturos. Proinde rex Aegyptum impugnet, ut distractis Sarracenorum uiribus, gens hominibus dijsq; inuisa, ad internecionem deleri possit. Legati summo gaudio à rege excepti, benignè auditi, magnis deinde muneribus, literisq; uicissim, ab rege Franco, ad ipsorum principem datis, ad suos rediêre. Sunt, qui scribunt regem, inter cætera magni precij donaria, principi Barbaro tentorium coccinum misisse, quod mira arte phrygionis explicatum, Christi seruatoris nostri, pro salute humana, perpessa ludibria, immeritasq; iniurias, tanta elegãtia exprimeret, ut ipsa ars cum affectibus certare uideretur, dum hinc picturæ gratia, dulcedine aliqua spectatorem afficeret, illinc rei indignitas, quam ad uiuum delineabat, dolorem lachrymasq; excitaret. Hæc dum agerentur, cognitâ habebat omnia, per exploratores, Meledinus. Vulgatæ ideo fama, ubiq; de concordia Sarracenorum, deq; fœderibus, inter eos, contra Christianos initis, rumorem spargi iubet. Augebat deinde huius timoris opinionem de ingentib. copiis sermo, quæ ex Mesopotamia, Persia, Parthia, Arabia & Aegypto, Damascum properare ferebãtur, ut Ptolemaidem, priusq; rex nauigare posset, occuparent, euerterentq;. Templarios hæc sollicitos reddebãt, quibus Francorũ uires non minus, q; Barbarorum, suspectę erant. quippe dum in Syria aliquot præsidia, à regibus Hierosolymitanis dono accepta, in eũ usq; diem possiderent, nonnulla uerò uectigales, Barbarorum pace bona, tenerent, uerebantur, ne aucti uiribus Sarraceni omnia occuparent, aut rex ipse, si uictoria potiretur, Syriæ res ita componeret, ut tyrannidi, quam in omnes exercebant, autoritatiq; ordinis nonnihil adimeretur. Subornauit igitur magister Templi hominem quendam, apud Sarracenos magnæ æstimationis, qui in senatu Barbarorum, cum de rege mentio fieret, quid nam de pace sentirent proceres, expiscaretur. Is uerò, ut callidi erat ingenii, auersos à pace sociorum fingebat animos, multa quotidie et uaria respondebat, nihil nisi bellum suos cogitare, moliri, parare. Perterrefactus Templi magister, magna donat uiro, maiora promittit, si ipsum Meledinũ persuasionibus & cõsilio ad mitiora consilia deducat. Soldanus ubi iam negotium, astumq; magnificentius quàm expectauerat initio, sibi successisse, atque spe melius euenire, uidet (nã de exercitibus conscriptis sparsam famam, in hũc tantũ euentũ excogitarat) nuncios à Tẽplario missos benignius audit, ornatos muneribus dimittit. Ac ne spacium relinqueretur labefactandi cœptorum spem, Satrapen cum nunciis mittit ad Templarium, qui de pace agat, si per Francos liceat. Lætus hoc nuntio, ex Syria regi scribit Templarius, pacem oblatam suadet

suadet,uires,ac Barbarorũ suspectos belli apparatus, multis uerbis efferet. Decepisset quidẽ Templarius Francum regẽ, nisi rex Cypri, qui peritus rerum hominũq; regionum illarũ,falli nõ poterat,cum in cõcilio ea de re ageret,exploratum se habere dixisset,hominẽ nepharium ipsum ultrò ad Soldanum legatos misisse,euocasseq; Satrapen. Quod quidẽ sine fraude maiestatis atq; Reip. Christianæ fieri nunq; potuisset. Nullã unq; tam calamitosam cladẽ,nullum uulnus tam acerbum regi Christianæ in Syria inflictũ,nullum periculum quantũcunq; maximum incurrisse eam,quibus ad tantã indignitatẽ deijceretur, in id dedecoris impelleretur,ut prior ad pacis conditiones descenderet,uel nõ honestissimi utilissimiq; fœderis mentionẽ ægrè admitteret. Publicam deinde maiestatẽ læsam,Barbarorumq; ludibrijs omniũ Christianorum uires expositas,iam Sarracenos cristas tollere, attenuatos imminutosq; animos nostrorum iam tum credere dicit, omniumq; in Templariũ indignationẽ excitat. Rex igitur Frãcus excandescens literis missis, Templario capitale fore testatur,si posthac unq; à Barbaris legatos recipiat,audiat,sermonésue aut cõmercia cum ipsis serat,interim tamen dolum dolo trudere statuit,quũ quos subsequi ex Europa primo quoq; tẽpore oportuerat, serius domo soluere animaduertit.iniecta itaq; pacis spe Barbaro,tẽpus ducit. Interim etiam Armenij regis legatos audit,qui cum ingentibus donis, pollicitationibusq; maximis applicuerant,erat autẽ inter Armenum & Antiochenum,quod diu durauerat,odium, bellumq; diuturnum.id prudentia regis sopitum tunc,atq; omnino sublatum.induciæ,missis hinc inde legatis, per duos annos firmatæ. Missa etiã Antiocheno auxilia contra Turcas,qui ditionem principis inuaserant,ac prædando,ferro,flammaq; grassabantur. Horum itaq; insolentia ut compesceretur, ad preces principis & Patriarchæ,scorpionarij sexcenti in Syriam trajciunt,per Orontem Antiochiam delati,quorum opera,urbs atq; prouincia egregiè tutata fuit.

Ex Cypro in Syriam traijcere tentat Christianorum exercitus. *Caput IIII.*

HYeme ita his negotijs transacta,ineũteq; uere de nauigatione sollicitus rex,solutorum se ex Cypro ad Maij Calendas edicit, missis hinc inde nuncijs,qui ex insulis,cruce signatorum copias,hybernis euocarent. In Syriam Hierosolymitanum Patriarcham,Suessionensem Episcopum, Magistrumq; equitum,quem Connestablium uocant,ire iubet,ut ex Tyro,Ptolemaideq; triremes,nauesq; deducant,quibus exercitum trajciat,ipse triremes aliquot in insula instruere,& alia minora nauigia nõ pauca expedire ad profectionẽ iubet. Interea Henricus 3. Anglus rex,principũ suorum habito cõuentu,magnã pecuniæ uim,pro bello aduersus Sarracenos abunde coëgerat,duces cum electa militum manu decernit,qui regem Francum sequantur. Iis præficit Guilhelmum Longospatam,cũm nonnullis aliis Episcopis, uiris religiosis,adi[illegible]ctis artis militaris peritissimis. Robertus quoque dux Burgundiæ parata classe,ac nõ cõtemnendo numero militũ, regẽ sequitur, in Peloponesum uentis cõtrariis delatus,Cyprũ cũ non attigisset,in Attica statiua per totã hyemẽ habuerat.iam uere ineũte,Guilhelmo Villę,Achaiæ Bithyniæq; principi persuasit,ut accepta cruce is quoq; sacrã susciperet militiam. Sic ex tota Græcia,magna nauium uis atq; militum coacta,ad regem

in Cyprum peruenit. At in Syria apud Ptolemaidem inter Pisanos Genuenſesq; exorta erat diſcordia, quo in tumultu, cum ad arma uentum eſſet, Genuenſium conſul, miſere trucidatur. tota deinde urbs in partes diuiſa, cũ qui in urbe erant Cyprij, Genuenſibus fauerent, Veneti Piſanis ſubſidia clandeſtina ſubmittunt, fœda tandem clade patrata, multorum bonorum cæde uix ſopita ſeditio, partes quieuere. Sed prҿter omnium opinionem, rebus Aſiaticis maiorem hæc controuerſia remoram iniecit. dum enim exacerbatis animis, odioq; inexorabili, inuicem ſe proſequuntur, quҿ in mari ualebant plurimum Reſpublicæ, de uectura omnem ſpem fruſtratur utraq; factio. nam ſuſpicione æmulationeq; ægra, alteri fidem adhibere, aut ad gloriam promerendam opem neutra adferre uolebat. Itaq; bimeſtre tempus abſumpſit regis legatio, antequam Venetos & Genuẽſes claſſem armare, ac in Cyprum traijcere perſuadere poſſet, quod quidem uix iniquo ingẽtiq; precio tandem obtinuit. Hҿc cum ingenti ſollicitudine pararentur, Rex ipſe penè nepharijs inſidijs perijt. equidem capti ſunt, qui ueneno aut ferro regem, reliquosq; exercitus Chriſtiani duces omnes tollere nitebantur. Depræhenſi aliquot confitebantur, Soldanum Templariorumq; magiſtrum, magno auro dato eos ſubornaſſe, ut id ſceleris quocunq; modo poſſent, perpetrarẽt, quanq; plurimi qui facinus tam atrox aggreſſi, ac in uincula coniecti erant, conſtanter negarẽt, aut Soldanũ aut Templariorũ magiſtrũ, Arſacidã uerò in cauſa eſſe, qui inſidijs menſæ, ſicaq; eos inſtruxiſſet. Scelus debito ſupplicio hi omnes luerunt, cum ecce ex Ptolemaide & Tyro nauigia adſunt. Coacto igitur milite, nauibusq; impoſito, cõiuncta Cypria Peloponeſiacaq; & claſſe & iuuentute, ipſo poſt Aſcenſionis Dominicæ diem ſabbato, in Aegyptũ curſus dirigitur. Vix è Nimotij portu egreſſi, ad quinq; millia paſſuum, cum aduerſis uentis agitati diu, Papho urbi quàm prope appulſi, ſtationem Zephyrij ingredi conantur, ſed inclementia maris repulſi, remis & remulco conniꝟi, in portum Nimetij iterum ſe recipiunt, iactisq; anchoris per aliquot dies, uentum & auram expectantes, moram duxerunt.

Damiata capitur. Caput V.

IAm auram leniorem ſpirare cũ ſentirent Nauarchi, aptatis rebus omnib. ſubductis anchoris, uela uentis permittunt, ac mari Syriaco per diẽ unam emenſo, Aegyptium pelagus ineunt. Vbi ſummo mane Damiatã in cõſpectu habuere. Aegyptij uerò iamdudũ de noſtrorũ aduẽtu certiores facti, Nili oſtia, firmiſſimo triremiũ nauiũq; præſidio munierant, ac per littus maris, præſidia omnia, milite armisq; inſtruxerant. Induxerant enĩ in animũ nõ nudare littora, edocti diuturnitate bellorum, q; proni eſſent noſtri ad bellũ regioni locupletiſſimæ beatiſſimæq; inferendum. Pro patria igitur ferro uiq; omni decertaturi, hoſtili in noſtros animo, ſub ſignis in littore ſtabãt. Apparuit ſtatim noſtris, pro deſcenſione pugnandũ fore. Rex Francus, cæteri duces, alios ſuos milites uerbis & promiſſionibus cõfirmant, tam longinquũ iter ſuſceptũ eſſe, ut hҿc littora occupent, multo ante animis proſpectũ, & ante oculos poſitũ fuiſſe hoſtẽ, qui telis tormẽtisq; ab littoribus aduenientes arcere conetur, ſed impetũ dandum, impreſſionemq; iam faciẽdam eſſe, imò etiã uel iactura nauiũ terrã occupandã, ut in ſiccũ euadere, cũ hoſte cominus congredi

cōgredi possint. Cetheæ naues tunc primo impetu littori quantū poterant, adactæ, idq; cum triremibus pari modo factitatum. Quod ubi milites senserunt, scaphis, myoparonibus, Gāzarijs, Bergantinis atq; lintribus, quorū magnam copiam ex Cypro secum deduxerant, in tantam manum quantam illæ potuerunt ferre, ad littus deferri se curant, ac unusquisq; ut scapham maris altitudo destituit, in aquam sabulumúe desiliuit, ac ipsis in aquis instructa acie repugnantes, de sicco littore Barbaros aggrediuntur. Absorpsit unda multos, qui maioribus nauigijs uecti, in mare adhuc altum desiliunt, onere armorum oppressi, emergere nequibant. Nauium aūt onerariarum gubernatores, & naucleri triremiū, ab utroq; latere emergentiū, sagittarios, tormētaq; quæ apportabant, disposuerant, ut coniectis in hostem telis, nudarent littora hostium fuga. Qui primum per aquas in littus enatabant, tanta ui ferebantur, ut paulatim Barbaros ex terra stabiliq; loco connitentes repellerent, quousq; alia super aliam delata scaphis manus, in iustum excreuit exercitum. Videbatur tamen cum semper recentes copiæ Barbarorum accurrerent, eos omnes prius emorituros, quàm loco cessuros, sed perculit obstinatorum animos fragor illatarum nauium, quę tanquā ingentis molis ruina, per procellosas undas magno strepitu, sono horrifico illidebant, adeò ut cū iam pes pedi, uir uiro conferri, ac nostrorum triremes ad classem hosticam tendere inciperet, tum pedites tum classiarij aduerso Nilo, uelis remisq; fugā inire, & ad urbē properare conspicerentur. Nostri fugiētes aliquāto insecuti stragē fecerunt maximā, in qua cæde cecidit Satrapes ille, urbis & littoris custos, cum optimis ac delectissimis Sarracenorū quingentis, cæteros ignobilis fuga, propinquitas urbis, ac regis sollicitudo texit. is em̄ ad littus tentoria figere iusserat, nemineq; ulterius inexplorato progredi passus est. Iam, excepta urbe nobili, nihil superesse uidebat, ad domandas Aegypti uires, & Syriā recuperandā. Cæterum nostris res difficilis uidebat, urbis expugnatio, cū non deerant, qui expeditioni priori interfuissent, obsidionē sesquiennem cōmemorarent, arma, uires, ingeniū omne esse consumptū tunc, pestem, famem solam urbis imperium acquisiuisse. iam uero uidebant, magnis munitam, firmatā, instructā, opere, præsidio cōmeatu, telis, tormentis. Videbant etiam, cum mœnibus, cū flumine, cum uiris selectissimis, uictorijs claris, exercitatissimisq; rem fore, ac colluctandum. E diuerso, Barbari āmisso Satrape, iam obsidione iusta se concludi cernebant, fataq; quæ Brenno rege pertulerant, eos deterrebāt. inito consilio, reliquū diei, quod supererat, ab ea hora, qua in urbē se receperant, timore perculsi, in urbe peragere, noctu migrarē cōstituerunt, persuasissimū habētes, ubi illuxisset, hostē mœnia aggressurū. Igitur paulo ante lucem, ponte nauali constructo, per auersum à castris nostris, fluminis alucum, hostis ciues, utriusque sexus, ætatis & conditionis, abire iubet, atque humeris quicquid possent, rerum preciosarum efferre, deinde militem subsequi, qui in multis locis iniecto igne publica priuataq; ædificia accedens, urbe deserta, pontem à tergo soluit & disrumpit, in pacatum itineribus quàm citissimis præeuntes subsequitur. Relucente flamma nostri excitati, regē properè conueniunt. is missis exploratoribus quid ageretur ab hoste, aut quid agere ipsum opus esset, contemplari iubet, qui

qui statim hostem in migrationem, in flammas ignem erumpere renunciāt. Re explorata, accurrunt Christiani, ac signis aliquot aggeribus & fossis tra iectis, portas infringunt, in urbem ingredi conantur, ac ignes restinguere, exercitus uerò robur, instructis aciebus, sub mœnibus expectabat rei euentum. Nam insidias uerentes, duces totum exercitum, urbem simul intrare haud permittebant. Cognito uerò urbis statu, quod hostes transito flumine abijssent, ad incendium restinguendum, quod multis in locis eruperat, accurrunt omnes, nullo seruato ordine. Extincto igne, insequi hostem soluto ponte non licuit, sed ad prędam conuersa plebs, magnam in locuplete urbe rerum preciosarum uim, ac in primis annonę abundantiam reperit. Deinde ruderibus purgata ciuitate, legatus, Patriarcha, Episcopi, cæteriq; uiri religiosi, qui ex omni natione coierant, regem adeunt, ac consilio habito, supplicationes decernunt, urbem lustrant, Mosqueas atq; Barbarorum præcipua templa Mariæ uirgini, diuisq; reliquis consecrant. Rex instauratis publicis priuatisq; ædificijs, comitijs indictis, de bello gerendo refert. Vbi nō defuerunt, qui dicerent utendum uictoria, ac recenti terrore, hostē debellari posse, antequam animos aut uires resumeret, ideo Chayrum, superstitionis & gentis arcem petendam, dum omnia fletu metuq; personarent. Quam sententiam cum multi probarēt, superioris belli memoria illam superauit. nam instabat tempus, quo Nilus inflari solitus est, uidebaturq;, antequam Etesiæ flarent, bellū perfici non posse. Igitur dilata profectio, atq; æstas prima apud Damiatam in ocio transacta. Hæc tam inopinata, citraq; puluerem (ut dicitur) uictoria, nostris contigit, urbsq; Damiata secundo occupatur, Anno à nato Christo 1249. intra Cal. Iunij, Frederico imperatore secundo, Campano ocio marcescente.

Pugnatur ad Masseram magna contentione. Meledinus moritur. *Caput VI.*

DVm ad Damiatam sic subsidet Ludouicus, Alphonsus Pictauiensis comes, fràter Ludouici collecto milite, auro annona, armis, supplementoq; rerum necessariarum, nauibus imposito, sexto Cal. Nouembris classe in Aegyptum, ad Damiatam accessit, magno omnium applausu. Exceptus à fratre perbenignè, de bello gerendo noua capiuntur consilia. Paribus deinde sententijs proclamatum, in hostem ducendum esse, ac cum eo de summa rerum decernendum. Ad undecimum Cal. Decemb. Ludouicus Damiata mouens, ad Pharamiam urbem ducit, quam nōnulli Masseram dicūt, Muhasicam puto esse, oppidum super Nilo, procul à Cahiro, 30. millia passuū, ad partem Orientalem situm. Vbi Soldanus coactas undiq; Barbarorum copias continebat. Progressis nostris, non uniuersis copijs Barbari occurrunt, sed leuibus prælijs iaculando, lacessentes refugientesq; ludificabantur, tamen nostri semper superiores, pedem referebant, illi fuga cedebant. Dirimebat fluuius utraq; castra. nam nostri ad diuortia Nili castra metauerant, ubi riuus iusti fluminis instar deriuatur, in cuius aduersa ripa hostes uniuersi tentoria tetenderant, nostri uerò inter duos amnes hærebant, uadum sæpius, si quo modo transire possent, tentantes. quod non admodum difficile erat, si pręaltas ripas, quibus riuus coërcebat, trāsire potuissent. Spes tamen erat euadendi, quod non natiuo discrimine, non ui fluminis, aut natura locorum,

corum,at opera & ingenio hominum fossa ducta apparebat,qua Nili pars ita deriuaretur.Igitur eadem arte & industria in unicum alueum flumen redigi utrunque posse sperabant nostri,si mollibus obiectis,diuortium fluuijco hiberetur. Edicto regis pedites arma ponunt,ligones,bidentes,palas corripiunt,aggerem extruunt, uiam muniunt,fossam effodiunt. assurgit opus, quod ex aduersa ripa hostes impedire conantur,tela tormentis ingerunt,cōtrà nostri equitem obijciunt,qui sagittis immissis,hostem arceant.castellum ex materia excitant,sed id missili igne iniecto,exuritur. Inter hæc, quo casu, aut quo consilio,non traditur,Aegyptius quidam è castris hostium, ad nostros traiecto flumine peruenit, quos edocet in inferiore parte, riuum uado transmitti posse, quum ibidem latiore alueo, in morem placidi stagni diffundatur.Rex parte exercitus eò missa,ubi explorato uado,transiuit una alteraque cohors,ægrè limosis ripis emersit,quandoquidem hærēte uestigio, luctanteque pede,firmiter consistere nemo poterat.Tandem in locum æquiorem euaserant aliquot cohortes,quos Robertus Atrebates,regis frater ductabat,is uir fortissimus,maiora ausus, quàm sine totius exercitus robore perficere credibile erat, in hostium castra impetum facit, igne, ferro obuia quæque prosternens.Primum custodiam ex improuiso adortus, oppressam trucidauit,uix uno relicto,quem equus præpropera saluauit fuga.qui effuso cursu in castra hostium perlatus,clamore & gemitu omnia repleuit,auxitque timorem,cum uniuersas hostium copias adesse in proximo affirmaret.Fermè fidem dictis derogabāt omnes,nec credita res foret,nisi pauoris & cruoris indicia,certam rem esse docuissent,periculum equidem ab ea parte, neque tam inopinatus impetus nostrorum timebatur.Robertus ubi omnia trepidatione & timoris plena animaduertit,peditibus, quantum possent,accelerare iussis & se subsequi,equites effusissimis habenis, in hostē irruere præcipit clamore,ex composito,ab omnibus sublato,& clangore, strepitu tubarum edito,magni exercitus existimatione, hostes terrere cupiens. Signa deinde multa erigi iubet,ipse primus in castra impetum facit,ubi à Barbaris fortiter exceptus, ac occursu peditum fatigatus,equum amisit,suorumque uix opera sublatus eripitur.Sed propter nouos inexpectatosque latētium clangores, & undique irrūmpentium strepitus omnia iam resonabant, quare exanimati Barbari,credentes omnes Christianorum uires adesse, iam antequam rex cum suis flumen traijcere posset,arripere fugam cœpere.Quibus in fugā uersis,clades ingens illata ab insequentibus,donec Sansachus unus equo deiectus,prædæ cupidos pedem referre pellexit.Certatim enim hominem uiuū comprehendere, aut occisum spoliare quisque nitebatur,qua contentionē nihil aliud effectum,nisi quod inter distrahentium manus Barbarus expirarit,ac uictoria parta,maximi uiri cæde,è manibus elabebatur.Robertus etiā belli ardore longius in hostem prælatus,cum aliquot suorum paucis, & ecce Barbari,qui se à nostris uiderent remissius insequi,resumptis animis,fugam sistunt,palantes intercipiunt & trucidant. Ad Robertum iterum conueniunt qui ab hostibus non intercepti,redintegratos hostium cuneos dirijcere conantur.Fit pugna atrox,cum hi uictoriam & decus obtentæ pugnæ amittere nolunt, illi fugæ ignominiam eluere certant.ad noctem fermè usque

pugna extracta, nostris iterum fortuna adspirare uideatur, ac hostes paulatim pedem referre iterum incipiebant, cum Robertus dux telo in incertum emisso, lætaliter perfossus, equo decidit. cuius uiri cædes tantam nostris formidinem incussit, ut paulo minus apertam fugam inirent, attamen cedendo collem quendam occupant, ubi etiam inuitis hostibus, ea nocte perstiterũt, insomnes hostium insidias & impetus sustinentes. Rex ubi de fratris transitu certior factus, fugamq; hostium perspexit, alios emittit, qui transeant flumen, ac ex castris hostium materiam conferant, quam hostes munitionis castellorumq; causa cæsam comportarãt, pontẽ ex ea in flumine faciant, ut reliqua pars exercitus huic iungeretur. Traiecto igitur fluuio, certior fit de fratris cæde, atq; superstitum periculo. nec mora, omnibus se subsequi iussis, sub crepusculo, quàm potest occultissimè, suis se iungit. Barbari, qui hesterna die totum exercitum in acie fuisse existimabant, eos autem tantum accederebantur, quos insequendi studium, aut fuga à suis latius deduxisset, summo mane, ex uictoria ferociores, tanto impetu nostrorũ castra aggressi sunt, ut penè nostros maxima affecissent ignominia. Nam in media castra nõnulli delati sunt, anteq; nostri semisomnes, labore, inedia, hesterna pugna, & magnis itineribus fatigati, accessu quoq; sociorũ securiores, arma arripere, aut instauratis ordinibus hosti resistere possent. Cupiditas autem Barbarorum nostris spaciũ dedit. dũ eñ per tentoria discurrere hostes incipiunt, nostri ad prætorium regis cõuolant, conglobatis factisq; cuneis, ex omni parte in hostem erumpunt, munimentis depellunt, ac cunctantem, nocteq; deterritũ ex æditiore loco pugnantes sternunt facile, cæde ingenti edita, reliquos in fugã fœdam cõijciunt. Clarissimi Barbarorum duces ea pugna interiêre. magna præda recepta. Meledinus autem Soldanus, qui apud Chayrum graui ualetudine correptus, lecto decubuerat, accepto tantæ cladis nuncio, doloris ui oppressus, animam exhalauit.

Capitur cum rege Christianus exercitus totus à Sarracenis. *Caput VII.*

MElexala, Meledini filius, iam inde ab amissa Damiata Syriæ Dynastas, Arabum phylarchas, Sultaneosq; cæteros barbaræ religionis adierar, ostenderatq; res Turcicas Sarracenicasq; deploratas pariter, atq; pessimo loco constitutas. Paucos etenim in prouincias omnia ea redacturos, si expectare uellent, donec euersa Chayro & occupata, belli onus in ipsos uerteretur. anteuertendum esse, ac priuatam iniuriam obliuiscendam, publicæ salutis causa. Dum inter eos deliberatur, etiam nuncij accedunt, qui de clade accepta, ac Meledini morte, tribules certiores faciebãt. Metum hæc incutiebant Barbaris, inter Alapianos Damascenosq; sedantur inimicitiæ, dexteræ interiunguntur. Decernuntur subsidia, cogitur exercitus, magnis itineribus Melexala Chayrum contendit. Vbi rex Aegyptiorum ac Soldanus salutatus, liberorum seruorumq;, quos Mamaluchos uocant, egregia statim recipit auxilia. Seruiunt autem Mamaluchi Soldanis, ut illis unis dicto obedientes sint, cæteris omnibus imperẽt. Nostri ad Pharamiam ita diuturniore mora peracta, pestilentia graui infici occipiunt, quæ in gregarios & præstantiores æqua rabie debacchatur, ac multum exercitum imminuit. Cæterum robur totius exercitus, balistariorum, sagittariorum, scorpionariorum

collegia

collegia & cohortes fermè ad unum interierant, qua clade uirtus totius exercitus debilitabatur. Morbum luemque ortum habuisse putant aliqui, ex palustribus locis. nam primo pedes intumescebant, deinde caput grauedine afficiebatur. Vnde factum quod per morbum ingredi non liceret, cum tamen per hostes nulla intermitteretur hora, qua non lacesserent ægros. Insederat is Nili ripam, quam ab alueo scissum flumen & deriuatum lambebat. ingentibus quoque copijs obseruabat, ne aliquid cõmeatus per eundem Christianis comportaretur. Vnde primo in castris Christianorum penuria rerum, mox & fames subsecuta. Proceres ac delicatioris compositionis homines, peste grauiter afficiebantur, curæ uigiliarum, stationum ac custodiarum dudum ad humillimũ quenque reciderant, iam & uulgus inedia affectum, munia subire, officia exercere nequibat. In tantas igitur omniumque maximas difficultates perducti Christiani principes consultare cœperunt, ac quomodo Damiatam redirent, cogitare. Instructa nauicula, ostensa uia, qua rex grauiter laborans, impositus, clàm ferri, atque antequam hostes fluminis potentes fierent, secũdo elabi Nilo posset. Hortabatur quoque à proceribus, ut sibi cõsuleret. Res Christianorũ eo incolumi infractas esse & integras, cęterorũ quantamlibet iacturã facilem fore. Hæc ubi audiuit rex, studium beneuolentiãque suorum laudibus extollit, ac suos se deserturum negauit, ut nec à suis desereretur. se quoque affirmat quamcunque Deus daret, subiturum eum suis fortunam. Tandem decretum totis castris, Damiatam repetendã esse. sed antequam castra ob multitudinem ægrorum moueri possent, Melexala cognito consilio nostrorum, æquioribus locis, naues iunctis plaustris, in inferiorem partem fluminis transferre curat, atque inter urbem Damiatam, castraque nostra locat, ne mutuis auxilijs nostri se iuuare possint. Qui in urbe erant, postquã de reditu nostrorum certiores facti, periculum regis, exercitusque incommoda accepissent, naues aliquot instruunt, ac hostium classem ui etiam aduerso flumine deturbare, suosque recipere conantur. Patriarcha quoque Hierosolymitanus, scaphis & actuarijs nauibus, quæ in fluuio multæ erant, turbam ingentem imposuit, triremes Sarracenas, ad ostium amnis, quo in mare se exonerat, in stationem positas, uel fallere, uel spernere, aut irruendo perrumpere meditatus. Sed nec aduerso nec secundo fluuio, res bene cecidit. nam quę urbem egressę erant naues, partim suppressæ sunt ab hoste, partim captę. pari modo, in concatenatas hostium triremes, tanquam in retia Patriarcha cũ suis illapsus repugnans, præda efficitur. Sic ex omni parte delusa necessitas imperiosa. Ad Non. Aprilis, cum rex corpore exhausto, debilitatoque diutius sustinere se non posset, cum paucis qui à morbis integri, aut minus languebant, consilio habito, iubet ad arma cõclamare. Correptis igitur armis, hostem ad pugnam progressi prouocant. Nec mora Sarracenos obuios habent, tãtamque Barbarorum colluuiem, quantam ipsis oppositam nullo prius tempore intellexerant. Exigui numero, locis iniquis ab hoste circumuenti, ægritudine, fame, debilitati pugnam ineunt, ira & desperatione uires addentibus. Pugnatum acerrimè, in tertiam horam quoque protractum certamen. Obruti multitudine hostium Ludouicus ipse, fratres duo Carolus ac Alphonsus, in prima pugnantes acie, primi penè omnium uictori Barbaro

manum dare coacti sunt. Cæteri fermè omnes, paucis admodum fuga prolapsis, partim cæsi, partim fugientes, magis quàm prœliũ detrectãtes capti fuere. Ad castra deinde itum quæ ab ægris defendi non poterant, direpta omnia. Mori sacro bello, rex sanctũ habebat, eadẽ & reliquis sub tali duce mẽs. Sed Barbarus ultro conditiones offerebat. Per medicos suos regem Soldanus diligenter curare iubet, conualescentem de inducijs alloquitur. Quas necessitas imponebat cõditiones hæ fuēre. Aegypto exercitus deduceret Francus. Damiatam Sarracenis restitueret. Octo Byzantiorum aureorum millia in belli sumptus, Soldano à Franco numerarentur. Captiuos omnes ex Aegypto alijsq́ suæ potestatis locis liberos emitteret Soldanus. In decenniũ pax utriq́ genti inuiolata permaneret. Addidit Soldanus, si promissa unquam non impleret, hac perfidia Machometum se pernegasse. Eandem conditionem à Ludouico poposcit, iuraret scilicet, si fidem falleret, Christum Deum negasse se fateretur. Tam impium carmẽ detestatus Ludouicus, cũ iam Soldanus mortem non assentienti minaretur, cum nõ deessent, qui hoc iusiurãdum licitè ipsum præstare posse, uiri docti & sacrarum literarũ haud ignari, illi persuadere uellent, subintulit. Mortem citius obeũdam esse, quàm ut uel mente conciperet, nedum ex dentium uallo, illam iusiurandi formulam elabi sibi fineret. Soldanus regis constantiam admiratus, iniurato fidem adhibuit, inducias pacemq́ publicare facit, cum rege Damiatam petiturus. Fabula est, quam quidam de oppignoratæ Eucharistiæ à rege substantia, corpore scilicet & sanguine Christi, tradunt, cum id tantum coniecturis assequũtur, quandoquidem Sarraceni aurum, azyma calici (ea forma qua in sacris uti solitum) superincumbenti, signasse eo temporis feruntur. quod equidem in contumeliam Christianorum ab hostibus effictum fuisse, uero propius uidetur, cum rex ipse tantæ cladis memoriam, in auro argẽtoq́ expresserit, taurum cancellis circumscriptum, monetæ ex una parte imprimens. Nec his accedo, qui Andegauensi Carolo fugę notam inurunt, ac ipsum cohorte quadam, cui à rebus fortiter ac prudenter gestis nomẽ, Forzacatta, id est, uigẽs cattus, in pacatum delusis hostibus abijsse. Repugnat hic, loci, temporis, imò ipsius naturæ ratio atq́ conditio. Sed hæc satis.

Damiata reddita Sarracenis, confectæ induciæ, in Syriam reuertitur Francus. Caput VIII.

NVlli dubium erat, Soldanum uictorem, tantum tempori seruire, cum rege in hunc unum euentum humanè agere, ut pacis spe, pollicitationibusq́ Francum, armatasq́ cruce signatorum cohortes ex Syria, in patriam redire pelliciat, inermes tunc tota Asia pulsurus. At aliter Deo optimo maximo uisum erat, qui nostrorum impietate irritatus, intestinis bellis, fraternaq́ cæde pollutos, prouincia ejcere uoluit. Postquam enim conditiones Melexala nostris præscripsisset, ac iam urbi, quam recipere gestiebat, appropinquaret, sub ipsis mœnibus, à cõiuratis trucidatur. Vir gestarum rerum clarus, auo, patreq́ nobilissimus. fuere serui emptitij, qui tantum facinus, spectante, silentiumq́ agente nobilitate ausi sunt. Id uerò Turquemenij, qui postea Soldanus dictus fuit, an Alapiensis Soldani cõsilio factum sit, nescitur, constat tamẽ, eo interempto, cum homicidę Ludouicum strictis gladijs cõuenirent, atq́ ex cęde Imperatoris sui cruentis adhuc uecordem amentiam,

qua

qua tabernaculum ægrotantis regis aggrediuntur, à Turqueminio repressam, etiam si adhuc priuatus, nullo comitatus, sicarios tantum uerbis castigaret. Abactis parricidis, ad regem intro se recipit, decumbentem solatur, oris maiestatem, dignitatem uultus admirans atque adorans. Cum ecce pro foribus Sarracenorum colluuies, uesana rabie frendens, Turqueminiū per proceres euocatum, horribili Barbarorumque clamore, Imperatorem, dominum, ducem, Soldanum salutat. Exercitus curam, hostium potestatem illi uni offert. Silentio indicto, stationes suas cuique adire imperat, maiores conuocat, ac cōcilio habito, cum paucis regem, more regio adit. Cumque rem suam principio firmiorem pace, & accepta pecunia, quàm bello fore uideret, reges Galliæ scilicet & Cypri, Patriarcham, Duces omnes ad eam diem ubique captos, coram sistere iubet. Pacta cum Melexala inita rescindit, nouas conditiones offert. Rex ex octo annorum Byzantiorum millibus, quos Melexalæ pollicitus fuerat, in præsenti quatuor millia numeraret. Damiatam Turqueminio restitueret. Sarracenos per totam Syriam captiuos ubiubi locorū, inque potestate Christianorum essent, nuper uinctos, aut etiam à fœdere Soldani olim cum Frederico secundo inito, in seruitutem redactos, liberos ad suos redire permitteret. Vice uersa, Turqueminius, cuiuscunque conditionis, ætatis, nationis, in quocunque loco captiuos haberent Aegyptij, ab eo tempore quo inter Fredericū ac Sarracenos pax inita fuisset, liberos omnes sine precio dimitteret. Vrbes, oppida, præsidia, pagos, fundos, bonaque omnia, ac iura, quæ Christiani antequam rex Francus in Syriam traiecisset, possedissent, intacta, inuiolata à Sarracenis, ijsdem permitterentur. Res, æs, aurum, argentum, supellectilia, mobiliaque omnia, iumenta, greges, quicquid denique pij in urbe Damiata haberent, iustoque possiderēt titulo, id omne saluum integrumque ipsis restitueretur. Ea uendere, distrahere, auferre, bona uenia Sarracenorum, Christianis phas fore. Aegrotis in urbe donec sanitatem reciperarent, hospitium concessum. Abeuntibus mari aut terra, decumbentibus, sua distrahentibus, tutum, liberumque futurum cōmeatum. Pedestri itinere Syriam petentes, fortissimorum apud Sarracenos comitatu abituros. Damiata recepta, Tarqueminius pacis capita per præconem edici, decennes inducias, inter Christianos Sarracenosque Aegyptios proclamare facit. Alphonsus regis frater, obsidis loco in custodiam liberā recipitur, quoad quatuor mille Byzantij reliqui soluerentur. ac cum per conuenta procul abire liceret, rex tamen, antequam reliqua solutio facta esset, discedere noluit. Solutione exhibita, proceres omnes, qui in uinculis habebantur, liberati, cum rege ex Aegypto in Syriam per Genuensium classem deportantur, Ptolemaidemque delati, Sarracenos Aegyptios à dominis precio redimunt, eosque nulla cunctatione restituunt, magnam in fide spem reponentes, quod Sarraceni Christianos omnes secundum pacta, uicissim reddituri essent. Sed Turqueminius seruili barbaraque fide, ex duodecim millibus Latinorū, qui post discessum Frederici alij alio tēpore capti fuerant, quosque omnes liberari con uenerat, quadringētos tantum dimisit, eosque haud sine precio. Aegrotos ad unū trucidant, adolescentes quos uitæ dulcedo, atque mortis metus, à martyrio dehortabaƚ, initiatos Mahometo atque circuncisos, Volonū exercitijs im

buebant. Nec res integræ restitutæ sunt, cũq; classe missa, rex turbam impedimentaq;, quam reliquisset, ex Aegypto deportare uellet, neque arma, neque machinæ, neq; equi, neq; commeatus auferri potuerunt. Vixq; sex mille ex Aegypto reduces fuerunt eorum, qui cum rege Damiatam peruenerant, cum quo ad duo & triginta millia domo profecti, Græcis Cypriisq; nõ numeratis. Ptolemaidem igitur cum uentum esset, cõuocatis extemplo primoribus ac optimatibus, de reditu in Europam consilium suum indicat, suffragia tamen omnibus libera permittit. Sibi enim uideri, res Syriæ pace Aegyptiorum firmas fore, sed bello, superstitibusq; copijs, augeri, non posse. De propagando imperio conatus, in aliud tempus reijciendos. His auditis, liberaliter omnium consensu gratiæ actę regi, quod rerum Syriacarum, salutisq; Christianorum tantam habuisset rationem. De reditu uero respõsum, non uideri ex re, nunc quantulascunq; has copias in Europam transportare, aut Prouinciam imperatore desertam relinquere, cum Sarraceni eorum omnino nihil, quæ in fœderibus expresserant, præstitissent. Cõtra fidem deniq; interpositam, eo adhuc præsente, eos omnia labefactasse. Res intercepisse, captiuos retinuisse, trucidasse ualetudinarios. Certum fore, eo abeunte, ubi aliqua rei bene gerendæ occasio affulgeret, perfidos homines in Syriam irrupturos. Imminere aliud non minus periculum, Alapiensem equidem Soldanum ęgrè ferre, quod Aegyptiorum Imperium extinctis ueris principibus, triste subijsset seruitium, atque uenalitijs mancipijs famulari coactum esset, in Turqueminium ideo hunc arma atque bellum mediiari. Seq; certos nuncios recepisse, quibus certiores efficiantur, iam Alapiensem, Damascum usque processisse, qua occupata, si uictor ex Aegypto rediret, haud ambigi, destitutam milite atq; duce, Syriam eum inuasurum. Cæterum Cęsaream, Ioppen, Sidonem, aliaq; non contemnenda præsidia, dum bello Soldanum in Aegypto distineret, à Christianis recuperata, communienda uideri, atq; rei exitus præstolandus. Laudauit optimum consilium rex spe suscepta, quod discordia Sarracenorum, redimendorum captiuorum in Aegypto sortem faciliorem redderet. Id primum erat quod in Oriente illum retinebat. Secundum cupido sacrorum locorum inuisendi. Tertio, locorum à Barbaris dirutorum restituendi, cõmuniendiq; occupatorũ à Christianis opportunitas necessitasq;. Vtrunq; igit̃ fratrẽ, ad matrẽ consolandã, in Galliam remittit, ipse fide publica accepta, sacrosanctũ sepulchrũ, locaq; insigniora Hierosolymis, alijsq; in locis, pedes, paucisq; comitatus inuisit. Inde Sidonẽ petit, ut restaurata urbe, præsidiũ Christianorũ in ea collocet, per uiã Christianorũ aliquot cadauera insepulta, putridaq; offendit, religione ductus, proprijs manibus suis fœtorẽ uix ferentibus, sepeliuit. Cæsareã cum restauratã turribus, armis, telis, uirisq; instruxisset, Nazarethũ uenit, deinde Thabor montẽ ascẽdit, inde Ioppen ingressus est. Hanc portu cõmodissimã, publicis priuatisq; ædificijs exornauit, aggeribus, fossis, mœnijs, duplicíq; muro circũdedit, atq; firmissimã reddidit, per quadrienniũ deinde fermè integrũ inhabitauit, circummissis Oratorib. cuiuscunq; nationis nostri apud Barbaros in captiuitate tenebãt, eos gregatim, ducẽos, trecenosq; redimebat. Fide, pietate, prudẽtia, uigilantia in officio Barbaros cõtinuit, res Syriacas auxit.

Pastorelli homines uani, cruce signati, post multa scelera commissa, trucidantur. Caput IX.

Crebri rumores ex Asia in Europā afferebant, Ludouicum regē cum bene multis suorum in Asia in Barbarorū manus uenisse, quæ fama & ultimos orbis Britannos adijt. Hoc nunciū etiam id adferebat, quod totā Angliā dolore conficiebat, Guihelmum Longospatam, cum suorum omnium manu in prælio cecidisse. Vnde Henricus, mortē tanti uiri ulciscendi, opēq; Christianis laborantib. in Aegypto ferendi percupidus, primo quoq; tempore bellū sibi suscipiendū statuit. at non multo post, cum paratus esset ad iter faciendū, à pontifice Innocētio per literas retardatur. quod ille certior factus, de cōditionibus pacis, quas Ludouicus ab hoste recipere cogebat, arbitratus est, nō esse opus nouo subsidio, cū nostri re male gesta, pacē cū Barbaris facere modis omnibus cōpellerent. Sic Henricus omisso bello, quod in cōmunes fidei hostes parauerat, rebus domesticis cōstituendis operā dedit. Ad eandē circumuenti regis famā, per Germaniā adolescentulorū quorundā colluuies in Galliā uenit, regē custodia se excempturos pollicebat. His se adiunxit perditorum quorundā manus, maiori parte, ex pastoribus cōflata. hi insaniæ fucū addebant, ad sacrā militiā se ab angelo quodā excitatos aiebant. Christū em̄ pastorem animarum, per pastores, Reip. Christianę uictoriam & incrementū pollicitū fuisse. His omnibus Hungarus quidā antesignanum & ducē se exhibuit, ac ceu Episcopus præsidebat, magistrum illum uocabant omnes. Magna igitur sociorum multitudine coacta, Pastorellos se uocari uoluêre. Zelū simulantes iustitiæ, fidei feruorē & indignationē, in sacerdotes, monachos, quos hominū omniū perditissimos uocabāt, euomebant, nullo non atrocitatis exemplo eos perdentes. In Iudæos deinde sęuiū. postremo per Parisios, Aurelianosq; incedentes, adulterijs furtisq; non abstinebant. Quibus itaq; mens sanior, ijs bellatoribus uindicibusq; regē non indigere facile apparebat, clandestinis ergo euocatis copijs, cum per Bituriges proficiscerentur, insidijs exceptos, ad internicionem omnes deleuerunt. Haud longe à uico, qui Mortuum mare dicitur, Nouamq; uillam & Biturigum urbem interiacet, extat de hac re distichon tale.

M. semel, & bis C. L I. coniungere disce:
Duxit pastorum sæua Megæra chorum.

Reditus Ludouici regis in Galliam. Caput X.

Lvdouicus aūt quintū iam annū in Oriente agebat, nullo munere pijregis & Christiani religiosissimi omisso. Vita eius ipsis etiā Barbaris miraculo erat, cōpluresq;, quod armis extorquere nulla potuerat uis, nomē ex Sarracenis Christo dedere, baptismaq; susceperūt. Sua quoq; spōte initio, apud Ioppen morabat, pontificū deinde precib. retinebat, qui pollicebanē totū nomē Christianū se incitaturos, ut piorū arma et uires in Syriā transferrentur, quorū Imperator ipse constitutus esset. Sed militē nullū, ducē nullū ex Europa tunc habere potuerunt, quum abrogato Imperio Frederico, Germaniæ res, Henrici, Guilhelmi, Conradi, Tyrannorum factionibus sursum deorsum uerterētur, Italia, Guibellinis Guelphisq; decertātibus de rerū summa laceraretur. De Siculo regno Papa, Sueuusq; digladiarentur, Hungaria, Boēmia, Austria intestinis ciuilibusq; bellis æstuarent. nulla igitur

digna causa moræ Ludouico in Oriente, communis auxiliorum expectatio euanesceret. Præterea matrē extremū suū diem obijsse audierat, statimq́ accepto nuncio, in omnibus Syriæ locis, iusta illi exoluere præcipit, deinde etiam obtestatione suorū atq; lachrymis permotus, ægrè Syria decessit, subinde ingemiscens, quod ex Rep. nihil perficere potuisset, quod res piorū periculosissimo in statu deserere cogeret. Tertia postea nocte quàm soluerat, sæua tempestate coorta, nauis in qua uehebatur, ui undarum & procellarū, dorso immanis cautis allisa desedit, ut à nautis & alijs submergenda protinus crederetur. Itaq; dum omnes discurrunt, regem quæritando, tandem in imo nauis proiectum, & Deum inuocantem inueniunt, ut milites suos reduces domum sisteret, quod & contigit, diuina misericordia nauem, ne frangeretur, protegēte. Domum igitur sexto, postq́; abierat anno regressus, res Europę, quas discedens bona spe reliquerat, propè deploratas inuenit. Hæc equidem nouissima Occidentalium, mediterraneorumq́ regū in Syriā expeditio (quæ, ut proximè est demonstratum, annos sex habuit) huiusmodi sortita est exitum. Infelici fato Guilhelmus Dampetra ex Aegyptiaca captiuitate, domum redijt. profectus enim ad equestrem decursionem Trazinijs in Hanonia indictā, miserabiliter ibi occisus, ac pedibus equorum conculcatus est, quod Ioannis Balduiniq́; fratrum, qui pessimè illum oderant, proditione factum scriptores testātur. Guilhelmus quoq; Villa, Achaię princeps, ex Syria reuersus à Michaele Palæologo deuictus, ac iterū in uincula coniectus est, nec antea liberatus, quam Epidaurum, quam Maluasiam nunc uocant, Græculo traderet. Prodigia hoc tempore uisa dira. De pane etenim inciso, sanguis ceu de uulneribus corporum fluxit. Item nubes sanguineæ in cœlo apparuerunt.

Venetorum & Genuensium in Syria bellum primum unde ortum habuerit. Caput XI.

ANnus instabat iam 1200. atq; 57. cū sublaus Tyrannis, Astronomus Alphonsus rex Hispaniæ, imperium à pontifice mercatus fuerat, duabus scilicet Transpadanis urbibus Taurino atq; Alæra, Ecclesiæ donatis. at statim Richardus Anglię regis frater, cū & ipse imperij fasces ambiret, ingenti pecunia redemit Gerhardum ab Eppenstein, Moguntinum Archiepiscopum, qui ab Alberto Brunsuicensi, in uinculis detinebatur. à quo deinde Richardus Imperator dictus est, sed glorioso nomine contenti, nullū in Germania excitarunt bellum. In Italia quoque Ecelini morte Cisalpinæ ciuitates libertatem consecutæ, ad quietem spectare uidebātur. Et Alexander quartus pontifex repetere bellum Asiaticum instituerat, cum ferè omnes auspicia & monita eius sequi sentiret, sed discordia, quæ in annum eius seculi quinquagesimumnonū incidit, inter Genuenses & Venetos orta, ne tam piū bellum tamq́ necessarium sumeret, obstitit. Fuit quidem hoc dissidium, rerum Christianarum per totā Asiam, præsentissimum uenenum, ac omnis mali, postea insequentis initium, quod unde demum sit ortum, paulo altius repetendum est. Duo erant in Oriente totius orbis emporia celeberrima, Sarracenis Damiata, Christianis Ptolemais, quæ amissis Hierosolymis, Metropolis ac regia urbs nostris erat, celeberrimusq́; Latinorum mercatorum conuentus. Per inducias etenim ex India, Aegyptia, Arabia, beatisq́;

regionibus ad alios mercatus allatę merces, illuc tādem comportabantur. In de Veneti Genuensesq; nauibus, quò uisum erat, asportabant. Vtraq; enim Respublica in ea urbe, ius quæsitum habebat, iam inde ex quo Hierosolyma Godefridi Lotharingi ductu Christianis armis recuperata fuit. habebant etiam Pisani suos in ea fundos, qui cum Venetis Genuensibusq; auxiliares classes miserant. at præcipuè reges postea magnos honores Venetis, magnos Genuensibus ob egregia merita impenderant. Attribuerat enim ipsis in multis etiam alijs maritimis urbibus tertiam partem. In hac uero & Venetus, Genuensis, & Pisanus, priuum uicum, priuum forum, suum prætorem, suos apparitores, suas sibi leges habebat, commune tantum phanum in ea urbe sortiti sunt, quod diuo Sabbæ sacrum erat. De huius itaque possessione, animi iam antea æmulatione, inde odio accensi, postremo mutuis offensis disceptare adorti sunt. Recrudescit ergo de sacris contentio, ædem se ptumq; sibi utriq; uendicabant. Veneti ex fœdere cum Baldoino icto, atq; adeo ipso priuilegio (cuius exemplar apud Tyrensem libro duodecimo, capite uigesimoquinto extat) Monasterium sibi deberi contendebant. Instabant Genuenses neq; fœderibus neq; socijs cessuri, apparebatq; ingens malum ex ea altercatione rei Christianæ in Syria eminere, sed ad tollendam futuri certaminis causam res ad Alexandrum pontificem delata. Pontifex æquitatis modò parū, sed magis quietis amicus, quod sui iuris erat, pro potestate decreuit, placere fanum commune censeri, quando ipsa quoq; sacra omnib. communia essent, datis super his utriq; populo literis. Eam pontificis declarationem quum Genuenses aliquanto prius quàm Veneti recepissent, Philippo à Monteforti (qui ob familiæ claritatem qua rebus in Asia, Europa gestis, excellebat, prætor delectus fuerat) literas Apostolicę concessionis ostendunt, qui statim beneuolentia erga Genuenses ductus, consilio, quàm nuncius Venetus, decreti enunciatione celerior fuit, monasterium occupat, instarq; arcis emunire propugnaculis, telis, tormentis pergit, adiuuantibus Genuensibus. Tātum etiam abfuit, ut Philippus Venetis, præsentem iniuriam querentibus, consulerū aliquo modo uoluerit, aut pro potestate intercesserit, quod etiam Venetos inde populariter emigrare iusserit, haud satis esse ratus, quod excluso Veneto, Genuenses communitum templum sibi retinere uelle, apertè minabantur. Hanc tam insignem contumeliam Veneti haud sibi ferendā rati, Tyri quò se receperant, cū Pisanis agunt, eosq; facile in sententiā suam traxere, ut spreto fœdere quod cū Genuensi paulo ante icerant, societatem nouam cū ipsis in communem utriq; hostem inirent. Confestim quoq; cum Manfredo Siciliæ rege aduersus Genuenses fœdus ineunt. Dum Veneti fauoribus cōparandis intēti sunt, Placentia Cypri regina, Antiochenus dux, Tēpli Hierosolymitani Magister, Ioannes Ibellini Comes, quibus uel Ptolemaide, uel Tyri assidua erat cōuersatio, Philippū uerbis seri ptoq; grauiter increpatū, itentidē monēt, ut cōsideratius ageret, uno ore oēs prædicātes, nisi Genuēses cū Venetis in gratiā redirēt, fore ut res Christiana, nō multo pòst ex discordia & alienatiōe animorū duorū populorū potētissimorū, fœdā cladē acciperet. Ad hæc uerissimā prędicationē semiamēs homo omnino aspernabat, nihil quę exacerbatas mētes recōciliaret, uel tentans

 uel

uel consulens. Hæc, discordiæ tantæ initia fuisse, commemorant nonnulli, cum tamen non desint, qui biennio antequam ad arma inter partes uentum esset, si quid simultatis intercessisset, autoritate pontificis, sopitum fuisse tradant, dum Parciualem Auriensem, Lucam Grimaldum, Obertum Passiū, Hugonem Fliscum, Genuenses, Ioannem Canalem, Philippum Sturlatum, Andream Zenum, Veneti, Raynerium Marzupū, Pisani, euocatos ad pontificem misissent, tanquam arbitros inter utrosq; pacisq; autores, quanquā ipsi conficere nequiuissent, de omni re compromissum fecisse eos, atq; pontificis autoritatem sequestram statuisse, adeo ut ipsa pax pro conclusa haberetur, conditionum tantum formulæ expectarentur. cum interim, quando Simon Malocellus Genuensium nomine, Consulatum Ptolemaide inijsset, forte fortuna accidit, ut à Veneto Genuensis quidam, dum inter se rixantur, uulneraretur. Hoc cum in uico Genuensiū fieri cōtigisset, gladiorum tumultu, & se mutuo petētium uociferatione exciti Genuenses, iam fesso tribuli accurrunt, de ui conquerentem, & conuiciantem Venetum, in Curiam Venetorum usq; prosequuntur, obuios inuadunt, feriunt resistentes, demum foro & uico pulsant inambulantes. Quod dedecus indigne tulerūt Veneti, nec ulla Genuensium excusatione flecti potuerunt, quod priuatam fortuitamq; insolentiam, publico odio non imputarent, aut uindictæ cupidos animos æquitate iuris satiarent. Ac ne deesset, quod inimicitiam aleret, contigit, paucis interiectis diebus, quod Genuensis quidam Barocius Malonus nomine, à pirata quodam, nauem emeret Venetis ablatam. Hac Barocius apud Ptolemaidem uix in portum delatus, cum Veneti cognita naue, impetum in Genuensem faciunt, nauem expugnant, fundunt propugnatores, diripiunt omnia, ipsamq; nauim in potestatem redigunt. Genuenses cum Venetos ui omnia agere, iuris nullum omnino respectum habere cernerēt, ciuem suum nō repetita re, spoliari, uim ui repellere tentant, instructis triremibus, hostili animo in Venetum impetum faciunt, classe tota spoliant & exuunt, Barocio restituto. Constat ea die Venetis damnum ingens illatum fuisse, cum furor q; par erat, Genuenses iratiores reddidisset, ignominia addita, quod portu & urbe tota pulsi fuerunt, quam cum decoquere non possent, ut odium, honestatis titulo celarent, Genuam mittunt, qui de prauitate & iniurijs conquerant, res repetant. Dies constituta, qua Bononiā mittant, qui hac in re æquū bonumq; constituant. Vbi cum Venetus ad præstitutam diem, Genuensiū Oratores nequicquam expectaret, de Genuensium dolo testantur apertè, abeunt, ferro ius suum quæsituri. Postridie eius diei, qua profecti erant Veneti, multa nocte Genuenses adsunt, discessu Venetorum cognito, domum redeunt, Reip. indignationem Venetorum indicantes, quæ ne hosti imparatos suos ciues obijceret, quæ ad bellum obeundum necessaria uidebantur, instruit. Hæc tanti belli semina, cum apud autores inuenirem, describere uolui, ne omitterem quæ lectoris iudicium & fidem acuerent, aut exercerent.

Venetorum & Genuensium in Syria concursus hostiles describuntur. Caput XII.

Siue Sabbæ Monasterium, siue à pirata empta Venetorū nauis, belli initiū dederit, cōstat Venetos sub Laurētio Tepulo maris præfecto, ut Genuēses fallerent, triremib. grauioribus, quas statis anni tēporibus ad merces

ex remotissimis locis conuehendas publicè instruunt, Carauanamq; appellāt, tredecim alias triremes quas ex Tyro conuocauerant, ad pugnam optimè instructas, celeriter portu eduxisse, Pisanisq; socijs, sub Sigerio Saxecta et Henrico Coss. classisq; præfectis, euocatis, in Siciliā tendunt, ubi receptis auxiliarijs nauibus, statim in Syriam abeunt. Vbi uerò ad Ptolemaidis portum uentum est, cathena, qua illius aditus occludebatur, subito tumultu refracta, impetum in Genuensium naues faciunt, quæ numero tres & uiginti onerariæ, duæ triremes forte illic stationem habebant, eę haud magno negotio oppressæ omnes. Veneti nautica illis instrumenta primo eximunt, mox ignem subijciunt, subiecto ad unam incendio absumunt. Diui Sabbę ædes, quas tumultuariò Genuenses communierant, eodem impetu expugnatæ, incensæ, dirutæ & spoliatæ. Publica deinde Genuensium atq; priuata ædifitia oppugnantur, quæ uicissim strenuè defendebant Genuenses. Erat uidere in ipsa urbe arietes, pluteos, testudines, crates, catapultas plusquam quingentos, quibus uis inferebatur repellebaturq;. Pisani eo in tumultu maximo damno affecti sunt, quorum ædes, curia & prȩsidium, turris opere miro, uetustate ueneranda, incendio omnia absumpta. Quod quidem Genuensium incommodo compensatum. Sed hi ea clade non magis iritati quàm territi, triginta duabus triremibus (quas eo tēpore, quo conatus Venetorū Resp. Genuensium præsentisceret, cum triremibus negotialibus, Tyrum miserat) Veneto occurrunt, qui tempestate iactatam & laceram Genuensium classem, eo loci hærentem, inuadere nitebātur. Vario marte utrinq; diu & sæpius ibidē cōcursum, nec tamen memorabilis aliqua accepta clades, nisi quod Genuenses amissis triremibus tribus, cætheaq; naui, quas interceptas Veneti Ptolemaidem deduxerant, magno studio accensi sunt, ad uendicandam tantam iniuriam. Instructis igitur triremibus quinq; & uiginti, cætheis adiunctis, quatuor, Rossonem Turcam ijs præficiunt. Veneti & ipsi, quia ingens cum Ligure certamen instare uidebant, mira celeritate in Italia instruunt classem, triremes quindecim, onerarias decem, ex Ptolemaide minora nauigia accersunt uaccelas circiter quadraginta, cætheas decē. his omnibus præficiunt Andream Zenum. Genuenses cum Tyrum applicuerāt, in quā quantum claudebat portus, hostilia à Latini nominis magistratu inuicem facere prohibebantur, quod urbem uterq; populus communem habebat, octo ex portu Acconēsi accersunt triremes, quas adiunctis classi, uersus Ptolemaidem ducunt, ac nono Calend. Iulij, sub nocte iactis anchoris, ante portum constiterunt, mane irruptionem facturi. Sed Venetus, quem nullus hostium motus latere potuit (quum Tyri, ut diximus, multi Veneti nominis penè mixti hostibus adessent) ut ex improuiso turbaret hostis cōsilia omnia, summo mane instructas naues portu educit. atq; ita ualidę classes sibi obuiā factę, cōtinuò se ad pugnā expediunt. cōcurrūt magnis utrinq; uirib. sed maioribus omnino odijs, cruēta inde exoritū pugna. Sed res Veneta abinitio superior fuit, quę & ualidior Pisanorū appendicibus mirū immodū aucta. Captæ dicunt triremes Genuensiū uiginti quinq;, reliquā uerò classē Tyrū se recepisse. Victor Venetus Ptolemaidē redijt, quò secū triremes cū aliquot hominū millib. captas reduxit, tanta clade hostiū non saturus, sed magis prope

modum ac magis efferatus.nam post partam uictoriam, despondente animo Ligure,omnia publica priuataq; Genuensium ędificia,quę Ptolemaide erant,diruerunt.Horrea,insulas mercatorum,præcones,apparitores,et alia fortunæ pristinę uestigia,quæ ad eam diem,magna Genuēsium gloria permanserant,tum demum sustulerunt.Ipsum deniq; Philippum Montesferratensem urbe eiecerunt, adactis ad iuramentum Genuensibus, ne quis Ligur triennio sequenti,urbem aût portum adire, uel intrare auderet. Abusi ea uictoria Veneti.nam præsidio Genuensium (quod Mongioia dicebatur) destructo,demolitoq; uico,quem Ligur primùm habuerat, obiecta mole, ne reliqua pars urbis inundaretur, immissa aqua,in lacus formā redegerūt, ubi Naumachiam exhibuerunt,dicterijs Liguri illudentes.Turrim Genuensium nauigabilem esse iactantes,quadratos lapides Venetias deportari curarunt,quos in rei memoriam,publicis in urbe ædificijs indiderunt.Mira res,ea ipsa die,qua pontifex de pace inter Genuenses ac Venetos ederet formulas,tam infensis animis atq; nephando prælio concursum esse,traditur. Præter Armenię regem,Tyrensem principē,Hospitalarios,Gotholanosq;, Hispaniæ Beticæ populos,neminem eo tempore amicum habuerunt Genuenses in Syria,ac ut sæpe accidere solet,quod una accepta clade,alię proximè sequantur,non multo post hanc pugnam,tres aliæ Genuensium naues non procul à Tyro à Venetis sunt oppressæ,totidemq; circa Cretam.Extat eius seculi memorabile exemplum,liberalitatis & continentiæ plenum.Lucenses equidem,de Patritiorum ordine summos uiros Genuam mittunt,cosq; bis mille pondo argenti,Reip.Genuensium doni nomine numerare, atque ut id animo benigno iubent Resp.accipiat,obtestari insuper,cōmeatus & arma,si quid in supplementum classis opus habeat,offerre:quæ quidem liberalitas,etsi suo tempore,necessitati Reip.inseruire potuisset,tamen Senatus Genuensis animo lætò acceptam pecuniam, legatis confestim restituit,maximis Lucensibus gratijs actis,quod in tanta perturbatione rerum,uicinorum ac sociorum rationem habuissent, irent, thesaurum hunc tam sancto usui conseruarent.Cæterum ubi aliqua maior Reip.ingrueret necessitas,illorum & pecunia & opera libenter,& æquè ac sua Remp. Genuensium usuram.Præterea tā bene erga Remp.Genuens.affecti animi Lucensis memoriam,nullam ætatem deleturam.Muneribus tandem ornatos legatos,abire permiserunt.Clade Genuensium Pontifex non mediocriter cōmotus, cum insuper audiret,legatos Genuenses,quos Romam ad excipiendas pacis formulas acciuerat,à Senatu Genuensi domum reuocari,haud prius abire passus est,quàm à Venetis impetrasset,ut captiuos Genuensibus restituerent.

Post longum bellum,Respublicæ Venetorum & Genuensium conquiescunt. Caput XIII.

LAtinorū interea apud Constantinopolim imperiū sub Balduino secundo,Roberti filio Imperatore quinto nutare cœpit.Exagonarum enī ad mare Ponticum tyrannus,cum uideret se cōtemptum,quod Balduinus ducta Martha Ioannis Brennæ filia in uxorem,eius filiam respueret,cum Ioanne Lascari,qui apud Hadrianopolim tyrannidem & ipse exercebat, fœdus inijt,de pellendis,& ex Græcia eijciendis Latinis.quod quum ipse Diplobatazius,Lascarisq; perficere nō potuissent,nepotibus ipsorum extinctis per Michaëlem

Michaëlem Palæologum,tandem effectum est,imò potius Venetorũ Genuensium discordia.Facile equidem fuisset Venetis, Balduinum restituere, Palæologum imperio deturbare,nisi Genuenses tanta clade in Syria à Venetis affecti,in inuidiam Venetorum se auxiliares Palæologo præbuissent.at in fatis tũ fuit,ut Respub. duæ potẽtissimæ(quarũ adminiculo,totius Syriæ atq; Græciæ imperium Latinis olim acquisitum fuerat) omnem rem Christianam euerterent,ac piorum dominium tota exturbarent Asia,inq; angulum angustum Europæ cõijcerent. Accepta igitur à Palæologo urbe Smyrna,insulaq; Chio,atq; in urbe ipsa Constantinopolitana, Venetorum prætorio(quod in ignominiam Veneti, Genuensis à fundamentis demolitur) præpotentem ac ea longe instructiorẽ quàm antè classem in Syria acceptam instruunt Genuenses,ac in Græciã mittunt. Veterem classem è contrà Veneti supplementis augent,apud Tenedum primo Genuensem fugant, mox illustris illa nauis,quæ Leo uocabatur,in Propontide,magna Venetorum iactura submergitur à Genuensibus,opera Ottonis Venti,classis Ligustrię præfecti. Concursum est sæpius inter utrosq; in Thessalonicensi sinu, apud Bosphorum,in Hellesponto,in Hadriatici sinus exitu,in Sicilia,magno non tantum amborum populorum,sed totius Reip. Christianæ detrimẽto, qua ratione ab omnibus malè audire meruerũt. Sacris interdictum fuit Genuensibus à Pontifice anno huius belli quarto. In Syria,qui Tyrum incolebant, Venetos exosos habebant,è contrà Ptolemaidem inhabitantes cum omnibus ferè Italici generis hominibus,qui aut Hierosolymis aut in prouincia degebant,apertè fauebant Veneto,& quàm Genuensi magis studebant. quo accidit,quod ea tempestate,omne Christianum nomen in Syria, in duorum præpotentum populorum certamen erectum, tanquam in diuersas factiones abiret,ipsęq; interim urbes,tanto labore ac sanguine,à crudelissimo Mahometi Imperio quandoq; uindicatæ,infando bello ac sanè detestabili,mutuis se classibus affligerent. Venetus autem ne rebus suis in Syria deesset,instructa classe triremium quinq; et quinquaginta,quæ in altum deductę,Ligusticam classem(quæ uiginti triremibus,nauibus duabus, ter mille quingentis constabat hominibus,sub Simone Grillo præfecto) insequebantur, quam in Syria ac in conspectu Tyri assecuti sunt. Genuensis autem cum triremibus iam portum intrauerat,sed cursu tardiore. Cętea nauis,cui nomen Oliuæ,ab hoste intercipitur,dum Tyri princeps Ligurem portu erumpere prohibet. Abductam nauim Veneti Ptolemaidem deduxêre, mercibus onustam,ubi undecim millium Byzantiorum precio uenijt. Tyri princeps statim res Venetorum hastæ subiecit,quas in urbe inuenire poterat, eadem summa pecuniarum, pro perdita naue Genuensium reddita. Exacerbati hoc facto Veneti,urbem Tyrũ oppugnare sunt adorti. Præsidio tũc erat ciuitati Andreas Barolius homo impiger,is quanq; à Ptolemaide quoq; Veneti copias accersissent,ut terra mariq; urbem acrius oppugnarent, strenuè tamen & urbem & præsidium tutatus est. Genuenses & ipsi postea haud in ocio fuere,præter id quod in Creta Cydonim,nunc Caueam dictum,oppidum diripuere,Gazam,Veneto præsidio munitam expugnant,ingenti præda abducta:nec multò post Lucheto Corinaldo Præfecto, portum Ptole-

maidis irrumpunt, turri quam Muſcarum uocant, occupata, Venetis cuſtodibus expulſis. Deinde cotones moleſq; portus obſtruūt, cōmuniuntq;, ut acceſſū exituq; prohibeant Venetos. Rebus conſtitutis Grimaldus Tyrum petit, cum principe urbis, de bello contra Venetos gerendo, & conſiliū & opes cōmunicaturus. Interea uerò Veneti, quindecim triremibus, quas Luchetus ad cuſtodiam portus reliquerat, congrediuntur, ac impetu facto, cedere cogunt diu atq; fortiter repugnantes, captis cum armamētis tribus, duabus exarmatis triremibus, cæteris in Tyri portum aufugientibus. Iacturam hanc cum iniquo ferrent animo Genuenſes, ne nihil omnino geſſiſſe uiderētur, auſpicijs Lucheti nauem unam, alteram opera Montanini Guercij mercibus onuſtas interceperunt, quarum prima, cum etiam res Tripolitani comitis ueheret, atq; in mari Siculo capta fuiſſet, regulo cum ſuis rebus reſtituta fuit, ablatis Venetorum rebus, & captiuis trecētis. In Adriatico mari intercepta poſtrema, ærario Genuenſium triginta millium librarum precium intulit. Longum eſſet enumerare, atq; à propoſito noſtro alienum, quibus in locis, quot concurſionibus, qua fortuna & Venetus & Genuēſis per decennium integrum bellarunt. nam niſi de Syriæ rebus dicere, hic nulla nobis ſtat ſententia, niſi quantum materiæ ſtatus requirit. Igitur ad ea quæ huius belli tempore inciderunt, uel ſecuta ſunt, reuertendum duximus. Laurētius Teputus apud Venetos Zeno ſucceſſerat in principatu, Bonifacius Carioſa Regienſis Genuæ res adminiſtrabat, cū totus orbis Chriſtianus, pertæſus duorum populorum Italiæ potentiſſimorum tumultum, quantum ex eo certamine, præter incommoda, quæ & multa & magna, Græcia & Syria ad eam diem adijſſent, perſpicere uulgus incipit, longè maiora pluraq; adire uereretur, niſi ad concordiam redacti, bellis finem imponant. Clemens ergo pontifex quartus, qui pontificatum inierat, multorū legationibus, atq; adeò proprio motu inſtigatus, per nuncios & literas, Venetos ac Genuēſes, ad inducias, ſi ad pacem animi tam cito inclinari non poſſent, magnopere hortatur. quod ut commodius tranſigi poſſet, petit, ut Legati Viterbium ad ſe utrinque mitterentur, hoc ipſum ut facerent, Galliarum ac Siciliæ reges precibus contendunt, quiſq; ſuam ad ſanciendam pacem operam pollicentes. Miſſi ſunt ad pontificem Legati, Genuenſium nomine, quorum princeps Marinetus de Marino Iuris prudentiſſimus, ad Gallum Simon Malonus, Pierinus Camilla, ad Siculum Theodoſius Fliſcus, Henricus Spinola. Adfuerunt etiam Venetorum Legati, uiri patritij, qui poſt aliquot menſes, re etiam infecta domum rediere. At fames Venetos bellum intermittere fecit ualida, Genuenſes Pontificis clementia, qui ſacra in urbe redintegrare permiſit, ea conditione, ut niſi coacta bello Reſpub. abſtineret.

Tartarorum ac Sarracenorum in Syria motus. Caput XIIII.

Mirabitur forte quiſpiam, quî fieri poterit, dum tanto odio Chriſtiani in Syria inter ſe conflictarentur, quod Sarraceni uacationem armorum noſtris dederint, quandoquidem induciæ cum Ludouico rége pactæ ante quinquennium iam deſierant. in cauſa equidem fuit bellum ex Armenia illis ortum. Ayton rex Armeniæ, uir pietate, armorum & rerum experientia inſignis, cum uideret duorum populorum diſcordia res concidere, induciarum

cum

cum Sarracenis finē adesse, eosq; in omnem occasionem intentos, Mangonem Ochatę imperatoris Tartarorum nepotem adit, cui Turcarū cum Sarracenis dissidium, intestinaq; bella indicat, amicitiæ ius hoc postulare, ut socijs amicisq; imperatoris res, consilio, ope & industria quantum possit, adaugeat promoueatq;. Cæterum hoc factum fore facillimum, si initiatus sacris, & baptizatus exercitum in Assyriam mittat, nam Christianorum subsidium haud illi defore. Persuasus Mango, Christo in primis nomen dat, deinde ingenti collecto exercitu, fratrem Haalonem imperatorem dicit totius expeditionis, adiuncto illi legato Aytone. Florebat id temporis Armeniæ regnum, eratq; adeo armorum potens, ut ad bellum educeret Ayton duodecim equitum, peditū quadraginta millia. Haalon domo profectus, magnis itineribus, traiecto Oxo fluuio, quem Tanaim nunc uocant, & Imao monte, in Persidem uenit, quam uniuersam sex mensium spacio subegit, excepta Samarchanda urbe, quam latrones insederant, locum natura munitissimū. Hanc igitur cum nulla ui, nulla industria occupari posse uideret Haalon, relictis decem millibus ad obsidionem equitibus, quæ in uigesimum septimū annum postea continuata fuit. Postremo tamen uestium defectu deditio facta. Hæc quidem obsidionum omnium haud dubie diutissima, quarū hodie memoria extat, cēsenda. Ex Perside cum reliqua multitudine Tartarus in Assyriam mouet, Baldacam urbem oppugnat, expugnatam diripit, cæde incendioq; deuastat. Fuit hæc olim Semiramidis monumentum, inter orbis miracula celeberrimum, Babylon urbs, inter Euphraten atq; Tygrim cōdita. Tyrannum urbis, quem Calypham uocant, tanquam legis Mahometanæ magistratū summum, cum cepisset Haalon, coram sistere iubet, eiusq; in conspectu multitudinem captiuam omnem trucidare, nullo nec sexus, nec ætatis habito discrimine. Cūq; in ærario regis immēsum auri pōdus, rerūq; preciosarum thesauri inuenirentur, auaritiæ hominis illudens Haalon, ad suos cōuersus, inquit: Abripite actutum regem hunc, quem nisi preciosissimis uti haud licet, atq; in medijs auri gemmarūq; aceruis statuite, cōuenit enim ut auro nutriatur. Per plures itaq; dies thesauris inclusus tyrannus, media in diuitiarum affluentia fame consumitur miser, magno eorum documento, qui obliti naturæ, quæ superflua auersatur, habendi sibi nullum modum cōstituunt. Mesopotamiam postea ingressus, Euphratem traijcit, Alapiam obsidet, quam haud incruento Marte expugnatam in potestatem redegit. Tyranno eiecto, Edessam, Samosatam, aliasq; Syriæ Comagenæ urbes, imperata facere cogit, exinde Syriam petens, oppida & præsidia omnia, quæ Antiocheno imperio ademerāt Sarraceni, recuperauit, diripuit, expulsisq; Barbaris, opportunitatem secutus, custodijs & præsidijs firmauit. Alapiensem tyrannum uinctum in Damascenam regionem deduxit, ipsamq; urbem obsidione cinxit. Vna itaque aut altera oppugnatione frustra tentata, Soldanum, ut uinctus erat, in conspectu ciuium sub mœnia sistere præcipit, ac nisi urbem statim dedant, malo exemplo tyrannum & exquisitissimis cruciatibus se perditurum, minatur. Ciues sobole superstite (nam filius Alapiensis in urbe ordines ductabat) haud magni se facere hostis minas respondēt, cæterum nec uitam tyranni tanti eos facere, ut ea redempta, seruitutem

ſubire uelint. Cōditionis humanæ Haalon admonēt, preces fundūt, parcat Malervaſæ (ſic enim appellabatur tyrannus, qui Alapiæ & Damaſco imperabat) uiro nobili, ac ingenuitatis propriæ memor, ignoſcere uictis, pares honorare non obliuiſcatur. Haalon ciuium garrulitate irritatus magis quàm lenitus, Alapienſem in conſpectu filij, ſub ipſis mœnibus, in fruſta concerpi iubet, atque quàm antea pertinacius urbem oppugnare. Tandem ui captam obtinuit, extincta Alapienſis factione, Abagam filium urbi præfecit. Victorem iam ſuſpenſum diu detinuit animi ambiguitas, an reſtituta Chriſtianis Palæſtina, Hieroſolyma, & ſi quæ ab Sarracenis detinerentur adhuc loca, ipſisque in ſocietatem coniunctis, Aegyptum communibus copijs contenderet. at ſpem priſtinarum opum recuperandarum, hocque conſilium euertit mors Mangonis fratris, qui apud Chateiam imperatorem egerat. is enim in inſulam quandam delatus, hoſtem oppugnans urinatoris fraude, qui regiæ nauis carinā perfoderat, perijt. Audita igitur fratris morte, ad regnum, ſibi hæreditario iure debitum, capeſſendum domum redijt anno ſexto initæ expeditionis. qua equidem ſi res Chriſtianas non multum auxit, tamen ut ſerius conciderentur, effecit. Abiturus Armenijs legatos adiunxit, qui Pontificem, regesque Occidentales adirent, ac ad recuperandas Syriæ Palæſtinæque reliquias adhortarentur. Dimiſſis apud Abagam filium equitibus uiginti millibus, qui Chriſtianis auxilio eſſent, ſi ad recuperandam Hieroſolymam traijceret. Nupſit in Perſide Haaloni Docuſcanton puella regia, ſoboles Magorum, qui Chriſtum infantem, ductu ſtellæ, in Iudæa olim adoratum uenerant. Vnde coniugis hortatu, Scytha Mahometi templa omnia dirui iuſſit, afflixitque paſſim eius ſuperſtitionis credulos.

Germani & Tartari Syria eijciuntur iterum. Caput XV.

TArtarorū ope res Chriſtianæ in Syria facilè potuiſſent reſtitui, ſi in Occidente Pontificum animus paratior extitiſſet. Vrbanus enim quartus humillimo loco in Tricaſſibus natus, patre ſutorio ueteramentario, quanquam præſens, dum Patriarcham Hieroſolymitanum ageret, rerum inclinationem uidiſſet, potius habuit Siculum regnum uectigale Eccleſiæ facere, quàm ſubuenire Syris, conatus Manfredum regni poſſeſſorem exigere, cū illi Cōradinus poterat obijci, notho ſcilicet, legitimo thoro natus. Sobolē tamen Frederici, indolemque Ducū Sueuiæ tam irreconciliabili pertinacique odio proſequutus eſt, ut Carolum Andegauenſem (qui uxoris ſtimulis ad maiora indies adhortabatur) ad capeſſendum regnum incitaret, quādoquidem ipſum regem Galliæ (qui nouas res, ſanguinemque Chriſtianum faſtidiebat) ut Inſulæ imperium ſibi quæreret, adducere nequiuiſſet. Cōſilio aſtum adiunxit Pontifex. Legatum purpuratum in Galliam Germaniamque miſit, qui ad ſacrum bellum ut redintegraretur, omnes proceres piosque literis adhortaretur. Exciuit è Gallia plures Cardinalis perſuaſio, addidit ipſe rex alios non paucos, quos aduerſus Barbaram religionem militaturos, proſcriptos in certum diem ablegabat. hi duce Guidone Epiſcopo Altiſiodorenſi in Italiam deſcendentes, ſuperato ad Brixiam Pallauicino, nemine deinceps reſiſtente, Viterbium uſque peruenēre. unde non ita multa poſt, quare uocati adeſſent admoniti, accepta pontificis benedictione, in Manfredum per

Vmbros

Vmbros & Marsos ducũtur. at moritur Vrbanus, Clemens quartus suffi citur, qui non minori odio in progeniem Frederici flagrabat. is Andegauen sem cum triginta triremibus accedentem, unà cum uxore coronari fecit, Si ciliæ Hierosolymorũq; regem declarat, imposito tamen uectigali, quadraginta in singulos annos millium aureorum pontificibus deinde Romanis numerandorum, adiecta conditione, qua iureiurando cauere regem oportuit, ne imperium etiam oblatum ultrò, acciperet. Pontifex enim nimias hor rebat Siculorum regum opes, quibus auctis, eo minus eos in officio continere posse uerebatur. At Carolus intra biennium, Manfredo, Conradinoq; extinctis, totius regni dominium suscepit, iamiam ad Hierosolymitanũ regnum adspirare incipit. Per totam igitur Germaniam de suscipienda cruce in hostes fidei, conciones fiunt. Enituit tunc è Dominicanorũ familia ora toris (cui Achillis nomen, ac apud Basilienses magna authoritas erat) pia mi raq; facundia. Quippe fœda cædes nobilissimi adolescentis Conradini, animos Germanorum à Pontifice Andegauensiq; omnino alienarat, adeò ut ad nomen utriusq; iracundia efferarentur, auxilia, opes, uires, subsidia nega rent, Pontifici tanq; tantæ cladis autori, Carolo ceu parricidæ, qui hærede infanda cæde sublato atq; trucidato, alienum imperium occupasset. Potuit tamen doctissimi uiri persuasio tantum, ut publicum odium pietati, honestati, utilitatiq; Reipub. posthaberetur, ac apud Rauracos, Tribotos, Sequanos, nobiliores quicq; nomen Christo dabant, inter quos Scalarij, Monachiq;, duæ præpotentes tũc familiæ apud Rauracorum Basileam, urbem inclytam, conuocatis clientibus, crucem assumpserunt. Monachorum familiæ princeps Sifridus, Scalariorum Hermannus, Equites habebantur. Psita cũ hæc, stellam illa factio, tesseram habebat. quæ res magnã postea cladem urbi intulit, dum diuersis sententijs, unaquęq; earum urbis regimen ad se tra here nititur. Sed de his in libro secundo commentariorum, quos de uita Ro dolphi Habspurgẽ. scribimus, plura. Hoc uerò tempore cõsociatis animis, opibus, uiribusq; sacrum bellum instituunt. Nequeo mihi temperare, quin de Scalariorum familia, quæ quidem adhuc claret apud Rauracos, paucula interseram. Ferunt Fredericum primum eius nominis Imperatorem, cum ad imperium susceptus inauguratusq; à Romano pontifice, in Germaniam rediret, Italorum, gentis seruitutis impatientis, superbiam edomiturus, omnes Alpium angustias præsidijs extructis, occupasse, ne si imperij commodum exigeret, Italiam intrandi uia illi intercluderetur. Clausuris Volernis ad Athesim communitis, Germanis equitibus eas custodiendas commendauit. Inde in radicibus Alpium, in prima Carnorum regione, quam Marchiam Taruisanam hodie dicunt, præruptis montium præcipitijs, ubi uix semitam angustiæ admittunt, castellum munitissimum aut fundat, aut dirutum instaurat, Scalæ nomine loco indito, fideiq; cuiusdã Rodolphi militũ, quos ab Ortliebo Basiliensi Episcopo Imperator subsidio acceperat, ductoris castellum cõmittit. Ex usu illi hoc fuit supra quàm dici potest, cum tertio postea à Mediolanensibus iritatus, à pontificibus uexatus, Italiam infestis signis intrare necesse habuit. Rodolphus igitur presidij præfectus, cum diu Imperatori optimam nauaret & strenuam operam, loci dominio, insi-

gnijs insuper clathratis,quæ Scalam canabinam atque militarem referunt, ab Imperatore donatur.Sobole diues,qui in Carnis rebus præfuerunt,usq; ad Acciolini tyrannidem(qui in Frederici secundi tempora incidit) hæredes reliquit.At maior natu filius,qui parentem Fredericumq; in Italiam secutus fuerat patriæ dulcedine ductus,ex gestis rebus clarus,atque imperatori charissimus,in Germaniam redijt,Hectoris appellatione, & equestri dignitate ab Imperatore donatus,cum prius Conradus uocaretur. Vbi magnis donatus muneribus,paternæ ditionis agnomen, atq; eadem insignia suscipiens,apud Basilienses finitimosq; in magna existimatione consenuit. Prætura perpetua urbis Basiliensis tã ipsi,quàm posteris eius ex S.C.plebis scitoq; concessa.In agro arcem extruxit,quam Latino Germanoq; idiomate composito uocabulo,Scalberg dici uoluit.Testãtur ruinæ operis molem & magnificentiam(siquidem ab hinc anno,septem demptis, ducentesimo, terræmotu corruit)deinde situs & amœnitatem & horrorem incutit,dum scopulis præaltissimis impositum,prospectum in agrum & adiacẽtem regionem lætissimum exhibet.Aucta opibus & dignitate hac familia, ad patrum memoriam usq;,continua serie, summo loco apud Imperatores, & Episcopos Basilienses habita,in clientela atque fide Antistitum perstitit,cum sub Frederico tertio Imperatore,prole mascula deficiẽte,in Margaritam Verenamq; Hermanno progenitas,totius prosapiæ opes & nomen recidêre. Fredericus uerò princeps sanctissimus,qui hoc unum semper agebat,ne liberorum atque nobilium in Germania memoria aut facinora, uel interirent, uel non remunerarentur,Francisco à Leymen,magni tunc apud suos nominis uiro, Verenam uirginem nubilem matrimonio iunxit, indolemq; concessit, beneficia omnia(feuda uulgo dicta)quæ ærario imperij cessura uidebantur defectu gentilitatis Scalariæ, ea tamen addita conditione, ut suscepto Scalariorum nomine,familiæ se adoptaret Franciscus.Sic qui antea uocabantur Scalarij de Basilea,nunc Scalarij de Leymen uocitari inceperunt.Francisco natus eiusdem nominis proles,nepos Hermannus,ex quo Thomas posthumus,qui & matre orbatus infans,ingenij idoneos institutores haud nactus est,quod unum & maximũ quidem illi fortuna negauit,cũ ingenuo homini dotes peculiares aliàs haud paruo numero indidit.Ingenium et iudicium nõ mediocre,ad labores & pericula subeunda corpus patiens, ad benemerendum & benefaciendum æque gnauus.Hic quartis nuptijs,ex Anna Offenburgiorum stirpe prognata,quam uirginem duxit,Franciscum genuit puellum scitũ formęq; elegantissimæ.Fœlix certe uxore,quàm præter natales, mores sanctissimi,formæ liberalis,præter ętatem ac sexus rationem,prudentia mundaq; frugalitas exornant,omnibus admirabilem faciunt gestus,sermonisq; amabilitas.Fœlicior, si natum ad iustam ætatem euadere contingat,cuius indoles nihil non planè,ut ita dicam, Heroicum spirare uidetur, spemq; familiæ(quã in illo omnem sitam esse constat) maximam promittere.Haud dubiè enim matris uirtutes Barbara puella æquabit. At de his satis,ad bellum sacrum denuo redeundum. Ad hoc cum Monachi Scalarijq; se pararent, Tartarorum nuntios Genuæ commorari audiunt, quos adire, atque cum illis in Syriam traijcere decreuerũt.Nec mora, adiunctis sibi qui

ex Tribochis uenerant (quos nunc Alsates uocant) equitibus propè quingentis, iter arripiunt, Genuensium[q]; classe conducta, Ptolemaidem deportantur, inde Cæsaream delati, tanquam urbem hostibus propinquiorem, eoq[ue]; firmioris præsidij opus habentem. Abaga Haalonis filius interim parentis morte audita, in Scythiam abijt, Damascenis rebus Guirbocam præfecit, hominem impigrum, decem millibus bellatorum stipatum, huic mandat, ut Christianis operam nauet strenuam. Germani autem qui Cæsaream præsidio insederant, Guirbocam, qui totus animo Christianorum erat, inconsulta eorum temeritate alienarunt. Is enim ex sorore nepotem habebat, adolescentem fortissimum, quem gloriæ cupiditas in omne certamen arripiebat, iugis ille excursionibus Soldani limites deprędabatur. Accidit autē ut nostri quoq[ue]; in communis hostis regionem incursionē facerent, abactaq[ue]; ingenti præda domum reuerterentur. Tartarus adolescens, indigne ferens, sib tantæ laudis præreptam occasionem, mittit obuiam qui æs repetant, ex eius enim prouinciæ finibus, contra ius fasq[ue]; prædam abactam esse. Responsum à Germanis non admodum humanum, iuuenem ira atq[ue]; æmulatione accendit, arma corripit, sed occurrentem nostri magna strage repressum, fugere coëgerūt. in fuga adolescēs ipse traijcitur, delatus ad auunculum, diem obijt. Domestico igitur luctu Guirboca nobis hostis factus, Cæsaream expugnat, captamq[ue]; diripit & incendit. Tantumq[ue]; deinde absuit, ut Christianæ rei sit inde aliquid gratificatus, ut hostili etiam animo in omnes Christiani nominis sæuierit. Germani, qui capta Cæsarea, cuneo facto, per medios hostes uiam sibi fecerant, partim Tyrum, partim Ptolemaidem se receperāt, Gallorum atq[ue]; Anglorum regum aduentum, de quo iam fama percrebruerat, præstolaturi. Licuit interim sacra loca inuisere, atq[ue]; adeò ipsam Hierosolymam. Publica fide accepta, Germaniæ nobilitas fermè omnis sepulchrum Christi adijt. Custodes phani à Scalario tunc liberaliter donatos ferunt, qui ut gratiam referrent, scutum insignibus Scalariæ gentis depictum, parieti ædium sacrarum affixerunt, quod ad hæc usq[ue]; tempora, inter cætera Templi anathemata ostendi tradunt. Sed & Tartarorum res nutare in Syria cœpit. Melechemus em̄, qui Turquemenio Soldano in Aegypto successerat, consilium cepit Tartaros ex Syria eijciendi. Inuasit ergo prouinciam Damascenam cum ualidissimo exercitu Guirboca, qui impar uiribus erat, utpote cui ex Scythia seditionibus ciuilibus laborante, nullum supplemētum, tamen pugna non abstinuit. Victoria uires sequuta est. Ipse Dux Guirboca interemptus, quo amisso, cæteri fusi, fugati dissipatiq[ue];. qui deniq[ue]; cædi superfuerunt, in Armeniam ad regem amicissimum se receperunt. Cæterum, præter pauca reliqua Syriæ loca, quæ partim Christianorum præsidio tenebantur, partim à Tartaris eo motu retenta, secundum eam pugnam, in hostium potestatem peruenerūt. Commodumq[ue]; accidit, quod Melechemus, qui extreminiū supremum Christianis minari uidebatur, à suis trucidaretur. nam Bandodacar qui illi successit, bellū haud continuo Christianis intulit, in hunc solum euentum, ut inopinantes, cum nihil omnino metuerent, opprimeret securos.

Instauratur bellum sacrum à Francis. Antiochia à Sarracenis capitur. Caput XVI.

TArtarorum metu solutus Bandodacar, cunctatione Occidentalium audacior factus, iam Ciliciæ atque adeò Armeniæ imminebat. Tunc Armenijs ocijsque Tartari, qui ad eos se fuga receperant, communem legationem in Europam mittunt, quæ Francum regem, necnon & Carolum Siculum adeat, fidem auxiliaque imploret. Nam Clemente mortuo, tam repente nō solum inter prophanos, uerumetiam inter Cardinales discordia orta fuerat de creando nouo Pontifice, ut in tertium annum sedes uacaret. Carolus se imperatorem & tutorem Ecclesiæ scribebat. Præsens Christianorum periculum Ludouicum magis exercebat, quàm exantlati apud Damiatam laboris & ignominiæ receptæ memoria deterrebat. igitur nouam in Barbaros infideles expeditionem molitur. Carolus Siciliæ simul & Hierosolymorum rex nuncupatus, ut Siciliā receperat, ita & sacrum regnum appetebat. Anno igitur undeseptuagesimo post ducentesimum, apud Francum deliberatur, quę primum regio Barbarorum petenda. Oratores Siculi regis suadebant, ut Punicum regnum, ipsaque sedes Carthago peteretur. Pœnos enim Italiæ infestos, quotidie copias in Siciliam, Galliam, aliasque Europæ regiones traijcere posse, & negotium Christianis facessere, dum Syria tentaretur à nostris. id rerum suarum respectu optabat Carolus, qui euersis Aphricanis rebus, regnum suum multo firmius futurum haud dubitaret. Francus, qui mediocre nihil cogitabat, sed tantum belli apparatum animo conceperat, quantum omnes ad eam diem Christiani nunquam attentauerant, totum Christianū nomen defendendum suscipiebat. igitur facile persuaderi potuit, ut Sarracenos in Aphrica primum peteret, ratus fore, ut ijs edomitis, Sarracenorum uires distentæ, mutua auxilia sibi ferre nequirent. In belli itaque societatem Henricum Anglum uocat, petitque ut cum suis Anglus in Orientem classe cō tendat, dum ipse in Aphrica Tunetim oppugnaret, ac ut facilius in sententiam suam traheret Henricum, nouis fœderibus Lutetię exceptum honorificentissimè sibi iungit his conditionibus. Vt nullum posthac ius Anglo foret repetendi Normaniam, sed contentus Aquitania, reciperet pro impensa bellorum, millia aureorum centum & quinquaginta, ac in singulos annos uectigalis nomine, dena millia. Henricus negotio confecto, domum rediēs, ingentem pecuniam à populo exigit, qua in primis Edouardum filium iuuaret, quem in Syriam cum classe mittere decreuerat, ut Christianis principibus auxilio esset. Missi etiam in Germaniam Decumani ex purpuratis, qui à clero in sacri belli usum, pecuniam à Clemente imperatam reciperent, multum reclamante Ioanne Semera, ætate ea Theologo iurisconsultissimo. Ludouicus deinde instructis aliquot nauibus, Genuam mittit, qui Rempublicam, sacro bello ne deesse uelit, adhortentur, ac classe instituta, copias regis traijciant. Genuenses, qui statim in Syriam regem traiecturum sperabant, nihil de bello Punico cogitantes, nauigia, arma, homines pollicentur, rati tanto rege fautore, Venetis se facile superiores futuros, amissaque omnia recuperaturos. Decem hominum millia nomen dedisse tunc scribunt aliqui, publico priuatoque sumptu omnia instructa diligentissime fuisse. At dum in Europa ad bellum subeundum hæc parantur, in

Syria Christiani, supplementi subsidiorumq; spe elati, aut inuicem digladiantur, aut ocio incuriaq; marcescunt, Bandodacar repentino insultu Antiochiam aggreditur, quam propè uacuam inuenit. traiecerat enim Conradus princeps, qui Frederico patri, Frederici secundi Imperatoris filio successit, in Siciliam, Conradino auxilia laturus (ubi etiam à Carolo Andegauensi captus, oculis primo priuatus, ultimò tamen suspendio uitam finiuit) Patriarcha Opizoni Flisco Genuēsi, uiro literis q̃ armis aptiore, ad custodiā urbis relicto. Eam igitur, paucis defendentibus, tam facile cepit, quàm ægrè à nostris fuerat recepta. Abiens à fundamentis destructo prçsidio, urbē muni re noluit, sed iniectò ædificijs igne, eam delere statuerat, Armeniam citatis itineribus inuasurus. qua re factum, ut Christiani, qui ad tutiora loca se receperant, hoste abeunte, ignē restinguerent, urbem ipsam restaurarent, at opum tenuitate, tēporisq; breuitate interclusi, tam munitam reddere nō potuerūt, ut insequenti ac proximæ Sarracenorum oppugnationi, decennio post, resistere posset. In hac expugnatione, memorabile & pudicitiæ & castimoniæ muliebris facinus prætereundum non puto. Erat in urbe religiosarum uirginum cœnobium, quæ cum ex tumultu urbem captam esse sentirent, deinde cæde, stupro omnia compleri, prophana sacraq; eadem ignominia affici, nec uitæ nec pudicitiæ cuiusq; parci, Antistitem pietate prudentiaq; exornatam fœminam adeunt, consilium in rebus desperatis petunt. Quæ cum multa de martyrij præstantia, de castitatis merito præfata fuisset, in ipsius uerba iurare omnes iubet, atq; eius exemplum sequi, acceptoq; cultello, quantum cæsim uno ictu potuit detruncare, nasum mutilauit, oraq; cruore dehonestabat. Matrem imitantes filię, uultibus fœde laniatis, trucem horrendamq; speciē irruentibus Sarracenis exhibuerūt, ea fœditate spurcā barbaramq; libidinem, quam formidauerant auertentes, salua pudicitia ad unum omnes enecatæ sunt. Aberat eo tempore Ayton Armenius, qui Abagæ in obsidione urbis Corrigiæ auxilium & suppetias ferebat. igitur alieno ductu bellum in Armenia ducebat Bandodacar. Duo regij iuuenes, in ipsis regni finibus, ferociter hosti congressi, funestiorem Armenijs pugnam fecere, hic suo casu, dum strenuè pugnans occubuit, ille in hostium potestatem uiuus redactus. At Bandodacar etiam Turcorum regnum, quod Tartari tenebant, cum exercitu ingressus, Tartarorum armis magna impedimentorum parte exuitur, equitibus duobus millibus amissis. Recepta à Tartaris oppida, quæ ad Sarracenos defecerant, diruta omnia. Prouincię præfectus, qui Peruana nomen habebat, hostesq; rebus nouis studēs, in regionem acciuerat, membratim excarnificatus est, captiuisq; Turcis ac necessarijs, regali conuiuio epulandus appositus. Recuperatas Turcarum regiones Armenio regi Abaga gratis offert, sed Ayton causatus uires exiguas, Tartaris actis ingentibus gratijs, prædam reliquit. Suppressa ea clade aliquantulum Sarracenorum ferocia, Bandodacar domum se recipit. Armenius Tartarusq; iterum nuncios ad reges mittunt, qui iter maturare iubeant, ipsi auxilia & subsidia maxima pollicentur.

Carthago à Francis obsessa. Rex Aphrorum Siculis fit tributarius. Cap. XVII.

INterea Francus rex Duumuiros gubernando regno instituit, Simonem

Neellam

Neellam Comitem regni, Matthæum Vindotiensem templi D. Dionysij Antistitem. Testamentoq́ condito, omnia domi composuit, tanquam fatum suum impendere cerneret. Assumptis deinde tribus liberis, Philippo Pulchro, Ioanne Tristanno (quod cognomen illi inditum erat, quādo eum mater Aegyptiæ cladis anno pepererat) Petro Alanconij Legato insuper, qui à morte Clementis apud regem morabatur. Aderat illi ex filia Blancha Gener Theobaldus, Nauarrorum rex, & Alphonso fratre Tolosatium comitibus. Sequebatur etiam Ludouicum Guido Flandrensis, cæteraq́ propè omnis Galliæ nobilitas. Ad portū non procul à Massilia, quē ad Aquas mortuas uocant, terrestri itinere peruentum erat, ubi anchoris Genuensium classis innitebatur, aliaq́ nauigia, quæ regis aditum expectabant. Classi Genuensium præerant, Ansaldus Auria, Philippusq́ Cauaconcus, quibus legatus datus Franceschinus Camillus, hi postquam inaudiuerant regē non rectà in Syriam tendere, sed Aphricam animo concepisse, iter illi dissuadere conabantur, alieno hoc tempore fieri, cum ipse Aphrorum rex Veneto, Genuensi, Pisanoq́, nonnullis etiam alijs Christianis, utpota Florentinis, amicitia iunctus, fœderibusq́ adscriptus, nihil hostile in pios moliturus esset. Cæterum fidelibus, qui ad Tunetim negociarētur, magnum inde emersurum periculum, odiumq́ perpetuum in nostros exoriturum, cū Pœni fide Genuensium & aliorum freti, arma in se nihil tale opinantes conuerti cernerent. Syriacam uerò expeditionem regi gloriæ, Reipublicæ Christianæ usui fore, itidemq́ facillimam, cum Tartarorum Armeniorumq́ subsidia totam Phœniciam facile recuperare, tutariq́ possint, Damascenorum conatus distinere, maris portus ad conuehendum commeatus securos reddere, si Aegyptum rex inuadere uelit. Hæc regem in ancipiti constitutum, nonnihil sententiam mutare coēgissent, nisi Caroli legati, qui hoc unum, ut Siculi rebus consuleretur, apud regem agebant, largissimis pollicitationibus institutum maturare persuasissent. E portu igiť soluit anno eius seculi septuagesimo, Calend. Martijs, atque in altum delatus, ægrè propter sæuissimam tempestatem, qua diu iactatus fuit, Sardiniam tenuit. Vbi reparatis ijs, quæ agitatione & quassatione procellarum decussa fuerant, recreatis quoque nausea maris affectis, Genuensium, quæ tardius soluerat, classem expectat. Venerant eò nuncij ex Aphrica, qui Muleni, id est, principis eorum consilium regi patefacerent. Ipsum, scilicet, constituisse apud se religionem Christi profiteri, si per procerum suorum uoluntatem commodè posset. Sed hoc industriam tempusq́ requirere, proinde Aphrica abstineret, Syriam aut Aegyptum peteret, ubi aliquo insigni contra Sarracenos edito facinore, auxilium Numinis, nomen Christianum illustrius redditum, pœnis deinde, uel fama tantum horrificum futurum esse. Hac occasione in nomen societatemq́ Christianorum, Aphricam transituram, absque ulla sanguinis effusione. Audita legatione rex, fucum metuēq́ subesse rebus coiectans, præfectū maris, quē Admiraldū uocant, cū aliquot nauib. præmittit, ac Carthaginē uersus tēdere iubet, qui duab. tantū onerarijs nauib. in portu uisis, suos expedit, oppugnat, occupatq́ defensas strenuè, militem in cōtinentē educit, significās regi opus esse maiore manu. Ludouicus cōfestim traijcit, nocteq́

ea

ea in nauibus cum copijs se continet. Carthago etsi non eam formam, non tantam potentiam, qua olim primatum & imperium Romanum æmulabatur, nunc retineret, toties capta, toties excisa, renata renouataque aliquantulū uidebatur, cæterum genus loci, cœli uis, ac ipsa natura odium in nostros Latinos adhuc retinere indicat. Fuit igitur nostris tandem in terram egressis, cum hoste qui littora armatis, urbem utcunque restitutam fortissimo præsidio compleuerat, acre certamen, tamen decem millibus suorū occisis, Barbarus terga uertit, nostri recepta urbe Carthagine et arce, præsidijs impositis, ad Tunetim, tunc nobiliorē ipsa Carthagine urbem properant. quæ obsidione cincta, oppugnata nequicquam sæpius, cunctatione magnam nostris intulit cladem. Quanquam una & altera eruptione Barbari, accedentibus ex Numidia & Aegypto subsidijs maximis, in nostros erumpentes, magna cæde disijciebantur, tamen in desperationem urbis capiundæ, per uim nostros deduxerunt. Cōmeatus igitur inopia expugnandam censent nostri. claudītur aggeribus urbs, & iam in sextum mensem occlusa, nostros sustinet, quos propter pestilentes aquas & aëris intemperiem morbus inuaserat. Quo cognito, hostis ut calamitatem nostrorum augeret, callido utitur cōsilio. Cum æstu intolerabili exurerentur omnia, ac sub cœlo mitiore alitam gentem nostram, mirum inmodum solis ardor grauaret, quàm primùm uentum castra nostrorum inflare Barbari sentiunt, tunc emisso magno numero equitum, arenarium illum ac urbi obiectum aggerem inequitare iubent, ac discurrendo nostros ad pugnam elicere. Vbi statim ingenti excitato puluere, quem uentus impetus, in ora, oculos accurrentium ferebat, nec non eos qui in castris agebant, magnis afficiebat incommodis. At imber de cœlo profusus hoc malum sedauit. Vrbs deinde multitudine incolarum, fame laborare cœpit. nostris in castris erat copia, cum ad Hipponem atque Leptitanam regionem usque populatio pateret, ad deditionem spectare uidebantur Barbari. dum pestis per nobilia ignobiliaque capita uagari incipit, Tristanus filius Ludouico protinus morituro, leti exemplum præbet. Decessit enim postea rex ad oct. Calend. Septemb. uentris profluuio. Legatus purpuratus Allarius Episcopus hunc insequutus, luctu exercitum, Barbaros ferocia repleuērunt, cum Carolus, facta cū Pisanis pace, magna instructaque corū classe, ex Sicilia in castra peruenit. Nouo & recenti milite hostē erumpentē fundit, atque in fossis, quas in perniciē nostrorum, superiecto sabulo, extruxerant, perire coëgit. Mulenem omnibus uiribus, belli aleam tentantem fugat atque persequitur. Eo tempore Henricus Cornubiæ comes, Richardi, qui imperium mercatus fuerat, atque diem suum obierat, filius, in Aphricam descensionem fecit, spe allectus, quod Tunete urbe propediem in potestatē Christianorum redacta, coniunctis classibus in Syriam ad Edouardum patruelem cursum dirigeret, qui ut postea dicemus, iam classe Asiam tenuerat. Aucti nostri uiribus, peste imminuebantur, à qua nec Sarracenus immunis euasit. quamobrem Mulenes princeps pacem à nostris petijt. Data igitur pax, leges Barbaro dictæ. Vt sanctos uiros, qui de Christo publicè uerba fecerāt, in urbē reciperent. Si quis Aphrorum nostrā profiteri religionē uellet, initiandi lustrādique illi potestas fieret. Quadragena millia aureorū Siciliæ regi rex

Barbarus quotannis numeraret, quantam summã Siculus Romano pontifici ex formula debebat. Captiuos Christianos dimitteret. Impensam belli auro recompensaret. Recepit auri partem Carolus, inducijs iuramento in decennium pactis. In Siciliam recursum, magna spe, mutatione cœli luem leniri posse. Cum in conspectu Sicilia iam haberetur, tempestas atrox naues disiecit, non paucas submersit, reliquas quassauit, ad Drepanũ rursus, quos lues in Africa, procella in mari remiserant incolumes, duplex calamitas excepit, auaritia scilicet Caroli, qui lege Rhodia, & nauigia & onera amissa fisco suo adscribebat. tunc etiam recrudescens pestilentiæ uis, qua Theobaldus et Isabella Nauarræ reges, Flandriæ comes, absorpti sunt. In Calabriam uerò traiecit Philippus rex Gallorũ patris successor, ubi Elisabeth eius uxor apud Consentiam (quam Crathis fluuius, ut ipsi uidimus, interfecat, Sybaris uerò ambit) in aquis perijt. Probro datum est Carolo, fœdus cum Barbaro initũ. Non deerant enim qui dicerent iam Tunetim in nostrorum manu fuisse, si tantum in tertium diem usq; obsidionem continuasset Carolus. Certè reclamantem Philippum minis compescuit. Anglo persuadere non potuit, ut uel numum de numerata pro impẽsis belli Barbari pecunia reciperet. quam integritatem diuinum numen approbasse uoluit, cum illæsus cum suis copijs, cæteris magno incõmodo affectis, per mare impetuosum, in Siciliam euaserit. Hunc finem habuit expeditio Aphricana, quæ ducenta millia pugnatorum habuisse dicitur.

Edouardi Angli in Syria periculum: Henricus Anglus regius adolescens trucidatur. Cap. XVIII.

FVerat (ut diximus) inter Christianos principes cõparatum, ut Anglus cum classe in Syriam trajceret, dum Francus Aphricanos edomaret. à patre Henrico igitur Edouardus, classe, cõmeatu, armis, milite, pecunia instructus liberalissimè, assumpto Theobaldo Leodiensi Archidiacono, apostolicæ sedis Legato, atq; Edmundo fratre, in Asiam traiecturus, naues conscendit. Erat Edmundus Lancastriæ comes, Edouardo natu maior, cæterũ forma, ingenio inferior. Disparibus ex fratribus, duę factiones nobilissimæ ortum habuerunt, quarum in hodiernum diem altera, Rosa rubra, altera alba uocatur, quod hæc unius, altera alterius familiæ insigne fuerit. Coniunxit se Edouardo Ioannes Baliolus Scotus, eius gẽtis magna manu stipatus, Phrisonum quoque, & inferioris Germaniæ nobilitas, numero haud contemnẽdo. His in Asiam traiecit, usq; eò Ptolemaide commoraturus, quoad Ludouicus ex Aphrica uictor cum maiore exercitu adesset. Quinque millia equitum in exercitu Edouardi, peditum numerum duplum fuisse, sunt qui tradant. At dum Edouardus belli socios expectat, prope fuit, ut in ipsis rerũ initijs, hostium'ne insidijs an domestica fraude incertum, interficeretur. Scelus omnes Arsacidæ Assissimisq; adscribunt. Quorum è numero quidam, auito instituto, blanditijs, artibusq; apud Edouardum se insinuauerat, ut sæpius, tanquam regionum peritus, rerum gestarumq; callens, in colloquium regij adolescentis admitteretur. Tantam occasionem captans uir sanguinarius, sica, quam sub ueste occultauerat, Edouardum in cubiculo solum, trino perfodit uulnere, confecturus procidentem absq; dubio, nisi præualidus iuuenis, cõprehensam parricidę dextram, ictum repetentem, tamdiu continuisset,

nuiſſet, quoad ſtrepitu clamoreq; exciti famuli, accurrunt, correptumq; percuſſorem excarnificantes, diſcerpunt in minutias. Anglus ſemianimis à ſuis fomentis & medicinis recreatus, uix longo tempore ex uulneribus conualuit. Ferunt quidam, Guidonis Montisfortis opera, hãc iniuriam illatam eſſe, qui patris necem ulturus (quem Edouardus ad Eueshanium in Anglia prælio uictum occiderat) inſidiatorem domeſticum ſubornarit. Sed fama tum obtinuerat, ut ſicarij omnes Arſacidæ dicerentur, ſcelera omnia & latrocinia Aſſaſſinorum pertinaciꝫ adſcriberentur. Rem Chriſtianam cum Edouardo curabat in Syria Theobaldus legatus, cum apud Viterbium à Cardinaliũ collegio Pontifex creatur. Reuocatum in Italiam Edouardus, ubi ex uulneribus conualuit, magnis donatum muneribus, magno egregioq; comitatu, mirificè iuuit, patrueliq; Henrico per nuncios mandat, claſſe manuq; Anglorum omni, pontifici aduenienti præſto ſit. Is ex Sicilia ſoluẽs, apud Cyprum, magnis gratulationibus exceptum, in portũ Centumcellenſem, cui nunc Ciuitas uetus adiacet, deducit. Deinde Viterbium petentem officij & honoris gratia ſequitur. Venerat per id temporis Viterbium Philippus Francorum rex deſignatus, ac Carolus Siculus, ex Aphrica redeuntes, aderat & Simonis Montfortij filius, Guido Hetruriꝫ præfectus. Eccleſiam cathedralem, audiendæ rei diuinæ cauſa, reges proceresq; omnes petierant, inter quos Henricus pontificem ſequebatur ingredientem. hoc uiſo à longe, inflammatus ira Guido, incautũ aggreſſus, uno atq; altero ictu interficit, uiaq; ſibi ferro facta, prꝫparatum ad templi ualuas equum conſcendit, ac ad Socerum Roſcium Vrſinum, Anguillariæ (quod oppidum Tarquiniæ lacui inſidet) regulum abijt. Ea res apud omnes, & in primis apud Anglos inuidiam ingentẽ conflauit Carolo, quod non perſequeretur percuſſorem, cum ipſe Vicarius imperij & Eccleſiæ tantum ſcelus minime pati debuiſſet. Theobaldus, qui iã pontificatum inierat, ac Gregorius decimus appellabatur, continuò ad rem in Syria iuuandam animum adiecit, cui Venetorum & Genuenſium diſcordiam in primis obſtare, ipſe didicerat. abeuntem ergo Philippum obteſtatur, ne tantæ rei deſit, magnitudinem ſplendoremq; eius nominis, multum in ea profuturum. Is igitur Cremonæ ſubſtitit, cupiebat enim uehementer rebus in Syria laborantibus conſulere. Vocatis ad ſe utrorumq; legatis, eos tam diu ſecum eſſe uoluit, modo hos, modo illos hortando, leniendo, pollicendoq;, donec rem è ſententia confeciſſet. In quinq; igitur annos utrinq; induciæ pactæ ſunt, ac Veneti Piſanorum ſociorum nomine pepigerunt. Fuit hic annus undecimus ab eo, quo primum apud Ptolemaidem infeſtis armis concurrerant. Edouardus Anglus, cum iam omnem ſpem bene gerendꝫ rei amiſſam uideret, factis cum hoſtibus inducijs, in Italiã incolumis redit. Certior factus de patruelis nece, Romam adiit, cum Gregorio Pontifice, qui cũ amicitia à principio in Syria conciliatà ei intercedebat, egit ut id nefariũ parricidum non pateretur eſſe impunitum. Pontifex Guidonem qui capi non poterat, in impiorum numero habendum autoritate ſua decernit. Edouardus exectum cor patruelis, aurea pila incluſum ſecum auferens, Florentiam petit, ubi à Repub. honorificentiſſimè exceptus, aliquot dies tranſegit, equitibus creatis permultis. Deinde Angliam petens, cum domum rediſſet, le-

portatum Henrici cor apud Londinum, in ponte Thamesis fluuij, pilæ lapideæ ad id erectæ imposuit, quo Anglis testatior fieret iniuria à Gallis recepta. Quiescebat iam Italia, Germania sub fortissimo Imperatore coire incipiebat, in Gallia res tranquillæ, Anglis otium erat, consilia agitabātur in proceres Christianos, de recuperandis in Asia rebus perditis, cum initium perturbandi omnia à Venetis Genuensibusq; ortum est, ac inter eos rursum bellum redintegratum magna utriusq; populi clade, maiore rei Christianæ in Syria pernicie. nam in causa fuit, ut destitutum auxilio Christianum nomē paulatim ac intra annum decimumquintum, ex tota Syria eijceretur. quod qua uiolentia, qua iniuria contigerit, in quinto libro dicemus.

CASPARO COMI, AD PHANVM D. BLASII IN SYLVA HERCYNIA ABBATI IOANNES HEROLD *Hochstettensis* S. D.


I cui Caspare uenerande, aut temerè aut impudenter facere uideor, quod hunc de reb. Syriacis librū quintū, homini tibi laudatissimo, sed nec de facie, ut aiunt, mihi noto, inscribo, huic, ut prius me excusem, puto necessarium, quàm de mea uoluntate tibi aliquid contester. Nolo etenim aliquis sibijpsi persuadeat, quod optimæ mentis cogitatione omissa, grauissimos ac summa autoritate præditos homines, scriptis meis infaustissimis, aut onerare in usu habeam, aut eos assentatione illiberali, æmulis ad deridendum propinare consueuerim. Professionem huius synceri mei iudicij etiam Critici, quantumuis seueri & tristes, offendunt scio, quum prioribus quatuor libris eos quidem patronos constituisse me uident, quos à doctissimis celebrari æquum censebant, nisi ipsimet nigro aliquo calculo notari uelint, uel omnino inuidiam dissimulare noluerint. Accusabunt fortè stultitiæ, quod tenuitate ingenij id assequi coner, quod in omni re literaria celebratissimorum uirorum operam consumeret, ingratitudinem tamen magis mihi uitio uerterent, si tantos quantos, patronos & amicos præterijssem, quibus & otij & negotij mei rationem me debere fateor. Certè haud magis probarent, si in album tam candidorum uirorum Phormionem aliquem atrū, aut persuasione, conditione, ingenio, moribusq; dissimilem allegerēt, quandoquidem nec natura, nec ipsa uirtus disparibus gaudet. Tibi uerò Caspare uenerande, conuenire plurimum cum his hominibus, certum est, quem dignitatis, prudentiæ, autoritatisq; gradus tam comiter conseruare, audio, ut inter maiores modestia, inter pares amabilitate, apud inferiores benignitate polleas, emineas, atq; regnes. Et harum tuarum uirtutum præco est, inter cæteros, Hilarius Glaserus oppidi Rynfelden scriba supremus, quem per plures literaturæ ordines ingenium candidum euexit, fides & integritas optimis quibusq; clarissimū reddidit, qui etiam apud me, & literarum bonarū helluonem, & aliquoties te historiarum gurgitē & uoraginem appellare nihil abhorruit. Ex quibus intelligi potest consilium coniungendi te cum tantis uiris, apud me iamdudū maturuisse, ac omnē temeritatem, omnem impudentiam

dentiam,testimonio bonorum uirorum eleuari. Nunc igitur meũ studium non solum tibi cõmendare,sed etiam explorate probare uolo. Centum octo ginta,paulò plus annorum historiã tibi Caspare uenerande dedico, quæ ueritate & exemplis,ut iucunda,sic utilissima,meis quoq; uigilijs,mea fide, ex autoribus haud ignobilibus,magna sollicitudine,bono ordine congesta & conscripta est.nihil enim mihi potius fuit,quàm ut Reip. perturbato statui, fructuosissimam aliquam conficerem historiam. Confer enim,precor, Caspare uenerande,huius nostræ ætatis mores cum illis temporibus, de quibus in hoc libro mẽtio, non'ne Remp. Christianã pari discordia principũ, eò redactam uidemus,ut nisi maturè ciuiles sopiantur dissensiones,fidei pro pius arbitrari possit,ipsos Barbaros(dum uicem nostrã misereri,nihil in nos hostile moliuntur) in fideliũ res meliusculè affectos esse nobis ipsis? quemadmodum & Tartari ea ætate, quàm Occidentales,rem Asianam magis defendebant. Quis rogo occasioni recuperandarũ rerum olim amissarum tam intentus,q; tyrannidis struẽdæ? par certè cæcitas,quæ Ptolemaidis proceres omnes & ignominia & extrema affecit clade. Dei benignitate, crede mihi Caspare uenerande,Dei clementia & longanimitate,caueẽ (prohibeatur diu oro, ne quod malum mihi excidat omen)quod ad oppugnandã salutẽ Germaniæ (de libertate eẽ actum est)gens Turcarũ potentissima non accingitur,quod nõ ignotus ignobilisúe aliquis populus sanguinẽ nostrũ, cruore fraterno spumantẽ,haurit,quod nõ opes parricidio periurijsq; quæsitas deprædatur.etenim hæc nostrorũ peruersissimorũ temporũ conditio, non minorẽ in nos grassandi præbet materiã, q; Othomannidũ origini & incrementis attulit,quã hoc in libro describimus,seculi ab hinc quarti ambitio. Hæc cũ in hisce meis,fide,quã elegantia instructioribus cõmentarijs, legis Caspare antistes,eũ uolo fuisse mihi animũ credas,ut uel nominis mei damno,Germaniç,id est,cõmuni patriæ,offerrẽ speculũ,ad quẽ contẽplatis discordiæ næuis, se cõponeret,ornaretq; certa fide,iustoq; obsequio. Si quid profeci, resq; tranquilliores, uel hac uel alia quadã ratione euadere uidero, lætabor saluti Reip. sin obtrectationẽ tãtum,atq; inuidorũ his suscitauerim liuorẽ, autoritati tuæ hanc quantulacunq; sit operã meam,atq; studiũ meũ, tamq; patriæ amantissimo,defendendã cõmendo,æquitatẽ tuam atq; amicitiam,meritorũ meorum fructum amplissimum exstimans. Vale.

DE BELLO SACRO CONTINVATAE HISTORIAE LIBER QVINTVS, IN ORDINE uicesimus octauus.

Rodolphus Habspurgensis,Imperator creatus,eiusq; expeditiones uariæ. Cap. I.



Gregorius 10. Pont.max. Lugduni Cõcilium patrum indixerat,agebatq; anno à nato Christo 1284. ad id celebrandũ, quia cum Græcis instabat certamen de spiritussancti processione, doctissimi quiq; accersebanẽ,inter quos Thomas ille Aquinas,qui tamẽ anteq; eò peruenisset,diẽ suũ obijt. Adfuit Bonauentura Balneoregius,Franciscanæ familiæ ornamentũ, Eboracensis

sis antistes. Genuensiũ ope adsuit Palæologus imperator cũ Iosepho Patriarcha Constantinopolitano. Qui ut Græci imperij iura adipisceretur à Pontifice max. etiã reclamantib. Balduino imperatore & Carolo Siculorum rege, id obtinuit, cũ utrinque almũ spiritũ procedere profitebat. Peruenerũt Lugdunũ Tartarorum nonnulli proceres, ij domi professi Christum, nõnihil initiati, tunc lauacro regenerationis abluti sunt. Rodolphus Victoriosus, Habspurgensis Comes, superstite æmulo Castulonensi Alphonso (illo, de quo dictũ illud sceleratũ fertur, Si à principio creationis interfuisset consilio Dei, quod nõnulla melius ordinatiusque disposuisset) imperator renunciatus in interregno, à Gregorio, qui Lausannã usque accedenti Rodolpho occurrerat, Romanorũ rex declarat, ea lege, ut intra annũ in Italiã diadematis causa proficisceret, atque Hierosolymitanis rebus, quantũ posset, maximã opẽ ferret, seque ipsum præberet imperatorẽ totius exercitus, quem pontifex cruce signatũ in Asiã missurus esset. Ad expeditionẽ ineundã ducenta millia aureorum imperatori oblata, quã summã cõfestim ut Mediolanũ ueniret, à mercatorib. Florẽtinorum Pictoriensiũque reciperet. Deinde Papa Christianis omnibus decimas rerũ imposuit, missis qui per totũ sexenniũ tam sacra quàm prophana decimarẽt, qui omniũ cõmissorum ueniã offerrẽt ijs, quibus crucẽ suscipiendã persuasissent. Rodolphus cũ uxore, liberisque ac tota ferme familia Lausannæ se crucis tessera insigniuit. Isnẽsis ille Henricus, Basiliensis Episc. à põtifice legatus dictus, per totã Germaniã decimas in supplemẽtum Syriacæ expeditionis, congregare cœpit. Profectus inde imperator, Basileã peruenit; ubi legati, eiusque iussu, in dominicana familia, primarius quidã uir, Eberhardus nomine, dicẽdi arte excellens, multos sua facũdia persuasit, ut ad militiã transmarinã nomen darẽt. Inter quos fuere Theobaldus comes de Pfirt, deinde Lotharingiæ dux cũ alijs militibus & equestris ordinis insignib. uiris permultis. Theobaldus, ut in sumptus belli pecunias cõgereret, comitatum Pfirtensem cũ possessionibus, portorijs, uectigalibus, mixto meroque imperio Episcopo Basiliẽsi, emptionis titulo cautionibusque tradidit, receptis pro eo argẽti marcis quadringentis. Dum igit ad expeditionẽ Hierosolymitanã omnia paranẽ, sesquienniũ effluit, interea ipse põtifex moræ pertæsus, mittit qui imperatorẽ uocarẽt, & uoti admonerẽt, iuberentque ad Cal. Febr. 1275. cũ omnib. ex Germania copijs Italiã intraret, inde in Asiã traiecturus, alioquin diris pontificijs ictum, imperio illũ excidisse. Sed morte põtificis secuta, Ottocari Boiohæmiæ regis & Henrici Bauari ducis cõtumacia, opis afferendæ Hierosolymis & spes & occasiones oẽs interrupit. Imperator quippe ad uindicandã Rom. imperij maiestatẽ, iniuriãque illatã ulciscẽdam, cõtra Bauarũ & Boiohemũ arma suscipere coactus, propiorẽ illi curã, quàm sacri belli esse, rebellium supplicium ostẽdebat. Genuẽses, Veneti, Pisani, Florẽtini Græcique, audita morte Gregorij, ceu fractis carceribus, ferarum ritu seinuicẽ terra marique dilaniabant. Carolus præterea Rom. pontifici grauis imminebat, agebat em̃ omnia pro arbitrio. Siciliæ em̃ regno tributũ adiecerat Punicũ, Achaiam quoque, Prætor Rom. creatus, uicarius imperij, apud oẽs Italiæ urbes magno in precio. Sic dum in Italia, quã in Germania res nihilo pacatiores, Innocẽtius 5 Hadrianus quintus, Ioannes 22. Põtt. maxx. seinuicem in

pontificia

pōtificia dignitate insequētes,per totū trienniū nihil omnino,ad res Syriacas
subleuādas,auxilij aut supplementi colligere potuerāt,statuit imperator reb.
attritis nōnihil opis adferre,ac primò bello Boiohemico cōfecto,Henricū Io
annis Obotritorum ducis filiūsanctæ expeditioni præficit,ualida manu mi
litum illi addita,in Syriā transfretare iubet.Is in Cyprū cum suis delatus, ab
Amita,regis Henrici uxore Placētia humanissimè exceptus, Ptolemaidē pau
cis pòst diebus peruenit.In agrū igit̃ Damascenū irruptione facta, flamma,
ferro,uastitate omnē regionē depopulatur,spolijs onustus,sæpius in urbē re
uertebat̃.Barbari temeritatē atq; audaciā principis cōspicati,cū ui non absq;
ingēti eorum iactura resistere illi posse uiderēt,fraudes atq; dolos instituunt,
spolijs oneratū,adq; suos reuertentē,insidijs circumuentū capiunt. Ad Sol-
danum deductus,totos sex ac uiginti annos,magnā uitæ partē, in captiuita-
te detriuit.Erat inter famulos Henrici Martinus quidam,qui diu pugnantē
herum armis tutatur,sed numero oppressi ambo,cum manus dare cogerē-
tur,hostib.famuli fides etiā admirationi fuit.dum eñ principē suum strenuè
tutat̃,multis uulneribus acceptis,uix mortē euaserat,at medicorum cura sa-
nitati pristinæ ac libertati restitutus,abire hero captiuo noluit, operā suam
Limbolario locauit,mercedulam omnē principi Henrico deferens, ut partē
Barbaris,qui illum custodiebant,elargiri posset,quo in ipsum mansuetiores
essent,partē ad corporis curā cōuerteret. Tandē eo anno quo Cassanus Tar
tarus Syriam,expulsis Sarracenis,ut postea sequit̃,subegit,cum cęteris capti
uis redemptus,domū redijt. Cum tamē autores nō indigni aliam suæ liber-
tatis rationē tradiderint,quæ etsi nō adeo uerisimilis uideat̃, tamen hoc loco
interseri nō absonū duxi. Cōsenuerat optimus princeps in pędore & squalo
re carceris,cum extincto tyranno,ex Mamaluchis præficeretur regno Aegy
ptio Germanus quidā,is statim ducē ad se uocare iubet,ac cum instaret ipsa
dies natalis Dominicæ,ita hominem affat̃. Nōne sacrosanctā natiuitatis tui
Christi memoriam apud tuos te celebrare,res iucunda tibi uideretur. Noui
eñ superstitioni Christianæ te adeò deditum,& religionis,q̃ libertatis, ma-
iorē sollicitudinē te gerere. Rectè ais(inquit Henricus)rex optime. nam ipsa
libertas nihil omnino esset,nisi incarnatione sua clemētissima captiuitatē no
stram abstulisset.quantū igit̃ huic memoriæ debeant omnes,uelle,ô rex ipse
intelligeres.Sed optare licet mihi,utinā etiā te persuasum possem de his red-
dere. Tyrannus ad hęc,Dij meliora. Memini eñ cū apud Knese Ienik,paren
tem tuū,in Liuonia machinamentis pręessem,in hostē stragē ingentē facerē,
ac illi nauarē operā haud inutilem,persuasioni Christianæ me omnino addi
ctum fuisse,sed iam relicto errore communi,priuatam fortunam etiam mu-
tasse. At de religione mihi tecum nulla contentio, de pietate nulla mecum ti-
bi altercatio,de libertate tantum sermo. Cuperes ergo esse liber, atq; ad tu-
os reuerti? Hæc natura petit,negat fortuna (inquit Henricus) quæ tamen
ex tuo arbitratu pendet. Cupio equidem domum redire, quod si à te mihi
negabitur, æquo animo ferendum erit, cum Anastasia uxor, Henricus,
Leo atque Ioannes,filij dulcissimi proculdubio iusta parenti iamdudum
persecerint,defleuerintq; mortuum. Erras, infert tyrannus, cum explora-
tum habeam,te inter uiuos adhuc perdurare tuis notum esse, indiesq; re-

ditum tuum ardentissimis uotis expectare. Debeo equidem parentis tui memoriæ multum, libertatem itaque tibi hodie largior. His dictis, exornatum muneribus, & Martino famulo bene donato, liberum abire permisit, qui cum Ptolemaidem uenisset, ac conscensa naui in Cyprum abiret, iterum interceptus à piratis, ceu fugitiuus Soldano traditur. Misertus hominis optimi Soldanus, cum iterum dimittit, ac naui parata, in Cyprum deducere iubet. ubi reginæ munificentia, ære, commeatu, equis & seruitijs instructus splendidè, Massiliam ad amitam, quæ reguli Massiliensium uxor erat, nauigio traijcitur, tandem postliminio domum reuersus, apud suos in magna existimatione diem clausit extremum.

Armeniorum & Sarracenorum bellum in Syria. *Cap. II.*

Hierosolymitani regni titulos, à pontifice Clemente quarto, ut supra diximus, Carolus Andegauensis receperat. Maria quoque Frederici nothi principis Antiocheni filia, quæ regiū nomē ab auo Frederico sibi iure hæreditario deberi contendebat, extincto (de quo superius mentionem fecimus) Conrado Caputo fratre, à Carolo ingenti accepta pecunia, ius omne illi in regnum competens resignauit. Licet Hugo ex fratre nepos Mariæ, Antiochenus princeps, palàm rex salutatus, quæcunque fisco regio inferebantur, omnia ceu hæreditario iure reciperet. Inhiabat quoque Constantinopolitano imperio Carolus, cuius ob causam uiduus, mortua Beatrice Phocensi, Catharinam imperatoris Balduini Constantinopolitani uxorem duxerat, quod ut obtinere posset, cum uideret pontificem rebus Græcis fauere, Arragonensemque regem societatem cum Palæologo coniunxisse, militiam sacram profitetur. Instructa classe triremium centum, onerariarum nauium uiginti, dromones, myoparones, minorumque nauigiorum numerum non paruum insuper parat, quibus machinas, commeatus traijciat, Vscieros, quos uocant, ad portandos equos ducentos. Equitatum conscripserat ex Gallia, Venetijs, alijsque Italiæ locis, equitum decem millium, pedites bis totidem fuisse dicūt. Dum hæc parat Siculus, Ioannes Prochitanus, qui artes Caroli nouerat, Palæologum adit, suspicione & metu ipsum implet, periculi admonet. Dein desumpta Minoritani trita ac uili ueste; ad pontificem Nicolaum Palæologi consilium defert. Papa uerò qui iamdudū Caroli opes imminuere statuerat, Senatoria Vicariatusque dignitate priuarat regem. nam ex familia Vrsinorum, Romæ præpotenti prognatus, duos nouos reges, & eos gentiles suos, in Italia instituere cogitabat, ac unū Hetruriæ, alterum Longobardiæ præficere, ad arcendos reges exteros. Coniurationi igitur in Francos socium se exhibet. Prochitanus acceptis à pontifice literis, Arragonensem conuenit, aurum pollicetur, ut bellum iuuare uelit. Classem igitur is etiam parat maximam, apparatu belli apud ipsum omnia perstrepunt, sacri belli suscepti titulo. At reuera Constantinopolitanum imperium Siculus, Hispanus autem Trinacriam quærebat. Pontifex fastidiebat exteros. Dolus utrinque excogitatus & structus cruentus. nam in sacrosanctæ Dominicæ resurrectionis die, uesperarum hora, dum apud pontificem agit Carolus in Phaliscorum monte, Siculi, dato signo, ad æris Campani sonitum, omnes Gallici nominis

minis per totam insulam uno tempore, codemq; momēto trucidant, adeoq; cupide, ut sine sexus discrimine mares & fœminæ ferro dediti sint. Cæsæ sunt etiam Siculæ mulieres, si quæ Gallorum erant compressu prægnantes. Inde prouerbio increbruit, Siculus uesper. Classis deinde occupata, quæ in portubus stabat, parata ad imperium Græcum inuadendum, ementito prætextu. quo Deum optimum maximum iritatum ferunt, ut cladem Gallis tantam immiserit. Certè nec Arragonensi dolus impunè transijt, quippe non post multo, à Gallis in pugna cæsus occubuit. Cæterum dum Sarraceni uanos Christianorum motus, ac à uero alienos esse cernunt, haudcunctandum rati, Antiochiam inuadunt, quam non adeò firmatam, uniuersam penè delent. præda ingenti onusti, in Armeniam irrumpunt, omnia deuastant, depopulanturq;. At Armenij cum hostem efferatiorem per æqua iniquaq;, atque conuallium angustias discurrere, prædam congerere, nullo seruato ordine, omnia diripere uident, contractis copijs, locorum ignaros ex improuiso adoriuntur. Sarracenus ab omni latere circumuentus, prædam abijcere, arma corripere & expedire, ad signa coire contendit. Bandogabar suis auxilio accurrens, ordines instruere tentat, dum fugientes reprimit, redeuntes ad signa conuocat, sagitta in incertum emissa uulneratur. saucium uires uerbaq; destituunt. delatus ingenti celeritate ad castra, quę ad fauces Armeniæ locauerat. Amissis suorum permultis, Damascum redijt, cum uiginti millibus captiuorum, quos Antiochiæ, alijsq; in locis uinxerat. Paulo pòst ex uulnere cum obiisset, Helpin successorem habuitit. Hic parentis mortem ulturus, iterum Armenios bello aggreditur, qui cum à nobis frustra opem petiuissent, Gallicis Hispanisq; armis, Pisanorum, Venetorum, Genuensium discordia dilaceratis, ciuilia uerò bella apud Tartaros sopita esse audirent, ipsum Abagam, ut subsidio illis accederet, orarunt. Non defuit Tartarus supplicibus, cum triginta equitum millibus Mandogamorem fratrem regi mittit, ut coniunctis copiis, Syriam ingressus, Sarracenos reprimat. Obsidebat Helpis Hamam, ab Antiochia & Cæsarea urbem haud procul distantem, quæ fido præsidio Armeniorum strenuè defendebatur. eò cum accessisset Tartarus cum Armeniorum copiis, magnum Sarraceno metum iniecit, quum uiribus, numero & industria hostem sibi præstare multum non obscurè uideret. Ad ingenium igitur conuersus, mittit qui Ducem Tartarum, promissionibus pollicitisq; immensis persuadeant, ut desertis Armeniis, in pacatum abeat, aut inita pugna, in medio belli ardore destituat. Auro hominis fides corrupta, pugnam capessere omnes iubet. Rex Armenius, bello uir prudens ac exercitatus, belli aleam haud tentandam respondet, sed hostem qui ad prædam, quàm ad pugnam magis expeditus esset, cunctatione eneruandum, quandoquidem exploratum sit, uix in tertium diem, annonam Sarracenis superesse. Tartarus mora uictoriam surripi contendebat, aut enim hostem fuga elabiturum, aut supplementis accersitis, uires resumpturum. Tandem ab omnibus, magno ardore ad arma conclamatum. Prælio inito ab utroque cornu, nostri egregiè uincunt, sed dum in fugam inclinari Sarracenos atque

dissipari cerneret Mandogamar, equo pernix desilit. qua re conspecta, ex instituto gentis, equites ducem imitati, & ipsi in pedes se excepere. Armenij à sociali equitatu, cui uni fidebant, ita proditi & deserti, dum animos colligit, redintegratque uires Sarracenus, ad castra pedetentim se recipere coguntur. Tartarus pro uicto, retro ad Euphratem concessit. Armenij uero cum biduo post pugnam castra in hostico habuissent, Sarraceni desperationem eorum mirati, liberos eos abire permittunt, deinde recepta Hama, alijsque Syriæ urbibus, domum redeunt. Reuersos ad suos Tartaros Abaga rex ignominia affecit, ut per omnẽ uitam habitu uestituque muliebri uterentur, Duces uerò & fratrem securi percutere iussit.

Mergathum in Syria à Sarracenis expugnatur, & obtinetur. Caput III.

Syriacum bellum instaurabat Abaga, sed in apparatu belli, domesticis insidijs opprimitur. Tangodar autem, qui fratri successerat, olim Christianis ritibus initiatus & baptizatus, Nicolaus dicebatur, tamen commercio gentis, à sanctis digressus, impijs sese coniunxit, Christicolas omnes capitali odio insectans. Admonitus à pijs, ne pergeret populum Dei tam nephariis conatibus molestare, non solum non paruit, sed Dominica atque ædiculas sacras dirui fecit. Insanientem tandem populus trucidauit, suffecto in locũ eius Argone ex fratre nepote, qui destructa omnia instaurauit, Christianos pio fouit affectu. Interim apud Sarracenos Helpis discesserat, cui Melechsaites successit. is ut regni auspicia insigni aliqua clade Christianorum iniret, Marmeam urbem in Syria Phœniciæ expugnare decreuit. Ea equidem urbs præsidio, turribus, propugnaculis aggeribusque munitissima, ab Hospitalariis regebatur. qui Barbari aduentu præcognito, arma, tela, annonam, uirosque fortissimos urbi & præsidio immiserant, instructam ad multos annos haud facilè in tyranni potestatem ituram sperantes. Melechsaites ex omnibus sui regni regionibus accitis copiis, Arabum auxilia quoque ciuit, lustrato exercitu, ad sexaginta millia equitum, alterum tantum peditum inuenit. Iam Anteradon peruenerat Barbarus, quæ tantum quatuordecim millia passuũ à Marmea siue Mergatho distat, cum Aegyptia classis instructissima adest, quæ per Marræ fluuii ostia inuecta (cui Marra imminebat, tantum duobus millibus passuum à mari remota) exercitui se coniungit. Barbari ponte ex superiore parte fluuium iungunt, corona circundant urbem, crates contexunt, machinas explicant, urbem irrumpere multa ui sæpius tentant, toties reiecti ab iis qui in præsidio Germanis, in omne uirtutis opus præcipites, magnis cladibus afficiuntur, cũ ex insperato nunc in hostẽ erumpunt, nũc molares magnas, & omnis generis tela in Barbaros haud irrita nostri coniiciunt. Effecerunt hostium uani conatus, nostrorumque fiducia, ut post longam obsidionem contemnerent nostri hostem, quem nihil tentare omnino, sed quasi fame eos uincere instituisset, quietem in castris agere uidebant, ob id & conatus eius ridebant, in aliquot annos rerum necessariarum copiam superesse certi. Quæ fiducia dum nostros ludit, iam nemo stationes suas, nemo uigilias & custodias diligentius subire, omnes in luxum & gulam prorumpere incipiunt, quod hostem haud diu latuit. Magnam igitur fossorum manum nocturnis horis immittit Melechsai-

tes,

tes, cuniculis suffodere iubet mœnia. illi egesta terra uastis specubus, totam urbem pensilem faciunt, suffulciunt mœnium fundamēta aridis ligneisq; paxillis, multa egesta materia, quæ ignem subito cōcipere solet. Nostri huius rei ignari, clausi muris, genio indulgebant, cum ecce subitò à Barbaro adest nuncius, qui urbem ut dedant eos adhortatur. Risu primò excepta uox, deinde instanti etiā cōuitia dicta, donec periculi admoniti, ac fide data, qui ipsam rē inspectarent, imminentē cladem ad suos referrent. Cognitis his, incolumitatē pacti, quantū quisq; portare poterat, in humeros cōijcit, atq; arma tus emigrat. Barbari deleta urbe, præsidiū cōmuniunt, suorum ad custodiā relictis nōnullis, inclementia cœli impediti, ad suos remeant. Factum hoc, sunt qui tradant, anno 1285. quo etiā anno, Carmelitarū familia Syria expellitur à Melechsaita, leuissimā ob causam, si spectes uenerationē, qua antea eam factionē coluerat Barbarus. Est Carmelus mōs in Syria, mora tam aliorum prophetarū, q̄ Heliæ & Helisæi, nobilis. hunc locum sub Almerico Hierosolymitano Patriarcha insederant Anachoritæ, ac cum sparsim circa montē agitarent, tandē coiuere ad fontē qui Heliç dicit, in cacumine montis & Phanū & cœnobiū cōstruxerunt, uni qui honesta præcipiebat, humiliter parendo, sine tamē certo instituto, sine peculiari cultu, sine ceremonijs. Albertus postea Hierosolymitanus sub Innocentio tertio, Patriarcha & legatus certas obseruationū regulas illis præscripsit, addidit & uestitui normā, pallium scilicet uersicolorē, ex albo & canusino circulatum, Heliam eiusmodi cultu ornatum incessisse, Basilium ea uiuendi forma usum fuisse, asserens. Erat tam gratus propheticus pallij habitus nō solum Christianis, sed etiam Barbaris, ut magnis Sultani eleemosynis familia tota sustentaretur, locupletaretur q;. Sed pontifici Rom. Honorio quarto nō admodum probabatur, uel quod non Romano ingenio excogitatus aut confirmatus, uel quod religioni circulatus uersicolorq; habitus conuenire nō uideretur. igitur album illis pallium datum ita, ut sub eo camisiati essent, utetque color illis retineretur. Quod ubi factum rescījt Melechsaites, tanta ira exarsit, ut congregatis copijs, cœnobium inuaderet, expulsisq; omnibus, incendio & phanum & cœnobium destrueret. Repullulauit hæc breui familia in omnibus regionibus Christiani nominis adeò, ut pudeat numerum referre locorum & initiatorum huius factionis. Septem millia enim & quingenta Carmelitani nominis cœnobia extare, in quibus sacris operentur centum octoginta unctorum millia dicuntur. At hoc relatum nolo, ut dignum ducam cui fides habeatur. Veri periculū sit apud autores. Vnum autē hoc certū esse nemo dubitabit, utraq;, rei signum et memoriam extare, apud Frācos scilicet Orientales, Mergatheim sodalitatis Teutonicorū ædes, quas à perdito pręsidio denominari uoluerunt posteri, deinde Carmelitarū per totā Europā cœnobia.

Tripolis, Sidon, Berythus, Tyrusq; à Barbaris in Syria capiuntur. Caput IIII.

INterea humanis exempto Melechsaite apud Aegyptios, Alphir rebus præficitur Sarracenorum, is per exploratores cognouit Christianorum res in Occidente ciuilibus bellis & discordijs feruere. Etenim Pisani cum Genuensibus, de Cyrni insulæ, quam Corsicam uocant, possessione tantis odijs decertabant, ut non modo alijs auxilia ferre non possent, sed tam

hi quàm illi subacti, suis rebus aliunde opē implorare cogerent. Guelphorū & Gibellinorum hæresis nihil minus quàm Veneta & Prasina olim factio Græciā, nunc totā Hetruriā exagitabat. Veneti Picenorū bello liberati, cum Goritiano comite Maynhardo, Histrico bello biennium totū fermè consumebāt. Pōtifex de regno Siciliæ sollicitus, Tarraconenses & Frācos cōmittebat. In Germania omnia tumultus plena erant, imperatore Nuithones & Sequanos oppugnāte. Angli & Scoti in mutuas cædes ruebant. His discordijs fretus Barbarus, Tripolim Syriæ urbē nobilissimā obsidet, omni externo subsidio destitutam. Tāti periculi fama Theodosiam peruenerat, quæ in Chersoneso Taurico sita, Capha uocat, Genuensiū tunc Colonia. Quapropter Patritij nōnulli ordinis uiri, opibus uirtuteq; præstantes, obsessæ urbi auxilia submittere decreuerunt, priuatis scilicet impensis, quandoquidem de hac re, necessitate omnē moram recusante, Remp. nec pro supplementis nec cōsilij causa adire liceret. Instructis igit triremibus tribus, uiris, armis, omni cōmeatu paratissimis, Paulinum Auriā ijs præficiunt, nuncijs Genuā missis, qui incōsultis patribus, instructę classis negocium, imminētis periculi magnitudine excusent. Senatus collaudatis colonis, studium, sollicitudineq; eorum piam boni cōsuluit, ac ut alios suos ciues ad defensionē Reip. Christianæ alacriores faceret, ex ærario impensarum nomine, Caphensibus 25. aureorum millia numerare iussit. Paulinus interea fœda tēpestate iactatus, uix in Cyprum appulerat, cū de expugnata Tripoli certior fit. Tyrannus equidem, licet natura, situ, armis, uiribusq; fortib. urbs bene munita fuisset, nouis semper cōfluentibus copiis auctus, nec nocte nec interdiu, obsessis quietē permittebat, ignobilibus dimicationibus nostros semper lacessens. nullus sagittandi finis, machinis & tormentis nunq; intermittebatur oppugnatio. Oppidani, cum uiderēt hostē pertinacius instare, muros multis in locis deiectos, inducias petunt menstruas, quod si per id spacium auxilium nō haberent, nihil se recusaturos, quin & urbē dederent, saluisq; corporibus cum armis & sarcinulis abirent. nullo negocio hæ induciæ cōcessæ, cum ecce tertia die Benedictus Giacaria Genuensis adest, cum triremibus quinq; atq; naui oneraria una, quibus Guilhelmi Magni Monteferratēsis principis filiam Violantidē, Andronico Constantinopolitano imperatori nuptui aduexerat, portum intrat, ingenti lætitia nostrorū exceptus. Decretum statim de defendenda urbe, si opus esset. Peracto conuentionis mense, Barbarus iterum nuncios mittit, qui urbem & oppidum sibi petant, aut hostilia omnia obsessos subituros. Nostri ad pugnam instructis omnibus, nuncium abire iubēt, atq; Barbaro edicere, libertatem Christianam non uerbis, imò nec armis cedere, fore breui ni abeat, ut ceu caueis eruptis à feris, dilaniet. Tam feroci responso irritatus Barbarus, cū ui nihil uideret se proficere, ad insidias animū intendit. Vnicā uiā qua hosti insidiari possit, cernens cuniculorum fossionem, quæ ad id operis in rem erant, omnia parat, accitis peritioribus, per aliquot dies & multas noctes, labor nō intermittitur, in horas atq; manipulos partitis artificib. Oppidanos uerò ut falleret solitis oppugnationibus procursationibusq; lacessebat quotidie, licet multi suorū telis & saxis à nostris obruerent. Nec nostris incruēta semper cessit uictoria. nā frequentib. procursationibus

nibus

nibus lacessiti, continere se nequiuerunt, quin nonnunquã erumpentes, manus cũ Barbaris consererent, nunc uictores, nunc uicti, in urbem redeuntes, donec laboriosissimũ opus cuniculi (sæpius natiuis saxis occurrentibus, qui incidendi laborẽ exigebant inæstimabilem, tum etiam fontiũ uenis, quæ ad exhauriendam aquã tempus diutinum consumebant, impeditũ) ad finẽ per ductum est, ac in mediũ forum urbis, anteꝗ̃ insidias nostri sentirent, continuatum. Itaq; Non. Aprilis, anni ab incarnatione Christi 1289. cum altera die nostri Barbarorum oppugnatione in multam noctẽ defatigati, hostem incensis castris (quod ne insidiæ detegerent, fecerat ipse) ex desperatione abiisse, atq; noctis medio aufugisse crederẽt, sub crepusculo quieti se dedissent, Barbarorum magna manus, anteꝗ̃ fideles excitari aut armari possent, ex cuniculis erũpunt tumultu, uociferatione, igne, ferro omnia territãt, sternũt, et depopulantur. Impetus in domos priuatas & publicas factus, deinde stationes uigilum petuntur, cæsi omnes, in lectulis oppressi & iugulati multi. Nostri ubi rumor alius ex alio ad reliquos de capta urbe perferẽ, exciti magno numero, ad arma conuolant, prout furor, trepidatio, et antelucanũ tempus permittebat, prodeuntes in forum abire, & conflare aliquam agminis formã conabantur, occlusis tamen uiis omnibus, frustra tentata omnia, pecudũ more passim trucidabantur. Quando igitur nec fugæ spem, nec speciosæ mortis occasionẽ superesse ullam cernerent, ad portũ certatim se cõferunt, ubi utriusq; sexus, ætatis, mortales multi Giacariæ beneficio, periculo exempti sunt. nam trepidos nudosq; plerũq; in naues recipit, quotquot hostium cupiditas, dum prædæ inhiat, reliquos fecit. Post maximã in mortalibus cædem, omnifaria merces, prædaq; ditissima diripitur, urbs primò igni absumpta, deinde etiã arietibus dirui iussa, & ad fundamenta usq; cõplanari. Qui euaserant, Benedicti classe in Cyprum delati sunt, ea equidẽ die qua & Paulinus appulerat. Barbarus uerò, præsidium quod urbi ad primum lapidem adiacet, Nelesinum nomine, cum nulla ui expugnare posset, dimissis copiis, quã ne cõmeatus aliquid inferretur, tãdem fame ad deditionem compulit, salute præsidii custodibus data. Obtentũ præsidiũ, ne à Christianis Tripolis urbs iterum instaurari posset, studiosissimè instruxit, uiris fortissimis ad custodiã ibi relictis, qui conatus nostrorum impedirent. Inde simili cursu fortunæ, Sidonem & Berythum captas diripuit, incensasq; & direpta dirui fecit. Ad Tyrum castra posuit, quam classe ex Aegypto uocata, mari terraq; tertiũ mensem oppugnatam, magna usus humanitate in dedititios, conditionibus cepit. priuatos enim patria atq; patrimoniis, cum rebus quas iumentis aut nauigiis auferre potuerunt, omnibus incolumes abire permisit. Demum receptis prӕsidiis, urbibus, oppidisq; omnibus, à Christianis in Syria habitatis, Ptolemaide excepta, nihil nostris reliquum in Prouincia fecit. eò enim omnes, qui pactione Sarracenis deditionem fecerant, Syriӕ incolӕ se contulerãt. Post captam autem Tyrum, in quinq; annos cũ Venetis, aliisq; Christiani nominis principibus quinquennales inducias pepigit, ne rerum tãto successu, omnem in se uerteret Europam. Igitur & Ptolemaide abstinuit, prudẽtia & astu usus, quam calliditatem in recepta Tyro urbe adhibuit clementer uictos tractando, ne cladeș aliqua nephanda Occidentales exacerbaret.

De

De Ptolemaidis urbis statu. *Caput V.*

INaudierat Nicolaus quartus Pontifex Max. Syriacas res, modo quo diximus periclitari, igitur clarissimos Europæ Duces per legatos & literas sollicitat, ut communis salutis causa, arma aduersus Barbaros arripiant. Rodolphus Imperator, dum militem scribit, quem in Syriam mittat, moritur. Francus Anglusque, cupere se ire auxilio nostris in Asiam simulant, donec sacerdotibus pecuniam sacram emungerent, qua accepta, incepto destiterunt, missis aliquot militibus, spe stipendiorũ oneratos magis, quàm instructos. Pontifex uerò mille quingẽtos cataphractos equites suo nominè dedit, ære suo conductos, ad quos in Asiam traijciendam Veneti naues longas uiginti obtulere, uiaticum ad hæc nauticum prò remigibus pontificis. Ad maturandum negotium aderat Tripolitanus Antistes, à Pontifice Romano missus. Studium Pontificis aucturi Veneti, ne non & ipsi omnia pro Christiano nomine moliri uiderentur, uiginti triremibus, quas pontifici exhibitas diximus, alias quinque suo nomine instructas adiecerunt. huic classi Tripolitanus legatus pontificius, Iacobusque Tepulus præficiunt. Peruenerántque Brundusium Petrus Beluisius, Templi magister, atque Hospitalarius magnus, hi magnum uoluntariorum militum numerum, qui sine aliquo præstanti Duce accedebat, nauibus impositum uiatici & stipendij annui pollicitis transfretarunt, qui quo plures, eo fuerunt, ut postea dicemus, perniciosiores. nã Ptolemaidem postquam peruenerã', oneri Christianis, quàm usui fuêre magis. Tamen insequutæ cladis causa, nõ fuit una. Præter enim militarem licentiam, corruptus urbis status Remp. pessundedit, de quo pauca non omittenda. Vna hæc urbs in tota Syria Christianis reliqua erat, in quam patria depulsi omnes, quicquid Christianorum reliquum, ceu in asylum quoddam confugerant. Habeo idoneos autores, qui affirmant hominum armatorum in ea id temporis fuisse triginta millia, imbellis sexus & ætatis quadragies mille et plus, exceptis supplementis, quæ nuper accesserant, numero millium decem & octo. Hæc hominum colluuies, rapinis, cędibus, adulterijs, flagitijs, sceleribusque, neque sacris neque prophanis reb. abstinebat, quin omnia inquinaret atque peruerteret impunè. Nulla enim urbs ab æuo condita tot magistratuũ generibus, tot legibus gubernata legitur, in qua tamen commissa omnia licentius perpetrarentur. Decem & septem etenim gẽtium diuersarum, sibique inuicem contrariarũ regebatur, lacerabaturque potius dominatu. Henricus enim Cypri rex, qui cum satis magna, pro facultate, classe Ptolemaidem profectus erat, Templarios persuaserat, quãdoquidem antea anno tertio, regni Hierosolymitani titulos in comitis Atrebatensis contentionem sponte sua, paucis adstipulantibus assumpsisset, ut ei ornamenta regni, coronam scilicet & alia redderẽt, quę Almerico & Guidoni ipsius maioribus ademissent. Siculus rex, Carolus secundus, qui ex captiuitate Arragonensis Neapolim redierat, cum per legatos (quos cum rege Cyprio, de iure, potestate, titulisque regni sacri actionem instituturus miserat) certior factus, diadema & nomen regiũ Henrico cessisse, exacerbatus, uectigalia, quæ sub ipsius ditione Templarij percipiebant, prouentusque agrorum, ærario suo inferri iussit, prædia uastare & diripere. Antiochenus princeps Hugo, paterna auitaque in regno

iura

iura,& armis & uiribus conseruare studebat. Tripolitanus à Raymundo Tolosano propaginem se ducere contendebat,eundemprincipem fuisse,regno Gothefrido multò digniorem,modestiorem uerò quod maximis exantlatis laboribus, ambitioni Lotharingi cessisset, extare autem, præter se, principum qui Syriam è manu Sarracenorum eripuissent,ueteris propaginis neminem, quapropter etiam regiam dignitatem sibi quàm alij potius deberi.Quatuor igitur hi principes,non magis de regno perdito,quàm de dominio Ptolemaidis urbis decertabant.Legatus Pontificis ius quæsitum regni et urbis repetebat,cum Brennam regem Ioannem,Beneficiarium Romanæ Ecclesiæ fuisse constaret.Patriarcha autem Hierosolymitanæ urbis, etiam primas partes prophani sacriq; dominatus ditionisq; sibi arrogabat ciuitatis perituræ,quoniam Metropolitanus Tyrensi,sub quo Ptolemais tertiam sedem haberet pontificalem,Occidentalis ecclesiæ scitu,ipsi subesset.Templarij,Hospitalarij,Theutonici milites,quorũ res facultatesq; maximę,sanguinis effusi precium,effundendiq; propositum esse pręmium cõtendebant,urbis regimen,multa pollicentes,si administratio Reip.illis permitteretur.Francus,Anglusq; rex,per internuncios imperiũ urbis ambiebant.Pisani qui consulem in urbe habebant , ac indigenarum nuptijs magnam contraxerant necessitudinem,factione sua omnia ad se trahebãt. Venetus autoritate sua & opibus,largitionibusq; maximis populi studiũ quærebat.Genuenses partes & factiones ludificabant, minoribus auxilia clam palamq; submittentes,donec debilitata,quam oderant suspensamue habebant, parte, fauore debiliorum , gradus ad urbis imperium sibi pararent. Florentini negociatione & mercatura,seruoreq; dominium struebant. Armenij,Tartari uicinitate & potentia,qua rebus omni momento adesse,uiribus prodesse possent,multos sibi cõciliabãt. His omnibus idem scopus, urbis scilicet tyrannis,singulis uerò in eadem ciuitate,singularis iuris ordo, & prætorium singulare.Igitur una in urbe peccare licitum,punire prohibitum erat,dum scelerati alterius sententiam aufugiendo,huius clientelas augent & fortiores reddunt. Sic multifariam diuisa urbe,quotidie facinora & scelera audiebantur,dum hic rabidus in hunc fertur,ille uicissim huius clientelas et res diripit,alter seditione excitata in aduersos irruit.Indigenarum alienigenarumq; funera,ciuium exterorum mortes commiscebantur , qui ab ultimis terræ angulis,ad salutandum sacra Saluatoris uestigia properauerant,nequitia & perfidia partium aut spoliabantur aut necabantur . Per compita,plateasq; homicidia perpetrabantꝰ indies, Insulæ diripiebantꝰ,atq; effringebãtꝰ. Tabernę mercatorũ,apothecę atq; myropolia noctu diuq; cõpilabantꝰ .Nihil sani in tota urbe erat.Senes ac mulierculæ intestinis factionibus attonitę,externũ bellũ,quo domesticis malis liberarentur,maximis uotis petebant. Grauissimus metus grauiores,ditiores terror fœdissimus occupauerat.nullum enim consilium apparebat,nulla spes tantorum malorũ sedandorum.Deus certè,Deus ipse,tot scelerum plenam urbem lustrare atque expiare nephandissimis ciuium criminibus cogebatur , nec dubium,si Sarraceni uiolatis inducijs,contra sceleratos homines uenire tardassent,aut fulminibus,aut terræ hiatu Deus perdidisset urbem.At fati uim accelera-

uit, auxiliariorum atque militum furor. dum enim sine duce missi, diffidentium imperia contemnunt, stipendia præterea promissa non penderentur, inopia raptu uiuere cogebantur. Excursiones igitur in finitimarum ciuitatum atque Soldani agros aliquando noctu, post parum etiam interdiu exercebant, latrocinijs atque furtis deuastabant. Et licet ad tuitionem urbis tantum missi essent, donec fœderum initorum terminus præteriret, audacia atque temeritate cò progressi sunt, ut prædas tam hominum quàm iumentorum ac rerum omnium, tanquam iusto bello abigerent, incendijs debaccharentur. Tantam nostrorum insolẽtiam æquanimiter tolerare uidebatur Soldanus, omniumque opinione diutius dissimulare iniuriam, donec quæ in Europa agerentur, quàm segniter subsidia pararẽtur, per exploratores cognouit. Tempore denique induciarum exacto, res per legatos, abactamque prędã sæpius atque sæpius repetijt. Postulauit insuper ut hi, qui fœderis uiolãdi autores fuissent, illi traderentur. Sed nec res redditę, nec auditi legati benignè. Per nuncium igitur, nisi intra annum ipsi satisfieret, comminatus est urbis excidium, atque in Christianos pessima exempla.

Oppugnatur Ptolemais à Sarracenis. *Caput VI.*

ANno quem præfixerat Soldanus exacto, cum ex Europa cessare auxilia Barbarus, urbemque à nullo regi, ab omnibus premi cerneret, spem audaciamque concepit delendi Christiani in Asia nominis, tantoque studio, tantam bellatorum multitudinem cõparauit, ut mira celeritate nostros prius oppressisset, quàm nostri ipsum aliquid moliri sentirẽt. At morbus, qui ipsum tyrannũ in ipso belli procinctu corripuerat, urbis excidium quo lentius, eo calamitosius fecit. Ad centum enim & quinquaginta millia hominum, cum filio Emilech Araffo (quem Melecastraphum nominant) ad urbem oppugnandam mittit, iuuenem ferocem, qui illustri aliquo facinore, atque in Christianos sæuitia, apud suos nomen illustrare & promereri satagebat. Dum igitur machinas, armamentaque parat adolescens, consilij capiendi (si uoluissent) nostris tempus offert. Nihil autem in urbe in commune consulitur, unde subito factum, ut nostri in iustam obsidionem cõpulsi, territique ab eruptione prohiberentur. Barbari statim cuniculos agebant, cæcisque fossis fundamenta turris, quæ Maledicta appellabatur (infausto quodam omine nomen sortita) conuellunt, quæ magno cum fragore corruens, latè stragem fecit. Per specus deinde subterraneos, muros & mœnia deijcere tentabant, at transuersis nostrorum cuniculis excepti & trucidati, ab incepto destiterunt, machinis admotis, muros quatiebant, ac apertè oppugnabant ciuitatem. Nec his cessit urbs. dum enim necessitate ingruente, quisque in tuanda & defendenda ciuitate, laudem atque strenui imperatoris nomen ambit, sæpius à mœnibus repellitur Barbarus, interdiuque strata, nocte à ciuib. reficiuntur, quæ res sesquimensem adolescenti Barbaro, magnumque Sarracenorum numerum nequicquam absumpsit. Ostentatur interim & nostris aliqua spes salutis, cum Seraphus genitor Araphi, apud Damascum morit, sed breui euanuit. equidem tanti exercitus dux, absens à Sarracenis Soldanus salutatur. Confluunt ad ipsum copiæ ex paterno regno, militesque maiorem uirtutem recenti eius imperio præstabant, quàm seni patri eius Solda-

no,

no nauassent,quo elatus successu Araphus, arctius urbem cingere,oppugnare frequentius,pertinacius muros quatere incipit.Tam ingēs bellum & atrox dissensionem & ambitionem altercantium aliquantulum refrenauit, concordiam igitur inter se inire,rationemq; quærebant,quibus hosti instituum capiendæ urbis adimeretur.Petrum igitur paribus suffragijs Tēpli magistrum, summæ rei præficiunt, atq; ne Respub.aliquid detrimenti capiat, ipsum prouidere iubent. Is stationes continuò distribuit, uigilias,excubias diurnas nocturnasq; in locis opportunis collocat.Publica fora armatis complet,ædes priuatas atq; publicas instruit,quem quisq; locum occupare ad datum signum oporteat,describit,tessara data,quibus internosci se inuicem occurrentes possent.Bauarus caduceatores mittit ad urbem cum postulatis,qui monerēt obsessos maximi atq; imminētis periculi,ac ni priusquā bellicum cani in suis castris audissent, uoluntaria deditione redderent urbem,frustra eos postea aut fidem aut humanitatē eius imploraturos. Cæterum omnibus ipsum liberam abeundi potestatem facere,abituris principibus dona ingentia se daturum,plebem cōmeatu & pecunia adiuturum. Militibus stipendia ab Occidentalibus regibus promissa ære suo soluturū, modò incolumes Syria excedere uelint. Ad ea Petrus, tale exemplum à maioribus suis(inquit)se non recepisse,ut partam tanto sanguine Christiano, urbem prophanæ superstitiosæq; gentis ære commutaret.Non inanes præterea Araphi minas tanti eum facere,ut promissiones Christi fastidio habeat.Ageret tyrannus,tentaret omnia armis,perterreret armis obsessos, muros perfoderet,facilem unius urbis iacturam fore ijs,quibus supremum regnum æuiternumq; morte cōmercaretur. Rectius tamen facturum Araphum,si conuersis signis aut Damascum,aut Cahirum repetat,nec publicā priuatamq; toties Europæ iram in se excitet.Fidem,uires, libertatem nondum in urbe extinctas esse,superesse arma,annonam, quæq; ad tutandam urbem non solum satis sint,sed etiam ad profligandum hostem,classem Sarracenis fatalem aduentare.Proinde curam urbis traditæ,se uiuente,nunquā relicturum,quod si defensam suo studio superstitem uidere cōtingat,sat gloriæ sibi delatum esse,si uero ea excisa,integer atq; ab omni corruptione alienus suus animus,inter suorum cadauera,migret ad meliorem patriam,ineffabile premium se recepisse credat. Omniū applausu excepta tam mascula uox. Nuncij abire iussi, cū apud tyrannum omnia exponerēt,indicto mox eorum qui ordines ductabant concilio,ira ardens,odioq; exæstuans adolescens,de oppugnandæ urbis ratione consilium quærebat,apparatu & exordio in posterum die dilatis,illucescente aurora,paratæ militariter mensæ, refocillatis corporibus,educti è stationibus Sarraceni,ad inuasionem parati, muros subeunt.Aggerem intra mœnia confecerant ciues,congesta terra tumuli in modum,quo superstantes,in subiectos omnis generis tela conijciebant. Viliora uulgi capita,ac imbellem turbam Sarraceni, ad primam turbam oppidanorum exponebant,ut ijs defatigatis,recentes & fortiores submitterent,qui nudata præsidijs munimenta occuparent,at terrebāt nostros magis, quàm arcebant.Fessis enim alacres,uulneratis illęsos semper submittebat Petrus,semper,ubi maior hostis uis ingruebat, accurrens, simul pu-

griando & hortando, accendebat uiros, neque deerat obsequium militum, suopte ingenio inflammatorum, ut unicam Christianorum ac locupletissimam urbem defenderent. nam ubi pertinaciter inferri signa, atque spreto omni periculo hostem impetere mœnia uidebant, sudes, saxaq; illita pice & oleo, corbes & sarimēta, iniecto igne, insuper arenam ignitam subeuntibus inijciunt, infundunt aquam oleumq; bullientem. Sarraceni his ustulati, dū alij ad expugnandum incendium accurrerunt, alij igne se subtrahunt, paucas scalas admouere possunt, quæ & ipsæ incendio corruptæ exarserunt. Conspexerat hostis, uel forsitan proditione admonitus, exploratum habuit, ex una parte urbis, mœnia negligentius custodiri, dum omnes suos uno in loco, quem mœnibus nudauerat arietādo, impetum facere iussisset. missis igitur delectorum aliquot millibus, quantum possent, celerius ex insperato, in minus custoditam urbis partem, irruptionem tentare iubet. Du cum adhortatio & militum contentio tantum effecit, ut iam admotis scalis in summum aliqui euaderent, cum repente Petrus accurrens, cum non ignobili Templariorum manu, telorum uelut grandine homines obruit, apparatus omnes perfringit ac dissipat, ac dum in aliquem ex Sarracenis pertinacius subeuntem gladium stringit, ictumq; intentat, ecce sagitta uenenata traijcitur, tamen obtruncatum Barbarum mœnibus deijcit, repulsosq; à mœnibus hostes, nulla uulneri cura adhibita, cum selectissimis facta irruptione, ad castra usque prosequitur. Tandem in urbem rediens, tertia die ex uulnere moritur, quod ubi nostris innotuit, animi illis unà concidēre.

Ptolemais à Sarracenis occupatur & deletur. Christiani Syria eijciuntur. Cap. VII.

EXtincto Imperatore, dum tacito gemitu tota urbs cruciabatur, desperatio omnes cepit. Etenim cui urbis tutelam committerent, dum consultant Christiani, affectibus diuersis abripiuntur. hi enim proprię potentiæ cupiditate irritati, minoribus subesse recusabant, illi ne maioribus occasionem gloriæ præstarent, dum moliri nihil possunt, in ædibus suis ociosi desident, quos uerò salutis cura, quàm decoris sollicitudo magis tangebat, nulla usi timoris simulatione, partim confictis abeundi causis, partim clandestina per noctem fuga, desertores effecti abeunt. Dilabentibus hoc modo multis quotidie, Barbarus ut timori adderet terriculamēta, sub ipsis mœnibus totū militiæ suæ agmen coire iubet, ac sub mœnibus constitutos Sarracenos, per præconem alloqui, atque per edictum, ad urbis oppugnationem adhortari. Emichebiri dignitatem (quæ apud eos post Soldanum, supremus honoris gradus habetur) ei pollicetur, qui primus murum cōscendisset, cæteris omnibus urbis prædam, si eam occuparent, omnem dono cessuram. Hæc tantis uociferationibus promulgata, ut etiam à Christianis intra munitiones exaudirentur. Vnde tanta animorum consternatio insequuta est, ut publico decreto, mulieres, omnisq; imbellis turba senū & paruulorum, cum supellectile in Cyprum traijci iuberetur, quam cū Cyprio rege, Andreolus Pellatus, præfectus classis Syriacæ, duabus biremibus & aliquot nauigijs impositam, in insulam traiecit. Hierosolymitanus autē Patriarcha, dum dromone ad id seruato, cum aliquot millibus regem sequitur, primo prospera usus nauigatione, tandem sub ipsam Cyprum, exorta

sæua

sæua tempestate, undis & fluctibus obruitur. Quibus deinde nauigij facultas non defuit, hi migrabant omnes, adeò ut tantum duodecim armatorum millia, qui urbis defensioni sufficere uidebantur, remanerent. Araphus fugæ à Christianis commissæ certior factus, oppugnationem solito maiore impetu aggreditur, nostri uerò, qui in urbe remanserant, uiriliter resistētes, tandem fermè omnes uulnerati, fessi malis præsentibus, pertinacia & multitudine hostium, à murorum propugnaculis detruduntur. Hostis iam muros habebat, cum in forum conglobati nostri conuolant, asseribus, tabulis, scalisq;, & quæ sors ad manū offerebat munimenta, se uallant, honesta morte, finem atq; exitum illustrem expectaturi. Vbi ad arma uentum, ex desperatione fortissimè dimicarunt, per ipsa cadauera, à mortuis audaciam haurientes, immanius desæuiebant in obuios. Sarraceni captato ex re consilio, per mediam suorum aciem, uiam pugnantibus ad portum faciunt, rati quod etiam euenit, fugæ intentos, & conscendentes nullo ordine nauigia, facilè & sine periculo opprimi posse. In ædes igitur se recipiunt, donec dissolutis agminibus, nostros omnes naues petere cernunt, tunc ex omni parte immissis cohortibus, impeditos trucidant, alios in mare dant præcipites, donec ad unum omnes cæsi & suffocati aquis, qui obluctetur, conspiciunt neminem. Tunc conuersis signis, omnes urbis angulos scrutantur, nullo delectu habito, mortales omnes gladijs discerpūt. Direpta urbs, spolia atq; præda, iterato atq; nouo edicto, militi concessa. Sed hominum cædes uictoris iram haud satiare potuit, cum magno urbis excidendæ desiderio præceps ageretur, adeò ut parumper suppositus, ubiq; eo præsente atq; acclamante, ignis maximam prædæ ipsius partem, cum ædificijs absumpserit. Deinde mœnium, publicorum priuatorumq; ædificiorum, templorumq; fundamēta refossa, omnia ita solo æquata & euersa, ut ne indicium ullum aut monumentum urbis extaret, sed ruinarum cumulis liberatus locus, ad serendum arandumq; commodissimum se præberet. Sic amissa Ptolemaide, Cyprus & Armenia minor, quæ olim Cilicia dicebatur, Christianis tantum saluæ permanserunt. Incidit hæc clades in annum à nato Christo nonagesimum primum, supra duodecies centenum, ex quo uerò cum reliqua Syriæ parte, à Balduino rege Accon recepta est, anno supra centesimum, octuagesimo septimo. Finis sacri belli hic posset statui, nam & si eo nomine expeditiones aliquot postea susceptæ, tamen ferrum alijs bellis strictum est. Nos uero de Syriacis rebus, quæ apud autores inueniantur, quandoquidem describenda suscepimus, nonnulla de Cypro & Armenia, quas per occasionem sacri belli, nostri occupauerant, interseremus. Pergamus itaq;.

Tartari expulsis Sarracenis, totam occupant Syriam. Caput VIII.

POst amissam Ptolemaidem, cum iam nomen Christianum ex tota Syria sublatum esset, ac persequutione Araphi eiectū, ueritus pontifex Nicolaus, ne hostes reliquum Asiç occuparent, ad Rodolphū imperatorē legatos mittit, quem ex Mysnensi bello, Spirā ualetudinarium redijsse audierat, atq; ab eo petijt, ut & copias & seipsum imperatorē ad sacrū bellū pararet. Imperator benignè respondet legatis, sed morte præuētus nihil efficere potuit. Gerlaci Moguntini Episcopi astu postea electus Adolphus de Nassau,

 ciuilibus

ciuilibus bellis impeditus, animum huic rei adijcere nõ potuit. unde cum pa rum prospere Nicolaus omnia cedere uideret, nulla animi ægritudine affe. ctus in morbum incidit, quo unam atque alteram hebdomadam conflicta tus, apud sanctam Mariam maiorem Romæ moritur, cum prius supple. menta in Syriam mittentibus crucemq́ profitẽtibus armatis, omnium pec. catorum ueniam obtulisset, insuper, ne quis Christianorum aliquo titulo, arma, annonam, aut alias res Sarracenis transportaret, aut uenderet, interdi xisset. In Cypro uerò, rex Henricus ut tantam cladem aliqua re mitigaret, Phamaugustam urbẽ, ad instar & exemplum Ptolemaidis extruxit, ædifi. cijs exornauit, ut qui Acconem inhabitauerant, ipsam memoriam similitu. dine amissæ urbis lenirent, quum præter amplitudinem, priorem urbem ex tare ipsis uideretur. Laudatur D. Nicolai phanum in ea extructum magno impẽsarum artisq́ certamine. Sed his omnibus rebus Christianis nullum accedebat commodum, ac proculdubio Araphus maiora attentasset, nisi Tartari rebus desperatis auxilium attulissent. Nihil enim quod pacem spi. raret, apud Christianos tunc agebatur. Germani Adolphi atq; Alberti fa. ctionibus, mutuis cædibus concurrebant, Venetus & Ligur omnes ma. ris sinus cæde, sanguine fœdabant. Anglus Gallusq́, de Aquitania impe. rio contendentes, bello cruentissimo omnia Reipub. Christianæ consilia in terturbabãt. Siculis & Arragonensib. de regno grauis erat cõcertatio. Põti fex Bonifacius octauus impostura (nẽpe cũ Celestino 5 uiro simplici noctu per arundinem in aures insonuisset, tanquam esset uox cœlestis, quæ eũ Pa. patu abire iuberet, persuaserat) iam Romanam sedẽ occupatam ui retinere contendebat. Leges figens pretio, odioq́ refigens, Purpuratos & Colum. nensium familiam bellis proscriptionibusq́ uexabat, beneficijs, dignitati. bus, fundis paternis, capellis, oppidis priuatos, concitatisq́ in eos, quos ex. ciuerat sacri belli prætextu, cruce signatis permultis, opprimere eos conaba tur. Celestinum sagacissimis canibus diu quæsitum, ex latebris quibus se ab diderat, eductum in carcere enecabat. In Asia tantũ multo Christianis, Tar tari rerum nostrarum iactura, magis afficiebantur. Cũ igitur Argone Tar. tarorum imperatore mortuo, Quegathus Argonis frater, regnum adeptus inertia marcesceret, Principes gentis bellicosæ, ignauiam eius pertæsi, ipsum eliso gutture enecant, Bandonemq́ eius consanguineũ regem creant. Is Ma hometani delirij cultor haud longe pòst, à Cassano Argonis filio prælio ui ctus & fugatus, interficitur. Cassanus etiam repudiata, quam simulanter ad id tempus probauerat, Mahometi lege, ex professo noster efficitur, cultum Christi complexus. Persas adoritur, ijsq́ in potestatẽ redactis, Armenij re. gis filiã, quæ oẽs fœminas specie præcellere ea ætate dicebat, uxorẽ ducit, cu ius precib. Syriç opẽ parat, Sarracenis bellũ illaturus. Cõgregato igit, q̃ po tuit maximo exercitu, auxiliares Armeniorũ & Georgianorum copias sibi adiungit, traiecto Amano monte, in Syriam ad Hamam usque, cum du. centis millibus armatorum hominum peruenit. ubi Melcenasarem Aegy. pti præfectum magna Sarracenorum manu obuiam habuit, quem tandem ingenti prælio uictũ, tota expulit Syria, in fugam adactũ Cassani iussu, Flo. rentinę urbis ciuis quidam, ex familia Bastarorũ prognatus, qui ordines du

ctabat

ctabat, Molaisq; Dux Tartarorum usque ad deserta Aegypti persecuti sunt. Ferunt astutia magis quàm uiribus hoc in prælio Cassanum, quem alij Chaganum uocât, uictoriam obtinuisse. Nam primo impetu cum Sarraceni magnam uim telorum & sagittarum in Tartaros conijcerent, ipsum cum optimis atque electissimis equitibus, in terram desiluisse, pedestremq; pugnam pugnasse, donec Sarraceni euacuatis pharetris omnibus, quod in hostem conijcerent, nullum amplius telum haberent, tunc dato signo, suis in equos iterum ascẽdentibus, magnum impetum in hostem fecisse, sagittis instructus optimè, quæ omnes, ne ab hoste resumptæ in Tartaros iteratò remitti possent, ita confectæ erant, ut cuspis cera tantum iaculo affixa, scutis aut corporibus dum extrahitur, inhæreret. Sarracenorum pugnando fugiendoq; quadraginta millia occubuisse scribunt aliqui, ac pauló plus, eamq; pugnam in annum à Christo nato millesimo ducentesimo nonagesimooctauo incidisse. Tartarus uictor, Hama recepta, quam Gamalam nũc uocant, ærarium regium ibi reperit, quod direptum inter milites animo liberali partitur, nihil ipse ex tam diuite præda præter ensem unũ, arculamq; secretioribus literis refertam, sibi reseruauit. Pulso hoc modo Aegyptio, Syriæ urbes omnes recepit, atque ipsam Hierosolymam in potestatem redegit, quam multis in locis à Sarracenis deformatam, postquam restaurasset, cum ipso templo Dominico, Armenijs, Georgianis, cæterisq; ex Cypro & latebris conuolantibus Christianis habitandam concessit. Ipse magnis oblationibus, sacris locis inuisis & dotatis, Damascum uersus, cum exercitu proficiscitur. Territi Damasceni, regis aduentu per Legatos deditionem faciunt, quibus receptis, castra ad urbem locat, eo quidem animo, ut sub autumni tempore in Aegyptum duceret, reliquias belli prosequuturus. Hic sedenti trepidè nunciatur, in Perside graue bellum exortum esse, ac fines eius à Caido quodam infestari. Nouo igitur bello occursurus, parua copiarum parte sub ducibus duobus in Syria relicta, in Persiam reuertitur. Custodiam Damasci Capcapo, qui post fractas sui regis Sultani opes ad ipsum defecerat, Hierosolymarum uerò gubernationem Molai attribuit, Oratoresq; ad Occidentales principes mittere eos iubet, qui fœdus cum Christianis incant, ut communi animo consilioq; sacrum regnum recuperetur. Tyrus abeunte eo, eius iussu aliquantulum denuo restaurata, atque Christiano firmata præsidio. Omnia spei plena dimissa.

Discordia inter Pontificem Max. & regem Gallorum Syriacas res impedit.
Caput IX.

PEr id tempus cum à Tartaris Armenijsq; Legati ad pontificem Bonifacium uenirẽt, ambitioni pontificis magnam sollicitudinem incusserunt, qui amplum magnificumq; sibi existimabat, regnum Hierosolymitanum se pontifice recipi, quod superioribus pontificibus amissum fuisset. Statim igitur legatos in Galliam ad Philippũ Pulchrum mittit. Adiungit illis Apameensem, Episcopum urbis Narbonensis prouinciæ (eodẽ quo aliæ in Asia ciuitates, nomine) huic literas dat ad regem de bello sacro redintegrando, imperiosas satis, præcipitq;, ut uel minis regem ad expeditionem hortetur, & impellat. Apameensis cum regem adijsset, precibus primo agit cum

rege,deinde decimarum rerum ecclesiasticarum omnium, per triennium il li offert prouentum,modo sacra induant arma, postremo nisi pontifici rex suffragaretur,piorũ cœtu atque regno exclusum iri aperte minitabatur. Philippus Flandricum bellum causatus,ac Angli male pacatum animum,nihil omnino allegare potuit,quod Episcopo ad excusandam profectionem satis uideretur,sed à sacerdote male sano allatratus,& côuitijs impetitus,ei etiam perfidiam & ignauiam exprobrabat.Diu dolorem dissimulando texit rex, donec de stupro ac ui ingenuæ alicui adolescentulæ illata antistes accusaretur,tũc ad se euocatum,increpitumque in custodiam tradidit. Bonifacius ad regem mittit,qui pontificem dimitti iuberet,quod ubi negatum, nominatim Philippum execratur.Franciæ proceres fidelitatis iureiurãdo,quo Philippo deuincti erant,absoluit.Priuilegia Francorum regibus à prædecessoribus suis concessa,irrita atque cassata haberi mandat, eo quod in Episcopũ, in legatum manus iniecisset prophanas,atque ius gẽtium uiolasset,bona pro uentumque annuum sedium uacantium fisco suo inferre iussisset,iusque inuestiturarum sibi arrogaret.Igitur sacram prophanamque Galliæ regni iurisdictionem ad Romanam Ecclesiam deuolutam esse põtifex iactabat.Iussit deinde Bonifacius Episcopos Francorum ad certã diem in urbe Roma adesse,cum diuini pontificijque iuris interpretibus,ut de contumacia Philippi statuerẽt,at eos è Francia discedere prohibuit rex,simulque Parisijs habito pontificum conuentu,quorum suffragijs Bonifacij diplomata pro uanis combussit,Apameensem cum Archidiacono Narbonensi, Papæ nuncio solũ uertere atque procul abire iussit.Ferunt eo tempore Aegidium Romanum,è Columnensium familia,uirum doctissimum,Scholæ Parisiensium præfuisse,ordinis Guilhelmitarum,ut uocant,Generalem,eũdem etiam,post Augustinum,multitudine scriptorum uoluminum,atque stili elegantia Theologos omnes uicisse,qui cum Bonifacio aduersarius esset, Archiepiscopatu Biturigum placatus,in amicitiam cum Papa redijt.Philippum deinde Bonifacius regno priuat,Albertũ Austriæ ducẽ,Imperatorem atque Franciæ regem declarans.Sed paulo pòst captus à Sarra Columnẽsi,Papa,atque in carcere enecatus,successorem habuit Benedictum undecimum, qui Philippo regiam iterum restituit dignitatem. Ambitione igitur sua pontifex res Syriacas perdidit,quæ facilè recuperari potuissent,defuit tamen haud diu diuina ultio,quæ superbum hominem extinxit,atque omnium ludibrio exposuit. nam ex nominis ipsius uocabulo,nonnulli in ipsum ludere ausi sunt adhuc eo uiuente,Barbaris scilicet his uersiculis,

Audi,tace,lege,benedic,benefac,benedicte.
Aut hæc peruerte,maledic,malefac maledicte.

Quibus author,quænam nomen lustrale,studia professioque hominis postularent,admonitum uoluit,increpuitque quod his omnibus abuteretur. Debuerat enim Benedicti Bonifacijque nomen,studiumque bonarum literarum, quo à teneris imbutus fuerat,piã quãdã dictis factisque in summo põtifice autoritatẽ ostẽtare,cũ uersa uice,petulãtissimis insectationib. ciẽdisque tumultib. res Christianas ueteratorie luderet dilaceraretque. At quã meruit,de se reliquit hominib. memoriã, ut in mortuũ scõma in prouerbiũ abierit tale,

Intrauit

Intrauit ut uulpes, regnauit ut lupus, mortuus est ut canis. Exemplum sanè absolutissimum Christianis principibus tam religiosis quàm secularibus, ne tam superbè & cõtumeliose, sed sanctè & modestè, Christum regem imitantes, dominentur, ac amari quàm timeri magis cupiant.

Capcapus proditor Syria pellitur. Caput X.

DIscordia atq; ignominia occidentalium principum interea Sarracenis animos reddit, cristasq; erigit. nam Capcapus Damascenis à Cassano præfectus, cum Tartarorum uires in Syria exiguas, domi ciuilibus bellis occupatas, ex Europa nihil subsidij Christianis accedere sentit, à Tartaro deficit, totumq; Damascum, ac Syriæ superioris maiorem partem rebellem facit. quod cum Molais dux audijsset, ex Hierosolymis ducit, cum nouo hoste congressurus. Interim etiam totam Aegyptum cum Capcapo cõspirasse, per exploratores cognitum habet, quapropter impar tantis uiribus, in Mesopotamiam se recipit, Tartarorum supplementa, auxiliaq; Armeniorũ emercaturus. Sarracenus cum Tartaros Syria excessisse conspiceret, Hierosolymam iterum expugnat, imò desertam & uacuam recipit, prophanatis sacris Templi Domini locis, tamen Cœnobitarum precibus delinitus, apud Dominicum sepulchrum maiora pietatis quàm sæuitiei exempla reliquit. Expugnata deinde sunt ignobiliora quædam oppida, præsidia quoq; Hospitalariorum Templariorumq; euersa omnia, quiq; eius familiæ nobiles, cædi superstites in potestate hostis tenebantur, libertatem abiurata Syria obtinuerunt. Tamen integer annus hoc bello tyranno absumptus, in cuius fine Cassani iussu, bello iterum, Tartarorum copijs, Syria repetita duce Catalosa, qui Molai cum triginta millibus equitum subsidio adfuit. Ex Cypro, Armenia, Tyroq; ad id bellum accesserũt auxiliares copiæ. Capcapus qui iam ad Edissam usq; excursiones fecerat, ui Tartarorum in belloq; ferocia territus, in fines Damascenos cum suis se recipit, quem insequuti Molais & Catalosa in ipsa urbe obsessum oppugnant, qua expugnata, cumq; Capcapus fuga euaserat, fugientem per deserta, ad Nili fluenta usq; persequuntur. Capcapus enim Pelusium aufugerat, quem cum assequi nostri nequirent, inter eruptionem lacus Sirbonis & Pelusiacum ostium castra locauerunt. Vbi Sarracenorum fraude circumuenti, nocturna fluminis inundatione penè periclitati essent, qua tamen trepidatione non paucis amissis, cum urbem quã sine machinis aut classe ut expugnaret, firmiorẽ dũ cerneret, retroabiens ad Euphratem reuertitur. In Syria nonnulla instaurans, cætera ne hosti præsidio essent, diripiens atq; euertens, ad suos per fluuium dum redire conatur, magna clade, fracto ponte, quo flumen coniunxerat, affectus est. Hæc in annum eius seculi primum nonnulli retulerunt.

De Turcarum initijs, Imperatoribus & eorundem successu. Caput XI.

ITerum Syria emergere cœperat, cum ne caput extolleret, anno millesimo trecentesimo, Turcarum gens truculentissima, ignota Europeis, ostentare se atq; nostris negocium facessere occipit. Nam quicquid aquarum supra Cretam ad ortum iacet, circa Cyprum atq; Rhodum ita infestũ reddebant, ut nihil fermè tutũ tota orientis ora nauigantib. relinqueret. De huius gentis

gentis origine cum plures scripserint, superuacaneum forsitan uideretur, si hîc uerba profunderem, nisi Mahumetanę superstitioni adiurati, perenni in Christianos odio flagrantes, non modo Syriam, de qua nobis sermo, occupassent, sed ipsam Germaniam, Christiani orbis arcem, nostra memoria oppugnarent. Huius gentis originem uariè referunt autores, adeò ut contentione certitudinem etiam auferant. haud igitur ab re erit, paucula de his subijcere. A Iapeti filio Gomer propaginem hanc fluxisse putant aliqui, qui Riphaten genuerat atque Togormam, quorum posteri Asiam sorte obtinuerũt. Hi igitur ad Tanais fluuij originem primo consedere, Riphæisq́, omnium monumentis montium uocabulo, sed falso, celebratis nomen dederũt. E magnis enim uastisq́ paludibus, perenni scaturigine humorẽ affatim præbentibus, ortum habet cum alijs maximis fluuijs Tanais, ut multorum hominum nunc peregrinatione compertum est, Herodoto quoq; adstipulante. Profundas igitur syluas, usque ad Hyperboricum oceanum, ad aquilonem, uersus occidentem uerò ad mare Caspium usque incolebãt, uenatu uictitantes, sine duce, sine legibus uagi dispalatiq́ errabant, rapina & præda inter se grassabantur. Nulla illis urbs, nulla societas, nulla certa sedes, habitus cultusq́ nulla ratio. quod primum occurrebat, quod alij abominantur, deuorabant. Stupris incęstibusq́ gaudebant, unicum illis tantũ sagittandi equitãdiq́ studium, hoc à teneris, ad extremam usq; senectutem exercitium. Gens obscura, quæ nec Cyri nec Alexandri expeditionibus nobilitata, imò nullis scriptorum monumentis, hominibus innotuit, usq; ad Pomponiũ Melam, qui in Geographiæ suæ fine uix tribus uerbis, Turcas iuxta Tanaidem uastas illas syluas occupare, & uenando ali indicat. Aucta uerò prole, sub Octauiano, Romanum imperium tantùm uenerata est, non uerò sensit. Deinde cum diuiso imperio, tyrannorum uiolentia, prouinciæ omnes dilacerarentur, atq; in partes minutiores debilioresq́; redigerentur, parua manu, latronũ more, clandestinis excursionibus, uicinas gentes molestare, deinde in unum coire, multitudinem conflare, montium claustra, fluminum uada perreptare cœperunt, unde per occasiones, irruptiones in eos, qui fœliciori cœlo atq; solo uterentur, facere possent. His gradibus emersit paulatim gens effera, ut iam etiam ad Mæotidem paludem usq;, cum finitimis de rerum atq; agri possessione certare nõ uerecãtur. Mæotis quidem palus, in circuitu octo millia stadiorum habere à ueteribus traditur, in cuius alueum multi maximiq́ fluuij defluãt. Ostium habet Bosphorum Cimmerium, latitudinis stadiorum triginta, longitudinis autem sexaginta. Hæc quidem Tanaim excipit, iterumq́ in Pontum effundit, sed arenis, quas amnis assiduè deuehit ingenti quantitate, quum Mæotis profundissima à ueteribus exhibeatur, tamen aggestu deuectæ materiæ, tenuissima effecta, ac alueus terræ fermè æquata fuit, ut uadari commodè posset. Licet enim fluuius uim aquarum maximam inferat, aluei capacitate, tamen diffusus continebatur, adeò ut palus etiam à peritis nautis nauigari non posset, à Barbaris atq; periculorũ inexpertis transuadari facilè. Traiecta igit̃ palude, insulas Phanagorũ & Hermonassam, quæ à latere dextro, ponti Græcorũ studio cõstructę erãt, occupãt, deinde à lęua Chersonesum aggrediunt̃

hominibus

hominib. quietis,sedatis,magis uomeri quam armis natis habitatã. Arrisit primũ feris hominibus fructuũ dulcedo & prouentus,incessitque cupido deinde alienæ fœlicitatis. Euocatis igitur omnibus familijs ostij Mæotidis, utramque ripam incolere cœperunt,duce qui eos regeret electo. Qui ut disciplina militari suos instructiores redderet,antequam homines Europæ aut Asiæ in armis atque Romanorum bellis exercitatos aggrederetur, stipendia cum magna suorum manu apud exteros merere instituit, atque petentibus operam suam locare militarem. Artaxaci igitur regi Parthorum contra Romanos aduersus Alexandrum imperatorem strenuè militauerunt,sub Scytharum nomine,eo uerò deuicto,Misithei V.C.opera,fidem præstiterunt,quietem agentes,donec perfidia Philippi,cum Gordianis Misithæum extinctũ audiuerunt.tunc facta eruptione,limites imperij Romani uastare,prædas abducere,cædes undique facere,& uiri optimi mortem uindicare conabantur,at à Decio iterum repulsi,ad suos se receperunt. Mox reparatis uiribus,Romano imperio minabantur, ab Aemiliano uicti cedere coguntur, statim autẽ à Sapore rege in societatem belli acciti,ut Valerianus caperetur, atque Romanorum exercitus magnam cladem acciperet, in causa fuerunt. Adiuti classe à Parthis,etiam Cyprum & Cretam uastare nitebantur, quod quidẽ effecissent,nisi Claudij uirtute,imò fame & peste reiecti essent. Inter hæc moritur Turcarum Dux,duobus relictis filijs adolescentibus. hi inter se regno diuiso,duas factiones constituerunt; Hunnorum quam postea Keua dux Istrum trajiciens,in Hungariam deduxit, Turcarum quæ diutius ad Mæotidem desedit, quoad Iulianus Parthicũ nomen affectans, bellum Parthis parabat,tunc iterum a Sapore conducti,Parthis militarunt. Pari modo auxilio fuerunt huius filio Cosroi contra Iulianum,Zeliorbi ductu, & Scytharum nuncupatione. Iam uerò Heraclio imperante, etiam Persis auxilio aduolant Turcarum nomine,quam appellationem primo eo tempore audire contigit. Persarum autem uires cũ postea per Romanos Sarracenosque imminutas atque fractas uiderent,pertæsi alijs seruire,de regno constituendo & occupãdo animum inducunr. Alanos primum inuadunt,deinde etiã Colchos, sub Constantini quinti Græcorum imperatoris ditione non admodum tutos. Accidit interim,cum Mahometi sectatores Perside potirentur,atque diuiso imperio, Machmed quidam in Perside, Imbraël uerò in Aegypto regnaret. Sed dum Imbraël etiam Persidis imperium ambiret,atque extincto Machmede,utriusque regni sceptra gerere cuperet, Persiæ princeps cõtra Aegyptium Turcarum auxilia implorat.nec mora, Muraletio duce magno numero adsunt,fugato Imbraële, uictoria potiuntur. Iam ad Persię imperium adspirare incipiunt,coniuratione facta,præsidia ad Araxem fluuium,quę à Sarracenis cõtra Turcarũ uim cõstructa erant,aggrediuntur, sed Sarracenis uiriliter resistentibus, sæpius uicti,sæpius uictores ducem amittũt fortiter pugnãdo. Igitẽ missis qui Tangrolipicem huius fratrẽ uocarẽt,ut suis subsidio adesset,nec pulcherrimarũ rerũ initia,negligẽtia aut pusillanimitate,sine gloriæ fructu,atque æterni nominis immortalitate euanescere permitteret. Tangrolipix arrepto nuncio, quã ad Mæotidẽ habebat, manũ cõscribit,gẽtisque reliquias adhuc intra Caucasum agẽtes,spe ingẽtis

imperij

imperij & fœlicitatis excitat,ut perruptis claustris,eo duce Persidem inuaderent.Magna contentione per aliquot annos inter Sarracenos & Turcas sic de Perside certatum,cum Leo Basilij filius multis donis, contra Bulgaros,ut illi auxilia ministrarent,persuadet,quibus deuictis,communi bello, & consociatis uiribus,Sarracenos ad eam desperationem deduxere,ut demum hi Turcis cederent,illi fidem Mahometi reciperent.quod quidē maioris mali causa Turcis quàm Sarracenis fuit, cum pro haud stabili regno, quod Græcorum uiribus aliàs recuperassent,æterni regni instituta sociosq́ ultro amitterent.Nexus tantę persuasionis utramq́ gentem eo tempore ita conglutinauit,ut pro Turcis nunc Sarraceni,pro Sarracenis tunc Turcæ, appellatione indifferenti uocarētur.tantaq́ pertinacia superstitioni huic inhæserunt,quod sub Constantino sexto,cum in Romanas regiones excursiones facerent,proficerent uerò omnino nihil, Bulosydes Gylasq́,eorum duces Christo initiarentur & baptizarētur,multitudo uulgi nunquam adduci potuit,ut nomen Christo daret,sed cruces extremaq́ omnia, quàm religionis immutationem pateretur . Ac Chamoda duce,sub Romano Iuniore,Persiam prius quàm Mahometi sectam relinquere coacti sint.Quapropter in Thraciam delati,omnia populabantur,Nicephoro nihil contra audente,ac uix insidijs Duri,Ziniscis Imperatoris præfecti reprimi potuerunt.At cum imperium Græcum usq́ in Gynecęa degenerasset,Zoe, Theodora, Eudociaq́ imperio abuterētur,ipsam Grçciam hostilibus armis ingressi sunt,in Asia Lyaconiam,Bithyniam Galatiamq́ deuastantes , atque duce Belphetoch,à Tarso Ciliciæ usq́ ad Hellespontum fermè omnia in potestatem redigebant.Tandem & Syriam aggressi,eo ipso duce obtinuerūt, Romano Diogene multa necquicquam tentante, Parapinacæo & Botoniate nihil omnino proficientibus.Tandem tot subactis populis, in patriā redire cum Belphetoch constituisset,Solimanno Niceam, Durat Damascum,Assanguro Epiphaniam,Anexiano Antiochiam,nepotibus suis custodiendas tradit,ut hinc Græcorum,illinc Aegyptiorum imperium uexarent,ipse in Persiam regressus uitam finiuit,magno omnium planctu & luctu. Interim Solimannus à Christianis magna clade affectus , Anexianus imperio & uita exutus,reliqui duo laborare cœperunt.In Persia deinde etiā inter gentem uariatum,exortis dissensionibus & factionibus domesticis, adeò ut cum Imperij inclinatione nomen Turcarum fermè extinctum sit, donec Duzalpes ex Ogaziorum tribu ,apud Mœotidem consistens,propter æquitatem iustitiamq́,totius gentis suffragijs,atq́ eorum qui in Persi de erant,cōsensu Iudex & Dux constitueretr.Quo mortuo,filius eius Oguzalpes Tribulum suorum auxilio,tyrannidem arripit,arma Græcis infert, suumq́ nomen in Asia breui illustre facit.Erat huic filius Orthogules nomine,manu promptissimus,animi & spiritus ingentis,hic classe parata,insulas Aegei maris infestis armis occupat, Asiæ Europæq́ regiones prædatur , Peloponesum , Eubœam et Atticam ferro atq́ flamma depopulatur. Deinde confluentibus ad ipsum gentis eius bellicosissimis fortissimisq́ uiris,Mysiam Phrygiæ,quam Bogdan nunc nominant, occupat, Scythisq́ omnibus euocatis,cum rerum affluentia regionem pollere uidebat, sedes

figere

figere cepit, Soguta urbe, fluuio eiusdem nominis adiacente, Metropoli constituta. Ne igitur res domi, forisque lente administrarentur, Orthogulem, exercitus imperatorem dicunt, qui bellorum appetens, fretusque discordia Christianorum, omnes circa Pontum regiones decem annorum spacio subegit. Aladinus autem domi Rempub. legibus disciplinisque regia autoritate instituebat. Ex Orthogule prognatus erat Othomannus, paternæ uirtutis æmulus, qui in magnam spem à parente educabatur, comes sociusque in omni bello patri assidens. Cæterum Aladinus omnino liberis carebat. Vnde euenit, ut eo mortuo inter optimates, magna de regno suscitaretur contentio. Aliquot enim erant familiæ apud gentem, quæ opibus, clientelis & ingenio multum ualebant. Suus cuique in ea dux peculiaris, qui nec parêre uelle, nec alterũ opprimere posse uideretur. Vnus Orthogules, qui cum ingenti exercitu domum redierat, tanquam per uim tyrannidem occupaturus esset, suspectus habebatur, abominabatur à nonnullis, à multis uotis omnibus expetebatur. Centuriatis tandem comitijs, fœdera inter se ineunt, ut consociatis uiribus principes, quascunque regiones tenerent aut occuparent, ex æquo diuiderent. Erant duces numero septem, qui quod armis occupatum tunc erat imperium, sorte diuidebant. Orthoguli quidem sine sorte, regia sedes Mysia, cum his regionibus, quæ Olympum respiciũt reseruata, quàm filij sui nomine, Orthmantyam nuncupari uoluit. Cilicia Carramanno, Sarchano Ionia, Amurę Armenia minor, Calemo Bithynia, Conio Caria, Cappadocia, & quæ ad Euxinum uergunt, Assembeccho cessit. Referuntur hęc in annum à nato Christo 1280. quo Ottomannus cum ingenti manu cõflata, non solum Christianos prosternere elaborauit, sed homines quoque suæ gentis, sine ullo discrimine armis petere. Ampliatoque suo regno, Apameam Myrleæ, Prusiam à Nicomede uocitatam, Bithyniæ urbem, regni caput cõstituit, Orchanne filio postquam octauum & uicesimum annum renouauerat, relicto, qui Niceam expugnauit, atque affinitate cum Cantacuzeno Græco coniuncta, quosdam suæ gentis satrapas, imperata facere coëgit, anno imperij sui uicesimo secundo, uiuendi finem faciens, dum Carramannum socerum magna principatus parte exuerat. Sulaimanes huius filius regnum assequutus, primus Turcarum Europæ bellũ intulit, Chersoneso Thracica occupata, Tryballos, Macedones ac Illyricum inuadens. Hadrianopoli urbe expugnata, regiam illic ędificauit, morbo correptus, moritur in Chersoneso Isthmi sepultus. Tunc Amurathes frater huius, militum fauore (cum Sulaiman optimatum suffragijs ad imperium peruenerat) rex dictus. Is statim Pherras cepit, ad Axium fluuium omnia subegit. Græcorum imperatorem tributarium fecit. Sauzem filium, in Asia contra patrem coniurantem, oculis priuauit. Albanis edomitis, à seruo, cui Milois nomen erat, pugione traijcitur, duobus filijs superstitibus, Paiazite & Iagupa, qui apud Prusiam parenti iusta fecerunt. Tradunt nonnulli hunc 23. alij 77. annos rebus præfuisse, triginta quoque & septem bella confecisse. Paiazites, imperator à Prætorianis dictus, Iagupam statim pręfocatum sustulit. Tryballis in acie uictis cum Macedonum principibus pacem init, in Scopiorũ urbem Coloniam ducit. Albanos pręlio uexat, Philadelphiam cepit. Armeniam maiorẽ Scen-

ensibus, & alijs qui insulas Aegæi maris, Peloponesi & Achaiæ loca occupauerant. Zizimus huic filius successit Mahometi Bassæ auxilio. sed is à fratre Baiazetho uictus ac fugatus, apud Rhodios magno in honore habitus, Francis ludibrio fuit, à pontifice max. Alexandro ueneno demum necatus. Baiazetes rerum summam obtinuit, Aegypto bellum inferês, maximo dedecore affectus est. Illyrium Venetos cladibus magnis oppressit. Corinthiacum sinum expugnauit, ac in Foro Iulio prædam abegit. Methonem cepit, cum Persis uario marte pugnauit, à filijs Selino atque Aromathe bellis exagitatus, demum etiam uiuens imperio exutus, Selimo cessit, per quem etiã ueneno extinctus est, postquam triginta & unum regnasset annum. Parricidio comparatum regnum, fratricidio auspicatus Selimus, Aromathen, Corcuthen fratres occidit, nepotes Aladunum & Amurathen, consanguineosque oẽs deinde sustulit. Sophin quatuor regnorũ principẽ, Tauri, Sunachi, Sciræ, & Bagadat, quæ olim Armenia, Persis, Media, & Assyria dicta sunt, bello aggreditur. Pugna uictum, in interiora regni discedere coëgit. Cappadociæ principem Siramum uictum interemit. Aegyptum cum Mamaluchis edomuit. Syria obtenta, ut in sequentibus dicemus. Tãtis uictorijs clarus, octo annis imperans obijt, Sulaimanno filio unico superstite. qui cum imperium suscepisset, tyrannos rebelles in Syria atque Aegypto confecit. Seruiam occupauit, Belgradum expugnauit, Rhodum insulam cepit. Hungariam, tribus expulsis regibus, totam obtinuit. Germaniam multis in locis diripuit. At nescio quid adhuc Reipublicæ Christianæ mali minari uideatur, nostris ciuilibus bellis tantum occupatis. Hæc de origine atque gentis successu referre non ab re mihi uisum est, cum de ea non uno loco nobis sit dicendum postea. Sequutus sum etiam haud ignobiles autores, qui in ueritate indaganda haud parum operis consumpserunt, quorum præcipuus mihi obtigit autor Laonicus Atheniensis, qui decem libris ab Ottomannidũ origine, res Turcicas complexus est diligentissimè, nec dubito eundem ipsum esse, quem Sabellicus atque alij Nicolaum Chalcocondylem uocant. Vsum eius mihi exhibuit uir in literas bonas beneficẽtissimus Ioannes Oporinus, quem etiam proculdubio, proximè in lucem daturus est & Græcè & Latinè, ac nisi quorundam arrogantia aut negligentia intercidit, ex tralatione nostra Germani suum habebunt exemplar, quum ante quadriẽnium, in maternam linguam id opus transtulerim.

De Hospitalariorum ex Syria discessu, & Rhodo ab eis capta. Cap. XII.

Rebus adhuc in Syria integris, duos uirorum militarium Hierosolymis ordines fuisse, ex Tyrensis nostri scriptis apparet, Hospitalarios, Templariosque. Familiam Hospitalariorum, ex Ioannis Eleemosynarij memoria, nomen habuisse ipse Guilhelmus testatur, cum qui iam eius tribus uiri ingenui & fortissimi cæteri uolunt, Baptistæ Ioannis uocabulum honoris causa sibi indunt. Certè non desunt, qui à Ioanne Hircano Maccabeorum rege primo, Xenodocheum pauperum Hierosolymis institutum, ad Godefridi usque tempora durasse dicant, unde eius loci præfectis sic Hospitalariorum, sic Ioannitarum nomen datum sit. At siue Ioannitarum, siue Hospitalariorũ nomine censeantur, diximus eos à Capcopo Damasceno Syria expulsos,

exutosq́ rebus fundisq́ omnibus. Coaluerat autem eorundem cœtus, atq; principum toto orbe liberalitate ad tantas opes peruaserat, ut protinus instructa classe, omnes sinus maris, omnia littora Sarracenica, profligatis Turcis, qui piraticam exercebant, adeò infesta redderent per integrum quadriennium, ut pontificio diplomate, Papæq́ edicto, remissio peccatorũ integra, ac solida animorum expiatio indulgeretur, his qui expeditioni Hierosolymitanæ, uel pecunias, uel arma, annonam, aut supplementa corrogarent. Per Germaniam totam mittebantur, qui esum ouorum, Veneris antea diebus insolitũ, liberum facerẽt his, qui nummos aliquot in expeditionem elargirentur. Fuerunt quoque tunc permulti, qui ipsi militiæ nomen darent, Italiamq́ instructis peterẽt ordinibus. Hoc belli sacri nomine ingẽs auri põderis uis, non sine Pontificis Clementis quinti infamia, collecta, Hospitalarijsq́ tradita, magnus quoque hominum numerus confluxit. In Apulia deinde lustratis qui ex Germania uenerant, ingenui tantum, in ordinem Hospitalariorũ adscripti, quod armis, commeatu instructissimi adessent, reliqui domum redire iussi. Nam pontifex nauigia ad traijciendam in Syriam tantam multitudinem deesse causabatur, cum uideret eam instituto suo magis oneri esse, q̃ usui. Quinque igitur & uiginti triremes pecunia ea atq; militibus instruxit, Genuenses decem publica impensa ornarunt. Carolus secũdus Siculus rex petentibus, ære, armis, nauigijsq́ adfuit, quibus omnibus instructi, Rhodũ insulam, quam Turcæ Sarracenis eripuerant, duce Guilhelmo Villareto, post multas cruentissimas oppugnationes, æquis conditionibus, cum alijs quinq; adiacentibus insulis, Nicaria, Episcopia, Iolli, Limonia atque Sirana, in potestatem redigere, imperataq́ facere coegerunt, 18. Cal. Septemb. anno millesimo trecentesimo octauo. Sita est insula hæc celebratissima in Carpathij maris sinu, primo à Telchinijs gente Titanica, magiæ atq; fabricæ ærariæ dedita, habitata, sub bello Troiano, à tyrannis gubernata, postea certis peculiaribusq́ legibus libera, doctrina, simulachris, ingenijs, statuaq́ Solis, quam Colossum nominant, clarebat. Opibus aucta, maritimarum rerũ potentia, piraticã & latrocinia in mari Asiatico sustulit, Græcis æquè & Romanis amica. Ciuilibus autem bellis, sub Romanis multa mala perpessa est, deinde sub Græcorum imperio calamitatibus suis non caruit. A Sarracenis postea anno à nato Christo tricesimo secundo, supra sexcẽtesimum, Mahuię ductu occupata, deprædata, non multo pòst in manus Christianorum recidit, nunc Græcis, nunc Venetis subdita. Demum iterum à Sarracenis nobis erepta, à Turcis Otthomanno duce hac ętate occupatur, qui nihil omnino à Christianis, quos ex Asia profligatos audierant, timebant. igitur Hospitalarij securos aggressi, lõgo bello edomitos eiecerunt. Abdicato deinde nomine Hospitalariorum milites Rhodij dici uoluerunt. Insulam ducentorum quatuordecimq́ annorum spacio ita munitam reddiderunt, opere & impensa effusissima, ut quicquid in mari Christianis restabat, integrum conseruarint, cæterosq́ peregrinos, qui Hierosolymam proficiscebantur, tutarentur, magnis & perpetuis bellis à Sarracenis oppugnati, & à Turcis infensis petiti animis. Siquidem Turcarũ imperator Otthomannus alterò ab insulã capta anno, uicesimo secundo scilicet supra trecentesimum atque

millesimũ Orchanem filium, cum classe octuaginta triremium, & nauigiorum aliorum instructissima, misit, ut gentem peregrinam insula exturbaret, colonosq́ Turcicæ sectæ in eam collocaret. At Rhodij profligata hostium classe, & captis triremibus nauibusq́ multis, Episcopiam ubi imbellem turbam, ad incolendam Rhodum, si uictoria potirentur, Turcæ exposuerant, & belli euentum iusserant expectare, inuadunt, interemptis sine discrimine omnibus, Rhodum uictores redeuntes. Genuensium nauium operã strenuam hoc bello & utilem fuisse testantur nonnulli, Germanorum deinde equitum uirtutem, inter quos summam uirtutis laudem meruit Conradus Vuernherus de Hadtstatt, qui in Germania apud Buckheimium res militum Rhodiorum ministrabat. Longo postea tempore, foris bello, domi pace claruerunt, donec Abusacus Aegyptius magnis exercitibus mari terraq́, toto quinquennio eos uexaret, ingenti suorum damno, cæde & dedecore. Nec maiori gloria, aut minori classe, uiribusq́ tenuioribus Mahumetus secundus eos oppugnauit in tertium usque mensem, clade innumera suorum repulsus. Tandem à Solymanno secundo propugnatrix insula, deserta ab omnibus principibus, lugenda deditione, occupatur iterum, anno à nato Christo millesimo quingentesimo uigesimosecundo, octauo Calend. Ianuarij, qua una re, mirum, quantum nostræ uires accisæ, Turcarum audaciæ sint, summo Christianorum omniũ uituperio. Manet adhuc equestris eius ordinis dignitas & nomen, Melitamq́ insulam in Mediterraneo mari, inter Siciliam & Numidiã sitam tenent. Fuerunt qui huius ordinis domorũ esse numero nongenta millia, scriptum reliquerunt. Opes & institutum neminẽ latent. Igitur de his hoc loco satis.

De Templariorum excidio, ac nonnullis de Athenis lectu dignis. *Caput XIII.*

TEmplarij, qui sub anno millesimo centesimo decimo, Hugone Pagano & Gaufredo de S. Aldemaro autorib. primo professi sunt, peregrinos sepulchrũ dominicũ adeũtes, cõtra grassatores armis se tutaturos, & pro religione certare, album amictũ acceperunt, cum assuta cruce rubea. Creuerãt eorum res collationibus piorum, ut in Syria & alijs Christianorum regionibus, potentia sua principes æquarent, impeterent sæpius, suspecti omnibus fierent. Sed etiam à Capcopo adiurati, ut Syria cederent, quæ solo cõtinerentur relictis, mouentes res, id est, thesaurum ingentem secum auferunt. In Siciliam autem cum peruenissent, discordia Caroli secundi & Frederici Arragonensis freti, classem haud contemnẽdam instruxerunt, inq́ omnem occasionem & euentum parati, cum pacem inter reges factam cernerent, ductu Rogerij (qui magistratũ apud eos inierat, homo strenuus ac sanguinarius) Thraciam inuadunt, deinde expugnata urbe Thessalonica, totum Hellespontum atque Peloponesum deprædati sunt, in Atticam impetum facientes, quam ferro, igne deuastatam, unà cum urbe Athenarum occupauerunt, Roberto Brenna, qui rebus ibidem præerat, obtruncato. Erat in ea expeditione & Florentinorum familia Acciaiolorum illustri Rhainerius, qui Rogerio Templario multum familiaris & charus, ob egregias res gestas. huic

cum omnia inter piratas partirentur & distribuerentur, rogatione Ducis & assensu omnium, Athenarum imperium delatum est. Is statim communito Piræo, atque in arcis formam extructo, ciuitatem instaurauit, Græculi cuiusdam, qui Corintho præerat, filiam in uxorem ducens, mortuo socero, hæreditatis iure etiam in bonis eius successit. Defuncto autem Rhainerio, melioris stirpis legitima nulla erat soboles, solus nothus Antonius, huic cessit Bœotia cum Thebarum urbe, Corinthus sororio suo Theodoro. Athenas autem Aponabares quidam inuaserat, quam urbem cum diutius retinere nō posset, Venetis uendidit. Venetos postea apud Thebas in insidias præcipitatos, magna clade affecit Antonius, per proditionem & urbem & præsidium Athenarum recepit. Turcarum fretus amicitia, Bœotiæ & Atticæ dictus princeps. Deinde Aleoti Æginetæ consilijs utens, urbem exornauit, imperium stabiliuit, quod in multam usque senectutem rexit. Apoplexia ictus, successorem habuit Nerium Acciaiolum patruelem, quem diu antea cum eius fratre Antonio, quandoquidem omnino liberis carebat, ex Florentia accersiuerat. Is Nerius Chalcocondylem, quem Antonij uidua amabat, atq; in principatum Athenarum euehere conabatur, fauore ciuiū, cum uxore expulit, à fratre deinde Antonio pulsus, cum in Bœotiam se recepisset, Turcarum auxilio, mortuo fratre iterum Athenis præficitur. Vir autem imbellis, minis adactus, Bœotiæ principatum Turcis dimisit, ut Chalcocondylem (qui triginta millia aureorum pollicitus fuerat, si Athenis præficeretur) in carcere detinerent. Sic precario cum diu regnasset, tandem mortuus, Franco Acciaiolo patrueli puerulum superstitem commendauit. Is tutorem pueri agens, aulam Turcarum regis sequebatur. Viduam puellam Nerij in magnam spem regni educabat, cum forte accidit, ut ex patritia Venetorum familia adolescens quidam, Nauplij (quam Neapolim Romaniæ hodie dicunt) præfecti filius mercium gratia, Athenas applicaret, cuius amore succensa Nerij uidua, amorem suum, principatumq; Athenarum ei obtulit, si repudiata Venetijs quam duxerat (etiam Patritia) uxore, sibi matrimonio iungeretur. Blanditijs & pollicitis allectus iuuenis, Venetias reuersus, uxorem necauit, Athenas redijt, uiduam, urbisq; potestatem recipiens, atque ut ciuium fauorem mereretur, non se dominum urbis, sed tutorem pueri appellabat, quem non multo pòst, in aulam Turcarum deduxit, ratus fore, ut largitionibus corruptis principibus, puer extingueretē, ac ipse sine riuali, summam rerum acquirere posset. At cognitis sceleribus, Turcarum tyrannus Franconi Acciaiolo, Ab Atheniensibus delatum imperium commisit. Venetus fuga elapsus, uxorem in potestate Franconis reliquit, quam apud Megaram in carcere extinxit. Hac cæde & ciuium & Turcarum omnium odium in se concitauit Franco. quapropter à Turcis agris omnibus exutus, urbe spoliatus, in præsidio longo tempore oppugnatus, hosti strenuè restitit, tandem cum nec Christianorum auxilia, nec hostem placatum habere posset, his conditionibus Turcis arcem dedidit, ut Thebas cum reliqua Bœotia ipse reciperet in potestatem. Sed ad Templarios redeundum. Hi cum Athenas occupassent, Macedoniam petierunt, qua etiam

peruagata

peruagata & deuastata, abacta ingenti præda, domum rediere, ac in prouincijs Occidētalibus, in cœtus se partiti sunt. Haud diu uerò felicitas illa ipsis fuit integra. Pontifex enim Clemens quintus, qui astutia Pratensis Cardinalis ad pontificium uocatus erat, pollicitisq; se Philippo regi Francorum obstrinxerat, si ad pontificatum ope eius subueheretur, nihil omnino negabat, quod auari regis animum explere uidebatur. Francus autem, per æqua iniquaq; diuitias congerere atque accumulare tentabat, eos quidem reos cupiebat, quibus plurimum res suppeditabant. Accidit igitur, quod rex apud Lutetiam Parisiorum, in ædibus quæ curationis Templariorum erat, oborta uulgi seditione obsideretur, eo quod monetam illegitimi ponderis excudebat. Quo in tumultu cum omnia quæ regi adferebantur, aut cœno inficerent, aut raperent, Templariorum Prior, qui Tolosanis ędibus præerat, cū Noffa quodam Florentino eiusdem ordinis, sed contaminatæ uitæ uiro, nescio quid, uel dicto uel facto, imprudentius in regem moliri uisi sunt, quod postea furore populi mitigato, malè illis cessit, equidem uinculis mancipati, atque in carceres coniecti sunt ambo. Deinde cum inaudijssent, seditionis autores ad triginta correptos, uitam laqueo finijsse, ut uitam redimerent, se habere, si salute data abire permitterentur, quod regi & utile & quæstuosum deferrent, indicabant. Impunitate promissa, Templarios omnes dicunt, cum Sarracenis inito fœdere, abiurataq; quoque Christiana religione, Mahumetum colere, struereq; principibus omnibus extremam perniciem. Simulachro cuidam, cui pellis humana superinducta esset, illos sacrificare, inesse autem eidem statuæ, oculorum loco, carbunculos duos ardentissimos, eamq; pinguedine, recens ex coitu Templariorum natarum & exustarum puellarum, quotidie inungi. Ad hanc unusquisq; ordinem ipsorum professurus, Christum abnegare, crucisq; signum conculcare pedibus adigatur. Morientium cadauera apud eos in cinerem resolui, eamq; in potum inter eos absumi, constantiæ & silentij experimentum inde capientes. Mascula indifferentiq; Venere eos uti. Multa in Syria contra omnes Christianos eos conatos esse. Diuum Ludouicum apud Damiatam eorum dolo, in uincula Soldani uenisse. Hæc cum ad regem deferrentur, ansam arripuit inuadendi tantas Templariorum opes, pontificisq; habito assensu, Iacobū Molay Burgundū, illustri loco natū, ordinis primatē cū omnib. alijs Tēplarijs uno tēpore per totam Galliā, ingenti numero, in uincula cōijcit. Deinde per multos & sæuos cruciatus lacerati, postremò igni cōbusti sunt. Cū uerò ab initio illis impunitas proposita esset, si religionē tanq; sceleratā dānarēt & repudiarēt abiuratā, nemo ex tāto numero repertus est, qui nō prius medullā ossibus ui incendij exstillantē cernere, q̄ nō sanctissimā illā atq; illabefactatā agnoscere institutionem uellet. Iacobus princeps ordinis, Delphinas Dux, Hugo de Paraldis uiri nobiles, ad pontificem missi, ubi quæstione de eis habita, ui tormentorū, multa nepharia flagitia atq; obscœna cōfessos fuisse dicebant. Dānati aūt, cū Iacobus ad suppliciū duceret, atq; iam rogus extrueret, in medio circunstantis turbæ, silētio petito, dixisse eum ferūt: Iustè tantā pœnam ipsum pati, qui in pontificis gratiam, Templariorū institutum

sanctum, atque ab omni labe alienum, dulcedine uitæ promissæ, & cruciatus intollerabilis ui, ementitis calumnijs insimulasset. Exin rogo impositus, cum admoto paulatim igne, ad exprimendam scelerum confessionem, primoribus pedibus adduceretur, iamq; fœdo nitore dapasti, uitalia torrerentur, tamen nunquam à constantia sua desciuit, sed innocentiam, quoad potuit, ordinis astruens, tanquam cruciatum non sentiret, expirauit, tantæq; integritatis opinionem nonnullis reliquit, ut ossa atque cineres eius colligerent, martyremq; eum faterentur, ac omnes Templarios pari cruciatu extinctos, postea colerent, tanquam sanctitate cōspicuos. In Germania apud Moguntium, cum Petrus Antistes, qui periculoso morbo Clementē pōtificem exemerat, atque ob id Archiepiscopatu Moguntino donatus, ex Pictauia redierat, conuocatis patribus atque sacerdotibus prouinciæ suæ, lege agere, et sententiam Papæ contra sontes Templarios exequi uellet, in frequentem illorum consessum Hugo Vuildgraue, qui in Grunbach apud Mysenheim agebat, cum uiginti ordinis sui militibus, tecto uestibus ferro, peruenit, ac cum eum arcere nemo auderet, ingressus, clara intrepidaq; uoce testatus est, quod grauius in ordinem quàm pro merito animaduerteretur, eo se cum suis ad pontificem maximum, qui Clementi succederet, prouocare. Conterriti cum Episcopo patres inermes & imbelles, ferocia Templariorum, iusserunt eos bono esse animo, excepta scriptis prouocatione, & ad pontificem missa, cum mitius respondere contigit. Ius enim de integro quærendi statuendiq; Archiepiscopo dedit, cumq; insontes se esse docerent Templarij, crimine absolui homines, sed tamen ordo omnino abrogatus. Magnam Clementi & Philippo incussit notam hoc Templariorum excidium. Nam in fiscum pontificis & regis, thesauri Templariorū redacti, auaritiæ quàm æquitatis eos studiosiores fuisse iudicauit.

De Teutonicorum ordine, qui in Syria originem habuit, Prussiam Liuoniamq; subegit.
Caput XIIII.

FRederico primo imperatore in Armenia extincto, ut diximus libro continuatæ huius historiæ secundo, capite sexto, cum Fredericus filius exercitum Antiochiam deduxerat, dein aërem mutaturus, cœliaco morbo oppressum exercitū, ad triginta ab urbe milia passuū transtulisset, Bremenses, Lubicensesq;, affectorū, qui sine cura aut respectu iacebāt, miserti, uela nauibus quibus aduenerant, detrahunt, tentoria ex his conficiunt, ægros hinc inde & ualetudinarios his inferunt, uictum, potum, & quæcunque possunt opera pietatis, deficientibus exhibent, uulneribus medicinam, morbo curam impartientes. Fredericus exercitus ductor, collaudatis uiris, Conradum Herbipolensem Episcopum, & Adolphum Holsatium, præfectos egentium iubet, ut in oppidis urbibusq;, tum pijs uiris, domicilia constituant, quibus exercendæ pietatis illis amplior esset facultas, ac ne sumptibus exhausti, institutum intermittere cogerentur, ex ærario suo certum menstruum illis stipendium constituit. Hac liberalitate non malè usi, etiam opibus & pietate inclaruerunt adeò, ut Fredericus per nuncios, Henricum fratrem germanum, ad Rom. imperium iam euectum, oraret, ut au-

toritate ipsius intercederet apud pontificem, quod familiæ sacratę aliquo nomine uiri tam boni censerentur. Celestinus ad preces imperatoris, factū probat, idq́ cum insigni aliquo iudicio celebrari uellet, comperit, iam olim Teutonicum quendam uirum, post recuperatam à Christianis Hierosolymam, linguæ Syriacæ ignaris, aduentantibus peregrinis, ex priuatis suis ac proprijs, quas in urbe habuerat, ædibus, Xenodochum constituisse, cum uxore & liberis pauperibus largè ac deuotè hospitalitatis omnis generis muneribus inseruijsse. Deinde etiam ædiculam siue oratorium Patriarchæ assensu, sub D. Mariæ uirginis titulo construxisse, qua pietate multos Germanos haud ignobili loco natos, postea pellexisset, ut uoluntariā quandā militiam profiterent, bona in alimentū indigorū, corpus pro tutela piorum deuouerent. Aucti numero, pietate, fauore & liberalitate bonorum, etiam opibus excellere cœperunt, ad certum uerò institutum uiuendi nondum animum adiecerant, sed militiæ templi aliquantulum accedebant, sic tamen, ut hospitalitatem non intermitterent, per selectiores atq́ eos qui spiritus ingentes ostendebant, foris bellum, domi prudentiores mãsuetioresq́ infirmorum tenuiorūq́ curã exercebant. Pontifex igitur initij, instituti, linguę similitudinē considerans, candidum illis amictum cū atra cruce, nomenq́ militum beatæ Mariæ uirginis, domus Teutonicorum dedit, barbam quoque non ademit, insuper & id concessit, ut nemo nisi Germanus sit, in eundem ordinem sublegi possit. Euaserunt hi confestim in magnam tum frequentiam tum potentiam regiæ non inferiorem. Cum uerò res Syriæ indies imminuerentur, ac Fredericus secundus, inducijs datis, regnum Hierosolymorum cum Sarracenis pacasset, Hermannum Balck, ordinis eius tum principem secum in Germaniã deduxit, quo tempore Daniæ rex Vualdemarus secūdus Prussiam imperata facere, & Christi religionē suscipere coëgisset, & domum redierat. Gens uerò superstitiosa ad pristinum errorem conuersa, eum sacris initiatos omnes perdebat & prosequebatur. Nec fratres ordinis Gladiferorum, qui tunc in Liuonia strenuè res Christianas administrabant, Lituanorum Prussiorumq́ impetus simul sustinere poterant. missis igitur nuncijs, orant Teutonicos sanctæ Mariæ, qui apud Fredericum morabantur, ut arma infidelibus inferant, bellum Christo gerant, se suaq́ omnia, sub ipsorum potestate fore, modo auxilia & supplementa conferant. Hermannus manu sociorum quam secum habebat, ascitisq́ multis alijs è Germanorum nobilitate uiris militaribus, in Pruteniam uenit, fortiterq́ pugnando, maiorem prouinciæ partem obtinuit, quanquam multa adhuc & fortissima præsidia in Barbarorum potestate detinerentur. Quum uerò Asiæ rebus nullo tunc usui esse possent, ab Honorio tertio atque ipso Frederico, tota prouincia perpetuo iure, & proprietatis titulo, mero mixtoq́ imperio illis traditur, his cōditionibus, ut quoties necessitas exigeret, in Asia Christianis subuenirent, his quas habebāt in ea copiis, induciarum uerò cum Sarracenis tēpore, amplificãdis rebus in Prussia operã darēt. At etiam à Capcopo Syria expulsi, cū iam Templarii ad internicionem, per Gallias, Hispanias & Angliam, pōtificis Clementis opera extincti essent, quemadmodum Rhodii milites, ex bonis extinctorum ditati sunt. Freti igitur opibus uiribusq́, fœlici auspicio

terram omnem tandem sibi parêre, populumque sacrum subire baptisma coë gerunt, atque nobilem ciuitatem ædificauerunt in loco quodam, quem ulteriores Prutenos insectando, ultra Vistulam, apud quercum quādam latam, primo ceperant, nomen urbis Burgum Mariæ. Præsidium deinde eo loci extructum, quod totius ordinis asylum & receptaculum diu est habitum. In Lituanos deinde mouent Ioanne Bohemorum rege socio, regionem depopulantur, cæsis permultis. Christo nomen dare multos coëgerunt, plus armis, quàm Ioannes uiginti tribus legationibus profecerunt. nam is missis legatis, ad principem Lituanorum Dauidam nomine, nihil omnino effecit, sed eo apud Ploscoruam necato, instinctu Teutonicorum, opera uerò Poloni hominis ignobilis, à genero Lituani Iakoldo Polonorū rege, qui ingentem coëgerat exercitum, socerum ulturus, magno bello uexati sunt. Rex cū nihil contra audentibus Teutonicis, totam ferro ac flamma prouinciam deuastasset, domum rediret, Teutonici abeuntem insequuti, Poloniam præda atque populatione molestarunt, Vuernhero duce, qui magister apud eos habebatur. Sed dum Polonus ab Vngaris, Lituanis atque Turcis auxilia cieret, in Pruteniam ducturus, pacem Teutonicus firmat, ea cōditione, ut præsidijs Dobrui atque Brandeborg restitutis, rex exercitum abduceret, quod cum Vuernherus inscijs fratribus stipulatus esse uideretur, ab ipsis trucidatur, recuperatis præsidijs. diu mutuis cladibus certatum, donec certis conditionibus inter Polonos & ipsos Teutonicos pax sanciret. Biennio post redintegratum bellum, infestis armis concursum, uictoria penes Polonos fuit, Teutonico conditiones datæ. Statim igitur ascito Ludouico Brandenburgensi, in Liuoniam ductæ copiæ, ubi magna prouinciæ pars nomen Christo dedit, atque cessit Teutonicis. Trophæum erectū, Baierburg nomine oppidum, ab Henrico Bauaro, qui auxiliares copias adduxerat, cognominatum. Otto deinde regia Danorum prosapia proles, in ordinem accitus, sub Ludero magistro in Lituanos, quos Boiohemi atque Vngari regis auxilijs inuaserat, egregiam laudē cōparauit gestis laudatissimis, confecissetque bellū, nisi magistri proditione fuisset reuocatus, dum nobilitate totius prouinciæ in oppidum aliquod incluserat, atque iamiam fame ferroque de deditione consultare coegisset. Magister enim ordinis ductus uel æmulatione Ottonis, uel hostium familiaritate, se obsideri ab infidelibus fingebat, atque iussit exercitū reducere, quod statim eos, qui antea in fidem Teutonicorum uenerant, nouas fecit res moliri, magno periculo ordinis, rebellium cæde maxima. Capto deinde & carceri incluso Ludero, Otto Prutenicæ rei præficit. is Lituaniam exercitu petit, apud Traken oppidum cæsis octo millibus Lituanorum, præda onustus redijt, qua uix reposita, iterum facta excursione, duo millia hominum captiuorum ex prouincia abduxit, quos sacra regenerationis aqua ablutos, ritu Christianorū imbui fecit, ut ad suos reuersi, religionis quā tātopere abhorrebāt, suaue iugū cōmēdare possent. Deinde uarijs bellis Kinstock rex Lituanorū edomitus, in potestatē Teutonicorū uenit, atque Mariēburgū deductus, tandē corruptis ære custodibus, elabitur, elapsum cū asse qui nō possent, in arce Kanuuempel, filiū regis ea expugnata capiunt, quē ut uinculis liberarent, Lituani Prussiam inuadūt, expugnato oppido Polcho,

ciues

ciues omnes trucidant,nullius aut sexus aut ætatis, aut conditionis habita ratione.Pari modo in Gadesuerd sæuitum,tandem abeuntes apud Rudou præda à Teutonicis exuti,magna clade affecti, fusi & fugati sunt,optimorum nostrorum cæde.Occubuerat Kinstock rex eo prælio,successit illi Allegertus, odio qui non minus in nostros ferebatur quàm prædecessor suus.is statim inito regno,Sithen nostrorū arcem occupat, Minsterberg nequicquam oppugnat,abacta præda domum redit.Sed dum nostros alienis auxilijs corrogatis,graues illi imminere uidet,astu quos bello nequit, deuincere tentat.Circūuenti insidijs,dū conditiones pacis simulatás offert, nostri Frederici Austrij accessu,clade erepti, ac congressi cum Barbaris, uictores euadunt.Octingentos deinde Florentij ducis Lotharingiæ auxilio,ex nobilitate Letuanorum capiūt,trucidant sedecim millia hominum ignobilis uulgi,prædam ingentē receperunt, occupata maiore parte prouinciæ. Rigensem, Auroniensem Episcopatum tunc complexi sunt.Ploscouiam urbem expulso tyranno Sirgallo,in fidem recipere noluerunt, cum Sirgallo subsidia dedissent.Anno uerò à Christo nato millesimo trecētesimo octagesimoquinto,cū iā armis Teutonicorū attrita Liuonia, ad suscipiendā fidē Christianā inclinaretur,cum Conrado magistro ordinis, Tagail & Stirgail fratres reges iam conuenerant,nisi matris fœminæ Russæ minis atq; dissuasionibus prohibiti fuissent. Vitoldus autem Kinstoci filius,necem patris ulturus,quē patrueles trucidauerant,arcem & Traken oppidum Teutonicis ultrò dedit,ac iunctis uiribus, Ville oppidum imperata facere coēgit.Sed haud diu pòst Tagail,Poloni regis filia in uxorem ducta,religionem Christi amplexus est,nomenq; accepit Boleslai, secumq; maximam Liuoniæ partem ad Christianismum perduxit.Cum Vitoldo deinde & Stirgaile nostris perpetuum prælium,dum hic sæpius captus,dimissus sæpius,fide,iusiurando nostris imponit,ille in gratiam fratris solum ficto nomine, Christianus haberi uult.Igitur sæpius ex Liuonia præda abacta,tam hominum quàm aliarū rerum ingens & copiosa,quod Tagail,qui ad Polonorum regnum peruenerat,ægrè ferens, Ville oppidum contra Teutonicos communiuit, præsidio militum imposito,quod ab excursionibus eos arceret.Interim Rigēsem Archiepiscopatum obtinent Teutonici,& Liuonijs Patriarcha datur.Ac mox classe etiam parata,Gothlandiam inuadūt,eo quod à piratis,qui se Vitalianos nominabant,sæpius lacessarentur.quo confecto bello,ac insula precio & armis obtenta, Vitoldus Christi nomē amplexatur,sumpta Alexandri nuncupatione,Teutonicis quæcunq; in Liuonia occupassent,perpetuo iure possidendum tradit,modo qui in Prouincia Christi nomen recusarent, consociatis armis edomarentur.Boleslaus iniuriam sibi factam hoc fœdere, & excludi se paterna ditione ratus, Vitoldum corrumpit. igitur unitis uiribus,in Prussiam mouent.Occurrunt Teutonici,pugna inita, cruentam uictoriam Polono relinquunt, quam is sequitur, totamq; prouinciam,excepta Metropoli Mariæburgo, in potestatem redigit. Illo uerò abeunte,uirtute heroica Teutonici breui omnia recuperarunt, imò ipsam Poloniam ausi impetere, ferro ac flamma sedulò uexabant. Sed cum Rex, ducentis millibus hominibus conscriptis, iterum in Prussiam irrumpit,

Teutonici

Teutonici per diuersa itinera, in Poloniam impetum faciunt, regem ipsum apud Culmam obsident, fame atque ui pacem petere cogunt, conditiones datæ & acceptæ utrique parti honestæ. Tumultuatum est deinde nonnihil cum Suitergail, qui Viteldo mortuo, fratruelis opes inuaserat. Polonus uerò Sigismūdo puero in Liuonia imperium astruere uelle uidebatur. haud fœliciter etiam pugnatum deinde cum ipso Sigismundo. nam qui præerat, occupatis in Liuonia rebus magister, tunc cū permultis fratribus occubuit. Tandem foris parta pace, intestino bello agitatur Prussia, cōiurant nobiles cum populo in Ordinis excidium, re detecta, iure diuino & humano, crimen maiestatis damnatur, sed armis tandem oppressa coniuratio, quæ æquitati cedere nolebat. Polonus enim rebellibus auxilia subminstrabat, fouebatque dissensionem modis omnibus. Redacti ad pecuniarum inopiam Teutonici, Mariæburgum, regiam ipsam æri alieno obstringunt. Summam fuisse ferunt quadringenta ac triginta aureorum millia, quod cum etiam soluerent fide bona, tamen præsidium non receperunt. Regni sedes ad Montem regium translata. Gdanenses oppugnati, qui ab imperio desciuerant, pax deinde & istis reddita. Russi interim Prussiam depopulātur, quam iniuriā Bernhardus de Porg egregiè ultus est, ipsamque Ploscouiensem urbem cepisset, nisi sacerdotis astu impetitus fuisset. Cum Moscouita deinde nouū exortum bellum, magnis utrinque cladibus finitum. Rigensium rebellio paulo pòst uario marte sopita, sub anno millesimoquingentesimo, sub Frederico Saxone, & Alberto Brandeburgensi Ordinis magistris. Quæ uerò abinde secuta sint, cum omnibus notiora extant, prudens omitto. Hæc obiter de initijs & successu huius ordinis scripsisse non temerè, satisque luculenter existimās, quādoquidem inter Syriacarum rerum reliquias, meritò militaris hic Ordo annumerari potest.

De nonnullis ordinibus, qui ex diuitijs Templariorum excisorum succreuerunt. Caput XV.

QVi Rhodij dicuntur atque Teutonici, ut diximus, milites, in Syria floruerūt, ciecti uerò à Sarracenis cum ipsis Templarijs, meliora usi fortuna, abrogato ordine Templariorum, bonis eorundem aucti & adiuti, imperia, quibus hodie utuntur, acquisiuerunt. At in Lusitania, quæ Portugallia nunc dicitur, cum Sarraceni omnia infestarent, Ioannes 23. Dionysio rege assentiēte, nouum militum Ordinem instituit, milites eos Iesu Christi appellans, quibus & bona Templariorum omnia concessa fuere, tantū ut essent qui uicinorum Sarracenorum irruptionibus resisterent. Crucē gestant rubram, in atro amictu. Regia ordinis, in maritimis Syluensis diœcesis oppido Tomario (alij Marmum dicunt) repositum est. Censor & moderator Abbas est Alcohasiani monasterij Cistericēsis ordinis (quem & ipsi profitentur) in Vlyxibonensi diœcesi. Habet is exautorandi conscribendique militis facultatem. Principi eorum annuus prouentus, centum aureorum millia. In Toletana autem regione, ab Alphonso 11. à loco & prouincia Calatraue, ubi cœnobium Templariorum fuerat, ordo militum Calatraue institutus est, eo quidem tempore, quo aduersus Sarracenos Almohazen, Mahometen & Hynzeph illi bellum erat, quorum etiam opera, sub Magistro Gundissalno Alcalam urbem obtinuit. Extāt illius seculi duo pietatis exempla

pla laudatissima, quæ omittere nequeo. Primum, Sanctij quarti temporib. patris huius Alphonsi enituit. Sanctius enim cum Alphonsum patrem, qui ad imperium euocatus fuerat, repulsam passum, regnum repetere audiret, portas ubiq; claudi iubet, nec genitorē ab ullo excipere. Murtia uerò urbs, contēpto imperio Sanctij, senem admisit. Vnde priuilegiū cōsequuta est, ut septē coronas insignib. suis imponeret. Ex ea urbe Alphōsus in filiū mouet. Granatę uerò rex Beneuffes Sarracenus, capitalis Alphōsi hostis, scelus Sāctij detestatus, legatos ad Alphōsum mittit, qui in supplementū belli, ei Sarracenatorum aureorum ducenta millia doni nomine numerēt, ipsumq; magnis uiribus, innumeroq; exercitu in subsidium illi aduentare, renuncient. Lætus aduentu regis Alphonsus, ingentis. actis gratijs, in castra eum humanissimè accipit. Tunc Sarracenus, Venerationem (inquit) quam iure naturali, parentibus debemus, cum omnino à filio tuo conculcatam uiderem, summoq; scelere eum te regno excludere, quem ut rex esset, procreauisses, non potui non irasci. uerebar enim, si facinus tam atrox impunitum abiret, ne posteris audaciæ, atq; erga parentes contumaciæ exemplum relinqueretur. Pietas ergo me iam tibi fecit amicum, haud tamen diuturniorem, quàm quoad expulso filio, regnum recuperaueris, tunc scito ueterem omnem me recepturum simultatem, atq; eo animo, quo prius bella tecū gesturum. Animi certè generosi confessio, quod cum à uera pietate tantum abhorreret, honesti tamen rationem negligere noluit. Sub Alphonso uerò res mira accidisse fertur, Scęuolæ Romani exempli æmula. Etenim Sarracenus quidam, cum in urbe Cibatar obsideretur, patriam liberaturus, clam oppido egressus, sica sub ueste abdita, in castra inimicorum tendit. Alphonsum regem rectà petens, uno ictu bellum totum cōfecturum se ratus, si caput regis detruncaret. Captus uerò, cum in castris incognitus oberraret, institutum fatetur. Alphonsus hominis uirtutem & constantiam admiratus, incolumem & donatum muneribus abirè permisit. Haud par uirtutis pręmium illi apud suos obtigit, sed disciplinæ militaris seueritatem expertus, à rege suo, quod eo inscio, egressus esset, necatur. Sed ad rem. Calatraue ordo nigro amictui adsutam crucē rubeam habet, redditusq; in annū ad 40. millia aureorum. Subest illis Montesiæ ordo, qui locus est in regno Valentiæ, uirtute, pietate & opibus excellens. Superest ordo Sepulchri Dominici, qui à Iacobo Alphæi fratre domini originem se habere gloriantur. Hi Patriarchæ Hierosolymitano suberant, atq; norma uiuendi illis data, quam Canonicam uocant, amplis prædijs dotati à Godefredo Bulione, alijsq; regibus, rubram & geminam crucem holosericam, togis adsuunt. E Syria pulsi, Ordinis caput constituère Perusium, sed tandem ab Innocentio octauo militię Rhodiorum agglutinati, sui iuris esse desierunt. Hierosolymis uerò, sepulchri Dominici custodia Soldani assensu & iussu, Franciscanæ familiæ tradita & commissa, cuius curationi flamines octo, pontificis uenia præsunt, ab anno millesimo trecentesimo tricesimosexto, huc usq;. Hæc de his Ordinibus præterijssem quidem scribere, nisi in Syria aut ortum habuissent, aut ex opibus, eorum qui Syria expulsi, succreuissent. Sed nec negligēdi mihi uidebantur, cum de Christiana religione, præsertim de rebus Hierosolymitanis optimè

meriti,magnorum bonorum autores sæpius extitere. labefactatos eorum mores insectetur is,qui humana omnia suo ueneno abundare nescit, uel sui immemor,aliena uitia carpere,artis loco ducit.

Expeditio sacri belli sæpius tentata,sæpius euanescit. Caput XVI.

MOrtuo Bonifacio octauo, cum Benedictus undecimus in sacerdotio illi successisset,sub fine pontificatus sui mentem , pacata Italia , adiecit, Tartaros Syriam & Palæstinam ingressos iuuare.literis cũ & nuncijs ad eã rem continuo inuitabatur,sed mors conatus eius præuenit. Clemens deinde quintus,qui ad pontificatum uenerat,id quoque tentauit. indicto apud Viennam Narbonensis Galliæ oppidum,concilio,de subueniendo Hierosolymitanis rebus,haud pauca uerba profudit,peręq; legatum persuasit Philippo Franciæ regi,ut indictis apud Lutetiam Parisiorum comitijs,cũ duobus filijs Ludouico Nauarræ regi,Carolo Valesij comite crucem susciperet. Edouardusq; Angliæ rex uotum subueniendi Hierosolymæ edidit,eodem tempore. nam is tũc Isabellam filiam Pulchri uxorem duxerat,sed nec tunc actum aliquid. Mortuo ad fontem Bleaudi rege Philippo ,decimam Ecclesiarum pontifex huic per quinquennium obtulerat, ut in sacrum bellũ uteretur eorum prouentibus.Is enim moriens , Ludouico Hutino filio,supremis mandatis imperauerat,ut post fata sua, crucis ipse tesseram susciperet,uotoq; eum liberaret.certè sacram Hutinus militiam meditabatur,sed sic cura,sic regno,morte exemptus est. Dum igitur omnia negligenter à regibus aguntur , opiliones nonnulli coëunt,admoniti,ut asseuerabant,cœlesti oraculo, ut in Syriam,religionis Christi causa proficiscerentur.iam magno numero aucti, latrocinari,prædari,omnia diripere,latrones magis q; milites agere inceperunt. Ad Carcassonam in Narbonensi prouincia usq; progressi , ab incolis grege facto,& dissipati,aufugerunt , desideratis plurimis, & reste necatis. Hoc factum ferunt anno millesimo trecentesimo uigesimo,ac sequenti anno Iudæos à regibus & Satrapis Turcarum & Sarracenorum pecunia corruptos,elephantiacis,qui stipe mendicanda uagi uictitant,persuasisse ferunt,ut uenena in puteos spargerent,quo qui inde potum haurirent, aut inficerentur lepra,aut omnino absumerentur peste. at re comperta Iudæi leprosiq; permulti flammis traditi sunt. Quibus cum Sarraceni se omnino nihil proficere uiderent, coacto ingẽti exercitu,supra triginta Syrorum equitum milia, Armeniam inuadunt, præsidia expugnantes , depopulantur agros,incolas cæde prosternunt,sexus omnis,omnis ætatis & conditionis hominum ingentem numerum uinculis mancipãt. Regnabat apud Armenios eo tempore Liuonis,homo in luxum propensus, bellicarum rerum haud exercitatus. nam Ioannes rex frater eius persuasus à nonnullis, dimisso regno(quod iure hæreditario ipsi debebatur,quodq; uir impiger, strenuè per aliquot annos administrauerat)in familiam Franciscanorum se adoptare passus fuerat,ordinem ipsorum professus . Leonem ex altero fratre nepotem rebus præfecerat, quo defuncto , Liuonis , ut regno potiretur, nuptias cum Irene principis Tarentini Philippi filia,defuncti Leonis uidua contrahit,reclamantibus regni proceribus omnibus , atque negantibus,id sine pontificis assensu fieri ritè posse, ut nepotis ex fratre uiduam duceret. At

mulieris

mulieris æque incontinentis pertinacia uicit, quæ hunc unum maritum habere, ei uni regnum tradere nitebatur. Cumq; ante nuptias à Senioribus regni interpellaretur, iuberetur q; ad Pontificem mittere legatos, ut illius bona uenia illi nubere liceret, dixisse eam dicunt, Peccatum prius perpetrandū, quàm petatur uenia. quod dictum, magnæ dissensionis & belli ciuilis apud Armenios causa fuit. Ea opportunitate freti, ut diximus, Sarraceni, cum iam præter unum atque alterum præsidium, totam fermè Armeniam occupassent, nihil contrà audente Liuone, Ioannes rex Franciscanorum habitu euolat, amicorum sociorumq; manum contrahit, instructisq; aciebus, in hostes Sarracenos irruit, haud exigua illorum clade, fortiter pugnans occumbit. Sarraceni etsi uictores, tamen clade suorum territi, spolijs onusti, cum innumero captiuorum agmine, domum redeunt. Ac uix pedem prouincia extulerant, cum ecce Turcæ duce Assambecco regionē ingressi, omnia loca longe lateq; ad Euphratem usque, cum non modica Colchidis parte, in ditionem redigunt. Vrbes, oppida communiunt, propter hoc unum Christianis æquiores, quod Othomanidum uim suspectam habebant. exutos enim nostros imperio tātum, legibus suis uiuere permittebāt. Tantorū motuum & cladis Armeniorum fama, iam in Occidentem uenerat, exciuitq; Ioannē uicesimumtertium pontificem, ut principes Christianos ad sacrum bellum, literis, nuncijsq; adhortaret. Philippo Lōgo Galliarū regi ius decimæ ad sacrum bellum colligendæ de sacerdotibus concesserat, ea uerborum conceptione, exceptioneq;, si præsulibus Galliarum Ecclesiarum è re pietateq; uideretur. Rex habito Episcoporum conuentu, cum de his referret, respōsum est, si contra Barbaros bellum moueretur, tunc nec Episcopos comitatui defuturos, aut æs parcè se collaturos, modò signa Christiana in hostes expedirentur communes, intestinis bellis abstineretur. In omnium igitur amore sacri belli nomen habebatur, sed reuera præscriptio sacrorum armorū aliò spectabat. Nam pontifex, qui uarijs magnisq; motibus totum orbem terrarum impleuerat, hostem iudicabat Ludouicum, quem ut imperio exueret, crucem æsq; sacrum extorquebat ipse, per cæteras Christiani orbis prouincias, decimabatq; res sacras per totam Germaniam, cum præter Argentoratensem Episcopatum, Exactori pontificio numerarent omnes. Constat certè hoc prætextu illum quinquies uicies mille millium aureorum nummûm corrasisse. Euanuit eodem modo, quo antea, sacri huius belli expeditio, cum Philippus anteq; copias coëgisset, hominem exueret. at Philippo Valesio in regnum Francorum inaugurato, maiori spe, atque apparatu sumptuosiore omnia redintegrata. Francus equidem egerat cum Venetis, ut legatos ad se mitterent, de expeditione in Syriam comparanda. Missi sunt Philippus Belegnus, Blasius Zenus, Marinus Mauroconus. Papa legatū misit. Conuenerat igitur inter eos, ut ad euertendos Turcarum conatus, & adiuuandam Syriam, pontifex & Gallus equitum uiginti millia, peditum quinquaginta armarent. Conflarent Veneti classem centum nauigiorum, in quibus cum quatuor millibus hominum instructæ essent triremes. Onerariæ naues, ad commeatum, machinas, aliaq; ad usum belli necessaria traijcienda, paratæ. Veneti nihil morati, Petro Zeno imperium classis tribuunt, qui mi

ret. Petrum igitur filiũ regno præficit, aliquot triremibus instructis, in Apuliam secũdo uento delatus, Brundusinũ in portum peruenit. Inde à pontifice Clemente uocatus, qui inducias inter Anglum & Francum redintegrauerat, magna spe auxiliorũ, Romam accessit, quam tribunorum seditione agitatam inuenit. Res nihilo tranquilliores erant apud Neapolitanos. Nam Ioanna regina, extincto marito Andrea, cũ Ludouico Vngaro, de regno altercabat. Italia unius Cardinalis Egidij armis inuoluta nutabat, tandẽ mortuo Clemẽte sexto, Innocentius, soluta tribunitia, senatoria, & reformatorũ apud Romanos potestate, Hugonem qui Syriacarum rerũ causa in Europam uenerat, ac pertæsus ciuilia bella, Genuensibus Tripolim Aphricæ oppugnantibus se cõiunxerat, magna præda reuersum, rebus & urbi præficit, hoc illi iniuncto negotio, ut septemuiralem potestatẽ urbe eijceret. Strenuè omnia perfecerat rex, cũ ab Assembecco socio admonitus, Innocentiũ de parãdo exercitu sacro interpellat. Põtifex classe opus esse uidens, Pisanos eã nõ ornare posse satis animaduertit, quippe hi in armis erant cõtra Florentinos. Nec Veneti, quorum opes id cõmodius præstitissent, à bello quieti. cũ Vngaro etenim male pacati, digladiabantur. De Eubœę insulæ possessione, magna cum Venetis Genuensibus erat contentio, de Tenedo inimicitiæ capitales. Hæc tanta Italiæ incommoda eo magis, quo spei minus relinquebat id bellum instruendi, & pontificis & regis animos torquebant. Afflictatus ita pontifex curisq; confectus moritur, cui nec ipse Hugo diu superstes fuit.

Vrbanus quintus iam in locum Innocentij sexti suffectus erat, numerabaturq; à Christo nato annus 1363. cui prima cura fuit, Petrum Cypri regem (qui iam parenti iusta soluturus, bellumq; ab Hugone uoto susceptum cõparaturus in Italiam uenerat) ad principes orbis hinc inde mittere, legato addito, qui persuasionibus sacris, ad militiam Syriacam Christianos alliceret. Petrus igitur Genuã applicuerat, totius Reip. lætitia summa acceptus, per alpes deinde iter faciẽs, Argentoratũ peruenit, paucos ibi moratus dies, Vualdemarum tertiũ, Daniæ regẽ Coloniæ agentem adijt, cui ut Christianæ militiæ nomen daret, persuasit. Dano eñi non admodum bene cum suis conueniebat, iamdudũ cum ingenti thesauro, atq; rebus preciosioribus regno excesserat, longinquũ aliquod bellum cogitans, à Cyprio, ut diximus, ita persuasus, Auenionem tandẽ perrexit, de bello cum pontifice cõsultaturus. Fecit idem Ioannes rex qui anno quarto postq; captus fuerat, ab Anglo reuersus fuerat in Franciam, pietatisq; causa sacram militiam professus est, Pontificem Auenione inuisens. In Angliã traijecerat Petrus quoq;, Edouardum ad bellum sacrum ineundum incitaturus, at Edouardus bello Hispano impeditus, ingens auri pondus Cyprio dono dedit, uirum autem & arma negauit. Cum in Franciam deinde redijsset, inuenit Ioannẽ, uagas per Franciam militum turmas, ad eam expeditionem colligere, parare omnia. At dũ is in Angliam filios liberaturus traijcit, ut interim rebus pręsint, dum ipse in Asia belligeratur, Londonij moritur. Carolus igitur Sapiẽs, cum nondum firmatis regni rebus, bellum externum suscipere non posset, magnis donatum muneribus, Petrum ad Carolum quartum imperatorem abire permisit. Imperator siquidem Ludouici Gonzagę precibus excitus, maximis ar-

matorum copijs, Mantuã obsidione soluturus, tunc Alpes traiecerat, atque Bernabouem Mediolani tyrannum, castris, armis spoliauerat. Cyprius igitur cum Mantuam ad Carolum peruenisset, adfirmaret atque rationibus doceret, facile sibi fore, ut reciperet sepulchrũ Domini, Syriamque subiugaret, si ab eo reliquisque Christianis principibus adiuuaretur, ferunt Carolum respondisse, Probare se regis dicta, laudareque pontificis adhortationes, sed & regnum Franciæ Daniæque conatus magni se facere, quod pientissimis studijs immortui essent, nec sibi aut opes, aut uoluntatem deesse, quibus tam sacrũ bellum gerere posset aut uellet, si è re Christiana esset, sanguinem multorum bonorumque effundere, pro rebus Syriacis. Fieri equidẽ non posse, quin maxima fidelium strage recuperentur, cuius cædis rationẽ non habere, carnificis quàm principis ingenium magis deceat. Deinde etiã inter medios hostes regionem occupatam in fide diutius à nullo retineri posse, proinde Christiani non esse, tanta hominum iactura, tantillum gloriolæ ambire. Cæterum ne quis impensarum onus illum subterfugere putet, æris quantũ ad id belli satis uideatur Cyprio offerre se, atque in supplementum erogaturum. Confestim quoque quicquid reliquũ erat pecuniarum, quod secum in Italiam ad bellum Mediolanensi inferendum detulerat, id omne regi assignat. Cæsaris liberalitatem sequuti duces cæteri, Bauarus, Austrius, Saxo, qui sub eo militabant, magnã uim pecuniarum regi dono dant, qua instructus, atque cum ea, quàm à Dano, Anglo & Franco receperant, Venetias peruenit, ibi publicè exceptus, paucos post dies, fœdus cum Repub. init, de bello in Sarracenos mouendo. Tribus igitur longis suis nauibus, ac regio comitatu in Cyprum rediens, comparata centum nauigiorum classe, quorum maiorem partẽ, Hispano Frãcoque milite instructã, Veneti miserãt, Alexandriã Aegypti petijt, ui quoque captã diruit. triduo autẽ postquam eam ingressus fuerat, decedere coactus est, tũ ob ingentẽ Barbarorũ uim, quam Soldanus Aegypti & Assyrius princeps adducebat, ciuitatẽ recuperaturi, tum etiã quod uasta ciuitas, populo aduersante, aduersus tã numerosum exercitũ, retineri copiarũ tenuitate haud potuisset. Rex igitur inde soluẽs, classe prędã onustã in Cyprũ reduxit.

Qua fortuna agitata Cyprus insula, tandem in Venetorum potestatem peruenerit. Caput XVIII.

EA uictoria haud diu lætus fuit Petrus, siquidem anno à nato Christo 1372. in ciuitate Nicosia, prima noctis uigilia, domestica proditiõe Cal. Sept. à fratribus necatur. Petrinus aũt filius Petri, qui per totam Europã Petri comes fuerat, Venetorum Genuensiumque auxilio, pacatis tandem rebus sufficitur rex. Deinde sexto Idus Octobris regni diadema suscipiens, hospitibus Insulanisque epulum instituit. Accidit autem cum coronationis pompa duceretur, proceresque Venetorum & Ianuensium adessent, qui in urbe Phamaugusta, ubi tũc rex erat, alijsque in eius insulę emporijs suis uterque ciuib. qui mercium causa ibi negociabantur, ius dicebant, ut inter eos contentio exoriretur, de præcessu & digniore loco secundum regem tenendo. Vterque enim dextrum regis latus claudere ambiebat. Videbatur rex Genuensium causam souere, hospitalitatis priuatæque amicitiæ, quam cum Repub. & nonnullis priuatis ciuibus contraxerat, memor. Sed insulani cum necessarijs, Regis Veneto enixius studebant, illique, deturbato Genuensi, honoratior,

tunc

tunc incessus attributus. Inter coenam contentio reuocata, magni belli causa fuit. superiore enim sedili praeoccupato à Venetis, inferius locatus est Genuensis. Hanc iniuriam ulcisci, dignitatemq́ suam armis conseruandam decreuerunt Genuenses, postera die, tectis sub ueste gladijs, in regnum profecti sunt. Veneti attoniti, ex tempore consilium salutis ineunt, regemq́ adeuntes, aulam intrasse iuuentutem Genuensium armatam, atq; insidias eam regi tendere, nunciant. Rex exploratos ex altissimis fenestris praecipitari iubet Genuenses, instinctione Ioannis Gauillae, Henrici Gibelleti, & Lezulphi regis patrui, quorum nutu omnia gerebantur, adeò ut ipse Petrinus nomine tenus rex tantum esset. Genuenses deinde reliqui per Cyprum commorantes perquisiti ac necati sunt, ita ut uix unus, & is facie uulneratus, tantae cladi superfuerit, rem gestam patriae renunciaturus. Hanc suorum ciuium atrocē iniuriam ultura res publica, non ita longo interiecto tempore, magna instructa classe, Petro Fulgoso, Dominico Cataneo prętorib. maritimis, Paphi, Nicosiaeq; suburbia praedantur. aucti deinde uiribus, nam septem, quas habebant, nauibus lōgis accesserant triremes triginta sex, onerarię non paucę, cum peditum quatuordecim millium numero, equitibus septingentis. 18. igitur Calend. Sept. anni eius seculi septuagesimi tertij, ipsam Phamaugustā aggrediunt̄, inq; urbis portu triremes tres, nauis una incendio absumitur. Tādem opera reginae, matris Petri, urbs Genuensibus dedita, proceres supranominati, caedis in Genuenses perpetratae autores obtruncantur. Antiocheni principis filij duo, Iacobus Lusignanus patruus regis, uinculis manci pati. Venerat planè tota insula in Genuensium potestatem, cum rex imperio se iam omnino exutum cerneret, ad misericordiam confugiens, pacem petit. Genuēsis illatam iniuriā satis ultam esse existimās, data regi pace, Famaugustam urbē solam retinet, cū tributo quadraginta aureorum millium, à rege in aliquot annos postea persoluendo. Dati deinde obsides, qui antea in uinculis habebant̄, Antiocheni principis filij, missiq́; sunt Genuā, cum Iacobo Lusignano. is cū in Galliā relegaretur, fugae consiliū inierat, igitur Genuā reductus, Phareae turri includit̄. Amissae urbis Phamaugustę dolor, Petrū regem ad eā recuperandā instigabat, occasionē aūt oblatā esse credebat, cū tā infensis animis Genuensis & Venetus maritimis praelijs cōflictabantur. Socius igit̄ Venetis factus, Bernabouis Mediolanensis filiā uxorē ducit. Eā cū Bernabos ad uirū mittere uellet, cū Venetis egit, ut sex lōgas naues instruerēt, quib. filiā in insulam tutā sisterēt, ipse uerò 1800. equites, cū peditū robore, genero ad infestādas res Gnuensiū in insulā mittit, trimestri stipēdio inauthoratos. Puella apud Cornarios Venetijs hospitio excepta, inde sex triremib. Venetis, quinq; à rege ex Cypro missis, ad sponsum, qui tūc ad Ceraunā agebat, magnifico apparatu delata. Deinde initū foedus, ut Phamaugustę portus et urbs ipsa oppugnaret̄. Prępterāt nauib. Venetis Ioānes Mianus, Frācíscus Bocolus, Petrus Quirinus, Frācíscus Poscarus, Ioannes Barbus, Franciscus Morenicus, hi singuli singulas triremes priuato sumptu instructas habebāt, mercedēq; à rege acceperāt, portūq; adorti oppugnabāt, quo occupato, urbē adoriūt̄. sed parū foeliciter processit negociū, muro deturbati et portu iterū expulsi sunt et Veneti & Cathaliani cū Cypriis. Quinq; dein

de per annos uario marte Petrino & Genuensibus insulæ res administratæ. sed eo mortuo, Iacobus Lusignanus qui in Genua publicè custodiebatur, rex ab insulanis dictus, ad regnum reuocatur. Is auspiciis Leonardi de Monte Aldi ducis Genuensis, Reipublicęq; impensa, classe decem triremiũ, in Cyprum delatus, Phamaugustam Genuẽsibus, cum mero mixtoq; imperio attribuit, promisso insuper tributo aliquot millium aureorum in aliquot annos. Is cum duodeuiginti annos in pace regnasset, Iano filio, quem in uinculis apud Genuam genuerat, regnum reliquit. qui statim inito regno, sceleratos quosdam homines pecunia corrumpit, ut illi Phamaugustam prodere conarentur, sed tumultu excitato, indicio unius ex numero proditorum, pacta incolumitate, detecta res omnis, proditores reste perierunt, urbs custodita & munita diligentius. Erat rex uiginti annorum adolescẽs, ingentis animi & spiritus princeps, is etsi Genuæ natus, educatus atq; Genuensium ope ad regnum euectus, tamen cõtractis copiis, obsidione cingit urbem, obsessam tam hostili animo aggreditur, ut etiam cum nequicq; oppugnatione sæpius tentata, exercitum soluere iuberetur à suis, exclamasse eum ferunt capitale fore illi, qui de soluenda obsidione primus uerba fecisset. Se ephebum in ea obsidenda perduraturum, donec barba capiteq; canus omnibus appareat, si citius ciuitate eum potiri non contingat. Ab Antonio Guarco Genuensium in urbe Phamaugusta prætore, ex specula mœnium interrogatus, Cur patriæ immemor, beneficiorum à Genuensibus acceptorum oblitus, urbem Reipub. eripere tentaret, quam à patre & patruo, iustissimis titulis obtinuisset? Ferox iuuenis respondit, Indolis Genuensis specimen esse, imperium ambire, nam Rempub. Genuensem nullum non orbis angulum armis attentasse, alienaq; inuasisse regna. Proinde mirum uideri haud debere, si uicinam, à progenitoribusq; suis fundatam urbem expetat. Si uerò priuatam Genuensium ambitionem contemplari aut in exemplum rapere liceat, ipsum Antoniũ optimè nosse, quibus sceleribus, Ducatum Genuensiũ sibi ipsi acquisierit. Hisq; dictis, solutis castris abijt, cũ Antoniũ Grimaldũ classe magna, & annona, cõmeatuq; omni generis, in subsidium urbis aduentare intellexisset. Quieuit Ianus per sex menses, cũ reuocato Grimaldo, Genuenses insulam tanq; pacatam reliquissent. igitur mox conscripto exercitu, maioribus uiribus, pertinacioriq; studio urbem aggreditur, sæpius oppugnatã, reiectus, uel fame cogi decreuerat, portũ obstruxerat, ut obsessis nihil inferri posset. Genuenses igitur unam & uiginti triremes struunt, cetheas naues sedecim, aliaq; nauigia. summæ rei præerat Bucicaldus homo Gallici sanguinis, legatus regius, is statim in Cyprum traijciens, regem exutis castris apud Nicosiam obsedit, coëgitq; tandem ad conditiones descendere. Belli igitur impensis solutis, pacem obtinuit rex à Genuense, haud diu ea usus. Melethella eñ Soldanus Aegypti, ulturus direptionẽ Alexandriæ anno domini 1416, ualidissima classe in insulam Cypri traiecit. Insulanos occurrere ausos in patẽtibus apud Nicosiam campis prostrauit & fugauit. Capit rex, Nicosia regia diripit, populus fermè omnis in captiuitatẽ abductus est, cęde, ferro, flãma tota insula uastata, fermeq; uacua relicta. Euasit triremis beneficio, Oddo regis frater, Genuãq; peruenit, is dignitatibus & militiæ gradib. euectus,

euectus,fortiter pugnans,quadriennio post in Corsica insula uitam amisit. Zenus uerò centum & uiginti millibus aureorum redemptus, tributariusq; Aegyptii factus,in regnum tādem rediit,multis calamitatibus oppressus,uitam finiuit,regni anno tricesimo,post natum Christum millesimo quadringentesimo tricesimosecundo.Fuere huic duo liberi, Ioannes & Anna, quam Ludouico Sabaudiensis ducis filio,frater statim à morte parentis locauit.Ioannes autem regno successit,qui inter fœminas educatus,uir muliere corruptior.Duxit is uxorem ex familia Montisferratensium , Amadeam nomine,Ioannis Iacobi filiam,qua extincta, cum ex Occidentalibus nemo reperiretur,qui suam ei filiam desponsaret,Helenam Theodori Palæologi filiam sibi coniunxit,ingenio peracri,& cordatam mulierem.Hæc socordiam uiri aspernata ,regem egit,sed ipsa à nutrice regebatur . Carlotam filiam genuerat,quæ cum uiro apta Ioanni cuidā,ex genere Lusitanorū regio uxor datur , qui in regnum uocatus, soceri res administrabat , demum ueneno sublatus,Ludouico Sabaudo patrueli absenti Carlota nubit . Is audita regis Ioannis morte,atq; Iacobi nothi,Carlotę fratris percipiens motus,classe apud Venetias parata,in Cyprum traijcit,rex appellatur,atq; inauguratur. Pompa coronationis iterum inter Genuenses & Venetos dissidij causa,totius uerò insulæ clades fuit.Equidem dum Venetus Genuensi incessu consessuq; cedere cogitur,Marcus Cornarius prætor negotiorū Venetorum, Iacobum nothum consilijs & opibus iuuit,ut is cum fermè centum amicis ad Soldanum nauigaret,consiliū de recuperando regno,& expellendo Sabaudo iniret. Quò cum peruenisset,sermone,ætate,indole atq; forma orante,Soldanum commouit , ut supplici supplementa auxiliaq; deferret, eundemq; ornamentis regijs indueret , classe decreta,quæ illam mox in Cyprū deueheret.Ludouicus interim per Legatos,rationibus piis æquisq; Soldani animum placarat,iamq; Iacobum minus audire Soldanus uolebat, cum triginta millia aureorum pro belli apparatu pollicitus esset Ludouicus, sed Turcarum imperator, Venetorum,ut quidam uolunt,precibus fatigatus,legatos tunc misit,qui Soldano bellum indicere debeant, nisi quàm primum operam det,ut Iacobus in regnum restituatur . Sic è uestigio magna militum manu stipatus Iacobus,postq; pręstitum iuramentum turpissimū, in Cyprum deuectus,Nicosiam occupat.Galli etsi Rhodios haberent adiutores,tamen impetum Barbari expectare non ausi,in castellum Ceraunię se recipiunt, supplemento ex Sabaudia recepto,cum Nicosiam expugnare statuunt,insidiis Iacobi intercepti,magna strage in præsidium iterum compelluntur.Iacobus interea totam occupat insulam, Carlota ad Pontificem Piū secundum perueniens,annonā quæ uiro mittatur,uiaticūq; ab eo impetrat, quo instructa socerum adire atq; auxilia ciere commodius posset.Sed frustratus auxiliis Ludouicus,tandē arcem tradit pacta incolumitate, qua recepta Iacobus et Phamagustam expugnat.Sabaudus autem,ad ocium quàm ad imperium magis natus,in cœnobium apud Ripariam se abdit , Carlota autem , ad Sixti pontificis opes confugit,à quo tantum pecunia adiuta, Rhodum contendit,plena calamitatis etiam inde ad Soldanum in Aegyptū trāsfretauit,apud quem trienniū,auxilii expectatione , quum frustra detriuisset,

re

re infecta, Romam rediit, ubi unà cum Cypriis comitibus honesti ordinis, Sixti liberalitate ac misericordia, ad extremum uitæ tempus uixit. Iacobus uerò cum Phamaugustam iam occupasset, totumque regnū imperata facere coegisset, ut firmo aliquo se muniret præsidio, amicorū suasu, Catharinam Marci Cornarij filiam, iam defuncti, eamque à senatu Veneto adoptatā, uxorem duxit, ut una re, grati principis animum ostenderet, auxiliaque præpotentis Reipublicæ sibi obligaret. Quo facto, paulo pòst, non sine ueneni suspicione perijt, relicta uxore, uterū gerēte. Carlota audita fratris morte, ad Mocenicum legatos mittit, qui suo nomine opem rogant, ut in regnum restituatur, à quo per nothum fratrem eiecta esset. At Veneti præter regnum multa spondent. In armis ius regnorum esse. Pro insula tuenda se omnes neruos intenturos, apertè fatentur. Cornariorum sanguinem, quàm Lusignianorū, plus iuris in insula habere. Interim Catharina puerum enixa, Andreæ Cornarij patrui consilio res administrabat, Veneti nouis præsidijs insulam muniunt. Ferdinandus Hispaniæ rex consilia de Cypro inuadenda & ipse agitabat. Tumultu in insula orto, Cornarius trucidatur, sed ea iterum in officiū reginæ redacta, haud meliore fato extincto posthumo, quem regina pepererat, Georgium Cornarium mittunt, qui Catharinam Venetias reportaret. Veneti sic, exclusa hærede Carlota, nuptijs circumuento rege, imperium insulę adepti sunt, redimunt autem pacem eius ad Turcā annuo tributo triginta uel quadraginta milliū aureorū. maximus illis ex insula prouentus, ac si nōnullis fides adhibenda, annui reditus, septies centum milia aureorum, tercentum millium in annū impensam sustinentes. Hæc de Cypro hac ratione scripsimus, quod regni Hierosolymitani olim censebatur prouincia.

Dum Syriam nostri recuperare nituntur, à Turcis uincuntur, tamen Smyrnam, Berytum, Theodosiamq; urbes Asiæ obtinent, cum nonnullis alijs oppidis. Caput XIX.

IAm Clemens sextus in Pontificatum susceptus erat, qui etiam iuuandis rebus Christianis in Asia animum aduertebat. Igitur sub prima eius administratione, Veneti Genuensesque cum alijs Christiani nominis principibus foedere icto classem instruunt sedecim triremium, quarum pontificis impensis extruebantur quatuor, Venetorum ære sex, totidem & Genuensium. Præficiuntur nauigijs, Petrus Zenus Venetus, & Martinus Zacharias Ligur. Hi maritimā Syriæ oram legentes, oppressis multis Barbarorum nauigijs, foeda tempestate in Ioniam iactati, Smyrnam totius Asiæ olim celebrantissimum Gymnasium, subita oppugnatione adortam occupant. Spolijs ditati, auctique auxilijs Cyprorum & Rhodiorum, nec non quinque triremibus, cetheā una, quibus Engelbertus Viennensis Delphinus in Syriam traijciebat, matre, uxore, alijsque ingenuis hominibus stipatus, sacraque loca Hierosolymis uisitaturus. Syriam igitur petere atque portum aliquem occupare nituntur, cum ecce Turcarum classem obuiam habent, commissaque pugna, multis in ipsa acie occumbentibus, tandem numero oppressi magis quàm uicti fugantur, inde urbem Smyrnam se recipere coguntur. Oppugnatam diutius Barbari occupare haud potuerunt, sed egregiè defensa, in nostrorum potestate aliquot annos permansit. Tunc Genuenses, ne non nihil molirentur, Theodosiam in Chersoneso Taurica inuadunt, occupatam instaurant,

ſtaurant, muniuntq́;, anno poſt obtentam Smyrnã 15. ſeculi uerò eius quinquageſimo ſeptimo. Caphæ nomen inditum urbi, Hieronymus Iuſtinianus Conſul urbi datus, uir integerrimus continentiſſimusq́;. Soldaia deinde urbs à Genuenſibus etiam obtenta, celebratiſſimum ad Mœotidem imperium. Veneti quoq; in Syriam curſum tenentes, Berythum portum obtinent, quo poſt aliquot annos, à Genuenſibus magna clade eijciuntur. At ut uno uerbo dicam, quicquid per centum integros & amplius annos, ad reſtituendas res Syriæ intentatum, adminiſtratumq́; fuit ſtrenuè, id omne Venetorum Genuenſiumq́; diſcordia euanuit deperijtq́;.

Armenij exulis regis hortatu, ſacra expeditio paratur, at in Aphricam delati noſtri, Barbarisq́; deuictis, domum reuertuntur. Caput XX.

SYriacas res omnino perijſſe conſtabat, de Cypro etſi contentio, tamẽ inter Chriſtianos erat. Vna Armenia à Turcis occupata, mirum inmodum premebatur, quanq; adhuc regni ſpeciem libertatemq́; aliquam præ ſe ferre uideretur. Turcæ enim Medis & Perſis inhiabant, ad maiora imperia animum intendentes. Leo igitur qui Liuoni ſucceſſerat in regnum, cum priorem ferre non poſſet, ad æquum imperium non admitteretur, ad Vrbanum ſextum Pontificem Romam rogatum auxilium proficiſcitur, deinde in Gallias ad Carolum Sextum regem uenit. Francus miſertus fortunæ regis Armenij, reſpondit ſe maximè omnium illud primum auere, ut ſibi tandem aliquando liceret, in communes religionis hoſtes arma mouere, ſed id impræſentia, & tempore excluſum & bello Anglico occupatum, minimè facere poſſe. His cognitis, Leo impigrè curare cœpit, ut compoſitis cõtrouerſijs, ipſi reges, iunctis armis ſacrum bellum ſuſciperent, confeſtimq́; in Angliam traijciens, poſtquã regi cauſam ſui aduẽtus expoſuerat, pacis conſilia agitare cœpit. Richardus ſecundus eius appellationis, tunc ſeptimũ annum regebat, à quo Armenius perbenignè & hoſpitaliter exceptus, benignius auditus eſt, atq; ad æquam pacem regem pronum offendit Armenius. à pace offerebat Anglus exuli regi auxilia publica, priuatasq́; impenſas, atque ad Rempublicam Chriſtianam defendendum animum paratiſſimum. Deſignantur ad pacem conficiendam legati Caletum. Miſit & Francus Bononiam, qui eius nomine fœdera pangerent. odijs, faſtu agitabãtur omnia, quinquaginta dies fruſtra conſumebantur, de pace enim nihil conſtitutum fuit. Detriuit totum decennium apud Anglum Leo, magno in honore habitus, ita quoque regi acceptus, ut precibus Armenij, trium annorum inducias Gallis concederet, anno à nato Chriſto milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo. Quẽ donatũ deinde magna pecunia ad Francũ remiſit, auxiliis, ſi ab aliis adiuuaretur promiſſis. Francus renouata ſacri belli mentione, pontificem Bonifacium nonum, per legatos adhortatur, ut Chriſtianorum principes ad bellum hoc adiuuandum incitet, quod quidem haud ſegniter factum eſt. ſed aliis alias cauſas morasq́; nectentibus, Genuenſes nomen militiæ ſacræ profitentur, non tã publica Chriſtianorũ cauſa, q̃ quod priuato cõmodo ſuo conſultũ uellent. Etenim eo ipſo tempore, Sarraceni Aphricæ imperantes, incurſionibus ipſam urbem prouinciamq́; Ligurum uexabant. Legatos

tos igitur mittunt ad Francum, qui classem & commeatus offerant, si prius in Aphricam, quàm in Syriam trajciatur, regijs auxilijs petatur. Syriam enim nullo modo subigi posse, nisi hoste finitimo ac fermè domestico oppresso. Maiori assensu auditus Genuensis, quàm Armenius, qui Syriam proferebat. Frater regis eam prouinciam deposcebat, cui secundo loco imperator additus Barbarus dux, sub signis peditũ uiginti millia, mille quingẽti equites Frãco erãt. Genuensib. quadraginta triremes, naues onerariæ uiginti, uiro, armis, commeatu instructissimæ. Anglus æmulatione uirtutis accensus, uoti memor, Henricum Derbiensem comitem, cum electa iuuentutis Anglicæ sagittariorum, & ualida manu, in Franciam mittit. Veneti Genuensium maximi hostes, religionis causa auxilia addunt, iureiurãdo præstito, nullã mentionem ullius contentionis inter eos fore, tantum communibus consilijs, uiribus, de coërcendo hoste, de recuperãdis rebus perditis se cogitaturos. Tunetum urbs Aphricæ primo cursu petita. Anglorum sagittariorum uirtute effectum, ut littus teneretur, ac expositis copijs post uarios conflictus, urbs castris cingeretur. Oppugnatur urbs, tandem de compositione actum, ubi conuenit, ut Sarraceni finibus suis se continerent, abstinerent ora maritima Italiæ, Galliæ, atq; insulis Aphricæ Europęq; interiectis. Captiuos Christianos redderent omnes, iam aureorum centum millia numerarent pro belli impensis. Pace pacta, consultari incœptum de Syria. at exercitus peste iamdudum laborare cœperat, diminutusq; erat. de repetenda domo, decretũ cuulgatur, quo audito, ad suos quisq; cum gloria & gratulatione reuertitur, uno Armenio res suas deplorãte. Hic equidem Belli sacri finis statui potest. nam de recuperanda Syria Europęis post hæc nulla cura, satisq; fuisset, si omissa Asia, res suas tutari, & à Turcis defendere potuissent. Quippè maximis ingentibusq; bellis inuoluti, cum Turcis sæpius dimicãdum fuit, quod quo tempore, quo facto, quibus uiribus gesta sint, apud eos inueniet Lector, qui de rebus Turcicis historiam professi sunt, nos uerò nouo iam seculo incipiente, nouos Syriæ motus, inter Barbaros de imperio prouinciæ exortos, atq; ad nostrã usq; tempora cõtinuatos, quo commodius describantur, in sextum librum rejciemus.

Bonauenturæ

BONAVENTVRAE FAVSTO, INSVLAE INTER RHENI CATARACTAS, QVAM Rhynau uocant, Abbati Ioan. Herold Hochstettensis S. D.

Quod mihi hactenus tecum nulla intercesserit familiaritas, Bonauentura integerrime, non me deterruit, quo minus librum hũc nomini tuo inscriberem, sed quia uirtus illa amoris synceri conciliatrix, latitare apud te non potest, quia erumpens, ab optimis omnibus in te laudari meretur, boni uiri studium, suo iure, uicꝙ sua diuina in me excitauit, ut eam ipsam in te colerem, quam & in hoste, & apud ignotos, sanioris iudicij omnes obseruant & exornant. Hæc siquidem una atꝙ ea est, quam ob hoc unũ, Deus opt. max. imis pectoribus inclusam uoluisse puto, ne adaperta maiestatis qualitate fascinaret, atꝙ à certa persuasione rudiores seducẽret, quandoquidem fortissimos prudẽtissimosꝙ, ad amicitiam cum ipsa cõiungendam, nunꝙ non rapit. Etsi ego intelligam esse permultos, qui claritati natalium, augustiori corporis formæ, ordinis, fortunarumꝙ amplitudini deniꝙ cuilibet horum suam inesse Venerem, Apellemꝙ unumquodꝙ suũ efflagitare contendant, neꝙ ignarus sim, Vuellenbergium familiam, inter Heluetiorũ nobilissimos, Tigurinos scilicet, ingenuitatis antiqua dignitatẽ nõ infimum gradũ obtinere, cætera omnia tibi dona, quæ nobilitati famulantur, larga manu à Deo collata esse, tamen me magis allicuit, quòd à teneris indolem illam tuam faustam, sapiẽtissimorum uirorum præceptis excultam, ab adolescẽtia pulcherrima queꝙ memoria comprehendisse, hucusꝙ scientiæ, summam humanitatem, inꝙ rebus gerendis industriam cõiunxisse te audiã, imò doctissimi atꝙ ornatissimi iuuenis Ioannis Schuartzij, patritij Scaphusiani sanctissimo testimonio, quinquennio iã et diutius, omnino cõpertũ habeã atꝙ iuratum. Hęc igitur quantum meum erga te studiũ, quò libellum tibi hunc dedico, illustrant, atꝙ æquioribus commendant, tantum spero, & gratiæ mihi concilient apud te, tum propter delectationem, quam uarietas huius historiæ suppeditabit, tum propter onus quod ingens me suscepisse uides. Ego etenim is haud sum, qui parum me posse non sentiam, aut laborem suscepisse me magnum non uideam, quod libro uno, res per annos fermè centum & quinquaginta gestas & memoria dignas conscribere, tibiꝙ de tuis uirtutibus gratulari, easꝙ celebrare simul instituerim, præsertim quando hic consiliorum, actionum & temporum commentatione, scriptorum aut negligentia, aut inopia destituor, illic assentatiunculę nota apud inuidos opprimor, in utroꝙ uerò & autoritas & ingenium mihi desit. Cæterum cum his scribendis nihil aliud cogitauerim, nisi quod, ut æquũ fuit, discordię & socordiæ exemplis, iniquissimorũ nostrorũ temporũ pestẽ, haud dispari crudelitate, quàm olim in Syriæ uisceribus, in Europa iam grassari, nihilꝙ dissimili stupiditate procerum, ceu praui momenti morbum negligi, apertè ostenderem, consentaneum mihi uidebatur, id apud eos deplorare, quorum pietas patriæ consultum cuperet, autoritas nonnihil opis & lucis adferre posset, quosꝙ boni studium, ex animi bonitate, tenerius amplecti certum esset. Hunc ardorem cum in his, quibus priores quinque libros

inscripsi, perspexissem, sextum te illis adiungere uolui, de quo mihi optimè persuasum, ac mereri bene necessariũ sit. Id uerò cũ nulla alia re possum, uel hoc munusculo, animi mei obsequentissimi arrhabonem offerre tibi placuit, ne tibi deesset, quod in me, quemadmodum etiã in alijs, literarum bonarum studium, amares. Vale.

DE BELLO SACRO CONTINVATAE HISTORIAE LIBER SEXTVS,

in ordine uigesimusnonus.

Temporis Parthorum Imperatoris origo, successus & incrementum. Caput I.



Am Turcarum imperium caput ita extulerat, ut Christianis maior sollicitudo ingereretur Europæ defendendæ, quàm de recuperanda Syria. Græcorum enim imperium nõ solum periclitabatur, uerum etiam, deuicto à Turcis, anno millesimo trecentesimo nonagesimoquinto, Sigismundo imperatore Romanorum, apud Nicopolim, Reipublicæ Christianæ toti minari uidebatur fortuna Turcica, non admodum leue aliquid, neque profectò, ulla ratiõe, insignem aliquã calamitatẽ euitasset, nisi Tamerlanes (quem alij Temyrin, nonnulli Demyrly, quidam Themircathlum uocant) Baiazeti tyranno omnia prosternenti restitisset, de quo pauca interserere huic historiæ, non admodum ineptum mihi uidetur. Temyris hic, natione Parthus, humili inter suos loco natus, patre Sangalo, qui apud Samarchandã stipem hostiatim colligebat, pueritiam apud parentes egerat, adolescẽs uerò factus ciuibus operam locat, custodiendis equis, qui ea in regione educantur plurimi. Indoles illi erat subdola, sanguinariaq́, quæ nisi latrocinia nihil omnino spirabat, nescio an natura an educatione deprauata. Pubertatem igitur nondum egressus, cum reliquis per eam regionem pastoribus, coniuratione inita, pecus, iumentumq́ omne finitimis abigit furando, quo in facinore excellentiorem se non habebat. Animo conscelerato adfuit fortuna, nam breui armentorum gregumq́ copiam magnam, sociorum manum haud contemnendam contraxit, nec erubuit apertè latronum princeps uocari. Fama nominis, terrorq́ audaciæ magnam apud populares sibi conciliauerat gratiam. Cõgregata igitur armentinorum cohorte, stabulum quoddam aggreditur, quod pro more gentis, altissimis muris circundatũ erat, atq; armatorum copijs nonnullis munitum. Hoc cum effringere tentasset, primusq; in murum euasisset, ui deiectus, in terram decidisse fertur, crusq; fregisse, quo casu, perpetuam claudicationem contraxerit. A casu denique sublatum, uno crure tam diu pugnando hortandoq; institisse, donec omnia in potestatem à suis redigerentur, dissimulato semper dolore. Ea uictoria cõciliatis sibi omnium animis, palàm, clamq́ ad ipsum confluebant hominum equestrium pedestriumq́ copiæ, quæ ultro ipsum ducem peterent ad Sarracenos, qui

uicinis regionibus imperabant, opprimendos. Tantam occasionem haud neglexit Temyris, hostiliter uicinia irrumpẽs, omnia uastabat, ferro ac flamma corripiens, quo latrocinio opes ingentes paruo quidem tempore congessit. his non parcè, sed liberaliter usus uires suas ita auxit, ut tyrannidis apprehendendæ consilia agitare inciperet. Capto deinde loco situ munitissimo, præsidiũ in eo extruxit, ex quo in prætereuntes grassabatur crudeliter, regulos aliquot excursionibus uexans, quasdam uita & imperio exuens. in an premijs incertum est, prouinciæ duos tyrannos, Chaidarem & Myrxiem sibi coniunxit. hi opibus, uiribusq́ hominem quocunque duceret, sequebantur & iuuabant, quorum auxilijs fretus Babylonem urbem, quam Baldacam uocant, Euphrati adiacentem bello inuadit. Fama huius belli exciti ciues Samarchandæ, haud paruo numero ipsum sequuti sunt, à senatu etiam ære magno adiutus fuit, ut militem sibi conciliare posset. Ipse tyrannus urbis suæ & patriæ nomine, imperatorem exercitus Temyrim uocat. Castris igitur in conspectu urbis Baldacæ metatis, cum sæpius oppugnatam ui capere non posset, Soldanum Mediæ supplementa uirorum suis adferentem, eiusce rei dissimulata Temyris notitia, urbem magno comitatu intrare permisit, ratus quod euenit, annonam multitudine in urbem citius absumptam iri, atque inopiam obsessos ad deditionem pellecturam. Contigit igitur Soldanum à fame oppressis interfici, quo mortuo, uidua tyranni urbem Temyri offert, si ipsam in uxorem & regni consortem duceret. Potitus eà urbe, exercitum uictorem domum reduxit, gratulationibus à ciuibus exceptus, præter dignitatem regiam, summa illi defertur potestas. qua patriæ gratitudine nihil segnior, sed ambitiosior multo euasit, ac statim de tollendo Samarchandæ tyranno, patriæq́ principatu obtinendo consilia cum Chaidare init. Vocatus in consilium Myrxies, proditionem abominatus est, nec dissimulauit iram. respondisse enim eum ferunt, Patriam Samarchandæ regnum firmius esse, quàm ut à latrone occupari possit, si uerò in fatis sit, ut Temyris id occupet, nihil recusare quin statim obtruncetur, quandoquidem seipsum bonosq́ omnes magna spe falleret. quod quidem responsum paulo pòst, magno stetit Myrxiæ. Temyris ut pristinis uictorijs robur uirium accederet, & ideo potentior ad subiugandam patriam euaderet, conscripto exercitu quadringentorum equitum millium, sexcentorum peditum, Assyrios, Albamam, Medos & Scythas inuadit, quos admodum in paucis annis subiugatos, imperata facere coëgit. Myrxies certè ad consequendas uictorias illi maximum fuit instrumentum. nam ordinem atque disciplinam militarem illi ostendit, eamq́ tam prudenter docuit, ut ob uniam rem militarem bene constitutam, apud omnes eam gloriam acquisierit Temyres, quam hactenus imperatorum nullus meruit. Sissitiorum ordo ab eo institutus fertur. Deni uni decurioni subdebantur, Centurioni decuriones decem, Chiliarchæ totidem centuriones. Hi ducibus parebant adeo dextrè, ut uno nutu & castra mouerentur, & inirentur prælia momento uno. In castris quæque ars locum suum habebat, merces suas, apothecas. xenodochia erant publica, in quibus excipiebantur exteri. Sceleris uindicandi magna

erat ratio,decurionem peccantem centurio,hunc chiliarcha,illum Dux puniebat, unusquisque magistratus militem suum. loco sontium puniebantur,qui facinus notum negligebant. Affluentiam castra omnium rerum habebant,cum neminem uiolari fas esset,cum à nullo aliquid præter uoluntatem ac ne minimum quidem olus auferri impunè permittebatur. Ferunt militem anui cuidam uasculum lacte plenum ui ablatum exuxisse, quod cũ apud Temyrem questa esset uetula,sciscitatũ esse tyrannũ, an hominem cognosceret, adductum inficiantemq; mulieri sistit.iterum eam rogat, an uitæ periculo hoc uerum esse affirmare ausit. Cum uera se dixisse iuraret, extemplo militem iugulare præcipit,intestinaq; eius rimari,quæ cum lac effunderent,horrendo cruciatu fœminam liberauerunt,quę perdita fuisset,si hominem fefellisset.Hoc consilio effecit,ut non minus quàm ad Emporia celebratissima, merces omnes in castra eius deueherentur. Reuersus Samarchandam cum exercitu, interempto tyranno,urbis imperium patriæ arripit,Chaidarisq; astu circumuentus,Myrxien uoti admonitum peremit,per emptum regali pompa sepeliuit,& luxit diu.tandem in Hyrcanos mouens, quibus deuictis, Cadusios aggreditur, atque ex insidijs adortus subegit. Arabiam inde petens Fœlicem(incolæ enim eius regionis Cadusijs opem contra Temyrem tulerant,atque strenuam nauarant operam) legationibus muneribusq; Arabum delinitus,atque Massagetarum,qui Persidem inuasisse nunciabantur, audacia reuocatus, Samarchandam redijt. tyrannus enim Massagetarum,qui in ea Scythiæ parte regnabat,quam nunc Cathaium appellant,quiq; Magnus Canis dicitur,cum ad extrema Scythiæ littora nec Darium,nec alium ullum regem peruenisse nosset,haud rebatur, Temyrem etiam iratum,bellum sibi inferre posse. Temyris autem ingenti congregato exercitu, tribus prælijs semper repulsus, cum Scythas aggressus esset,Cheriam in urbem,quam de nouo ad Tanaim construxerat, reuertitur,ubi reparatis copijs,anno post transacto in Aegyptum se ducere uelle simulat,transuersisq; itineribus,nihil tale uerentes Scythas aggreditur, commissa pugna deuincit, omnesq; eorum Agoras & Hordas depopulatur. Sunt enim Hordæ ad effigiem ciuitatis uulgi congregationes,quæ pro muris pectora atque arma uirorum fortium habent.Agoræ autem sunt, in quibus rex,satrapæ,cum equestri ordine hospitantur,circumseptæ aliquæ planicies, longe lateq; patentes. Magna deinde præda onustus,per Hiberiam, Colchidemq;,transito Phasi fluuio, Cheriam regressus, malè afflictum exercitum ibidem refecit,affinitatem & fœdus cum Massagetis init, ea conditione,ut quotannis his tributi nomine aliquid penderet,pro uastitate qua regionem afflixerat.Hic dum ocium trahit,admonitus Caphæ,tum Genuensiũ Coloniæ, in Taurica Chersoneso sitæ,immensam esse diuitiarum uim, multis eò confluentibus negociatoribus. Vrbi igitur uim inferre tentat,at secum reputando,quod manifesta iam ingruente ui,ciues thesauros auerterent aut infoderent,uno astu excogitato,urbis dominium, & pecuniarum thesauros nactus est.Instruxerat enim ex optima sui populi parte, magnum

negotiato-

negotiatorum numerum,iubetq́ eos preciosissimarum pelliũ omnis generis copiam comportare,inq́ urbem Capham mercẽ uendibilem transuehere ad uendendum, iusto satis precio. Permutatione & commercio eius modi,urbs exhausta plurimum auro atque argento, eoq́ locupletior ipse factus, statim ne merces in Europam trajicerentur, urbi bellum denunciat,muro simul castra admouens,tandem post continuas easq́ acerrimas oppugnationes,& urbe potitus est,pelles, reliquamq́ opulentiam iterum abducens.

Belli Turcici quæ causa Temyri,atq; quomodo is Sebastiam expugnauerit.
Caput II.

TEmyres Scythia Asiatica edomita,animum ad reliqua Asiæ emporia adijcit,Turcarumq́ suspectam potentiam etsi non adeò ægrè ferebat,tamen cũ Othomnnaidas,cæteras familias bello prosequi, principatibus exui cerneret, coniectura facili assequutus est Monarchiam Baiazetem ambire,nullumq́ neq; superiorem, neque parem illum laturum. Talia cogitantem adeunt summo loco nati homines circiter centum,qui omnes à Baiazete eiecti,opem & auxilia Temyris implorabãt, cognationem religionemq́ communem prætendentes petebant,ut in patriam ab eo reducerentur,quandoquidem ipse unius Asiæ monarcha, ab iniuria tutari omnes ex officio teneretur. Adijciebant quoque se non recusare pœnas, si quid contra fœdera in Baiazetem commisisse deprehenderentur. Erat autẽ inter exules Casanes, qui Armeniæ imperabat Assambecchi nepos, is calamitate sua,propter ortus & generis eius nobilitatem, Temyrem maximè afficiebat. Mittit igitur legatos ad Baiazetem, qui inter eundem & exules pacem reconciliarent,addit pro more gentis,muneris nomine uestem preciosam. Vbi ad Baiazetem uentum est,mandata exponunt. Primo magnis laudibus euehũt,quod ad tutãdam religionem Mahemetis, contra alienæ persuasionis homines,tam strenuè depugnaret. Deinde edicunt,ne amicis molestus esse pergat, exules restituat,aut actione instituta,Temyris sententiam de his expectet. Nihil pacati ad ea respondit Turca. Temyris gratulationes se nihil morari,dum quæ aperto marte subegisset,inimicis ut restituat,ab eo postulare ausus sit. Munus quoque repudiatum,tanquam maiori loco quàm Temyrem natum,dedecus esset tam uile donum recipere. Hæc ut ad Temyrem relata fuêre,statim per præconem Baiazeti renunciare iubet bellum, nisi exules mallet restituere. communis enim religionis homines, necessarios suos atque clientes nullo modo ipsum posse negligere. Ad hæc respondisse ferunt Turcam, Prius Temyrẽ tertio repudiatam suam coniugem recepturum,quàm bellum Turcis inferre ausit. quo contumelioso responso non solum ipse Temyres, sed & uxor eius ita exarserunt,ut mulier,quæ diutius,ne quid hostile in Baiazetem attentaret maritus, blanditijs retinuerat, iam ultrò ad tantæ iniuriæ uindictam animaret instigaretq́. Infamis enim is apud Turcas est,qui

repudiata uxore tertiò, eam iterum recipit, diciturq́ ad tres splenes rediisse, quod quidem scomma ignominiæ plenum. Armenium igitur in regnum restituere, eumq́ rebus suis iterum præfici gestiebat Temyres. nã Mahematini Armenios miro quodam fauore, præter cæteras gentes prosequuntur, nec quenquã Armeniorum (licet in religionis negotio cum cæteris Turcis non usque adeò consentiant) seruum aut captiuum mancipãt, eo, quod ex ea gente quendam uaticinatum ferunt, gloriam Mahumetis per totum orbem propagandam esse. Sebastiam igitur ab Baiazete occupatam, Armeniæ Secundæ Metropolim aggreditur Temyres, eo ipso tẽpore, quo Meletinem Baiazetes oppugnaret etiam Armeniæ oppidum. Susceperat eo tempore Baiazetes expeditionem contra Græcos, Lebadiamq́ oppidum Bœotiæ obsidione cinxerat, Peloponesumq́ ac Thessaliam ferro, flamma, cæde & rapina depopulabatur. Vastabat is etiam Illyriorũ & Triballiorũ regionẽ. nã has regiones uiribus & armis pręstare, sibiq́ inimicissimo animo obcalcitrare uidebat. Præterea cũ Europę imperium iã ambiret, Temyris conatus in Asia, propter clientelas, quas in ea habebat maximas, haud magni faciebat. Præfecerat igitur Orthobalem filium, strenuum & in armis exercitatum iuuenem, qui sæpius oppugnantem urbis muros Temyrem, multis cladibus repellebat: at demum per cuniculos suffossis mœnibus, ciues ad deditionem inclinantur. Pax à tyranno data, modò dimisso cum reculis Turcico præsidio, sedecim millia suorum militum in urbem reciperent. Quo peracto, ab uxore literas recipit, quibus precatur, ut suppressa iracundia domum redeat, uerborum contumelias satis ultũ esse. Solutis igitur castris Cheriam redire conabatur, uixq́ tertiis castris aberat cum nunciatur, suborto in urbe Sebastia tumultu, Orthobulem reducem, ac præsidiũ suũ trucidatum esse à ciuibus, nouitate rei stupefactus, pedem referens, castris urbem iterũ cingit, quindecim continuis diebus, magnis uiribus oppugnat. At ex desperatione uires resumentibus ciuibus, ad dolos, cum ui sese nihil proficere uideret, animum conuertit. Initis enim cum oppidanis fœderibus, petit sagittarios, quos in oppido habuerãt præsidiũ, illi cõcedant, quorũ opera in certa quadam expeditione uti uellet. Haud negatum fuit tyranno. receptis ergo sagittariis (duodecim millia eorum fuisse dicunt) eos omnes altera die recisis pollicibus, in urbem misit. Deinde ui captam urbem cum ingrederetur, omnis ordinis, omnis sexus, omnisq́ ætatis homines, in forum conuocare iussit, exercitu circundatam multitudinem melioris sexus omnes, quotquot decimum quartum annum excessisse compererat, obtruncare, nubilis ætatis iuuentutem uinculis mancipare, igni cadauera inijci, ex capitibus uerò turrim media in urbe cõstrui iubet. Mulieres postea, puerosq́ omnes in patentes campos educi, matres ab infantibus segregare, quod quàm primum fieri contigisset, turmas equitum conuocat, easq́ ferrum & equos in uagientes illachrimãtesq́ pueros agere, indiscriminatimq́ oppressos conculcare mandat. Equites exempli atrocitatem stupentes, ma-

tribus

tribus innuit, ut primatibus exercitus, pro innocentium salute supplicet. Proceres regem adeuntes crudelitatem tam feram placare studebant, inter quos Ligur quidam negociator, magis familiariter quàm prudenter humanitatis eum admonebat. Tunc obuersis in eum ignescentibus luminibus, Temyres in hæc uerba prorumpit, Me qui totius orbis malleus, ipsaq; Dei ira sum, æstimas tu hominem? falleris. Caue uerò, ne posthac mihi occurras, nisi huius tuæ temeritatis & audaciæ pœnas dare malueris. Conuersus deinde ad equites, Ecquid (inquit) cũctamini? adactoq; equo, primus in puerorum agmen irrumpit, Agite, exclamans, uideamus, quinam imperatorem suum sequi recusent. Sic equitatus omnis crudelitatem tyranni secutus, undiquaque irruens, matres cum liberis equorum ungulis contriuit. Oppidum post istorum confectionem depopulatus, exussit abducto Orthobule Baiazetis filio, ac adolescentibus, qui superstites erãt, reliquis. Leprosos omnes excarnificabat, nephas esse dictitans, quod superessent, qui reliquos homines inficerent, ipsis plerunque miserrimè consenescentibus. Clades Sebastiæ urbis miserabilis fuit, atq; omnium urbium calamitates superasse creditur.

Pugna inita uincitur Baiazetes, atq; in potestatem Temyris uenit cum filijs.
Caput III.

POstquam Baiazetes captæ Sebastiæ atque extinctæ urbis, nec non necis filij Orthobuli nuncium accepisset, dolorem haud dissimulare potuit, sed cum fortè opilionem obuium haberet, fistula cantiunculam modulantem, præmisso gemitu, homini dixisse eum ferunt, O beate, quàm dulce canis, quàm læto animo, qui nec Sebastiam, nec Orthobulem filium amittere potuisti. Non latuit dictum Temyrem, nec uxorem eius, quã propter persuasus ab ea, pacem Baiazeti ultrò offert, mittitq; Legatos, qui Turcæ ostendant Temyris animum, iam urbis Sebastiæ excidio placatum, contumeliamq; uerborum iam eum remittere, ac ultrò pacem offerre, si Baiazetes restitutis exulibus Temyri, butyri tantum mitteret, quantum ad onerandum duo millia camelorum satis esset, totidemq; tentoria pileata, quæ pastoribus essent usui. Petebant insuper, ut in omnibus Turcarum Mesquitis, publicisq; locis Monarcha Asiæ, Temyres pronunciaretur, æs quoque aurum & argentum Temyris imagine signatum admitteretur, conflatoq; quod in usu habebat Baiazetes, eo solo mercimonia omnia commutarentur, cui Temyris signum impressum esset. Ad hæc postulabant, ut Moses Baiazetis filius, in Persiam ad Temyrem mitteretur, ibidem inter stipatores, officij causa tyranno seruiturus. Hæc si Baiazeti placerent, Temyrem amicitiam & necessitudinem cum illo coniuncturum, si uerò aduersaretur postulata, iam pro hoste haberetur. Ad hæc iratus Baiazetes, cum latrone sibi pacem intercedere non posse, inquit, nec in obtinenda Monarchia Asiæ, ulli se cessurum. Proinde abe-

inquit, nec in obtinenda Monarchia Asiæ ulli se cessurum. Proinde abeant, Temyri armis, non uerbis opus esse, renuncient. Cum tale responsum legati Temyri attulissent, diutius expeditionem contra Baiazetem differre noluit, sed delectu habito, conscripsit exercitum. Octuaginta myriades armatorum habuisse Temyrem tradunt quidem. Baiazetes ut & ipse quàm instructissimis copijs obuiam procederet Temyri, ex Europa atque Asia cogit ingentes copias, quæ hominum tercentum millium numerum excedere dicebantur, omnemq́ belli summam in uelocitate positam existimans, quàm maximis itineribus ad Euphratem properat, uix q́ Armeniam intrarat, cum Temyrem exercitum in Phrygiam deduxisse nunciaretur, aciam in conspectu hostem adesse. eò igitur contendit Baiazetes celerrimè. Ad Stellam montem (quo in loco olim Pompeius cum Mithridate conflixerat) uentum est, ubi metatis utrinque castris, uix quindecim stadiorum spacium inter eos relictum. Ferunt mutato habitu Temyrem ipsum situm castrorum, atque belli totius apparatum in castris Baiazetis explorasse. Tandem Temyris Sachrucū filium, cum decem millibus uelitum contra Baiazetē mittit, ut hi hostem quoquo modo possent, ad pugnam elicerent, quod ubi uidit Turca, confestim acies instruit, collem quendam occupans, pugnæ copiam facturus. Collocarat in cornu sinistrum Asiatica auxilia, Europæo dextram aciem tuendam iniunxerat, ipse medius, stipatoribus satellitibus, totiusq́ exercitus robore septus, hostem expectabat. Sachrucus agmine & passu composito Persarum atque Cattidarum nobilitate stipatus, in hostem mouebat, quem haud quaquam, quanquam facile potuisset, circumueniendum statuit, sed spacium relinquebat, quo fugientibus abeundi copia esset, ne ex omni parte oppugnati, ex desperatione animos sumerent. Pugnæ initium dedit Europęi militis fortitudo, quæ magno in hostem impetu delata, Persas iam pedem referre coëgerat, atque ardore pugnæ ad castra hostium usque progressa, uirtutis atque audaciæ monumenta reliquit. Baiazetes autem ueritus ne ab hostibus circunduceretur, ordinum ductorem reuocare iubet, militemq́ in primum locum se redigere, quod cum abnuerent & Dux & milites, blasphemijs Turcæ tandem reuocati paruerunt. Hoc uidens Temyres, in recedentes magna ui fertur, tantoq́ numero eos à tergo premebat, ut citatissimis passibus in castra se reciperent. Asianus miles fugam esse ratus, confestim abiectis armis, salutem fuga quærit. Baiazetes res suas pessimo loco contemplatus, equum conscendit, ac effusissimis habenis aufugit. Fugientem insequuntur Persæ, sed is iam multum itineris cursu confecerat, ut qui uelocissima equa ueheretur, tamen cum fortè ad flumen uenisset, equa intolleranda siti stimulata bibere cupiebat, nec priusquā benè potā abigere potuit, cū chiragra grauissimè laboraret ipse, nec fugæ socij adessent. Pota iā de pernicitate multū remittebat equa, qua re factu est, ut assecutus à militib. Temyris, captiuus ad tyrannū traheret. Capti fuerūt filij Baiazetis eo die, Musulmannes, Iesus, Mechmet & Moses.

ses, Duces quoque Turcæ fermè omnes, qui cum cæteris, qui mortem in pugna euaserant, tantum uestibus spoliati, liberi abire permissi sunt. Nam antequam pugna iniretur, per præconem edicere iusserat Temyres, ut nemo Turcarum uinculis manciparetur, aut post partam uictoriam, aliqua afficeretur contumelia, cum è contra Baiazetes, neminem Persarum sese dedentem, suos recipere, sed omnes obtruncare iusserat. Hac uictoria potitus Temyres, omnes Asiæ regiones quæ Turcæ parebant, in potestatem redegit, Prusiamq́; Baiazetis regiam occupat. Gynæceum inde Turcæ captum cum uxore Baiazetis. Ferunt in ea pugna turcarum ducenta millia cecidisse. Adductus ad Temyrem Turca, interrogatusq́; Qua confidentia in Monarcham Asiæ arma suscepisset. Vt deuicto eo, ex Mahometani nominis hostibus uictoriæ tanto magis inclarescerent, subintulisse eum dicunt. Ad hæc Temyres, cum elati animi præmium illum recepisse dixisset, accipitres & canes, aliaq́; huiusmodi animalia offerre iubet, quo munere uenatorem eum solertiorem, quàm aptum imperatorem indicare uolebat. Audierat enim Temyres, Baiazetem septem millia uirorum aluisse, qui accipitres curarent, pauisseq́; canes sex mille. Cognito igitur, quod ignominiæ causâ hæc illi oblata fuissent, Temyri in faciem regessit conuitia, inquiens; Haud mirum est Temyres, te à iuuentute nullius rei quàm latrocinij gnarum, canum, accipitrum, & uenationis studium mihi probro dare, me uerò ab Amurathe Orthanis filio, qui ambo reges suêre, natum & institutum regijs exercitijs, haud hęc studia dedecent. His uerbis offensus Temyres, asino prę postere impositum per castra deduci iubet, militibus deridendum, redeuntem deinde interrogat, num & hæc equitatio reges deceret. Vinculis deinde mancipatum conuiuio adhibuit, in quo Elcazari Mysiæ superioris ducis sororem, ardentissimè à Baiazete amatam, in conspectu mariti uinum fundere coëgit. Rei indignitate motus Turca exclamat Temyrem, regum liberos atque uxores, qui natura illi domini sint, contumelia afficere non solum, uerum etiam probris paternum atque maternum suum ipsius genus onerare, quandoquidem uulgi fecem, ex qua natus ipse esset, seruire deceret magis quàm imperare. Risum excitauit his uerbis Temyri, atque abductus nonnullis in custodiam datur. Hoc cum compertum haberent quidem Duces Turcarum, qui castra Temyris sequebantur, cunicularios Temyris aliquot magna immensi auri spe corrumpunt, si acto cuniculo, in eam castrorum partem, ubi asseruabatur Baiazetes, eumq́; eriperent. Fossam igitur in antri speciem adoriuntur, egesta noctu cautius terra, iam cõsummato labore ad tentorium usq́;, in quo Baiezetes erat, produxerant, sed erumpentes prodierunt in eum locum, ubi custodes uigilabant, à quibus capti, Temyriq́; oblati pœnas audaciæ luerunt. Dehinc more ferarum aureis uinctum cathenis, caueę inclusit Baiazetem, per omnia itinera præ se agens & circum ducens miserum, scabelli loco utens eo, quoties equum inscenderet, proiectis frustulis eum, ut canem sub mensa pascebat. Temyres post adeptam deinde Smyrnam urbem, Indici belli fama domum reuocatus, Baiazetem

secum abduxit,qui uero tot calamitatibus ludibrijsq; impar, ægritudine in itinere contracta,fato functus est in Ionia, cum eò in hyberna concessisset Temyres.

Damasco occupata, & deuictis Indis, Mercantam urbem condidit Temyres ac moritur. *Caput IIII.*

BEllo Turcico defunctus,& restituto Chasame Armenioru͂ rege,inducias cu͂ Indoru͂ rege paciscit Temyres. nam Mesopotamiæ,Syriæ,Aegyptiq; regna subigere meditabatur, quæ omnia uni parebant Memphitico regi.Erat tu͂c quoque ipsa Hierosolyma,quam Sarraceni Kurtzitalon appellabant,deuastata,ac sub potestate Aegyptij,Dominicumq; Sepulchrum, tantùm ob lucrum,quod ex peregrinis accedebat,integrum seruabatur.Temyres coacto exercitu duodecies centum millium armatorum, Mesopotamiam petit,atque Epiphaniam(Alapiam uocant)urbem obsidione cingit. Sarraceni cum Mamaluchorum præsidio,quod ex Aegypto uenerat,in castra metantem eruptionem faciunt,multa uerè clade repulsi, in urbem se recipientes,telis,tormentisq; subeuntem hostem arcere nituntur. Quarta demum die Temyres ui ingenti in suburbia irrumpit,eaq; diripit, cadauera eorum,atque captiuos omnes, in fossam urbis præcipitare, ligna terramq; his superingerere iubet.Sic aggere facto,ipsam urbe͂ oppugnatione ualida aggreditur,qua occupata atque direpta,firmoq; suorum præsidio munita, Edessam simili modo,decimoquinto obsidionis die,in potestatem redegit. Mesopotamia potitus,Syriam deuastat,inde missis nuncijs,Aegyptum regem per nuncios interpellat,ut Cœlesyriam sibi tradat, quod si fecerit, bellum se pace commutaturum.At ista legatio irrita fuit, quapropter ira accensus Temyres,adoriturus Damascu͂m,per Palæstinam iter fecit, inuisisq; sacris apud Hierosolymas locis,triginta millia militum,sub Iosephi cuiusdam ductu,in Palæstina reliquit,qui circa Iordanem castra figentes, Palæstinam tutabantur.Aspera deinde obsidione cum per semestre tempus Damascum defatigasset,potitus urbe, propugnaculum, in quod præsidium se receperat,inexpugnabile ut uidebatur, occupare ui contendebat, licet qui intus erant,fastidito prælio, signum deditionis spontaneæ ederent. Duces cum adhibiti in consilium, conditiones accipiendas suaderent, pertinaciter ipse recusabat,quandoquidem non contemnenda gloriæ occasio affulgeret,ex loci tam muniti situ,quo expugnato ob difficultatem uictoria celebrior fieret.natura enim tyrannus rebus difficilioribus pertinacius instabat. Situm igitur arcis diligenter ipse explorat, cumq; nullis scalis, præ nimia altitudine æquari posset,ex aduerso totius exercitus magno sudore,aliam nouamq; atque multo sublimiorem arcem erigit,ex qua,die noctuq; omnis generis tela in subiacentem hostem conijcit, confectisq; fermè qui intus erant omnibus,maiore parte muri deturbata, cum suis in propugnaculum irrumpit, atq; cu͂ pauci suoru͂ impetu͂ ferre nequirent,superior euasit. Captæ urbis, expugnati præsidij fama iam ad ipsum Aegypti tyrannu͂ peruaserat, cu͂ subito legatis missis, Temyrem rogat,ut communis religionis memor, ciuitati parcat, propter maiestatem templi, quod in ea augustissimum ornatissimumq;

simumq́ extabat. cuius quidem amplitudo quadraginta porticibus ambiebatur, quarum quæque magnam hominum multitudinem capiebat, intus uerò nouem millibus ampullis, ex auro argentoq́ affabrè ductis, illustratum. Hoc eñ uno exornãdo, per multa secula, Aegypti reges thesauros ingentes profuderant. Temyres qui ad superstitionem usque in colendo Mahemethe omnem operam adhibebat, his precibus tandem delinitus, urbi & Templo pepercit. Multis muneribus cum sacerdotes donasset, abducto exercitu in Aegyptum properat. Soldanus ut aduentare Temyrem audiisset, Mamaluchorum ex agmine, totius Aegypti robur, duodecim millia hominum selegit, negotio illis iniuncto, ut quàm citissimis auersisq́ itineribus Damascum petant, certus ea recepta urbe, Temyrem, Aegypti expeditione omissa, ad hanc recuperandam reuocaturum exercitum, quod uel nunquam, uel admodum tardè futurum foret, cum uirorum fortium, inq́ bellicis rebus exercitatissimorum opera strenuè defenderetur. Interim sibi tempus & occasionem adfuturam, ut auxiliis supplementisq́ contractis, Aegyptum firmaret, compararetq́ exercitum, quem Temyri irrumpenti obiicere posset. Cæterum ne Temyres subita irruptione regnũ occuparet, ad Larim usque, antiquissimum solitudinis oppidum, progressus, quam firmatam præsidio, militibus suis custodiendam reliquit, ipse uerò cum triginta millibus equitum in Aegyptum se recepit, puteos omnes, atque restagnantem fluuium ueneno inficiens. qua re effectum, ut Temyris exercitus, qui unius diei interuallo fugientem insequebatur, magna clade absumeretur. Depopulata igitur Aegypto, in Cœlesyriam exercitum reducit Temyres, Damascum iterum obsidet, in tertium quoque mensem oppugnat. In urbe interim annona deficere cœpit, neque subsidiorum ex Aegypto spes affulgebat ulla, qua de re Mamaluchi qui in præsidio erant, ad Temyrem mittunt, qui inducias petant, quas cum in mensem haud difficulter impetrassent, prima noctis uigilia, per uniuersam à castris portam in Aegyptum discedunt, incertum an metu, an compacto urbem hosti ita prodiderint. Certum autem est, neminem fugientibus à Temyri immissum, sed eandem primo statim mane, defensoribus uacuam urbem oppugnasse & occupasse. Obtenta urbe, qui summus sacerdos sacris præerat, supplex Temyri accurrit, patriæ salutem deprecaturus. Tyrannus orantem complexus, cum omnibus Templi ministris, eorundemq́ familia, templum ingredi iubet. adiunxit se iis magna ciuium caterua, quæ tanquam in asylo, saluti suæ consultum existimabat. Decies ter mille homines eò confluxisse perhibentur. Occluso igitur Templo, lignis id circumstruere iubet. Rogo sic constructo, eundem iniecto igne, concremare pręcipit, dictitans, Hoc modo prophanatum templum, cum sceleratis sacrificulis, impiisq́ ciuibus expiandum. Se etenim à numine uindicem commissorum missum esse. nam sic Sarracenos, sic Christianos utrinque leges præuaricari atque uiolare. Funditus deinde diruta urbe, eam ita complanauit, ut eo abeunte, cum ciues redirent, qui fuga elapsi fuerant, thesauros suffossos ablaturi, regionem in qua cuiusq́ ædes locatæ fuerant, agnoscere nequirẽt. Trophæum erexit captæ urbis, tribus turribus summo ingenio, ex caluariis cęsorum, ædificatis.

Decreuerat

Decreuerat etiam Syriæ urbes omnes pari uastitate delere, at cum bruci cæteræq; muscæ exercitum eius uexarent, cœpto destitit, à Deo se admonitum his interpretatus, ut ea re temperaret. In Persidem igitur redijt, cum tributū Memphitico regi imperasset, Susam omnesq; eius regionis clarissimas urbes expugnauit & diripuit. Ninum urbem, quam Mussulam uocant, cuniculis effossis occupauit, occupatam incendio absumpsit, in cinerem resolutam, agri instar uomere conscissam, lupino & faba Aegyptia consæuit. His peractis, bellum ex professo cum Indorum rege suscepit. Nam rex Indorum regionem circa Cheriam omnem depopulatus erat. In Indiam profectus, regem obuiam habuit, qui quadringentos elephantos, singulis turribus & binis armatis instructos, ex aduerso constituerat, potu industriaq; iritatos, ut horrendo stridore Persarum & Zagathiorum aures perstringerent. Insueta belluarum species nō tantum hominibus formidolosa erat, sed equos ipsos adeò exterritos reddebat, ut nulla ui in hostem adigi possent. Vna & altera die pugna nequicq; tentata, donec ex proceribus Persarum, Saleyman sacar nomine, Hyrcaniæ regulus, periculum animo uersans, ingenio magis cum bestijs quàm uiribus, certandum uideret. Igitur Temyrem adit, persuadet hominem, ut camelorum aliquot millia (quorum magnā uim in castris habebat) lignis aridis oneratos, ante exercitum in hostem agere, in ipsoq; cōgressu incensis lignis, eos elephantis obijcere iubeat, fore tunc ut elephanti, quàm primum ignem sentirent, sæuiendo suos rectores excuterēt, atq; in suos impetum omnem uerterent. Cessit ingenio uictoria, ac quod nec Semiramis, nec Cyrus, nec Alexander efficere potuit, ipsum Indorum regem pacem ingenti thesauro redimere coëgit Temyres. Subiugatis hoc modo plurimis regionibus, deuictis regibus multis, afflictis urbib. innumeris, ex prædis manubijs & rapinis locuples, cum iam ab Oceano Hyperborico, quicquid Istrum & Nilum interiacet mareq; Mediterraneum, aut occupasset, aut terruisset, Temyres condidit apud suos Mercantam urbem, in quam familias, totoq; orbe deportatas diuitias deduxit, refersit habitatoribus, ornauit spolijs, legibusq; firmauit, ut breui, in totius Orientis nobilissimum emporium succreuerit. Senio confectus, atq; laboris pertæsus, filium natu maximum regno præficit, ipse uoluptatibus & ocio indulgens. Fertur quoq;, quoties à bello illi uacatio daretur, quod amori operā daret, ac natura mortales omnes libidine superasset, quod aluerit non paucos adolescentes, qui cinopalen coràm exercebant, ut ad coitū & ipse prouocaretur. Oderat in primis latrocinia, nihilq; unquā in singulis seuerius uindicauit. Ad superstitionem usq; erat religiosus. Iuramenti tenacissimus, & fidei datæ obseruantissimus erat. Quum locum ad capiendum adoriretur, primo die cādido utebatur tabernaculo, ac mox sibi locum dedi postulabat, secundo die rubro, tertio nigro in tentorio hospitatus. Candore deditiitijs pacem promittebat. Rubeus color uerò cunctantibus omnium puberum necem minitabatur, niger autem, certū erat & urbis & omnium mortalium excidiū. Crudelitate Hannibali non impar, ea enim populum infinitum, tot linguis differentem compescuit, ut inter tot capita nulla unquam seditio exorta sit. Alexandro nec animi magnitudine, nec fortunæ successibus cessit, mente totum orbem complexus.

plexus. Nam Baiazeti congressurus, suos adhortatus est, si uictoria illi obiin geret, ne cunctarent eam ipsam, ipsumq́ sequi, nam in animo se habere ex Asia in Europam traducere exercitum, atq; ad Oceanum usq;, ad ipsas Herculis columnas penetrare, traiecto deinde mari, Aphrica edomita, per Aegyptū ad Samarchandam se rediturum. Tot etiam susceptis expeditionibus, tot pugnis commissis, uictor semper euasit. Probauit ea consilia plurimum, quorum euenta fortuna quàm spe pleniora. Qui gestis ipsius interfuere, nec de corporis habitu mentionem faciunt, quòd tanto magis dolēdum; quanto pluris consentaneum est, aut corporis maiestatem facinora commendasse, aut formam despicabiliorem, generosiorem indolem obtegisse. Certè si nactus fuisset suarum rerum gestarum aliquem idoneum scriptorem, inter clarissimos imperatores facilè annumeraretur. Potuisset etiam ex ipsius interitu, qui in annū 1430. incidit, fractis iam Turcarum opibus, Aegyptijs adhuc trepidantibus, orâ Syriæ omni præsidio destituta, ac aliquandiu uelut prædæ exposita, cum Hierosolymis, Asianum uetus Christianorum imperium uindicare, si occidentales principes ad eam rem animū adiecissent.

Vssan Cassani Persæ incrementa, & res uariæ gestæ describuntur. Caput V.

TAmerlanem mortuum in regno sequuti sunt filij eius, Saehruchus (quē alij Scharoch nominant) maior natu, & Paiangures, qui alio quoq; nomine Miramshlach dicitur. Saehruchus, æquitatis uir studiosus, cum finitimis fœdera iungebat, paucos quidem annos, at pacificè regno pręfuit, fratrē à Iosepho quodam Armenia exturbatū restituit. Eo uerò mortuo Abdilatriphes Abubachir ei successit ex fratre nepos, prodigiosi roboris homo, cui nec cum fratribus, nec cum finitimis ullo modo conueniebat. is tandem fraterno ciuiliq́; bello, amplissimi regni opes, tanta uirtute auo quæsitas dissipàuit, ut Iosephus Armenius Syriam inuadere ausus sit, atq; expugnatam in potestatem suam redigere. Meiampures autem qui Armeniam occupauerat, & is à Thamisa, Tzokies filio, Paianguris nepote, regno exutus, Persæ cessit, donec Cassanus Longus, Assembecci nepos, Cappadocia subacta cęterisq́;, quas auus olim tenuerat, regiones obtineret. Extruso Thanisa, affinitatem cum Dauide Colchorum rege iungit, qui tunc Trapezuntis imperator dicebatur. Huic bellum intulit Mahomethus secundus Turcarum imperator, quod is Cassanum cum Trapezuntio & arma & consilia coniunxisse audijsset. Turca igitur cum in regionem Cassani, ingentibus copijs incursionem fecisset, atq; aliquot urbibus expugnatis, grauis immineret Armenio, prudentia fortissimæ uirginis, matris Cassani delinitus, copias abduxit. Ea siquidem tyranno prouinciam depopulanti, magnis muneribus obuiam profecta, & religionis & æquitatis illum admonuit, tantumq́; facundia potuit impetrare, ut pace Cassano data, aliò diuerteret Mahumetes, rectà scilicet in Colchidem ducens. Vbi obsessa urbe Trapezuntina, & regem Dauidem atq; totum imperium in potestatem recepit. Dauid Constantinopolim deductus, post filiæ stuprum, filiorum necem, & ipse excruciatus miserè, crudelissimè necatur. Hæc cum ad Vssani Cassanum (quem Longum diximus) perlata essent, magni belli inter Turcas & Armenios causam præbuerunt, quòd non solum Cassani auspicijs confectum, sed & Christianorum

in Europa degentium consilio susceptum & attentatum est, ut postea di-
cemus, si prius quæ de Cassano & eius incrementis tradunt, obiter indicaue
ro. Quàm modicis principijs, quàm luxurioso auctu, huius res successerint,
incredibile dictu est. Is enim Assembecci, quem alij Scenderem dicunt, ne-
pos, Cassani filius, eius scilicet, quem Baiazetes Armenia eiecerat. Is cum pa
rente castra Temyris diu secutus, quo in regnum restituto, ipse apud Temy
ris hæredes fidei, gratitudinis, atque uirtutis exemplis editis permultis, corun
dem auxilio, defuncto parente, Armeniæ partem à principio exiguam obti
nuit. at quo minor fortuna, eo maior uis, animique ferocia in rebus gerendis
Cassano erat, modicis sæpe copijs, innumeros exercitus fudit. Tzokies autē
qui Persiam regebat, hominis incrementa suspecta habēs, per legatos ipsum
admonet, ambitioni tandem imponat finē, contentusque rerum occupatarū
tranquille regere, quàm aliorum uires tentare malit. Nam nisi intra suos limi
tes in futurū se cōtineat, fore, ut publicus Persarum & Mahometi hostis ab
omnibus censeatur, omniumque in se arma conuertat. Hac legatione iritatus
Armenius, parū comiter exceptos legatos prouincia excedere iubet, ac Tzo
kię renunciare se propediem adfuturum, atque quæ in rem essent, oretenus ex
positurum. Responsum tam insolens uindicaturus Tzokies, ingentem cō-
parat exercitum, in Vssan Cassanum ducturus. At Lōgus etsi opibus mul
to inferior Persæ, animo tamen maiore, haud cunctatus est aduenientē ho-
stem, magnis itineribus ultrò excipere, sed intrepidè illi obuiā factus, castra
castris opposuit ferocienti. Persæ ferunt fuisse armatorum myriades qua-
draginta, Armenio uix totidem millia, cum collatis aciebus confligerentur.
Victoria tamen Armenio cessit, tanta Persarum clade, ut hoc uno prę lio uel
maximi imperij uires debilitari potuissent. At Tzokies auitæ uirtutis me-
mor, bellum quod per legatos gesserat, ipse instauratum ducere & confice-
re uoluit maiori quàm antea apparatu. Repetit igitur hostem, ad pugnam
quàm antea nihil omnino minus animatum, reperitque priorem fortunam ni
hilo propitiorē, sed inito prælio, id tāto calamitosius Persis fuit, quāto & nu
mero & æstimatione cędes fuit numerosior ponderosiorque. Siquidē hac pu
gna plures cecidisse ferunt, quàm in priore expeditione milites conscriptos
fuisse ac numeratos perhibent. Ipse Tzokies rex Cassani manu traiectus in-
terijt. Venit quoque in uictoris potestatem Persæ regis filius Cariasuphis,
hunc in magno apud se Cassanus honore habitū, regia appellatione digna-
tus est, tantisper quoad per otium, tutoris nomine res Persarum pacaret, tūc
receptis regni gubernaculis, insidijs extincto rege imaginario, ipse summæ
rerum manum adiecit, admirationeque uirtutum suarum, atque formidine
ingentis animi omnium sibi obuinxit animos. Potitus Persarum imperio,
animos sustulit ad tam insperatos successus. Syriæ atque Aegypto immine-
bat, sed à Mahumete Turcarum imperatore reuocatus aliud bellum cōtra
Turcas suscipere coactus est. Cum enim audijsset Turcam, socerum Da-
uidem crudeliter necasse, imperiumque Trapezuntium, quod ille ut dotale
sibi uendicabat, propter nuptias occupasse, legatos Byzantium mittit cum
preciosissimis muneribus, inter quæ alueus erat, tabulas habens, & tesse-
ras gemmeas, & in his labor nihilo materia inferior. hunc reperisse eum tra-
dunt.

dunt in thesauris Temyris, postquam Tzokien regem deuicisset, & regno spoliasset. Summa eorum ob quæ legati missi fuerant, hæc erat. Vt Mahometes redderet Colchidis imperium, quod cum abnueret Mahometes, & postulata auersaretur, iterum, qui missi fuerant, rogãt, bellum ne, an pacem cum suo rege mallet, qui quum bellum dixisset, confestim legati retrò abierunt. Cassanus igitur uidens bellum maximũ sibi imminere, maximis coactis copijs, rectà ad Euphratẽ tendit, quo per mare Euxinũ classe instructissima aduectũ, terrestri deinde itinere Turcã peruenisse audierat. Ductabat Turcarum exercitum Mustapha, præcipuæ indolis iuuenis, Mahometis filius. Is inito prælio cum Persis conflixit, at uictus fuga uix euasit, cumq; decem millibus militium amisit & Asmirathen Bassam, Græcũ hominem, olim Constantinopolitani imperatoris consanguineum. Nec multo pòst Mahometes ipse cum omnibus suis copijs ad id bellum est profectus, adq; ipsos Armeniæ montes iterum inter Turcas & Armenios pugnatum. ubi primo congressu, ex fortissimis Mahometi ducibus unus cum quadraginta millibus hominum ab Armenijs cæsus est. Hanc susceptam cladem Mahometes animo perturbatissimo tulit, ita ut uix hortatu suorum erectus belli aleam denuò tentaret. Inter igitur angustias montium castra locat, curruum quoque, quibus singulis binæ machinæ (quas Sclapotas uocant, inerant) nexu arctissimo, uallum à fronte hostibus obijcit, constitutis à lateribus sagittarijs. ubi ad pugnam uentum, cum Armenij temerè inueherentur, machinarum æneарum strepitu insonantium, equos exterruit adeò, ut non frenis, non alio moderamine inhiberi sisti ue possent. In tanta occasione sibi non defuit Mahometes, quin hostes sua sponte turbat, equitatum inuadit, tunc fœda fuga tetraq; cęde edita, Armeniorum castra diripiuntur. Finita ea clades Turcis quàm Armenijs calamitosior. desiderata sunt enim quadraginta millia Turcarum, cum uix decem milia ex alia parte cecidisse scribant. Filius Cassani Zeinale glande plumbea ictus tunc occubuit. Vt uerò res suas firmaret Cassanus, ad pontificem scribit sæpius cũ hostibus se pugnasse, reportasseq; uictoriam, ob preces Christianorum ad Deum habitas, tantoq; diuini beneficij memorem se Christianorum societatem non aspernari. Igitur pontifex Calistus tertius, ut bellum quod in Aegyptios adornarat, in Turcas conuertat, hominem hortatur. Miserunt & Veneti ad eundem regem suum legatum, qui cum eo amicitiam & fœdus coniungerent. Res inchoata eum euentum habuit, ut post omnium elusam spem, tandem & Barbari fœdus & affinitatem inter se inirent, & ipsi Veneti pacẽ à Turca mercarentur.

Syriam inuadit Turca, ab Aegyptijs ingenti clade afficitur. Caput VI.

HOc quidem tempore Syria à Turcis, Armenijs & Aegyptijs uariè uarijs in locis regebatur. nã Cassano mortuo, maior natu eius filius, qui cæteris necatis fratribus, imperium arripuerat, magnam Syriæ partem in potestatem redegerat. quod Mahometes ægrè ferens, trigintã armatorum millia, ducentas triremes, ac trecenta minora nauigia comparatat, Armenium non tantum ex Syria pulsurus, uerumetiam inuasurus Alcairi Soldanum. sed dum hæc is parat, diem suum obit, duobus liberis superstitibus,

t ij qui

qui procul ambo à Byzãtio aberãt, dũ Baiazetes Iconiũ administrat, Zizimus in Lycaonia uenatione, thermis, natationib. cõmessationibusq́ iuueniliter lasciuiebat. Formidãs Mahometes, id quod post eius mortẽ accidit, ut ex ephebis excessere, diuersis locis disiunxerat, ne imperio impliciti aut publicis negotiis intenti, alter alteri ob futurũ imperiũ insidias strueret. Nihilo minus tamẽ eo mortuo, factio inter fratres exorta est, dum Mahometes Visir Zizimo, Cherseolus Bellerbeius Baiazeti summã imperii adstruere nititur. Pugnatum est apud Niceã, in quo loco Zizimus uictus fugatusq́, insequentem hostem ueritus, in Syriam proficiscitur. Sacrorum tum causa, Hierosolymis templum Salomonis reuisit, ac tandẽ Soldano Aegypti seipsum cõmendaturus, Alcairum uenit, à quo acceptus humaniter, consolatus in aduersitatibus suis, auxiliorum consiliorũq́ spem habuit maximã. Aegyptius igitur anteq̃ ad manus perueniretur, legationibus discordias fratrum tentat componere, sed quia nulla pax sequebatur, Caramannũ regem, cui à Mahometo Cilicia & Mesopotamia ablata fuerat, in societatem belli recipit, deinde milites et pecunias Zizimo subministrans, ad bellum contra fratrem illum instruit. Cõcursum est ad Tauri iuga, ubi Syria à Cilicia diuiditur, sed iterum fusus ac rerum desperatione adactus, socios reges & hospitẽ adhortatur, ut tempori cederent, seq́ ad meliora seruarẽt, ipse Rhodum aufugit, ubi aliquandiu detentus, tandem Romam deductus est. Baiazetes interim per legatos præter cætera, Christi sepulchrum cum Hierosolymis & omni sacra prouincia Christianis pollicetur, si Zizimus illi traderetur. At Leonelli Cõcordiensis antistitis facũdia effecit, ut sub custodia Romę asseruatus & tutatus perduraret. Obiit tandẽ ueneno extinctus, Francorũ regi cum Cæsare Borgia Valentino duce, obses datus. Cadauer Constantinopolim delatum est. Qui si Matthiæ Pannoniarum regi datus fuisset, quod petebat enixè, res Christianorũ nõ solũ in Europa magnũ adiumentũ accepissent, uerumetiam in Syria res restitutæ fuissent in integrum. Mortuo Zizimo moliebatur Baiazetes bellum contra Soldanum Aegypti, quod Zizimo fauisset, instructaq́ classe opulentissima à Veneto senatu petit, ut in Cyprum liceret classem appellere, quod cum Venetis suspectum esset, publicè negatum fuit. At ne illud quod non dabatur pacate, ui obtineret ille, et ipsi Veneti classem instruunt, sub Frãcisco Priuolo, Cyprumq́ in locis opportunis, sagittariis Cretensibus muniunt. Itaq́ Barbarus classe sua, Lyciæ, Pamphyliæ & Cilicię oram prętereuectus, Syriam attigit. Ad Tauri iuga bis duo est dimicatum, fuitq́ inter Turcas & Mamaluchos pugna dubia & acerrima eo in loco, ubi Magnus Alexander olim memorabili pugna cum Dario conflixit primò, deinde apud Adanam Carmannię ciuitatem. Erant Turcæ numero plures multò, sed itinere fessi. Mamaluchi meliores equos & arma habebant, neq́ fatigati profectione. Passi sunt Turcæ eo tempore cladem, qua nullam maiorẽ unq̃ à quauis orbis natione acceperunt, exuti castris, in fugam coniecti, Calumbeium præfectum, & Cherseolum collegã eius captos amiserunt. Quadraginta quinq́ millia Turcarum desiderata esse ea pugna tradunt nonnulli, reliquiæ quoque quæ ex fuga ad naues se collegerant, fœda tempestate in portu maris, ad flumen Selphium, miserabiliter

ter deperiere, tãta quidẽ Baiazeti cõsternatiõe,ut etiã ignominiosam pacẽ à Sultano oblatã haud aspernatus sit.In annũ à Christo nato 1487.hoc quidã reijciũt,quo etiã anno Caithibæus Soldanus morit̃, Mahometo filio regnũ relinquẽs.

Ciuili Aegyptiorum discordia Syria quatitur. Caput VII.

SVb Aegyptijs iam Syria tota pace fruebatur, multisq; Christianorũ in Damasco,alijsq; locis Phœniciæ negociabantur,cum domestica fraude Mahometes Soldanus penè regia sede deturbatus perijsset.nam Campson quidã ducum inter Mamaluchos splendidissimus,factione fautorũ suorum rex salutatus, propemodũ regiã occuparat,sed tãdem urbe exclusus Chairo,Gazam peruenit,cum ala equitum,fugæ comite,eamq; urbem subita ui occupare nititur.At præfectus urbis latroni obuiam factus, cum eo quod in urbe habebat,armatorum præsidio,conserta pugna uictor euasit,Campsone cum alijs decem & septem ducibus occiso.Tot illustrium uirorum cæde elatus Gazæ præfectus,ambitioni q̃ fidei plus indulgens,Mahometem adit,uictoriam illi gratulaturus,ut præ se ferre uidebatur,sed re uera de occupando regno,& interimendo Soldano,consilium agitabat.Vbi uerò affectati regni in suspicionẽ se uenisse,periculumq; sibi imminere intelligit,statim concessit in Arabiam,magno eius gentis exercitu conflato, ac aliarum nationum coacta ingẽti manu,Chairum atq; ipsum Sultanum obsidet.Latebant per id tempus in urbe regia,ac per totum Aegyptum uiri fortes,qui cum Campsoo,olim contra Sultanum conspirauerant,inter eos præcipuus erat Lachimarus quidã,uir strenuus,ob res gestas magni nominis.Hũc sub fide accersitum,Sultanus cum præsidiarijs qui in urbe & arce erant,in Diadarum scilicet præfectum Gazæ mittit,quem Lachimarus statim fundit atq; fugat.Præfectus igitur cum octingentis circiter equitibus in Syriã iterum se proripit,adiunctoq; sibi Archniare Ptolemaidis præfecto,in agrũ Damascenum hostiliter irrumpit,urbem ipsam obsidet,Damascenos et eos qui in urbe erant milites,ad deditionem exhortans.Occurrit ei Caitrbeus Damascenus,cum sex millibus Mamaluchis,quos in subsidium illi Mahometes Soldanus miserat,quod ubi præsentit Diadarus,suis uiribus diffidẽs, soluta obsidione,Syriæ finibus excedit,ad Turcas cõfugiens. Damascenus hoste reiecto,nec ipse in fide mansit,quin uniuersa Syria cum Hierosolymis sibi adiuncta partim ui,partim uoluntate,ex professo fit Mahometis hostis, in eo uerò temperantior,quod rex dici noluit.Hoc in statu erant res Syriæ, cum Diadarus iterum Turcarum manu collectitia ac uoluntaria stipatus, in Syriam reuertitur,auxiliariorum manum habebat ad quindecim millia, quibus fretus Ptolemaidem obsidione cingit.Interim & Sultanus ipse & Lachimarus ueneno extinguunt̃. Auunculus Mahometis,Gilepes illi substituitur. hic statim inito regno, Tenebechum uirum in bellis exercitatissimum misit in Syriam,additis illi hominum quinq; millibus, ut obsidionẽ Ptolemaidis solueret.Pugnatum est uelitationibus ignobilibus multis, tandem extinctum bellum & Syria pacata,cum Tripolitana prouincia Diadaro permitteretur.Qua accepta,haud diu superstes fuit,sed ueneno mox,ut fertur,perijt.Nec Gilepes ultra biennium Soldanus fuit,sed mortuus habuit Iambellatũ successorẽ,quem Cassaron,qui adhuc Campsoo uiuẽte,à Ma

præsidia & oppida nobiliora obtinentes, tanti imperatoris accessu perterriti, obuiam procedunt aduenienti. Erant inter alios, qui ad placandum regis animum aduenerant, sacerdotes tres, doctrina & uitæ integritate insignes, qui in familiaritatem regis recepti, citius homini persuaserūt, ut sacris historijs, & prophetarum scriptis animum aduerteret. quibus breui tempore degustatis, Armenios ob religionem collaudatos, bona spe dimisit, nepotibusq; Vsancassani illam regendam permisit, atq; antiqua Christianorum oratoria, metu aut ui demolita restaurari. Deinde contra Soldanum Aegypti expeditionem parat Hismaël. Sed is cum omnem Assyriam & Mesopotamiam huic parere, atq; eius imperium suscepisse audijsset, pacem ab eo petit, quam quidem accepit, his conditionibus, ut arma, tormenta ænea, atq; alia bellica instrumenta Ismaëli subministraret, quoties opus esset, aut ab eo exigeretur. Iā multis regnis potitus erat, ac per integros annos quindecim, multis uictorijs clarus Ismaël, cum ipsa Europa cogitare iam cœpit, de conciliando sibi eius fauore. Ipse quoq; Tauro tenus progressus, urbes & oppida sibi subijciebat, Turcis ne in Asiam minorem irrumperent, terrorem incutiens, ipseq; Mahumet cū Gorague Bassa misso, excrescentem famam compescere annitetur. Dux belli à Persis uictus, prope Curiam ciuitatē, ac palo suffixus, deinde etiam fugatus Halis Bassa, famā hominis mirum in modū auxit. nec defuit sibi ipsi Ismaël, sed hinc inde per Asiā & Græciā nuncios mittebat, qui Turcas adhortarent, ut abiecta superstitione Mahometana, & habitū & persuasionē ipsius acciperent, alioqui se propediē adfuturū, & seruitute liberaturū se, quos iā Turcica premeret tyrannis. Mirū quantā hæc in animis hominū expectationē suscitauerint. etenim in ipsa urbe Constantinopolitana, erant qui ei optima quæq; ominabant, & loquebant de hoc Propheta. Qua re cōmotus Baiazetes imperio suo timens, supra ducētas domos igne iussit absumi cū habitatoribus qui Ismaeli fauere uidebant, publicoq; edicto sub pœna capitis uetuit, ne quis de hoc loqueretur publicè aut scriberet, ingenteq; cōscripsit exercitū ipsemet Hismaeli occursurus. At domesticis insidijs oppressus, expeditionē inire nō potuit. Siquidem Selimus filiorū eius natu minimus, bellicosissimus tamē, Capha Genuensib. extorta, atq; cōiuncta cū Tartaris amicitia & affinitate, iā imperiū Baiazeti ablaturus, accedebat. Nec postea alia cura fuit Baiazeti belli, nisi cōtra filiū sibi parare præsidia, quæ tamē habere nō potuit. Sed ui regno deturbatus, et ueneno extinctus est. Ac cū pari modo Selimus in fratres sæuiret, Acomathes Ismaelis auxilia implorat, qui Amurathem Acomatis filiū cū decē millibus militū in auxiliū patri submisit, at Sinami Bassæ uirtute & Persæ & Acomathes deuicti sunt. Selimus posteaq̄ cōsanguineos oēs, quos cōmodum habere potuit, è medio sustulisset, de ijs omnibus qui Acomathi fauerant, uindictam sumere decreuit. Quoq; id securius atq; expeditius efficere ualeret, solennes inducias cum Ladislao Vngariæ rege pactus est: ac pacem cū Venetis, quam Baiazetes eius pater constituerat, confirmauit. Sic anno à Christi natiuitate 1514. unà cum ducentis hominum millibus peditibus partim, partim equitibus, itinere sexaginta dierum contra Hismaelem regem profectus, non procul à ciuitate Arsengana Euphratem trāsiuit, ac prope Taurum inclytam regiamq; ciuitatem, in medio maioris Armeniæ sitam perue-

nit. Nec tamē unq̃ Sophis obuius illi est factus. Sed id tantum curabat, ut stramina, atq; ea quæ ad uictū pertinebāt, igne cōsumerent, quo Turcæ fame laborare cogerent. Verū cū Selimus in magnā Calderamæ planitiē inter Coin & Tauriū, ubi antiquitus Artaxata nobilis ciuitas extitit, peruenisset, Sophis rex unà cū equitatu, adeo armis equisq; pulcherrimis ornato, ùt nihil supra excogitari posset, sese hostib. ostēdit: nihilominus tamē neque pedites neq; machinas æreas habebat. Sed eī equi phaleris, laminibus chalybæis, ut Azemiæ fiūt, elaboratis, sic exornabant, ut equites ipsi Turcis inermib. defessis, ac fame laborātibus cōparati, duces esse uiderent. Enimuero Princeps Sophis, quū sibi pararet imperiū, cū Armenis, Persis, Medis et Assyrijs suorū quatuor regnorū, quæ nūc Tauris, Sumachi, Sciras & Bagadat uocāt, primorib. populis sæpius pugnarat, ac semper egregie uictor euaserat. Quāobrē perpetua hac felicitate elatus, Turcas numero suis lōge superiores, nihili faciebat: neq; quid sibi euenire posset, si æquo marte in prælium descēdisset, animo perpendebat. quemadmodū hi consueuerūt efficere, qui fortunam nunquam experti sunt contrariam. Et sanè semper cum militibus tumultuarie ac de improuiso, ut bellandi necessitas cogebat, ex populis, quos superius paulò memorauimus, collectis sibi res fuerat. Turcæ uerò ueterani milites erant, bellis ac uictorijs perpetuo assueti, ad quancunq; necessitatem sufferendam nati, quo certam uictoriam ex quauis tentata prouincia referrent. id quod ipse forsitan minimè cogitabat. Vtut fuerit, nono Calend. Septemb. exercitum in duo amplissima cornua diuisit, quorum alterum Vstaolo summæ autoritatis duci commisit, alterum sibi ducendum seruauit, ac mox tubicinibus classicum canentibus, Cassanum Bassam Romaniæ Bellerbeium aggressus est. Præerat is sinistro Turcarum cornu, dextrum Sinamus Bassa tenebat: medium uero Selimus cum Ianizaris tuebatur, circundatus camelis in ordinem dispositis, ac machinarum ænearū curribus ab utroq; latere & à tergo collocatis. Verū primo congressu Sophiani tanto impetu hostes inuaserunt, ut Turcæ inermes, equosq; inualidos habentes, resistere minimè potuerint. Etenim Sophiani & longioribus & breuioribus hastis uariè hostem impetentes, ensibusq;, quos Cimitarras uocant, ac optimis securibus ferietes, homines atq; equos subuertebāt. In hoc congressu Belerbeius unà cum quatuor Saniachis, ac militibus quamplurimis periere. Porro altera ex parte, quum Vstaolus inimicorum dextrum cornu inuasurus esset, Sinamus astute ipsum aperiri, atque æreas machinas quas Falconctos appellant, exonerari iussit: quæ Persis, antequam cominus pugnare possent, maximum & terrorem & damnum intulere. nihilominus tandem pugnatum est, licet ob fumum atq; ob puluerem pugna ipsa satis esset obscura. Vstaolus unà cum multis è suis occisus est. Cæteri uero Sinami equitatu circundati ac repulsi, in cornu medij frontem, ubi Selimus cum exercitus neruis erat, impingere coacti sunt, atq; ibi demū omnes ereæ machinę, additis etiā paruulis, quas Ianizari ferebant (Scopietos eas uocāt) globulos suos emisere, atq; indiscriminatim tā Turcis q̃ Sophianis nocuere. Quā ob causam Sophiani ipsi prius q̃ ad Ianizaros peruenire potuissēt, in fugā conuersi sunt. Hismael scopieti glande in scapulis uulneratus, uexilla

ac

ac plurimos ac egregios charosq; milites amisit. Et nisi puluis obscurissimus eripuisset uisum, sine dubio & ipse aut morti aut captiuitati obnoxius extitisset. Interea uerò dum manus consererent, Selimus semper inter Ianizaros mansit, nullis armis præterquam trilici collario indutus. Verum fideliores Spachi et Solachi maiores quosdam clypeos circa principem erectos tenebant, ut ipsum ab immissis sagittis tuerentur. Ex ueridicorum hominũ qui huic pugnę interfuerunt, relatione accepi, inter cadauera interfectorum fœminas nonnullas, Persarum nimirum uxores, repertas fuisse, quæ more uirorum armatæ, maritos in quencunq; fortunæ euentum sequebãtur. Eas Selimus honorificè sepeliri iussit. Porrò huiuscemodi uictoriæ fama totam Armeniam adeò perterrefecit, ut ipse Sophis Taurij consistere nõ audens, ulterius ad instaurandum exercitum progressus sit. Verum Selimus ut optimus dux, uictoriæ recens partę calore usus, Taurium cũ expeditiore equitum manu profectus est, atq; in ipsa urbe, quam sine pugna deditam accepit, per aliquot dies est commoratus. Mox quum Hismaelem, congregatis ex omnibus suis prouincijs militibus, Taurium aduentare audisset, principis palatium ac mercatorum plurimorum ædes pulchrioribus & preciosioribus rebus expoliauit: præterea pecunias à ciuibus exegit, ac demum inde discedens, multas artificum ac nobilium familias secum abduxit. Quũq; iam ad Euphratem longis itineribus peruenisset, maxima ac fortissima latronum Hiberorum Hismaeli subditorum turma, transuadantes Turcas à tergo populabunda inuasit, atq; ex ipsis plurimos ex itinere defessos, & ad reliquum exercitum subsequendum tardos interfecit. Postea uero quàm fluuium Selimus transisset, ab Aladulo principe maxima & molestia, & damno affectus est. Etenim is in fluminum transitu atque in montium angustijs Turcicum exercitum, præcipuè uero milites extra ordinem uagantes assiduè infestauit, Selimo sæpius iurante, se huiusmodi iniurias uere nouo uindicaturum. Cæterum hæc Calderamia uictoria incredibilem autoritatem Selimo peperit, qui itinere dierum uiginti longius quàm Mahometes ipsius auus progredi ausus esset: atque in hoc peculiariter commendabatur, quod per ipsum iam omnibus manifestè pateret, Sophianas uires non usq; ad miraculum excellere, quemadmodum prius fama creditum erat. Nam ut uerũ fateamur, ipsius Sophis exercitus non ex militibus ordinario stipendio cõductis constat: sed ferè omnes ad principis imperiũ conuenire, ac pro priã tueri patriã benè armati iubentur. Id sanè uerum est, centum Persas ob equorum atq; armorũ apparatũ cum quadringentis Turcis posse congredi. Verum ipsi Persarum reges cõmoditate suscipiendarum in remotas prouincias expeditionũ omnino carent: quoniã neq; consuetudinẽ, neq; facultatem stipendiorum, tam pacis, quàm belli tempore soluendorum habent, sicuti Ottomanios principes habere certũ est. Persæ enim stabiles atq; idoneos ad bellandũ pecuniarũ prouẽtus non possident, quũ populi ab antiquis tẽporib. liberi ab omnib. ferè uectigalibus sint. Vnde etiã est, ut nullos peditũ ordines perpetuò alãt, neq; multũ machinarũ ęrearũ secũ ducãt: quibus tamẽ duabus pręcipuè rebus quoduis bellicũ quãuis difficile negociũ supe rãt. Sed ut ad Selimũ redeã, Turcicus exercitus eo anno in Trapezõtia atq;

Amasina prouincia hyemauit. Anno uerò qui proximè insecutus est, nimirum 1515. ut acceptas iniurias uindicaret, bellum contra Aladulum principem mouit. Is Cappadociæ montes illos, quem Taurum uocant, propè Euphratem incolit, ac regni sui fines terminat cum Sultano quidem Alepum uersus, cum Sophi uerò prope minorem Armeniam, cum Turca autem urbe quadã, quã Orsam nominãt, Amasię Saniacatui atq; Iconio opposita. Et ualles sanè aliquot fructiferas, uerum plures syluestres & saxosas possidet. In ijs autem Costagelus dux difficiles quosdam transitus, iter hostibus impediturus munierat. Verũ labor omnis frustra insumptus est. Sinamus enĩ locorum angustias omnes penetrauit, plurimisq; illarum gentium turmis profligatis, ac præsidijs deturbatis, tandem cũ Costagelo inter montes conflixit, atq; eum in fugam conuertit. Sed enim Costagelus persequente Sinamo ab incolis proditus, in Selimi manus peruenit, qui eum capite puniri imperauit, atq; ipsum caput Venetias in uictoriæ signum misit.

Selimus Turca & Syriam & Aegyptum inuadit. Caput IX.

VErumenimuero quum adeò fœlici rerum successu Selimus suum imperium, debellatis Persis atq; Aladulo castigato stabilisset, cum ob audaciam inde sumptam, tum ob triumphorum cupiditatem Campsoni Ciauro Alcairi Sultano bellum inferre constituit. Et Campson quidem ipse cum ingenti exercitu eodem tempore ex Aegypto in Syriam uenerat, Alepum concessurus, ut Caierbeium eiusdem urbis principem, subditum suis imperijs, sed parum amicum ac parum obsequentem, & principatu & uita priuaret: atq; ut Turcarum finibus propinquus Selimo terrorem incuteret, ac experiretur an autoritate sua res Sophis cum ipso Turca componere ualeret. Nam potentia ac fœlicitas Selimi reuera iam omnibus timori erat: optimeq; Sultanus ipse considerabat, Turcis deuicto antea Caramaniæ rege, prostrato nuper Aladulo, ac Sophi grauiter depresso, nihil amplius obstare posse, quominus Syriam, quum liberet, inuaderent. Comitabantur Sultanum quatuordecim millia Mamaluchorum, ac totidem subserui armis, equis, atq; alijs egregijs ornamentis adeò excellentes, ut nihil omnino pulchrius uideri possit. Mamaluchorum pleriq; genere Circassi erant, omnesq; ex eorum numero qui Christo ualedixerunt: uerum homines robusti & in pertractãdis armis ac sagittis, etiã equitando eiaculãdis agiles, ingenio tamen adeò elato ac superbo, ut sese omnibus hominibus præferrent: sed præcipuè Turcas, quoniam eos antè prope Tarsum tam facile fugarant, ue luti pecora contemnebant. Interea Selimus cum exercitu Cæsaream uenerat, ex quo loco cõmode uel Euphratẽ traijcere, atq; in Persam mouere, uel Amanum montẽ transire, ac Syriam inuadere poterat. rumor tamen diuulgabatur, ipsum cõtra Persas iturum. Nihilominus quandiu Cæsareæ mansit, oratores quãplurimi ac literæ à Sultano ad Selimũ & è cõuerso missi fuere. Porrò Caierbeius Turcã subinde admonebat atq; inuitabat, ut in Syriã transiret, simulq; pollicebatũ se à domino suo ad ipsum defecturũ, queadmodum & fecit, ac deniq; certã Turcis uictoriã promittebat. Cæterum, quum iam Sultanus Amanum ciuitatẽ, antiquitus Apamiam dictã, inter Damascum

ſcum atq; Alepum,perueniſſet,eo nimirum animo ut Alepum ſtatim inuaderet,Selimus tandem Sultanum ipſum aggredi decreuit:ſicq; ad dextram conuerſus,incredibili celeritate montem Amanũ pertranſiuit,Ianizaris atq; Aſapis æneârum machinarum currus ſuper humeros geſtantibus. Quod quum Campſon audiſſet,iam non Caierbeium caſtigare,ſed ſeipſum à Turcis tueri,ac uindictam in aliud tempus differre ſtatuit. Vnde etiam Caierbeium ipſum orauit ut prope Alepum,ſecundum paruulum fluuium à ueteribus Singa uocatum,in caſtra concederet. Id quod Caierbeius haud inuitus fecit,nõ quidem ut Sultanũ iuuaret,ſed ut proderet.Inter hęc Selimus de repente hoſtibus ſeſe oſtendẽs,Mamaluchos,qui ſub Sybeio Beluamo Damaſci principe ac primi nominis duce erant, inuaſit.Sed Mamaluchi eo in congreſſu uiriliter agentes,Turcicos equites à Muſtapha paulo ante in Belerbeium aſſumpto & Imbracore Baſſa in pugnam deductos diſſiparunt. Erant præterea & aliæ tres Mamaluchorum claſſes, quarum unam Caierbeius ducebat:qui longo ambitu hoſtes circumiens,impedimenta atq; homines ad bellandum minime idoneos à tergo aggredi uelle uidebatur. Alteri Lãbardus Gazelles ueteranus ac fortiſſimus dux præerat,qui etiam Sinamum Baſſam fortiter inuaſit.Tertiam,quę ad duo miliaria remota erat,Sultanus ipſe per ſe ductabat.Sed enim quum Gazellis ac Sybeij turmæ uſq; ad Ianizaros penetraſſent,& ab ijs & ab æreis machinis adeò egregie repulſi ſunt,ut non ſecus ac in Sophiano conflictu antea Perſis acciderat,laxatis habenis retrocedere coacti ſint. Quamobrem Sinamus fugientes inſecutus, eos in Sultani claſſem impingere compulit:qui quidem uiſa ſuorum fuga, & Caierbeij proditione audita,nimio dolore perculſus ex æquo inter fugientes dum cecidit,equorum non minus ſuorum quàm hoſtium pedibus attritus, uitam finiuit. Ad hæc Tripolis princeps ac Sybeius,qui equitandi peritia nemini cedebat,interfecti ſunt. Gazelles euaſit, ac collectis in unum,qui ſuperfuerant,Mamaluchis,Damaſcũ ſe contulit.In eo conflictu plurimi excellentes equi,nimiũ cum laborem tum calorẽ ſufferre nõ ualentes,medij crepuere:pugnatum eſt enim nono Calend.Septemb.ſicuti duobus retro annis eodem die & ſimili fortuna cum Perſis pugnatũ fuerat. Sultani cadauer illæſum,quod ad uulnera attinet,inuentũ eſt.Fuerat Sultanus ipſe homo admodum pinguis,ſeniocp iam cõfectus,ut qui ſeptuageſimum ſextũ annum ageret,præterea hernioſus:id quod illi etiã præcipua mortis cauſa fuit,quando ob huiuſmodi impedimentum in fuga celeriter equitare non potuerit.

Hieroſolyma obtenta,Selimus Alcairum obſidet & expugnat. Caput X.

VErum ut ad Selimum reuertamur, egregia hæc uictoria Syriæ portas omnes Turcæ reſerauit. Nã Alepum, Amanum, ac Damaſcum profectus,ſummo cũ gaudio tanq; populorũ è tyranni manibus liberator, ab omnibus exceptus eſt.Mamaluchi uerò omnes,tam qui aufugerant, q; qui maritima loca tuebãtur,Alcairi conuenerunt,ac Tomõbeium Alexandriæ præfectũ(Armiralium nũc uocant)Circaſſum quidem genere, ſed homine cũ egregij corporis,tũ inuicti animi dotibus,regiã dignitatẽ præ ſe ferentẽ,Sultanum creauere.Is ſtatim quicquid ſeruorũ,quicquid Arabũ inuenire potuit,ſimul cõtraxit,ad Rhodũ miſit qui machinas æneas afferrẽt:prę

terea Mathareã Alcairo uicinam exacte muniuit, relicto in Iudeę Gaza Gazelle cum militum manu non contemnenda, qui hostium transitum impedirent. Verumenimuero Selimus, ubi noui Sultani bellicum apparatum audiuit, petere omnino Alcairum constituit. sicq; inter eundũ Hierosolyma profectus, atq; ibidem per aliquot dies commoratus, templum inuisit, monachisq; eiusdem loci incolis eleemosynam dedit. Sinamus autem cum uiginti millibus equitum ac plurimis Ianizaris scopietarijs (ut uocant) imperatorem præcedens, prope Gazam cum Gazelle conflixit, ac Mamaluchos tandem post cruentam pugnam fudit. Gazelles accepto in ceruice uulnere, præter omnium opinionem è medijs Turcarum turmis euasit. Porrò Sinamus Mamaluchorum capita cum suis illis demissis barbaris secundum uiã ad palmarum truncos affigi curauit, ut à Selimo illac trãsituro postmodum uiderentur. Selimus uerò ea uictoria lætus, quàmplurimos utres parari iussit, quibus aqua per arenosa deserta ferri posset, atq; exercitum Alcairũ uersus direxit, quo in itinere sæpius cum Alarbis, quos uocant, pugnatum est. Tandem Selimus Mathaream, ubi balsamum nascitur, ab Alcairo circiter quinq; miliarijs distantem peruenit: quem locum Tomombeius æreis machinis, fossis, & apertis & occultis, maximisq; propugnaculis, ne patêret hosti transitus, munierat, ibiq; castrametatus milites sub papilionibus esse iusserat. Cæterum quum Turcicus exercitus illuc appropinquasset, duo Mamaluchi ex Albania oriundi, meliorem fortunam quæsituri, è castris ad Turcas ipsos transfugere, Tomombeijq; consilia Sinamo conterraneo suo manifestantes, loca ostenderunt, ubi fossæ cratibus canneis coopertæ, quę præcipites exciperent equos, latitabant. Ad hæc, ubi & quomodo æreæ machinæ dispositæ essent, indicarunt. Id quod procul dubio in causa fuit, ut postea Selimus uictoria potitus sit. magno enim circuitu ad sinistram arrepto itinere, præparatas insidias euitauit. Tomombeius, ubi rerum à se dispositarum ordinem proditione retectum uidit, spe omni iam ferè destitutus, machinas ipsas aliò traducere conatus est. Verum quum non ex ære, sed ex ferro, ut antea fieri consueuerant, cõfectæ, atq; in trabibus quibusdam multo ferro munitis, non super currus collocatæ essent, difficulter deduci poterãt: nihilominus leuiores aliquot curribus impositas secum accipiens, contra Turcas profectus est. Nullibi unquam memoria hominum crudelius pugnatũ est, quũ uterq; princeps uitæ, honoris, atq; imperij omnem spem nulla alia in re q; in uictoria posuisset. Gazelles maxima militum multitudine stipatus, Sinamum est adortus. Magnus uerò Diadarus Mustaphæ cornu inuasit: Sultanus autem ipse in Selimi ordines inuectus est: ac prius quidem ex utraque parte machinæ æreæ globulos in hostes, maximis militum acclamationibus emisere. Mox ingens Mamaluchorum numerus Turcas circumdedit, ac circum impedimenta maximum excitauit tumultum. Verum in medio maior strages est edita, in qua etiam fortis atq; egregius eunuchus Sinamus interijt. Iamq; uictoria ad Mamaluchos inclinare uidebatur, quum Selimus Ianizaris ut suis adessent, signum dedit. Hi uero seruato ordine progressi, quadam ueluti grandine globulorum è scopietis quos ferebant emissorum, Mamaluchos ilico terga dare coëgerunt. Ergo Tomombeius, ubi pugnando

do strenui etiam militis officio functus esset, ad Alcairi portas se contulit, ut exercitus reliquias colligeret. Idem fecit & Gazelles, sicq; ambo incolumes euasere. Diadarus autem ac Bido præfectus, incredibilis fortitudinis uir, læ talibus acceptis uulneribus, capti sunt, quos Selimus non ita multo pòst, ad expiandos Sinami manes interfici iussit, testatus se tantum è Sinami morte doloris, quantum ex parta uictoria lætitiæ accepisse. Tomombeius autem sapientes reges imitatus, qui etiam in aduersis animo semper infracto sunt, Mamaluchos hortari cœpit, ut munire urbem, atq; in singulis uicis, imò in singulis domibus contra hostem persistere uellent: præterea plus quàm sex mille seruos Aethiopes manumisit, atq; ad id bellum armauit. Ad hæc Alcairi ciuibus persuasit, ut se à communi omnium, crudelissimoq; hoste tuerentur: sicq; effectum est, ut summa diligentia dignioribus urbis locis munitis, ujs omnibus interclusis, etiam fœminæ ad hanc ultimam pugnam disponerētur. Selimus uerò huiusmodi apparatus optimè norat, nimirum per eos seruos, qui ad ipsum transfugientes Sultanum deserebant: quemadmodum plerunq; fit, ut aduersa domini fortuna beneficiorum acceptorum memoriam seruis adimat. Magna igitur solicitudine curabat, ut exercitus quàm citissime fieri posset, uires recuperaret, ac præcipuè ut uulnerati medicorum auxilijs iuuarentur. Tandem quum quarto post commissum prælium die Alcairum ingredi decreuisset, Ianus Bassa Ianizarorum cohorte ac nonnullis equitibus, nec non & machinis æreis secum ductis, primus urbē est ingressus, per eam portam quę Bassuela uocatur, quo in loco nō ita diu pugnatum est. Selimus paulò post hunc est insecutus, ac sic demum Alcairi ciuitatis egregiæ loca paulatim expugnata sunt, sed adeò difficulter, ut aspera illa atq; cruēta pugna, per duos dies ac totidem noctes, cum utriusq; partis ingenti strage perseuerauit. Tandem bona Mamaluchorum pars in magnam quandam Meschitam concesserunt: ubi quum pugnando defessi etiam fame laborare cœpissent, uitam cum Turcis prius pacti sese dedidere. Verum Selimus promissis minimè stetit: nam eos omnes Alexandriā missos, in carcere decollari iussit. Tomombeius cum Circassorum parte trans Nilum profectus ad instaurandum bellum milites congregare, Mamaluchosq; omnes ac multos Arabum duces ad se uocare. Gazelles autem prudentium uirorum exempla secutus, qui posteaquam quod officij sui est præstitere, cum fortuna, ne penitus frangantur, inducias agunt: ad Selimum uenit, seq; illi ut dignissimo uictori dedidit, ac pollicitus est se Turcis eadem fidelitate inseruiturum, qua Sultanis antea inseruierat. Selimus humaniter hominem excepit, atq; inter suos duces locum ei non infimum concessit. Octauo inde Calendas Februarias anni 1517. Alcairi arcem ingressus est, quæ in colle haud admodum eminenti sita, deauratis pictisq; ædificijs, fontibus, hortis, ac plateis miro artificio stratis pulchrior, quàm muris munitior est: etenim ipsius & portæ & fenestræ precio sissimis rebus, nimirum marmore, ebore atq; ebeno egregiæ insculptis ornantur. Necq; ita multo pòst Selimus prope Bulachum uicum, è nauibus pontem supra Nilum construxit, ut commodius contra Tomombeiū flumen transiret. Quo perspecto, Tomombeius partem Turcici exercitus, quæ trans pontem castrametata fue-

rat, de improuiso adortus, tumultuariũ cõflictũ inijt. In quo quũ Ianus Baſſa periclitaretᷓ, Canolius affinis Selimi, occupato adhuc à Ianizaris, qui non dum oẽs pertranſierãt, ponte, Nilũ cũ Tartarorum manu natãdo trãſgreſſus eſt, ut celerius ſuis adeſſe poſſet, id quod ob Nili profunditatẽ immẽſam miraculo penè aſcriptũ eſt. Porrò Tomõbeius, quum inſtaurata ſæpius maximis uiribus pugna, in qua & ipſe proprijs manibus egregia facinora edebat, impetũ Ianizarorum ac Tartarorum diutius ſuſtinere nõ poſſet, aduerſam fortunã execratus, rebus ſuis ſuga cõſuluit. Selimus aũt ubi Tomõbeiũ cum paucis effugiſſe accepit, Muſtaphã unà cũ Caierbeio & Gazelle, qui regionẽ optime norãt, ad eũ inſequendũ miſit. Vnde infœlix Tomõbeius per principẽ quendã Maurũ proditus, atq; in palude, ubi inter cannas et iuncos pectore tenus in aqua latitabat, inuentus, ad Selimũ perductus eſt. Selimus aũt adhibitis tormẽtis hominẽ uexauit, ut quonã in loco theſauri Cãpſonis Ciauri eſſent, ex ipſo agnoſceret. Sed Tomõbeius incredibili quadã animi cõſtantia, nihil unq; indicauit. Verum Selimus nõ ita multo pòſt, ut omnẽ defectionis ſpẽ populis adimeret, Tomõbeium mulæ inſidentem, atq; annexum gutturi laqueũ habentẽ, per totã urbẽ duci, ac demum prope portã Baſſuelã tertio Idus April. ſuſpendi iuſſit: omnib. crudele hoc ſpectaculũ deplorantibus, atq; iniquã fortunã accuſantibus, quæ ipſum Tomõbeium ob ſingularẽ uirtutẽ ad imperium uocauerat, ac mox regũ omniũ qui unq; miſeri extitiſſent, miſeriorẽ effecerat. Sublatis his duobus Sultanis, unà cũ ferè tota Mamaluchorum ſuperba progenie, prouinciæ oẽs etiam quæ in extrema ſinus Arabici parte ſitæ ſunt, Turcis ſeſe dedidere. Selimus uerò poſt hæc Bulacũ petijt, ut Nilum iucundiſſimè illic excreſcentẽ uideret. Inde Alexandriã profectus eſt. Ex quo demũ loco Alcairum reuerſus, Caierbeiũ adminiſtrãdis paulò antè deuictis prouincijs præfecit, ut proditionis in Alepino cõflictu factæ id illi premiũ foret. Sed enim Ianus Baſſa, qui munus hoc honorifficum ſibi tradi uehemẽter optabat, id ægerrimè tulit. Vnde etiã id honoris Caierbeio inuidens, curauit ut Ianizari, qui Alcairum cuſtodiebant, ſtatim à principis diſceſſu in unum collecti tumultũ excitarẽt, quo Caierbeius ob id male audiret apud oẽs. Verum ſcelus in autorẽ recidit. Nã Selimus, cognita Iani fraude, in itinere nõ procul ab Alcairo capite eum puniri iuſſit, ut omnibus oſtenderet nõ eſſe aduerſus imperatorem tumultu militari ludendum. Mox quũ in Syriã ueniſſet, eius prouinciæ adminiſtrationẽ Gazelli cõceſſit, Turcis iã inter ſe murmurantibus, quòd princeps proditoribus fideret, ac Turcicorum ducum officia parui æſtimaret. Tandẽ Selimus Cõſtantinopolim peruenit, quo in loco ſub Pyrrhi Baſſæ magnæ fidei ac ſingularis prudentiæ uiri cura, Solimanũ unicum filiũ ut reliquerat, ſic inuenit: licet antea ueritus (ut multi indicarũt) ne ſibi abſenti Solimanus imperium adimeret, quẽadmodum ipſe Baiazeti patri ademerat, quũ ueſte quadã ueneno intincta dono miſſa filij uitæ pater inſidiatus eſſet. Neq; ita multo pòſt Selimus domi agens, ulcus in renibus cõtraxit, quod canceris in morẽ ſerpens, cã corporis diſpoſitionẽ, quã cõplexionem uocant, paulatim turbauit, atq; omnia bellandi conſilia expulit. Pòſt paulum etiã peſtifera febris hominem inuaſit, ſicq; iã morbi tędio ſibi ipſi grauis, uictorijs ac triumphis exaturatus mortem

mortē obijt, salutis nostræ anno 1520. in mense Sept. in eodē pago Ciurlano, ubi prius cū patre cōflixerat. Quod nō sine manifesto Dei iudicio factū est, ut quo in loco peccatū cōmiserat, ibidē & pœnas solueret. Præfuit imperio annis octo: agebatq́ᵱ, quum obijt, ætatis annum quadragesimum sextū.

Syriam rebellem Solymanus Turca in potestatem redigit. *Caput XI.*

SOlimanus unicus Selimi filius suffectus est patri, anno 1521. Nec parū Christiani principes Selimi tam fortis ac fortunati hostis morte lætati sunt, sed præ cæteris prudētissimus Papa Leo decimus tantū ex ea re concepit gaudij, quantū tristitiæ paulò ante, audito Sultani interitu acceperat. Nā eo interitu nūciato, litanias ac supplicationes publicas, in quib. homines nudatis pedib. incederēt, Romæ haberi piè curauerat: legatos per totā Europā miserat, qui id efficerēt, ut Christiani in unū coeuntes, cōtra Christianorum omniū hostē arma sumerēt. Nihilominus quod ad Solimanū attinet, omnibus uidebat̄ mitē agnū rabido leoni successisse, quū Solimanus ipse iuuenis rerū imperitus, ac natura (ut ferebat̄) quietissimus esset: quæ tamē falsa opinio multos, atq; inter eos Gazellē præcipuè fefellit. Etenim is defuncto Selimo, cui se iuramēto deuinxerat, ueluti iā liber, Syriā sibi subijcere proposuit. Vnde et reliquias oēs Mamaluchorū excipiens, regionis simul incolas, nec nō Alarbiū duces ad se blāditijs alliciebat: præterea sese Magno Rhodi magistro insinuauit, ut machinas æreas, quæq; ijs necessaria sunt, insuper arma ac triremes inde acciperet. Ad hæc legatū occultè Alcairū ad Caierbeiū misit, qui eū hortaret̄, ut de iniurijs et sanguine Circassorū effuso uindictā sumeret: atq; occisis Turcis, principē se cōstitueret, Sultanicūq; imperiū denuò instauraret. Verū Caierbeius Gazellis ueteris inimici uerbis minimè fidē adhibēs, aut fortasse maiorē q̄ pro suis uirib. difficultatē in huiusmodi peragēdo negocio futurā cōsiderans, legatū interfici iussit, ac Solimanū eius rei admonuit. Solimanus Faratē Bassam cū ualido exercitu statim in Syriā misit. Quod quū audisset Gazellēs, licet iā Baruti ac Tripoli aliisq; in locis plura Turcarū præsidia expugnasset, terrore tamē perculsus, Damascū sese recepit quò quidē & Farates lōgis itinerib. tandē peruenit. Cæterū Gazelles nihil aliud suis rebus magis expedire arbitratus, q̄ ut fortunę oīa cōmitteret, quę aut uictoriā, aut mortē generoso duce dignā afferret, exercitū, quē cōgregarat, extra urbē duxit, ac mox cū Farate cōflixit. Sed enim in eo conflictu ipse unà cū Mamaluchis omnib. trucidatus est. Farates uerò una hac uictoria & Syriā recepit, & Caierbeii totiusq; Aegypti fidelitatē erga Solimanū cōfirmauit. Belgrado & Rhodo deinde expugnatis & occupatis, Caierbeus qui 40 naues ex Alexādria rebus ad bellū necessariis onustas miserat, morit̄. cui Acomates Bassa, quod ad administrationē attinet, successit. Verū is, quum parum suo principi fidelis esset, occupare Sultanicum imperium proposuit, sed id quidem parum consultè, quoniam in ipso pertractandæ rei huius initio à Turcis eo fidelioribus captus atq; interfectus est. Quam ob causam Solimanus Hebraimum Bassam Alcairum misit, ut is res turbatas cōponeret, qui omnia singulari prudētia subitò pacauit. Mox principis, qui eum diutius abesse sufferre non poterat, amantissimis literis reuocatus, Constantinopolim rediit: ac nō ita multo pòst Bellerbeia dignitate donatus est.

u ij Conrado

CONRADO VVESCHER HOSPITALI SA CRARVM AEDIVM IN BENVVILER CVRATORI

Ioannes Herold Hochstettensis S. D.



QVi hospitalitatem laudāt Conrade optime, ij certè & sanctè mihi facere uidenť, & eā quidē uirtutem extollere, quā inter oēs alias omnis ætas, omnis persuasio, omnis Resp. bene instituta semper admirata est, atq; in summa habuit ueneratione. Quis eīn nescit magnos illos uiros Abrahamū atq; Loth hac una suis tēporibus omniū sibi animos deuinxisse? Certè apud Hebræos, qui sanctissima & certissima religione imbuti fuerunt, id Ecclesiastis & Hesiodi in omniū ore uulgatū iactabať, Hospitio fratrē fieri. Christus ipse inhospitalibus cōminať. Paulus qui sacris præsunt, ab hospitalitate laudat. Græci olim Ioui Xenio templum cōstituerant, uno illo opere, q̃ alio quouis magis eum placari existimantes, imò in mulierculis, etiam infamis conditionis, laudari ea meruit, quādoquidem alia nulla ratione Raab Hiericūtina & Canusina illa Paula clareant. Hinc quoq; Molorchi, Iani, atq; Euandri, atq; adeò totius Germaniæ olim nomen tam celebre, quod etiam Tacitus maximè probat, Conuictibus (inquiens) & hospitijs non alia gens effusius indulget: quemcunq; mortalium arcere tecto, nephas habeť. Quorsum hæc? inquies. Vt ostendam Conrade optime, me haud tā stupidū esse, quin id in te amplecter temerè, quod summo iure cōmendant omnes ac in te exosculantur, hospitalitatē scilicet illam tuā, decorum liberalitatis genus, qua omnes tui ordinis uiros amplissimos, si non superas, certè facilè æquas. Nec etiā uolo me ita ingratum haberi, quod prima quaq; occasione, gratiā tibi referre intermittere uelle uidear, cum liberale hospitium tuum ultrò ipse mihi sæpius exhibueris. Accipe igitur Conrade, tesseram hospitalem, Monachi scilicet Florentini, Acconensis olim Archiepiscopi, de recuperata Ptolemaida Rhythmū, quem ante annos ter centū quinquaginta scriptū Philipertus Poyssenetus, ad Phanū D. Morandi præpositus, uir integerrimus, unà cū belli sacri à Guilhelmo Tyrensi Archiepiscopo scripta historia, nobis obtulit. De metri genere nihil hic disputādum, nosti eīn ipse circa sonū uersari rhythmū, & uno plasmate ualere, pedū aūt diuisionē nō anxiè requirere. Historiæ uerò ueritas (cuius etiā in lib. 2. cōtinuatæ nostræ historiæ mentio fit) quæ autoris, qui ipse rebus interfuit, experiētia nitiť scripti denicq; antiquitas suā habet & peculiarē cū cōmendatione maiestatē, cui si propter ingenij mei tenuitatē nihil accedet, si, quod eundē tibi dedico cōsecrocq;, nihil nomini tuo splēdoris accrescet, mihi tamē uel hęc satisfaciēt, quod utut sit, autorē in lucē bona fide ediderim, quod te animi mei gratitudinē magis amplexurū, q̃ barbariē meā respecturū noui. Certus sum quoq; Vdalricū Schmid arcis Dorneck, atq; Vrsum illū Ruchtiū præsidij Tierstein præfectos, fratres scilicet uterinos, uiros optimos, & Gregoriū Meyerū musicum excellentissimum, apud Salodurum urbem (ut antiquitate uenerandam, sic libertate & bonis institutis hodie celebratissimā) Nauliopsalten, studiū hoc in te meū maximopere probaturos, quorū quidē calculus suffragiorū multorum loco esse iure mihi debetur, ita ut æmulorum morsus nihil amplius morer. His Heroldi hospitis tui memor. Vale.

Monachi

MONACHI FLORENTINI ACCONENSIS
EPISCOPI DE RECVPERATA PTOLEMAIDE LIBER.

CVm Romanus pontifex præsidet Veronæ
Vrbanus, memoriæ atq; famæ bonæ,
Saladinus impius absq; ratione
Occupauit Syriam suræ ditione.
Vrbe Tyberiade armis subiugata,
Cetera sunt mœnia sibi sponte data.
Non est opus lancea, non est opus spata,
Sic ei subueniunt cum fortuna fata.
Vrbe tamen Tripoli non fuit potitus,
Nec quibusdam alijs secus maris littus.
Nam defendit Marchio, iussu Dei, citus
Vrbem Tyri, uelut coniugem maritus.
Expugnauit postea urbem Ascalonem,
Donec eam compulit ad deditionem.
Incolis Hierusalem dat conditionem,
Vt dent censum propriam in redemptionem:
Ad sepulchrum nocuit ire Christianis,
Sanctam & uiuificam crucem dat paganis.
Dumq; miscet improbe sacra prophanis,
Ecce nos aspicimus, sacrum lambit canis.

Quomodo fama ueniente ad Occidentem, reges alij sumpserunt crucem.

FAma uolans petijt fines Occidentis,
Vniuersas animas Christianæ gentis,
Ad succursum properent ut omnipotentis,
Qui solus præcipere mari scit & uentis.
In primis rex Franciæ atq; rex Anglorum
Crucis uenerabile signum & decorum
Suis figunt humeris. Chlatratus quorum
Succursus dum nimium seruant, domitorum
Fredericus inclytus princeps Romanorum,
Triumphator habitus, uictor præliorum,
Habito consilio per regnum Græcorum,
Ad strages accelerat hostium dirorum.
Cum eodem properant bellatorum flores.
Certatim accelerant uiri bellatores,
Vulgus cum proceribus, cum magnis minores.
Terra, mari resonant crucis portitores.

De exilio domini Adelardi Veronensis Episcopi, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

CArdinalis presbyter, pontifex Veronæ,
Adelardus opere clarus & sermone,
Exulat tunc temporis, hac intentione,
Vt pugnare nos doceat pro ratione.
Fert summi pontificis hic legationem,
Vt arceat uiros ad transfretationem.
Sed ut eius melius capiant sermonem,
Ipse crucem suscipit currens ad agonem.
Comitantur præsulem multi boni uiri,
Strenui militia, probitate miri,
Non oportet nomina quorum hic inquiri.
Quod cum eo uenerint tamen, potest sciri,
Pontum à Venetijs nauibus sulcantes,
Et die tricesimo Tyrum applicantes.
Christianos Accaron mœnia uallantes,
Vallatos accepimus, seq; uix tutantes.

Quomodo Guido rex Hierosolymitanus iuit ad obsidionem Acconis.

POstquam enim uenit rex de captiuitate,
Non est usus postea Tyro ciuitate.
Inter eum lites sunt & Conradum motæ,
Quas Pisani frustra flent pulsi ciuitate.
Cum quibus & alijs uniuersis ferè
Peregrinis uenit rex Accon obsidere.
Sed à tergo tertia die gemuere
Saladinum eis acrius imminere.

Quomodo Saladinus expugnauit regem, Frisonibus sustinentibus agonem.

QVos instanter dimicans pellit in turonem,
Suecis uictis Frisones sustinent agonem.
Quos stella deduxerat in simul Acconem,
Magis quæ monstrauerat Iudæ regionem.
Hi sulcatis fluctibus æquoris Hispani,
Ad urbem Acephalim uenerant, Melani
Vbi ducem statuunt, sicut uiri sani.
De Auienis Iacobum, licet essent Dani.

Quomodo nostri mittunt pro Marchione, ut succurrat eis.

CVm nostrorum paucitas nequit ultra pati
Tot incursus hostium, nobiles legati
Tyrum missi protinus se committunt rati,
Vt succurrat Marchio Christianitati:

Quomodo cum Marchione iuimus Acconem, & de prælio magno quod amisimus ibi.

SIne mora Marchio iubet præparari
Cuncta necessaria, naues onerari.
Et quia non potuit terra, uenit mari,
Fluctibus ut Boream uidet dominari.
Nos cum eo uenimus, gratanter recepti
Ab his qui tunc fuerant ibidem recepti,
Nostri licet undiq; forent circumsepti.
Ad pugnam tamen communiter sunt erecti.
Ergo diem statuunt certam, qua pugnarent.
Cumq; Turcos eminus de castris fugarent,
Congregati protinus hi post terga parêrent,
Nostriq; uictoria, quam sperabant, carerent,
Milites Templarij Turcis restiterunt,
Et ex illis plurimi mortui fuerunt.
Nostri turpiter fugam ad castra dederunt.
Sed qui pigri fuerant, ibi remanserunt.
Inter dies funebres sit hæc execrata
Maledicta dies. Hæc maledicta fata,
In hac die nobis fuit quæ sic aduersata,
Sed credo, quod accidit ob nostra peccata.

Quando uallauimus nos fossatis, Saladinus ante diem nos inuasit.

HAbito consilio, fecimus fossata,
Ab utroq; littore circumoccupata.
Saladinus ualida manu roborata
Hos inuasit, antequam lux esset nata.
Sed nil ei profuit, nosq; læsit parum,
Imò sibi contigit, quod fuit amarum.
Vnde tristis rediit, plenus & irarum,
Sed de suo reditu nobis fuit carum.

De instrumentis paratis & uijs subterraneis ad capiendam ciuitatem.

NOstri turres ligneas facere cœpere.
Gattos & arietes fieri iussere.
Machinas, testudines erigi fecere.
Vias subterraneas quidam effodére.
Sed nil hæc uel alia nobis profuerunt,
Inter se diuidere dum barones quærunt
Terras, quæ tunc temporis Turci possederunt,
Nec de illis usq; tunc quicquam amiserunt.

De Turcis obsidentibus nos die noctuq;.

SEmper nos ad foueas Turci perurgebant.
Ventus, nox nec pluuia non hos retrahebant.
Nec illi de mœnibus semper dormiebant,
Imò uicem acrius pro uice reddebant.

De quinquaginta galeis intrantibus ciuitatem, & prohibentibus nobis mare.

DIe prima Domini post natiuitatem,
Colunt sancti Stephani quam festiuitatem,
Quinquaginta galeæ contra uoluntatem
Intrauerunt omnium, per uim ciuitatem.
Proh dolor, tunc incipit noster geminari
Labor, & miseria nobis cumulari.
Nam cum ante liberè frueremur mari,
Cum terra incipit iam mare denegari.

Quomodo Turci insultabant nobis, & cõuicia crucis inferentes.

SI ferire tympana, tubasq; sonare
Videres, & uocibus Turcos reboare,
Cum galeas agitant ante nos, per mare,
Heu heu diceres, Hoc permittis quare?
Milites aspiceres super muros stantes
Turcos, sanctam manibus crucem eleuantes,
Cum flagellis asperis eam uerberantes,
Et cum improperijs nobis minitantes.

Quomodo Marchio uadit Tyrum pro reparandis galeis in tanto periculo.

HAbito consilio, galeam repente
Vnam Ianuensium, nocte subsilente
Est ingressus Marchio, uir robustus mente,
Tyrum ut accelerat, Aphrico pellente.
Si des mille millies marcas Marchioni,
Argenti purißimi atq; ualde boni,
Vt ei tunc debeat hoc opus imponi,
Eas certe penderet non uni peponi.
Istum tamen Marchio subire laborem
Non uitauit, omnium patris ob amorem,
Ad totius populi laudem & honorem,
Et culparum illius pœnam mitiorem.

De uarijs periculis & pestibus accidentibus nostris, in exercitu remanentibus.

SCias, in exercitu quod qui remanserunt,
Omnes in periculo mortis extiterunt.
Hyemem sic asperam nam paßi fuerunt,
Quod uidisse similem nec antiqui ferunt.
Imbris torrens ualidus terram inundabat.
Bacchanalis Aphricus mare perturbabat,
Euulsa tentoria cuncta laniabat.

Vbi tandem tenebam cum dentibus.

SI confratres mei tunc ibidem fuissent,
Et tenere dentibus me tandem uidissent,
Horum quidam, reputo, super me risissent,
Sed eorum plurimi pro me doluissent.
Esse mallet quilibet sine aqua rasus,
Quàm pati, quot passus sum, tot aduersus casus.
Non mihi tunc somnia dictabat Parnasus,
Cum à cibis uacuus ieiunat omasus.
Acceßit & aliud nobis nocumentum,
Ad pœnarum cumulum, & maius augmentum.
Licet portes manibus aurum uel argentum,
Ordeum non inuenis, carnem nec frumentum.
Nondum uixit aliquis, nec uiuit mortalis,
Grauiora uiderit his quæ mala malis.
Nam uini uel olei modicum uel salis
Vendebatur carius, quàm uestis regalis.
Vidi decem solidos pro gallina dari,
Sed bouinas feci his carnis comparari,
In eodem pondere precioq; pari,
Cum Paulus in azymis iubet epulari.
Qui minima iam uoluit carnis coquinare,
De lignis oportuit duas comparare.
Tres in ouo dederam nummos, quod lixare
Volens, ligna totidem contigit constare.
Siquando contingeret, aliquem ægrotum,
Fama licet nominis gloriosi notum,
Tyrum qui secedere tunc haberet uotum,
Quod habebat, conuenit nautis dare totum.
Delicatè uiuere qui domi solebat,
Ibi fabas & siceram non fastidiebat,
Sed de pane bis cocto sæpius famebat,
Carnem quoq; marcidam auidus edebat.
Qui præsentes aderant, poterant uidere,
Varijs languoribus homines languere.
Sed nec equi pestibus diris caruere,
Pars eorum maxima ferè periere.
In diuersa studia nostri se scindebant.
Nam illorum plurimi foras exiebant,
Mori bello quàm fame quoniam malebant,
Herbam quoq; stipulam, ligna referebant.
E conuerso reliqui timentes pugnare,
Rationes uisi sunt pro se allegare,
Illis tutius esse, quàm exire, stare,
Dum Conradum uelle se dicunt expectaré.

De reditu Marchionis, & reconciliatione cum rege Guidone.

Præter

Præterlapso spacio mensium duorum,
Cum immenso numero Marchio uirorum,
Nobis indigentibus apportauit forum,
Vbertatem insuper omnium bonorum.
In aduentu eius fuimus gratulati.
Nam in urbe postea Turci sunt serati,
Sunt amici, Marchio rexq; copulati.
Ad pugnandum quoq; nos sumus animati.

Quomodo castella trahuntur ad ciuitatem.

Castella uehiculis ad urbem trahuntur.
Machinarum ictibus muri colliduntur.
Ciuitatis incolæ mortui sternuntur,
Et de nostris simile plures patiuntur.
Heu heu, uariabilis nimis est fortuna,
Dum uidetur stabilis, hora ter in una
Permutatur leuius, quàm in orbe luna,
Et relinquit hominem in feruente pruna.
Dum speramus etenim urbe dominari,
Fortuna mutabilis cœpit uariari.
Ignem ecce cernimus machinis iactari
Super ædificia, cunctaq; cremari.
Lamentantur milites, plangunt seruientes.
Et suspirant pedites, præ dolore flentes.
Si barones laniant, barbam euellentes.
Heu heu, cuncti clamitant pectora tundentes.

De tribus maximis prælijs factis in Ascensione & Pentecoste, & sabbato post Pentecosten.

Ad hoc in sanctissimo die Pentecostes,
Nos ab omni latere circundabant hostes,
Nitentes irrumpere fouearum postes.
Nec est locus uacuus à sagittis, quo stes.
Idem nobis fecerant in Ascensione,
Nec non post in sabbato, & tunc in agone
Pugnarunt uiriliter homines Veronæ,
Memores Ferrariæ tali die pronæ.

Quomodo Turcis cum galeis intrantibus ciuitatem nostri nequiuerunt resistere.

Dum fortuna terimur nimium agresti,
Martyrum uigilia Viti & Modesti,
Turci truces nimium, & nobis infesti
Intrant urbem nauibus, unde sumus mœsti.
Armis uictualibus muniti uenerunt,
Nostri quibus obuiam classibus iuerunt,
Sed eis resistere dum non potuerunt,
Vtrobiq; mutuo damna pertulerunt.

De duobus insultibus factis super galeis, nostras nisi duas galeas eorum cepimus, nec postea ausi fuerunt exire.

Summo mane, die Iulij Calendarum,
Et in quadam alia præcedente parum,
Cum immensa Turci copia galearum,
Longe foras exeunt à turre Muscarum.
Super nostros acrius faciunt insultum,
Iacientes in eis ignem in occultum,
Sed hoc aliquantulum nocuit, nec multum.
Verum non diutius stetit hoc inultum.
Duas enim galeas nostri sunt lucrati,
In quibus sunt plurimi Turci trucidati.
Vnde sunt reliqui tamq; perturbati,
Quod exire taliter post hoc non sunt rati.

Quando ueros rumores de imperatore audiuimus, & quomodo per Vngariã & Bulgariam intrans, Græciam depopulatus est.

In eodem tempore nuncij uenere
De Romano principe, uera qui dixere,
De quo quia contigit sermonem habere,
Prælibandum arbitror, quod hi retulere.
Ergo postquam inclytus princeps Romanorum
Intrauit monarchiam regis Vngarorum,
Vbertatem omnium dat rex & forum,
Donec eum duxit ad terram Bulgarorum.
Per quam passus est plurimas aduersitates,
Bulgarorum uarias ob dolositates,
Ad Græcorum donec peruenit ciuitates.
Vbi Græci comperit regis simultates.
Eum nam deceperat Græcus imperator,
Pacti, quod promiserat, factus deprauator.
Nam sibi promiserat, quod esset tutator
Eius, & commercij fidus uenundator.
Propter hoc exercitus noster expugnator
Regis sui factus est atq; spoliator,
Et cunctarum mercium serus deprædator,
Insuper & hominum serus trucidator.
Vt uacare plenius possit ultioni,
Et punitis incolis, instet regioni,
Suæ Cæsar prouidens expectationi,
Hyemandum indicat ibidem tyroni.

Cæsaris moram nobis hic discе dolosam.

Moram importunitas temporis & mensis
Suadebat, & copia se diffundens mensis,
Quod totum luit exercitus Acconensis.
Quem sagitta sauciat, quem castigat ensis.
Tandem circa Domini resurrectionem,
Talem Cæsar recipit compositionem,
Vt dent Græci naues ad transfretationem.
Festinant Græculi, complent iussionem.

Quomodo Soldanus Iconij uoluit eum prodere, sibi datis obsidibus.

Dum sancti Georgij brachium transisset
Cæsar, atq; fidei obsides cepisset
A Soldano, proditus ab eo fuisset,
Ni diuina gratia eum præcessisset.
Dum enim Iconium tuti properarent,
Assistebant undiq; Turci, qui uetarent
Omnia commercia, hosq; trucidarent,
Vel eminus potius eos sagittarent.
Circumseptis taliter uiris Christianis,
Hac illac uolantibus Turcis & paganis,
Elapsis ex integro tribus septimanis,
Maior pars exercitus nil comedit panis.

Quomodo expugnauerunt Iconium.

Cæsar exercitui retro prouidebat,
Sed illius filius ante præcedebat.

Quo duce Sueuia inclyta gaudebat,
Hic primas incolumis acies agebat.
Cuius ad insignia nostri cohortantur,
Dißipati cunei hostium fugantur.
Tunc intra Iconium omnes comitantur,
Superatis hostibus urbi dominantur.
Soldanus resistere cernens esse durum,
Cum thesauris fugit in oppidum securum,
Et cunctis commercia spondet se daturum,
Dum Augustum uideat inde recessurum.

Quomodo in Armenia mortuus est Imperator in salefico flumine.

Ab hinc in Armeniam transit amoenam,
Vbertatum reperit quam cunctarum plenam.
Nam de fonte diuite trahit ipsa uenam,
Hec frumentum dat & equis auenam.

Quid profuit Imperatori, quod intrauerit mare.

Vitæ tamen illius dolos hoc parauit,
Dum in paruo gurgite solum hunc necauit.
Dic mihi, quid profuit, quod mare uitauit,
Ab aquis salefici dum non sibi cauit.
Dictus est saleficus, quia factus sale,
Dicatur maleficus, quia fidus male.
Salum mare tremuit, quia fit mortale,
In salo salefici solum dicit uale.
O, dico, fallacia cum fortuna fata,
In Romano principe nimis debacchata,
Quem non possunt sternere lancea uel spata
Morte cita rapiunt & inopinata.
O fata sententiam nostram permutate,
In Romano pontifice secus iudicate,
Ab aquis salefici illæsum seruate,
Et hunc armis potius quàm aquis necate.
Romanorum principi, imperatori
Ampliori longius cederet honori,
Rutilanti sanguine quàm in aquis mori,
Suis nec principibus esset hoc terrori.
Nam ut uerum fatear, quod mihi dixere,
Qui secum tunc temporis ibidem fuere,
Vniuersi principes ita timuere,
Quod ex illis plurimi mare transiere.
Cur sublato principe, principes timetis?
Cum dominus mirabilis in suis athletis,
Occultis iudicijs sibi§; secretis,
Hunc ad suæ gloriam traxerit quietis.

Quomodo exercitus eius ueniens Antiochiam, ibi per crapulam mortuus est ferè totus.

Omnes Antiochiam alij uenerunt,
Et ducem Sueuia sibi præfecerunt.
Francorum baronibus nuncios miserunt,
Ab his consilium sibi petierunt.
Maior & precipua pars Theutonicorum,
Non attendens regulam hic à foris morum,
Multum & repente se dum replet ciborum,
In breui deleta est de sorte uirorum.
Nam cum per inopiam essent uacuati,
Postea per copiam nimis epulati,
Non est præter Physicam, si sint infirmati,
Et de huius seculi tedio sublati.

Quomodo Marchio uadit ad eos Antiochiam.

Habito consilio, nostri Marchionem
Mittunt Antiochiam, ut ducat Acconem,
Per talem Teutonicos uiros regionem,
Vt nullam incurrere possent læsionem.
Qui sine periculo cernens se nequire,
Acconem ulterius per terram redire,
Parat cum exercitu nauibus uenire,
Sinit tamen postea Septembrem exire.

Quomodo nostri pedites occisi sunt in festo sancti Iacobi.

Eius in absentia nobis accidêre
Plurima, quæ postea multa flетere.
Nam in festo Iacobi nostri exiêre
Pedites, & hostium castra irruêre.
Turci nimis prouidi, nimisq; sagaces
Vrunt tabernacula, submittentes faces.
Nostri nimis auidi, nimisq; uoraces,
Certant cuncta rapere, ut lupi rapaces,
Neq; uident milites eos subsequentes,
Ordinatis cuneis, in hos irruentes,
Plusquam quinque milia morti dant sternentes.

Licet bene essent armati, tamen culpa sua & militum mortui sunt.

Sic erant hi pedites bene loricati,
Balistis & arcubus decenter armati,
Quod nunquam ab hostibus essent superati,
Si posset ordinibus repugnare fati.
Anhelantes pedites nostri fugiebant,
Equis uecti leuibus Turci præcedebant,
Sed qui retro uenerant, nostros prosternebant.
Sine ictu etiam plures corruerunt,
Si succursum eis milites præstitissent,
Sarracenos turpiter in fugam uertissent,
Et illi de moenibus ita timuissent,
Quod cum rebus omnibus urbem reddidissent.

Quomodo illi de ciuitate exeunt, & cum Hospitalarijs confligunt.

Sed ut nostros uident taliter effugari,
Non oportet quærere, si possent lætari.
Non enim existimant Turcos refrænari,
Donec nostra uideant castra concremari.
Vt augmentum igitur nostris darent malis,
Exeuntes ianuam partis Borealis,
Obuiant militibus primum hospitalis,
Inter quos conficitur pugna manualis.
Hospitalis milites ab equis descendunt,
Vt ursa pro filijs cum Turcis contendunt.
Turci nostrum aggerem per uim bis conscendunt.
Hos sagittis sauciant, hos igne succendunt.
Et Hospitalarij equos ascenderunt,
Et Turcos à latere maris inuaserunt.
Quos ad urbis moenia per uim reduxerunt,
Et ex his in foueis multos occiderunt.

Quomodo

Quomodo Turci palam & clam intrabant ciuitatem.

Post hoc infortunium, aliud successit.
Plena uictualibus ad portum accessit
Nauis, dumq; sæpius quæritur, unde sit,
Velum hoc reficiens in uillam discessit.
Vidi post hanc alias tres palam uenire,
Et galeas obuiam illis nostras ire,
Nequiuerunt eas tamen sic impedire,
Quod uetarent mœnia urbis introire.
Item noctu sæpius ingrediebantur,
A nostris multotiens sed capiebantur,
Et ereptis spolijs ipsi necabantur,
Ob hoc tamen alij nunquam terrebantur.

De uarijs instrumentis nostris frustra consumptis.

PRæter hæc tres machinas nobis combusserunt,
Tuncq; nostri ligneum castrum deduxerunt
Ad Muscarum turrim, sed eam non læserunt,
Nimis citò quia nauem succenderunt.
Item barcam dirigunt facibus succensam,
Cum qua nauem concremant illorum immensam.
Cito Turci tamen uindicant hanc offensam.
Nam cum nostri segniter & minus attentè
Starent ad custodiam, in die sequente,
Turci turrim ligneam concremant repente,
Cum naui, quam fecimus, ipsam deferente.
Ad hæc barca, trabibus desuper uelata,
Dum ad turrim ducitur, fuit naufragata.
Instrumenta cætera, ad idem parata,
Sunt hoc modo perdita, uel igne cremata.

De aduentu Comitis Henrici Campaniæ.

CAteruatus militum numerositate,
Campaniensis uenerat ea tempestate
Comes, & exercitum in necessitate,
Sumptibus innumeris roborauit late.
Attamen consilio fretus leuitatis,
Forte per audaciam iuuenis ætatis,
Paucis uictualibus secum apportatis,
Summæ nobis præstitit causam egestatis.

De ariete ferreo cooperto, quem Bisuntinus fieri fecit, & de igne Græco à quo combustus fuit.

QVid de Archipræsule dicam Bisuntino?
Vir est totus deditus operi diuino,
Orat pro fidelibus corde columbino,
Sed pugnat cum perfidis astu serpentino.
Fecit hic arietem, quem de ferro texit,
Qui nostrorum animas plurimum erexit.
Nullus enim credidit, nullus intellexit,
Quod comburi ualeat, licet ignem nescit.
Terruisse creditur mentes paganorum.
Dicebatur etenim, quod stragem murorum
Et ruinam faceret, essetq; dirorum
Digna retributio scelerum Turcorum.
Secus tamen accidit, quàm æstimabatur,
Quod per negligentiam factum non negatur.
Nam ad murum positus tantum lapidatur,
Quod ferrum excutitur, ignisq; iactatur,
Ignis ille fœtidus, ignis execratus,
Cum ampullis uitreis desuper stillatus,
Serpit per gracillimos subintrans meatus,
Donec intus æstuans, magnos dat hiatus.
Pereat, ô utinam, ignis huius uena,
Non enim extinguitur aqua, sed arena,
Vixq; uinum acidum arctat eius frena,
Et urina stringitur eius uix habena.
Ignis hic conficitur tantum per paganos.
Ignis hic exterminat tantum Christianos,
Incantatus namq; est per illos prophanos,
Ab hoc perpetuò Christe libera nos.
Ignis ille terruit sic nostrorum mentes,
Quod ad pugnam congredi non sunt confidentes,
Verum ædificia retro retrahentes
Milites quiescere malunt & seruientes.

Quomodo nos fatigati frustra expectauimus reges Franciæ & Angliæ, nequeuntes uenire.

EXpectare statuunt reges uniuersi,
Sed dum reges ueniunt, fluctus sunt aduersi
Sic, quod necessario retro sunt conuersi,
Alioquin dicitur, quod essent submersi.
Sed non solum regibus est obstrusum mare,
Nequiuerunt alij quoq; transfretare,
Neq; uictualia nobis apportare.
Cara nimis apud nos uendebantur carè.

De inceptione famis.

DE Andegauensibus libræ datæ trinæ
Sunt à me, pro modio paruulo farinæ.
Palatis nobilium carnes tunc equinæ
Respondebant melius, quàm quondam gallinæ.

De edicto uendendorum cibariorum.

BArones constituunt uno prorsus ore,
Vt dentur cibaria precio minore.
Sed error nouissimus peior fit priore,
Dum non audent uendere consueto more.
Non enim tunc cibaria inueniuntur,
Per forum uenalia, sed effodiuntur
Pauimenta, domus ubi recluduntur.
Sic inops & locuples famem patiuntur.

De famelicis seruientibus, ad Turcos fugientibus.

MIlites quid facient, quid ue seruientes?
Expectasse reges se sunt hi pœnitentes.
Ne per famem pereant igitur timentes,
Turmatim effugiunt ad Turcos, seruientes.

Quod nostri exeunt ad castra Saladini.

TVnc disponunt egredi ad castra Turcorum
Nostri, causa straminis & cibariorum.
Sed prius deputant custodiæ castrorum
Cum Blesensi Comite ducem Sueuorum.

Quomodo Turci exeunt de ciuitate à parte Pisanorum, sed nostri eos reprimunt.

SEcus flumen igitur ut sunt hospitati
Ciues, igne plurimum & armis parati,
A Pisanis exeunt simul congregati,
Castra defensoribus destituta rati.
Igne Græco machinas humectarunt,
Assuetis spiculis uiros sauciarunt,
Donec ducis milite eos dißiparunt,
Et plures per littora mortuos prostrarunt.
Tunc de nostris ianua in plures intrauere,
Et ad muros alij scalas portauere,
Qui potiri urbis mœnibus sperauere,
Nisi quia tenebræ noctis uetuere.

Quomodo Saladinus pugna & dolis fatigauerit nostros, donec ad castra redeunt.

AD nostrum exercitum, uersus Saladinum
Properantem circuunt, iuxta matutinum,
Donec castra collocant supra montis sinum.
Saladinus subdolus remeauit,
Et ad montes properans, ibi latitauit.
Nam ad prædam currere nostros æstimauit,
Quos onustos penitus perdere sperauit.
Sed ut nostros aspicit non ire prædatum,
Vniuersum dirigit ad hos equitatum.
Vertunt ultra fluuium nostri comitatum,
Et de solo reditu habent cogitatum.
Turci sunt acerrimè nostris comminati,
Dum coacti sistere sunt castrametati.
Sed in die postera procul absentati,
Nostris fiunt præuij ad posles fossati.
A quibus conficitur ibi pugna dura,
Prostratis militibus & equis per rura,
Christiani redeunt in castra secura.
Sic deinceps ingredi non est cura.

De nepote Clarimontensis Comitis, & quibusdam alijs dolo captis.

SEd quia Teutonici de campo patente
Turcos effugauerant in sancto Clemente,
Exeuntes effugant, in die sequente,
Turcos quidem milites de Francorum gente.
Sed tunc in insidijs pagani latentes,
Impræuisi cursitant, Francos colligentes.
Inter timori deditos & captos uiuentes,
Sunt triginta milites, & horum clientes.

De septem nauibus Turcorum intrantibus ciuitatem, nobis inuitis.

DVm nos de materia plasmati terrestri,
Et in arcto positi loco & syluestri,
Tribulamur malleo nimium agresti,
Quid in festo uidimus, audias, Syluestri.
Septem uictualibus naues onerate,
Christiani populi absq; uoluntate,
Receptæ sunt propatulo in ciuitate,
Nec galeæ nostræ sunt eis aduersatæ.

Quomodo tunc Teutonici uiriliter expugnauerunt ciuitatem.

TVnc ibidem iuxta me si tu præsens fores,
Cum armati circuunt uillam bellatores,
Certè Teutonicorum iurasses furores
Vniuersis gentibus esse fortiores.
Nam densos mißilium hymbres contempsere,
Ignis atq; lapidum iactus pertulere.
Et muri fastigijs dum sperant hærere,
Diminutis plurimis scalis corruére.
Claruit hoc prælio gens Alemannorum,
Cuius nomen metuunt phalanges Turcorum.
Nam per negligentiam non stetit eorum,
Quod simus mœnibus potiti murorum.

De muro ciuitatis per imbrem diruto, nihil nobis profuit.

DVm orationibus uirginis Mariæ
Fulcimur, & meritis genitricis piæ,
Audias, quod accidit nobis quadam die.
Ieiunant cum uigiliam Epiphaniæ,
Nocte integra, & mane sequente,
Redeunt spectaculs. Sed Austro fremente,
Crepitant tonitrua æthere candente,
Nix, hymber cum grandine cadit uehemente,
Christus Dei filius, Deus ultionum,
Qui pro suis medio dimicat agonum
Non gestando clypeum, lanceam uel corium
Vrbis muros struit, dans ad astra sonum.

De duodecim nauibus Turcorũ naufragatis in portu.

DEus quoq; pietas cuius cuncta regit,
Qui quos ab initio sibi preelegit,
Licet sinat concuti, semper tamen tegit,
Naues Turcorum mirabiliter confregit.
Nam hærebant scopulis anchoræ iactatæ,
Neq; uictualia trahunt de rate.
Ventorum Ceraunijs cum naues quassatæ,
Sunt in portus medio cunctæ naufragatæ.
Idem olim mœnia Ierico prostrauit,
Quam Hebræus populus bonis spoliauit.
Sed Acconis muros dum ipse dißipauit,
Ad murum Christicola nullus propinquauit.
Licet nostris pluuia det impedimenta,
Non fuit militia nostra tamen lenta.
Adaptarunt bellica membris ornamenta.
Et à longe premens equos & iumenta
Perijt, audacia militum Francorum,
Quæ quondam cacumina transcendens murorum,
Effugabat millia trecenta Turcorum,
Sicut gesta referunt Antiochenorum.
Si tantum cum machinis de muro strauissent,
Certatim ad mœnia, credo, cucurrissent
Sed uirtute Domini cum moniti essent,
Promptiores aggredi eos debuissent.

Quomodo Turci ascendunt tumulum quem fecimus.

DVm in natalitijs sancti Fabiani,
Pranderent ad tertiam horam Christiani,

Turcorũ

Exeunt de moenibus bis mille pagani,
Qui nuper intrauerant, facti oppidani,
Grandaulem tumulum, quem nostri fecerunt,
Pulsis operarijs, statim conscenderunt,
Pauci tamen milites eos fugauerunt,
Et eos in foueis urbis prostrauerunt.

De quodam insultu noctu facto.

CVm sit exercitio dies destinata,
Et dicatur ocio nox esse destinata,
Nocte tamē colitur Agnes qua beata,
Ad pugnam egreditur gens Deo ingrata.
Non diurno praelio fuit satiata,
Sed de nocte ueniens caterua densata,
Est cum igne spicula Graeco iaculata,
Super nostros uigiles, stantes ad fossam,
A quorum tumultibus nostri perturbantur.
Et nox licet obuiet, statim congregantur,
Pagani uelociter in urbem fugantur.
Sed utrinq; plurimi prius sauciantur.

Quomodo Marchio frustra tentat expugnare turrim Muscarum.

RAtione notum est satis euidenti,
Et fide cognouimus hoc experimenti,
Quantum exercitui dat impedimenti,
Turris quam in medio portus pulsant uenti.
Vt ergo hanc Marchio posset uendicare,
Fabricatus citius ueruex sulcat mare.
Sed cum crebris ictibus debet hanc quassare,
Ipsum cogunt scopuli longius astare.
Vt quod nil proficeret labor hic, cognouit
Furens, stridens Marchio machinam remouit.
Cum fatorum serie fortunam deuouit,
Et suam Beelzebub qui sic turrim fouit.

De quodam Polino qui prodebat nostros seruientes.

MArtis idus septimo, nostros seruientes,
Vt herbas colligerent, foras incedentes,
A Polino proditos longe discurrentes
Sarraceni capiunt, in dolis latentes.

De contraria fortuna ob nostra peccata, & de morte praelatorum & Baronum.

PRetermisso, quotiens muris erumpentes
Atq; campis nobis subito irruentes,
Turci captiuauerunt nostros seruientes,
Prosequamur alia, parum diuertentes,
Ob totius populi labem & peccatum.
Fortunam contrariam sensimus & fatum,
Quae nostrum ancipitem, diuq; rotatum
In profundum mergere non desistunt statum.
O nequam & infida series fatorum.
O crudelis Atropos, pessima sororum,
Nunquid simul rumpere uis Christianorum
Fila, quod praesidio priuas praelatorum?
Vt enim haereditas nostri Saluatoris
Crucifixi, patria, domus redemptoris
Venit ad extranei manum possessoris,
Perdidit auxilij multum & honoris.

De morte Gregorij & Vrbani Papae.

PRimò nam Gregorium, statim post Vrbanum,
Vtrunq; pontificem perdidit Romanum,
Qui de Hierosolyma tyrannum prophanum
Habuerunt animum profugandi sanum.

De morte Henrici & Guillermi regum Angliae & Siciliae.

POst Henricum, inclytum regem Anglorum
Et Guillermum perdidit regem Siculorum.
Qui suis praesidijs sunt Christianorum
Tutati reliquias à manibus Turcorum.

De morte Archiepiscopi Rauennatis & Episcopi Fauentini.

QVisquis Archipraesulem nouerit Rauennatem,
Fauentini praesulis atq; probitatem,
Ob illorum obitum Christianitatem.

De morte Langrauij.

SEd quid dignè referam nobilis Langraui,
Corporis & animi fuit magna ui.
In Dei seruitio qui labore graui
Consumptus, in reditu perijt in naui.

De morte comitum Theobaldi & Stephani, qui fuerunt fratres.

ADuentus laudabilis comitum duorum,
Theobaldi, Stephani, fratrum germanorum,
Gaudium infuderat mentibus Francorum,
Sed hos nimis uelociter cita mors eorum.

De morte Episcopi Cantuariensis.

SAnctus Archipontifex Cantuariensis,
Populum consilio fouens & expensis,
Militorum coetibus cateruatus densis,
Recreabat pauperes sumptibus immensis.
Quae sic postquam uineae intentum uidit,
Tantis operarij fructibus inuidit;
Vitae filium protinus illius succidit,
Clerus, plebs cum milite quare uestes scidit.

De morte Archiepiscopi Bisuntini, & Ducis Sueuorum, imperatoris filio.

HInc Archiepiscopus, gemma Clericorum
Bisuntinus obijt, Duxq; Sueuorum,
Qui nisi contraria foret sors fatorum,
Strauisset innumeras acies Turcorum.
Nam ut fuit proprio priuatus parente,
Qui, uelut praediximus, stipatus ingente
Turba uenit militum, factus est repente
De torrente stabilis, tepens de feruente.

De magna fame.

SIc istis baronibus in necessitatis
Destituti tempore sumus & praelatis,
Alijsq; pluribus, non hic nominatis,
Nobis aduersantibus cum fortuna fatis.
Et in uerbo dicere ueritatis tibi
Possunt, qui tunc temporis remanserunt ibi,

Quod

Quod ſunt indigentiam tantam paßi cibi,
Quod neſcimus ſimilem ab antiquis ſcribi.
Ploratu graui cibaria quærebantur,
Nec quærentes quoniam non ſic conſolantur.
Sed ſi quando forſitan inueniebantur,
Cum amaris poculis fletu miſcebantur.
Idem cibus dominum & equum alebat.
Nam cum equo dominus panem diuidebat.
Herbas quas periculo mortis colligebat,
Equus crudas, dominus coctas comedebat.
In tanta penuria rerum edendarum,
Nos in quadrageſima cibis equinarum
Recreamur carnium & camelinarum,
Alijs rodentibus textas carublarum.
Multi qui diuitias ſuas aliquando
Fuderant, pauperibus eas erogando,
Nihil ſumunt, exules facti mendicando.
Quare diem ultimum claudunt ieiunando.

Quod pontifices ſtatuunt eleemoſynas fieri.

TVnc ſacri pontifices, ſacriq́; prælati,
Principes Eccleſiæ ſanctæ deputati,
Vincula pœnitentibus reſerant peccati,
Qui de ſuis conferunt tantæ paupertati.
Vt habere ualeant hanc remißionem
Omnes, largam faciunt erogationem.
Sed prælati faciunt diſtributionem,
Vt tantæ participes ſint remißionis.
Præ cordis mundicia & confeßionis,
Erogant de proprijs omnes largè bonis.
Onus ferunt præſules diſtributionis.

Quomodo mitigatur fames.

ET hæc eleemoſyna cœpit erogari,
Iram Dei protinus ſenſimus placari.
Intuemur etenim eminus in mari
Nobis uictualia nauibus portari.

Quantum uendebantur uictualia.

TVnc farinæ modius ſex minus centenis
Vendebatur aureis, frumenti ſex denis.
Ordeiq́; modicum dabant quadragenis,
Reperto uix furfure aureis ſeptenis.

De miraculo alleuiatæ famis.

PRo prædicto precio nequibat frumenti
Reperiri modius, die præcedenti,
Qui dabatur publicè cuiuis offerenti
Duos uel tres aureos, in die ſequenti.
O mira potentia ſummæ Deitatis,
Qui tam mirabiliter onus paupertatis
Chriſtianis abſtulit, grauis egeſtatis,
Tempora temporibus mutans ubertatis.

Quomodo rex Franciæ uenit, & expugnauit ciuitatem.

SAbbato poſt Domini reſurrectionem,
Philippus rex Franciæ ueniens Acconem,
Totam mentis operam & intentionem
Circa uillæ poſuit expugnationem.
Secus turris igitur maledictæ latus
Erigit petrarias, illic hoſpitatus,
Aliasq́; machinas, nec non apparatus,
Quorum murus corruat ictibus quaſſatus.
Dumq́; muros dißipat, & implet foſſata,
Quæ profunda fuerant admodumq́; lata,
Inſtrumenta plurima ſunt ibi cremata,
Alijsq́; uarijs modis dißipata.

De rege Angliæ diuertente Cyprum, eamq́; ſubiugante.

INterim rex Angliæ inclytus Richardus,
Qui per famam redolet ut odore nardus,
Metuendus hoſtibus, ſicut feris pardus,
Cyprum tunc uenerat, licet ſuis tardus.
Nam tyrannus inſulæ, turbo pietatis,
Tribus ibi nauibus regis naufragatis,
Homines incluſerat nauibus ligatis,
Equis, uictualibus, armis uſurpatis,
Sed à rege reddere cuncta poſtulatur.
Negat, pugnat, uincit, fugit, uinculatur.
Digna factis ultio dignè compenſatur.
Captiuator hominum modò captiuatur.
Victis caſtris, urbibus Cypri ſubiugatis,
Plenè faueant regi, addendaq́; ſatis
Cogerent calcaria mundum. Ergo datis
Ventis, intrat pelagus, fluctibus iratis.

De quadam naui Turcorum, onerata igne Græco & armis, uolente intrare ciuitatem, quam ita expugnauit rex Angliæ, quod tota penitus ſubmerſa eſt cũ omnibus in ea cõtentis.

DVm Acconem ſatagit iter maturare,
Naui magnæ molis contigit obuiare,
Quam Acconem comperit rex uelle intrare,
Et Turcis præſidia maxima portare.
Ad hanc ergo galeæ cunctæ congregantur.
Sonant tubæ, claßica tympana pulſantur.
Exeruntur gladij, arcus ſinuantur.
Ad inſtar grandinis ſpicula uibrantur.
At Turci de caueis, ut de caſtro forti
Ictu noſtros, lapidis ut tormento torti,
Sudibus & iaculis tribuentes morti,
Metum noſtræ maximum ingerunt cohorti.
Sed per uocem regiam ſeſe reſumentes,
Turcos uexat acrius ſupereminentes,
Iaculorum uerubus, caueis figentes.
Noſtros tamẽ reprimunt, igne perfundentes.
Et dum nauis rumpitur roſtris galearum,
Ignis, ſudes, iacula profuere parum.
Nam dum illos ſorbuit puteus aquarum,
Eſca fuerunt uolucrum atq; beluarum.
Armis potentißimi periere mille,
Quod ſi fortè recepiſſent mœnia uillæ,
Nunquam hos deuinceret iſte rex uel ille,
Nec currens Græcia tota cum Achille.

Quomodo rex Angliæ uenit Acconem.

VErſus Accon igitur malus incuruatur,
Oculis nauigium æquora furatur.
Chriſtianus populus gaudens gratulatur,
Et confuſus ethnicus dolet, & turbatur.

De

De machinis Comitis Flandriæ regi datis.

INstrumenta protinus iubet præparari,
Sed ne uacet interim, Comitis præclari
Flandrensis petrarias poscit sibi dari,
Omnes flebant obitum cuius tanquam cari.

De rege Franciæ murum ascendente cum suis ex altera parte.

RVptis propugnaculis, muros, turres strarat,
Parte sed altera qui iam explanarat
Primi muros ordinis, alios quassarat.
Rex Francorum ciuitatem scandere parat.
Milites appositis scalis ascendebant,
Sed hos igne liquido Turci perfundebant,
Et se murum insimul omnes opponebant,
Et aliunde neminem quem tunc timebant.

Quomodo Anglicis non pugnantibus, Marescalcus Franciæ obijt.

IAm suum rex Angliæ castrum expectabat,
Nec de suis interim quisquam dimicabat.
Illuc omnes Asiæ manus acclinabat,
Vbi sola Franciæ uirtus pugnabat.
Miles strenuissimus, inclytus & fortis
Marescalcus Franciæ, militum cohortis
Rector ibi soluit diræ iura mortis,
Quem planxit exercitus lachrymis obortis.

Quomodo Francis cadentibus terretur rex.

DVxit ergo cedere Gallica iuuentus,
Sed hic non efficitur segnior uel lentus,
Nec est primo diruto muro rex contentus,
Ad stragem alterius ordinis contentus.

De turri maledicta cæsa, tonsa & quassata.

EMinebat ibidem turris Maledicta
Quondam solo nomine, nunc re maledicta,
Supertonsa machinis, subtus facta cripta,
Qua defensa olim ciuitas est, nunc uicta.
Nam quadris lapidibus undiq; sublatis,
Omne iam amiserat robur firmitatis,
Columnis & postibus subtus coaptatis,
Ruituris funditus tantum concrematis.

Quod Turci timentes ruinam turris, offerunt ciuitatem.

LApsus turris igitur territi timore,
Pessimo etiam dubijs rebus suggestore,
Turci pertinaciæ posito furore,
Ciuitatem offerunt supplicantium more:

De controuersia Christianorum & Turcorum per Marchionem sedata.

ABlata restitui cuncta Christianis
Cum captiuis postulant reges à paganis,
Dum sit controuersia super immanis,
Hanc diremit Marchio doctus in mundanis.
Procurandam etenim hanc per Marchionem
Reges ordinauerant compositionem.
Ad tollendam igitur dubitationem,
De promissis sese dederunt cautionem.

De rebus cum ciuitate redditis.

VRbem, supellectilem, arma reddidere,
Captiuos cum nauibus, quotquot habuere
Vrbis intra mœnia, quadringentos fere.
Vestes tamen retinent, quas incisere.

De his quos Saladinus nobis reddere promisit.

SAladinus insuper ad uota nostrorum
Dans electos milites centum aliorum,
Captiuorum corpora mille quingentorum,
Cum ducentis millibus reddere aureorum,
Reddi quoq; debuit preciosæ crucis
Lignum, in quo calicem passionis trucis
Ebiberunt uiscera gloriosi ducis,
Suggerente principe tenebrosæ lucis.

De uexillis regum positis in ciuitate.

IVramento placuit pactum confirmari,
Et uexillis regis turres speculari.
Tunc uideres pueros, senes gratulari,
De uictoria Domino laudes modulari.

Descriptio temporis quo fuit capta ciuitas.

A Natali Domini mille ducentorum
Nouem minus spacium fluxerat annorum,
Accon ferè circulis obsessa duorum,
Idus quarto Iulij redditur, annorum.

Quomodo reges discordantur, capta ciuitate.

POstquam reges urbis mœnibus sunt potiti,
Arma, uictualia, uades sunt partiti.
Quam quod diu fouerant intendentes liti,
Simulatæ fœdera pacis sunt obliti.
Dum enim rex Angliæ protegit Guidonem,
E contra rex Franciæ fouens Marchionem,
Illi suam tribuit terræ portionem,
Parat hic ad propria dum reuersionem.

Quomodo Saladinus noluit attendere pactum, ueniente termino.

IMminebat terminus datus à paganis,
Quo ipsi spoponderant crucem Christianis,
Nec uult plebem sinere cor iniqui canis,
Induratum rediment tempus uerbis uanis.

Quomodo rex Angliæ fecit interfici obsides Turcorum.

COram tabernaculis igitur Turcorum,
Iugulari corpora clarus rex Anglorum
Plusquam tria milia iubet captiuorum,
Pro reddenda uadium cruce relictorum.

De auro inuento in uisceribus occisorum.

IN humanè carnifex cœpit desæuire,
Quod referre nephas est, tædium audire,
Ita uidi plurimos, aureos sitire,
Vt aurum in uiscera uadant exhaurire.
Nec illorum sufficit stercora lauari,
Sed iubentur corpora flammis concremari.
Tunc uideres cineres crebro uentilari,

Et ab iisdem rutilans aurum sequestrari.
Nam hæc plena plurimis dolis gens,per ora
Aureos reconderat interiora,
Quos emittens postea per inferiora,
Assumebat iterum sero uel aurora.

De corrigijs & felle ab eorum lateribus & hepate raptis.

ET plures corrigijs arcus incuruabant,
Illorum lateribus,quos excoriabant.
Raptum fel ab hepate reliqui portabant,
Quo pleni nequitia Turci redundabant.

De gaudio innato nobis ex morte eorum,qui crucem promiserant.

TAlia conspiciens quisque gratulatur,
Quod in illos dominus sic se ulciscatur,
Qui crucem promiserant,in qua designatur
Eius mortis passio,nobis uita datur.

De prouisione Dei ciuitas nobis reddita fuit per pactum.

DEi factum creditur hoc prouisione,
Quod urbs nobis reddita fuit pactione,
Fraudati fuimus licet sponsione,
Super crucis regibus facta datione.
Nam qui cruciatibus digna patrauere,
Mortem,quam meruerant,isti pertulere.
At nostrorum acies saluæ perstitere,
Protegente Domino,pro quo pugnauere.
Saladinus etiam fide leuiori
A suis habebitur,qui permisit mori
Hos per auaritiam,at nos creatori
Melos demus,digitum imponentes ori.

FINIS.

IOANNI FABRI SOLLICITO, BELLFORTENSI, PHILIPPO PIO EPISCOPO BASILIENSI

à sacris & cubiculo Ioan. Herold Hochstettensis S. D.



MAgna profectò uis est humanitatis,Ioannes amice. nam ea plurimum allicit morum suauitate, facilitate & moderatione sua, imò rapit bonos in sui amorem, quæ quantum in te splendeat, pij principis nostri iudicium sanctissimum testatur,qui in sacrorum & corporis cultu,tua opera,haud absque fidei tuæ commendatione maxima, utitur,cuius quidem existimationẽ & de te conceptam opinionem si tantum sequi uellem,magna mihi injceretur cura inquirendæ rationis,qua celebrarem & colerem animi tui hanc modestiam. At præter hoc,id mihi omnibus modis extorquet obseruantia & amabilitas quædam,qua immerẽtem me, quotiescunque hactenus nobis congressio obtigit, amplecti uisus es. Quapropter persuadeas tibi uolo,huius erga me tuæ beneuolentiæ memoriam nunquam apud me intermorituram,quod ut testatius tibi appareat, sub nominis tui auspicio has duas Epistolas publicari decreui,quarum ab Arragonum rege Alphonso octauo,ab hinc anno 342. ad Innocentium tertium pont.max. altera ab Episcopis,pontificis Gregorij noni legatis,sexto postea anno ad ipsum Gregorium scripta fuit. Pugnæ cum Hilmolino Sarracenorum rege prior,cum Albigensibus hæreticis prælij conserti posterior testis. Hæc cum de rebus,tempore belli sacri(quod Guilhelmus Hierosolymitani regni Cãcellarius Archiepiscopus Tyrensis scriptum reliquit)gestis docet, dignæ equidem mihi uisæ sunt,quę in lucem proferrentur,ne aliqua uel temporis uel hominum iniuria aut negligentia interciderent. Vt uerò te uel hoc tædio liberarem,ne perlectis epistolis,historijs euoluendis tempus insumeres,quo tantorum motuum initia tibi cõstarent,unius atque alterius belli causas partim perstringam. Circa annum à nato Christo septingentesimũ, Sarraceni

raceni ex Aphrica, ad Hiſpaniæ littora applicuerãt, cum nauibus fermè trecentis, ſed à Bamba rege magna ui animi reiecti ſunt. tempore Bambæ deinde Roderico in regnum ſuffecto, fœda libido eius, Gothorum generi & in Hiſpania imperij finem attulit. Nam præfecti cuiuſdam Iuliani, qui Tinguitanam adminiſtrabat prouinciam, filiam is uitiauerat. dolor igitur domeſticus patrem ad ultionem ſollicitauit, quapropter clam ex Aphrica Sarracenos euocat, qui anno ſalutis 714. duce Muza miſſo, à Miramomelino corũ tũc rege, Hiſpaniã per anguſtias Herculei freti occupant. Biennij ſpatio totã præter Aſtures ſubigunt, regna inter ſe diuidunt, atq; cõſtituunt, apud Cordubam, Hiſpalim, atq; Carthaginem nouam. Fuit deinde iis bellum cũ Pelagio Caſtellæ rege, cum Alphonſo catholico, Friola, pax autem cum Silone & Muregarto, qui quotannis ex fœdere illis uirgines pro tributo mittebat, quam ignominiam diluit Ramirus, Calagurio oppido illis ablato. Patrem ſequutus Ordonius populantes compeſcuit, Toletum oppidum recepit. Nec Alphonſus magnus eius nominis tertius, infœlicius cum ipſis pugnauit, ſed ciuitates Luſitaniæ Colimbricam & Viſæum illis eripuit. Garſias deinde deuicto rege Aiola, illum cepit. Haud parẽ ſortitus eſt ſucceſſum contra Abderam Sarracenũ Ordonius frater. prælio enĩ uictus, magnam cladem ſuſcepit. Almazar Sarracenus quoq; circa nongenteſimum à Chriſto annum, Legionem urbem cepit, Gallacię prouinciam atq; Compoſtellanum templum diripuit, ſed maiori clade deinde ab Hiſpanis is affectus, ex uita deceſſit. Ferdinandus deinde primus, Caſtellæ, Legionis, Nauarræ rex factus, Valentiam recuperauit & Alcozer oppidum; Sarracenoſq; omnes conſtrinxit, ut ex Aphrica Virem & Bucharim reges in ſubſidium euocarẽt, ſed omnes diſiecit & expulit. Corduba, Baiona & Almeria per Alphonſum ſeptimũ etiam recepta, paulatim labaſcere res Hiſpaniarũ incœperunt; propter fratrem ac ciuilia bella, donec hic noſter Alphonſus cognomẽto Bonus, eius nominis octauus, rebus præficitur. Is ſtatim inito regno, bellum cõtra Sarracenos mouet, ſed cum his apud Halarcos congreſſus, temeritate & arrogantia ducis Didaci de Haro principis de Viſcaia ſuperatus eſt. Cladis fama ut in Aphricam peruenit, incredibili celeritate, maxima claſſe cõparata, Hilmolinũ regem in Hiſpaniã Sarraceni mittunt, eã is peruagatus, Aretatum uſq; & Auenionem peruenit. Tanto igitur hoſte oppreſſus Alphonſus Roderiũ Toletanum præſulem ad pontificem Innocentium Romã mittit, ad impetranda ſupplementa. Pontifex nihil cunctatus, undiquaq; cõquiſitum militẽ ſubmittebat, quem proficiſcentem cruce inſigniri, & ſpe uitæ æternæ onerari iubet. Bellum deinde quomodo geſtum ſit, ex Epiſtola iam decerpendum. Vnum hoc addam. Ferunt hoc in prelio Alphonſo crucem, quemadmodum olim Conſtantino, è cœlo apparuiſſe. Cæterum nec hoc te latere uolo Ioannes amice, huius filium, deinde Ferdinandum tertium, Sarracenos Hiſpania eiectos, in angulum Granatę concluſiſſe, ac regem eorum ſibi feciſſe ſtipendiarium, quintũ uerò Ferdinandum, Caroli Maximi Imp. auum maternum, bello, quod per totum ſexennium continuauerat, Sarracenos omnes Hiſpania eieciſſe, anno 1492. quam ipſi propemodũ 778 occupauerant annos. Sed ad aliam Epiſtolam. Agebat annus iam à nato Chri

sto millesimo cẽtesimo supra octuagesimumquintũ, cum duo ordines sacr exorti sunt, Prædicatorum, Minorumq́ꝫ, duo abrogati Humilium, ita se uocitabant, & Pauperum à Lugduno, conditore huius superstitionis Valdone Lugdunensi: illi humilitatis nomine munia, quibus curatores sacerdotes iure funguntur, sibi arrogabant, confessiones arcanas audiebant, ac uelut ipsi expiandi ius haberent, noxas soluebant: à liberalibus artibus cũ abhorrerent, concionabantur tamen, regimen animorum sibi uendicabãt. Pauperes à Lugduno (ita enim uocitabantur) necꝫ fundos sui iuris, neque certas sedes habere uolebant. errabant, mulieres idem professas secum circunducebant, nec secubare dicebantur. Lucius Pontifex Maximus utrãqꝫ sectam damnauerat, tolli tamen non poterant. Recepti Prædicatores fratres, qui literis se excolerent, concionibus edocerent, ius alienũ minimè usurparent. Dominicus author extitit, & doctus & sanctus uir, & acerrimus hæresum insectator. Minores fratres, conditore ordinis diuo Francisco, paupertatẽ professi sunt. Pauperes Minores uocitari cœptos, A uspergẽsis tẽporũ cõditor autor est, postea sanctius uisum, omnino Minores dici. Hi saniores ordines uisi, illi priores hoc remedio sublati. Dominici in tollenda Albiorũ hæresi uirtus enituit. Sederat ea pestis in Comitatu Tolosatiũ, cui Albii cõtribuebãtur, & finitimas pollucrãt ciuitates, & Humiliũ, & Pauperũ Lugdunensium sectæ affingebant & ipsi præcipuam impietatem. Põtifices nostros, Episcopos sceleratorum, Ecclesiam nostram, cœtum infernorum uocitabant, matrimonia damnabant, promiscuos concubitus, eosq́ꝫ nefarios, sanctos ducebant. Hi hostes piorum iudicati. Innocentius pontifex belli aduersus eos sacri suscipiendi autor fuit, legatosq́ꝫ circũmisit ad excitandos in nefariam sectam animos. ad eos sanandos, si resipiscere possent, missus diuus Dominicus. Necꝫ uitæ, necꝫ orationis sanctitate permoti sunt. Armis, etiam pertinacia se tutabãtur, necdum indoles illa Gotthica, ferociaq́ꝫ uticꝫ exoleuerat. Sacræ militiæ insignia, cruxq́ꝫ in eos suscepta, & in militum stipendium, pecuniam pro pietate quisq́ꝫ animi conferebat, illicq́ꝫ bello Duces, Leopoldus Sextus Austriæ Dux & Simo Comes Montefortis. At Austrius Imperatoris nomine repudiato, Christi miles dici malebat, summã omnem belli, quam cum collega illi legatorum Romanorum consensus, procerumq́ꝫ, qui ex Italia, Gallia & Germania, religionis causa arma ceperant, cõmunem fecerat, Simoni iniunxit. Is Biteras primũ copias duxit, præmisitq́ꝫ autoribus Legatis Romanis in urbem, qui ederent nomina eorum qui impietatis conuicti erant, uti cæteri uel eos urbe exigerent, uel ipsi exirent. neutrum præstiterunt. Vrbs capta, cędes promiscue facta. Carcasso recepta, oppidani cum singulis uestimentis abire iussi. In castro Mineruæ expugnando ingens labor insumptus, ubi sunt inuenti quinquaginta, qui igni cremari uiui, quàm pie sentire maluere. Anno eius seculi decimo Albii, antequam uis fieret Simoni, portas aperuere. Nihil hostile tunc passi, postea defecere, nec id impune tulere, capite autores noxã luère. Vaurũ et ipsum ui captum, ibi quocꝫ impij igni traditi cum in amentia perstarent. Præfectus præsidij Almericus magnæ nobilitatis uir resti suspensus, octoginta præterea minoris nobilitatis securi percussi, ne mulieribus quidem temperatum. Girarda

eius

eius oppidi princeps fœmina in patentem puteum coniecta,& saxis insuper obruta.Fœde in hos sæuitum,quod & ipsi paulo antè quosdam nostrorum paruo comitatu in castra ad Simonem iter facientes, circumuentos occiderant.Careum expugnatum,de sexaginta impijs supplicium sumptum.Exin Apistagnum,Galliacū,Causatum,Fanum Marcelli,Fanum Antonij recepta.Cadurci aduenienti Simoni deditionem autore Pontifice ciuitatis fecere.non eos tantum qui capti furore hæresis erant, sed omnem Comitatum Simo occupare conabatur,spe credo id uirtutis præmium fore. Mosacū nostros diu tenuit,captum tandem,cædesq; amentium edita. Anno eius seculi tertiodecimo in summum discrimen res adducta. Franci alio bello occupabantur,nec eis uacabat Tolosates persequi.Illi uerò animos sustulerant. Petrus rex Tarraconensium iuuentutem domesticam armarat,ut Raymundo Comiti Tolosatium opem ferret socio,amicoq; ac propinquo,cis Pyrenæum duxit.Iam ad Mirellum super Garumnam peruenerat,protinus Flussatium Conuenarumq; Comites cum suorum quisq; nobilitate affuere, quod & consanguinei,& beneficiarij Tolosatis forent,& Tolosates omnē ciuitatis pubem sub signis habuere,circiter centum millia armatorū in acie aduersus Simonem ne decima quidem parte hosti parem constituisse ferunt. & Dux & milites confessione prius ac sacra communione operati se cœlesti ope muniuere.Pontifices Tolosatium,Agatensium,Lodouensium, Conuenarum,quos populares sedibus exegerant,in nostrorum exercitu erant cum Dominico sancto uiro.Hi nō arma gerebant, nō stringebāt enses.Dū cōmittitur,dum trahitur prælium,Deum opt.max.precātur,pro causa sua stet,Ducem se suis militibus præstet,Crucem quam pro militiæ insigni accepissent, inuictā uelit,qui hostes uiribus, ope omni humana superiores sint, eos ne fineret etiam de his triumphare, qui omnem spem suam in numine collocassent,moueretur causa,precibus,obsecrationibus,uotis. Valuerunt lachrymæ,uicit religio.fusa,fugata multitudo à paucitate,furor à religione. Comites effugēre.Rex Tarraconensium cecidit.Tolosates maximè cladem sensere,nulla propè domos cladis experte.Gladio multi,flumine plures,dū omnia minus quàm hostem timent,dum per medios gurgites euadere conantur,absumpti.Plus uiginti millia desiderata,cæteri armis exuti.E nobilitate nostra unus omnino interijt,cum paucis admodum, atq; his neq; sanguine,neq; uirtute inclytis. Vt prǽclare uicerat Simon, ita nō segniter uictoria usus bellum circumtulit,oppida circumiecta cepit,præcipuè in Agenensium & Rutenorum finibus non parua,nec pauca in ditionem redegit,non quod omnia illa impiè sentirent,sed ne iuuare illos possent. Hæc Epistolarū argumenta, mi Ioannes, addere placuit,ut perspicuum tibi fieret, nullum laborem me recusare,si amicis inseruiendum sit. Tu quo beneuolentiæ affectu me amplecti cœpisti,eo mihi studere perge,ac uale.

x iij De

DE BELLO INTER HISPANOS ET SARRACENOS EPISTOLA.



Anctissimo patri et domino Innocentio tertio Dei gratia summo Pontifici, Alphonsus 8. eadem gratia rex Castellæ & Toleti cũ manuum osculo atq; pedum salutem. A sanctitate uestra non credimus excidisse propositum impugnandi gentis Sarracenæ perfidiam, uobis per nostros nuncios deuote & humiliter denunciasse, in omnibus tanquã patris & domini uestrũ subsidium expectantes, quod sicut à patre pio nos recognoscimus benignè & piè pariter impetrasse. Quocirca cum literis nostris nuncios, quos ad hoc exponendum idoneos reputauimus, ad partes Franciæ non distulimus destinare, addentes etiam, ut in omnibus militibus uenientibus ad bellum & omnibus seruientibus, prout decebat, expensas uictui necessarias largiremur, quibus possent cõmodè sustẽtari. Vnde sunt qui audita remissione peccatorum, quam uos uenientibus indulsistis, uenit magna multitudo militum de Transmontanis partibus, necnon & Archiepiscopi Narbonensis & Burdegalensis, & Episcopus Nanceteñ. Fuerunt, qui uenerũt usq; ad duo milia, cũ suis armigeris, & usq; ad duo milia seruientiũ in equis, & usq; ad quinquaginta milia seruientiũ sine equis. Quibus omnibus nos oportuit in uictualibus prouidere. Venerunt etiã illustres amici nostri & consanguinei, rex Arragonensis, & rex Nauarræ cum potentatu suo, in fidei catholicæ munimen. Quibus nobiscum aliquanto tempore Toleti facientibus moram, expectabamus homines nostros, qui uenturi erant ad bellum. Et omnia necessaria (prout per nuncios promisimus) non defecimus ministrare, licet expensę essent propter sui multitudinem nobis & regno nostro ferè importabiles & onerosæ. Non enim solum in his quæ promisimus, uerum etiam in pecunijs & in dextrarijs, quibus ferè omnes tã milites quàm seruientes pariter indigebant, nos oportuit prouidere. Sed dominus, qui multiplicat incremẽta frugũ iustitię, ministrauit nobis abundè secundum suæ gratiæ largitatem, & dedit omnia posse perficere perfectè pariter & abunde. Congregata itaq; nostra & suorum multitudine, uiam domini cœpimus proficisci, & uenientes ad turrim quandam, quæ Malagon nuncupatur, satis munitam, ultramontani antequam nos illuc peruenerũt per unum diẽ, & illam cũ Dei auxilio impugnantes incõtinenti ceperũt. Licet autem nos eis in omnibus necessarijs largissimè prouideremus, ipsi attendentes laborem terræ, quæ deserta erat & aliquantulum calida, uoluerũt à cœpto proposito retroire, & ad propria remeare. Tandem ad magnã instantiam nostram & regis Arragonensis processerunt usq; ad Colaturnã, quę nõ distabat à prędicto castro nisi per duas leucas. Eamq; nos ex parte nostri & rex Arragonensis ex sua, & ipsi ex sua, in Dei nomine cœpimus expugnare. Sarraceni autem qui intus erãt, attendentes se Dei exercitui nõ posse resistere, disposuerunt uillam nobis tradere ita, quod personæ eorum saluæ descenderent, ueruntamen sine rebus. Cumq; nos illud nulla ratione

uellemus

uellemus acceptare, rex Arragonensis, & Vltramontani habentes super hoc consilium, uiderunt esse munitã uillã firmis antemuralib. & profundis fossatis & excelsis turribus,& quod non posset capi,nisi suffoderentur muri,& sumerent, & quod cederet in graue damnum fratribus saluæ terræ, (quorum fuerat)et quod non posset,si necessitas incumberet,retineri. Vnde apud nos institerunt firmissimè,ut uilla salua et integra,cum armis & magna copia uictualium quæ ibi erat,quibus satis indigebat exercitus, nobis traderent,& personæ Sarracenorũ uacuæ & inermes recedere permitterentur. Nos autem attendentes eorum in hoc firmam uoluntatem,uotis eorum annuimus ita,quod medietas omnium eorum quæ intus habebantur, cederet in partem regis Arragonensis,& alia medietas Vltramontanorum, & nec nobis nec nostris uolumus aliquid retinere. Ipsi uerò propositum repatriandi apud se retinentes,licet dominus Deus nobis exhiberet gratiam & honorem,& nos uellemus omnibus eis sufficientissimè ministrare, desiderio patriæ coacti omnes pariter, signo crucis relicto, cum Archiepiscopo Burdegalensi,& episcopo Nanetensi,licet certitudinem de bello Sarracenorum haberemus,ad propria redierunt, exceptis admodum paucis, qui remanserunt cum Archiepiscopo Narbonensi,& Theobaldo de Blezon,qui personaliter intererat cum suis & quibusdam alijs militibus de Pictauia. Et hi omnes qui remanserunt,uix erant inter milites & seruientes centum quinquaginta,de peditibus autem eorum nullus remansit. Cumq; rex Arragonensis,apud Colaturnam moram faceret, expectando quosdam milites & regem Nauarrę,qui nondum ad nos peruenerat,nos cum nostris processimus,& peruenimus ad quoddam castrum,quod licet bene munitum esset, cepimus,& alia tria castra,quorum unum dicitur Sarocomia, aliud Beneuentum,& aliud Petra bona. Item procedentes peruenimus ad Saluam terram. Ibiq; peruenit ad nos rex Arragonensis,qui de suis hominibus adduxit in exercitum nisi centum milites generosos,& rex Nauarræ, qui similiter uix fuit in exercitu de suis plusquam ducẽtis militibus comitatus. Et quia rex Sarracenorum in uicino erat nobis, Saluam terram noluimus expugnare,sed procedentes contra Sarracenorum multitudinẽ,peruenimus ad quędam montana,in quibus nõ erat trãsitus,nisi in certis locis. Cumq; nos essemus ad pedem illius montis, ex parte nostri Sarraceni uenientes, ex parte alia obtinuerunt firmitatem montis,uolentes nobis trãsitum impedire. Sed milites nostri ascendentes uiriliter,quia adhuc pauci Sarraceni ad illum locum peruenerant,eos cum Dei auxilio expulerunt,& castrum quoddã munitum,quod propter transitum impediendum Sarracenorum rex construxerat,ceperunt,quod Ferrat dicit. Quo occupato,exercitus Domini securè potuit ad cacumina montis ascendere,ubi multũ laborauit propter defectũ aquarum & loci ariditatem. Sarraceni autem uidentes,quia transitum illum occupare non possent,alium transitum,qui erat in descensu montis, arctissimum & inuium occuparunt,talis quippe erat,quod mille homines possent descendere,omnibus hominibus qui sub cœlo sunt inuitis. Et iuxta transitum illum,ex parte altera erat totus Sarracenorum exercitus,& sua tentoria

iam fixa. Cumq; ibi moram facere ob defectum aquæ non possemus, nec prouidere propter transitus difficultatem, quidam ex nostris consuluerunt, quod iterum ad pedem montis descenderemus, & alium exercitum ad duas uel tres dietas quæreremus. Nos autem attendentes fidei periculum, & personæ nostræ dedecus, noluimus parêre consilio, eligentes potius in difficultate transitus mori pro fide, quàm faciliorem transitum quærendo, quali tercunq; in fidei negotio retroire. Cumq; iam quidem propositum firmassemus, ad iudicium cuiusdam rustici, quem Deus nobis ex insperato misit, in eodem loco alium transitum satis facilem magnates nostri, qui primos ictus in bello habituri erant, inuenerunt, & in loco quodam exercitui eorũ uicino, licet aridus esset & siccus, Sarracenis hunc transitum ignorantibus, tentoria posuerũt. Quod cum Sarracenorum exercitus attendisset, processit ut mansionem illam impediret. Nostri autem licet pauci essent, se uiriliter defenderunt. Nos autem, & rex Arragonensis, et rex Nauarræ, armati cum militibus nostris, in loco primæ mansionis, quæ erat in summitate montis, expectauimus, donec totus exercitus Domini perueniret securè ad locum, ubi anteriores nostri castra metati sunt. Ita dante Deo factum est, quod licet uia esset inuia & aquosa, lapidosa & nemorosa, nihil de nostris amisimus. Hoc autem factum est die Sabbati, 17. Calendas mensis Augusti, circa serotinam horam. Sarraceni uerò attendentes, quod omnia tentoria nostra tutè fixerimus, dispositis aciebus suis, uenerunt ante loca castrorum, & ibi quædam præludia bella in modum torneamenti cum nostris exercuerunt. Attendẽtes autem ipsi, quod nos illa die nollemus habere bellum, ad castra sua reuersi sunt. Sequenti autem die Dominica, summo mane uenit Sarracenus cum multitudine infinita, dispositis aciebus suis. Nos autem uolentes considerare multitudinem gentis suæ et dispositionem et statum, et qualem in omnibus se haberent, habito prudentium uirorum consilio, et in his exercitatorum, expectauimus usq; ad sequentem diem lunæ. Ipsis autem sic existentibus, posuimus milites nostros cum peditibus, ut extremos agminis nostri non possent in aliquo molestare, quod quidem, operante diuina gratia, sic euenit. Sequenti die, scilicet feria secunda, omnes in Dei nomine armati processimus, dispositis aciebus, cum eis pro fide catholica pugnaturi. Ipsi autem obtinuerunt promontoria quædam ualde ardua, et ad ascẽdendum difficilia propter nemora, quæ inter nos et ipsos, et propter alueos torrentium profundissimos, qui nobis magno erant impedimento, ipsis uerò magno expedimento. Veruntamen ille à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia sunt, mirabiliter direxit nominis sui exercitus contra inimicos suos, et anteriores nostri, necnon et medij multas acies eorum, quæ in minoribus promontorijs erant, in uirtute crucis dominicæ prostrauerunt. Cum autem peruenissent ad extremam aciem eorum, infinitæ siquidem multitudinis, in qua rex Carthaginis erat, ibidem difficilimos conflictus militum, peditum et sagittariorum inuenerunt, quos sub maximo periculo et uix, imò iã non poterant tolerare. Nos autem attendentes bellum illud eis omnino importabile, impetu equorum processimus, ligno crucis Dominicæ præeunte, et

te, & uexillo nostro, in quo erat imago beatæ uirginis & filij sui, insignijs nostris supposita. Cũq; nos iã pro fide Christi constanter eligeremus mori, attendentes crucis Christi & [illegible]maginis suæ matris ignominiã, quas lapidibus & sagittis impetebant irr[illegible]te, in arma furentes, aciẽ eorum infinitæ multitudinis diuisimus. Et licet [illegible] essent cõstantes in bello, & firmi super domino suo, dominus illorũ i[illegible] multitudinẽ crucis suæ gladio trucidauit. Et sic rex Sarracenorum c[illegible] in fugam conuersus fuit, sui aũt interim impetus nostros sustine[illegible]m post maxima[illegible] stragẽ suorum reliqui in fugam conuersi s[illegible]quentes usq; ad noctẽ, plures tamen insequendo interfecimu[illegible] sic bellũ Dñi, à solo domino, et per solum dominũ est fœliciter [illegible]atũ. Deo aũt honor & gloria, qui cruci suæ dedit uictoriã per Iesum Christũ, dominũ nostrum. Fuerunt aũt milites Sarraceni, ut postea uera relatione didicimus, à quibusdã domesticis regis Sarracenorum, quos postea cepimus captiuos 185. millia, peditũ uerò non erat numerus. Occubuerunt aũt in bello centũ millia armatorũ & amplius, ex parte sua, secundum æstimationẽ Sarracenorum, quos postea cepimus. De exercitu aũt Domini, quod nõ sine grandi gratiarũ actione recensendũ est, & quod incredibile est, nisi quod miraculũ est, uix 25. aut 30. de toto nostro exercitu occubuerunt. O quanta lætitia, ô quot gratiarum actiones, nisi de hoc dolendũ sit, quod tam pauci milites in armis de tãto exercitu ad Christum peruenerunt. Vt aũt magnatorũ multitudo creditur, cũ exercitus noster in castris eorũ, post bellum, per biduum morã fecerit, ad omnia incẽdia quæ necessaria erant in coquendis cibis & pane & alijs, nõ consumpserunt alia ligna, nisi de sagittis & lanceis eorũ, quæ remanserunt, & uix comburere potuerũt medietatẽ. Cũq; Dei exercitus per longã morã factã in locis eremi, & incultis, deficeret in uictualibus & alijs, ibidẽ inuenerunt tã ciborũ q̃ armorũ, necnõ & dextrariorũ & iumentorũ copiã, quod accipientes ad suã unusquisq; de his omnibus uoluntatẽ, plus ibi dimiserunt ex magna abundantia, q̃ quanti acceperũt. Tertia aũt die procedentes uenimus ad quædã castra eorũ, scilicet Bilche, Bamos, Tolosa, quę in continenti cepimus. Tandem peruenimus ad duas ciuitates, quorũ altera dicit̃ Bracia, et altera Vbeda, quibus non erant maiores circa mare, præter Cordubam et Hyspalim, quarum alteram scilicet Braciam, destructam inuenimus. Ad alterã, scilicet Vbedam, quia situ loci et artificio fortissima erat, confugerat hominũ multitudo infinita, ex omnibus uillis adiacẽtibus. Cũ eñ uilla illa nunq̃ ab imperatore uel ab aliquo rege Hispaniæ expugnata sciretur uel subiugata, in eadẽ posse saluari sua corpora crediderunt. Sed hanc in breui, diuina gratia fauente cepimus, et funditus destruximus, quia non possemus tantã habere multitudinem gentiũ, quæ ad illas populandas sufficere possent. Et bene perierũt ibi 60. millia Sarracenorũ, quorũ quosdã interfecimus, quosdam captiuos duximus ad seruitium Christianorum, et monasteriorum, quę sunt in Marchia reparanda. Hæc igitur sanctissime uobis scribenda decreuimus, pro auxilio toti Christianitati impenso, gratias quas possumus exhibentes, et humiliter supplicantes, ut uos, quẽ Dominus ad summi sacerdotij gradum elegit, ei cum sacrificio laudis, pro salute populi immoletis uitulos labiorum.

ORATIO.

Omnipotens & misericors Deus, qui superbis resistis, humilibus autem das gratiam, digna tibi laudum præconia, & deuotas gratiarum actiones refundimus, quod antiqua renouando mira[cu]la, gloriosam tribuisti uictoriam, de perfidis gentibus, populo Christia[no]: te suppliciter exorantes, ut quod mirabiliter incepisti, misericorditer p[erpet]uaris ad laudem & gloriam nominis tui sancti, quod su[per fam]ulos tuos fideliter [in]moratur. Per D[ominum] [nostrum Iesum Christum], &c.

DE ALBIGENSIVM [HÆR]ESI EXTINCTA, EPISTOLA.



Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus, qui sanctã Ecclesiam bona diligunt uoluntate. Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Quinta feria, infra octauas Natiuitatis beatæ Mariæ uirginis sanctæ, concessit Ecclesiæ, deiectis miraculosè inimicis fidei Christianæ, uictoriam gloriosam, & triumphum gloriosum, in hunc modum. Post correctionem affectuosissimã, & zelo paternæ pietatis à summo pontifice diligentissimè factam regi Arragonensi, inhibitionemq́ districtissimam, ne inimicis sanctæ fidei pararet auxilium, consilium uel fauorem, sed ab eisdem recederet indilate, & treugas haberet firmissimas cum Comite Montefortensi, quibusdam etiam literis, quas eiusdem nuncij per falsissimam suggestionem, contra comitem Monteforteñ. impetrauit, de terris reddendis comitibus Flussatium, Cõuenarum, Gasconiæ & Biærnæ, post ueritatis cognitionẽ, cassatis à domino Papa, & tanquam nullius ualoris penitus renouatis. Idem rex correctionem patris sanctissimi non deuotione suscipiens filiali, sed contra mandatum apostolicum superbè recalcitrãs, qua si cor habens durius induratum. Licet uenerabiles patres, Narboneñ. Archiepiscopus apostolicæ sedis legatus, Tolosanus episcopus sibi literas & mandatum summi Pontificis transmisissent, ipse quæ pridem conceperat, uoluit postmodum parturire. Quia in terram, quæ per uirtutem Domini, auxilio signatorum contra hæreticos & eorum defensores fuerat acquisita, intrauit cum exercitu, eamq́ contra mandatum sibi subiugauit, et prædictis inimicis reddere attẽrauit. Parte cuius iã sibi aliquantulũ subiugata, cũ pars multa residui ob ipsius securitatem apostatare intenderet, et se ad apostotandũ pararet, cõgregatis insimul comitib. Tolosatiũ, Flussatiũ, Cõuenarum, exercitu magno ualde, feria tertia post Natiuitatẽ beatæ Mariæ, Maurelli castrũ obsedit. Quo audito patrũ uenerabiliũ Tolosani, Nemanseñ. Baioeeñ. Lodoueñ. Agathaneñ. Bitriceñ. Conuenarũ Episcoporum, et de Claraco et Villa magna, et sancti Tyberij Abbatũ, quos uenerabilis pater, Narbonensis Episcopus apostolicæ sedis legatus, per sacrũ Christi negotiũ fecerat congregari, qui ut de dicto negotio Christi et pace tractarent diligenter, aduenerãt in Christo unanimes et deuoti, comitatu uenerabili, comitatus scilicet

Comes

Comes Montisfortis, habens secum quosdam nobiles & potentes signatos, qui nuperrime de Francia uenerãt, ipsi & Christi negotio in succursum, suamq; familiam, quæ in Christi negotio diu laborauerat, secum ad iter arripuit, ad castellum obsessum uiriliter succurrendum. Et dum die Martis, infra octauas supradictas uenisset ille Christi exercitus ad quoddam castrum, quod dicit̃ Sauardunũ, uenerabilis Episcopus Tolosanus, cui à summo Pontifice Tolosana commissa erat reconciliatio, licet de reconciliatione ipsius iam, quantum per suas literas innotuisset, cuius admonitionibus, licet salubribus, acquiescere postponebant, respondentes se super hoc nullatenus respondere, ad dictos regem & Tolosanos in obsidione Murelli existentes suas misit literas, significans eis, quod ipse ac episcopi memorati ueniebant, ut de pace ac concordia tractarent diligenter, & petebant sibi dari ducatum securum. In crastino autem & die Mercurij sequente, quia res sic urgebat, supradictus Christi exercitus exijt Sauardunum, festinans ad succursum Murelli celeriter aduenire. Dicti uerò episcopi morari proposuerant apud quoddam castrum, quod dicitur Altaripa, quod medium inter Sauardunum & Murellum distat, ab utroque duabus leucis, ut ibi missum nuncium expectarent. Qui nuncius rediens respondit ex parte regis, quod ex quo episcopi cum exercitu ueniebant, non daret eis ducatum, ipsi alio modo ire non poterant sine manifesto periculo, propter guerram. Cum autem ipsi ac Christi exercitus Maurellum accederent, ex parte ciuium Tolosanorum, Prior Hospitalis Tolosanus ad episcopum Tolosanum missus uenit, ferens eorum literas, in quibus continebatur, quod modis omnibus parati erant domini Papæ & ipsius episcopi facere uoluntatem, quod quidem eis bonum fuisset, si facta dictis uerius compensassent. Eidem uerò Priori demisso ab episcopo respondit rex, quod ducatum episcopo nõ præberet, sed si uellet ire Tolosam ut ibi Tholosanis loqueretur, eum concederet illuc ire, & hoc derisorie fuit dictum. Ad quod episcopus, Non decet, inquit, seruum ciuitatem intrare, de qua dominus suus exul est & eiectus, nec ego, cum corpus Christi de ciuitate illa eiectum fuerit, illuc reuertar. Verum episcopi dicti cum exercitu Murellum intrauerũt die Mercurij supra memorata. Qui sollicitudine non pigra duos uiros religiosos ad regem & ciues Tholosanos destinarũt, qui à rege tale habuerunt responsum. Quod propter quatuor Ribaldos, quos episcopi secum adduxerant, petebant colloquium habere, & hoc dicit in contemptum & derisum signatorum. Tolosani uerò prædictis nuncijs responderunt, quod in crastino sequenti responderent, & hac de causa eos usque in crastinum tenuerunt, in crastino autem, id est, die Iouis, quod ipsi regi Arragonũ erant confœderati, & nihil facerent nisi regis uoluntatem. Quod cum redeuntes mane, ipsa die Iouis nuncij reuertissent, episcopi et Abbates, discalciatis pedib. ad regem ire proposuerunt. Et cum quendam religiosum mitterent, ad nunciandum regi eorum aduentũ, in hunc modum, patefactis ianuis. Comes Mõtefortensis et cruce signati essent inermes, pro eo, quod episcopi & Abbates de pace insimul loquebant̃, hostes Dei superbè ac fraudulenter ar-

mati

mati uicum subintrare cum impetu attentarent, sed per Dei gratiam à suo fuerunt desiderio fraudati. Quorum superbiam comes & cruce signati uidentes, cum sine periculo magno, sine damno ulterius differre non possent, per cordis contritionem, & oris confessionē, utpote ueri cultores fidei Christianæ mundati salubriter à peccatis, armis suis se uiriliter accinxerunt, uenientesq; ad sæpe dictum Episcopum Tholosanum, qui autoritate domini Narbonensis Apostolicæ sedis legati, iure legationis hic officio fungebatur, exeundi licentiam contra hostes fidei humiliter petierunt. Quanquam negocium in arcto constitutum, concessa necessitate quodammodo compellente, pro eo, quod ipsam domum, in qua Episcopi morabantur, ipsi hostes, erectis iam machinis alijsq; bellicis instrumentis, festinabant proterius impugnare, balistis, carrellis, iaculis atq; lanceis emissis hostiliter. Circū quam Christi milites reuerendi, ligni Domini signaculo cum insignijs pontificalibus consignati, in nomine sanctæ Trinitatis tribus aciebus dispositis, exierunt. Hostes uerò è contrario multas habētes acies & multum magnas, sua iam muniti armis tentoria sunt egressi. Quos licet multos milites & populum multum nimis, clientes Christi, de ipsius auxilio confidentes, & licet illorū respectu paucissimi, multitudinē magnā nō uerētes, armati uirtute ex alto, uiriliter sunt egressi. Statim uirtus altissimi, per manus seruorū suorū, hostes suos confregit, et comminuit in momento. Terga autem uertentes, in fugam facti sunt, tanquam puluis ante faciem uenti, & Angelus Domini persequens eos erat. Hi turpiter fugientes, turpi fuga mortis periculum euaserunt. Alij necantes gladio æquo periculo perierunt. Quàm plures uerò fuerunt in ore gladij deuorati. De illustri rege Aragonum, qui cum interfectis occubuit, plurimum est dolendus, qui princeps tam potens & nobilis, qui si uellet, posset, & deberet Ecclesiæ sanctæ utilis esse multum, nunc adiunctus Christi hostibus, inimicus Christi est, sanctam Ecclesiam improbè perturbabat. Cæterum cum uictores Christi à cæde reuertuntur, & à persecutione hostium cum uictoria gloriosa, sæpe dictus Episcopus Tolosanus, Tolosanorum stragi & miseriæ caritatiuè ac misericorditer compatiēs, corde pio eos, qui de stragis residuo adhuc infra sua tentoria morabantur, saluare cupiens, ne perirent, ut saltem tantorum flagellorum uerbere castigati, & tantum periculū euadentes, conuerterentur ad Dominum, & uiuerent, in fide catholica permansuri, missa eis per quendam religiosum cuculla, qua indutus erat, mandauit eis, quod nunc arma, deinde & suam deponerent feritatem, & inermes uenirent ad Episcopum, ut eos saluaret à morte. Qui adhuc in sua perseuerantes malitia, & se qui iā uicti erant, Christi populum uictum autumantes, nō solum patriæ sui Episcopi admonitionibus cōtempserunt, uerū etiā ablata cuculla, ipsum nunciū lanceis uulnerauerūt. per quos Christi militia recursum faciēs, circa sua diffugiētes tētoria interemit. Certus hostiū interfectorū numerus, tā militū q̃ aliorū, prę multitudine nullatenus sciri potest. De militib. aūt Christi unus solus tāto interēptus est conflictu, & paucissimi seruiētes. Oīs ergo populus Christianus, de Christianorū uictoria, mēte pia & toto cordis affectu gratias agat Christo deo, qui per paucos

fideles

fideles infidelium innumerabilem multitudinem superauit,& Ecclesiam suam sanctam de suis concessit hostibus fœliciter triumphare, ipsi honor et gloria in secula seculorum.amen.Nos Tholensis,et Neumascensis, Vricensis,Lodonẽsis,Bitricensis,& Conuenarum Episcopi,& de Clanco uilla magna,& sancti Tyberij Abbates,qui mandato & præcepto uenerabilis & dilecti patris Narbonensis Archiepiscopi Apostolicę sedis legati ueneramus, & de pace & concordia tractare cum summa diligentia, maximoq́ꝫ studio nitebamur,præscripta omnia sic uidimus,& audiuimus esse uerissima ,uerbo Domini perhibemus, consignantes ea nostrorum munimine sigillorũ, utpote reseruari digna in memoriam sempiternam . Considerantes igitur tantum miraculum non hominis potestate, sed diuina ultionis sententia factum esse,uniuersitatem fidelium attentius exhortamur, quatenus fidem, per quam sancti uicerunt regna,mente firmissima teneatis, uerbo firmissimo profiteamini,opere firmissimo compleatis. Timeatis regem regum,per quem quales uoluerit,& quantum permiserit,reges regnant. Cæterum cũ nõdum intelligimus,quod adhuc Tholosensib. alijsq́ꝫ infidelibus tãta uexatio præbeat intellectum,quia peccatis suis exigentibus,oculi eorum ne uideant,obscurentur,licet humiliauerit eos,qui est ante secula, iugo domini respuunt subiugare, quocirca cum dominus Papa contra ipsos fideles quosque populos per indulgentias innouatas iubeat exhortari, fidelitatem uestram in Domino monemus,& rogamus,quatenus ad residuum tantæ militiæ destruendum, munita signo crucis in pectore,contra crucis inimicos durissimos ueniatis,ut per laborem meritorum & auxilium nostrum, destructis aduersitatibus & erroribus uniuersis,sponsa Christi,Christo secura deseruiat libertate.Nouit enim uniuersitas uestra,sicut nos credimus,& sine omni ambiguitate noscere debet, quod summus Pontifex ad extirpandam hæreticam prauitatem,laborem huius uitę & protractum negocij fidei iniunxit,& modò per innouatam indulgentiam iniunget uniuersis Christi fidelibus,in remissionem omnium peccatorum suorum. Eia ergo accingite uos milites Christi,ad uindicandum Christi iniuriã,securi pro certo, quod iam incipit cauda poni in sacrificium,& finis toto negocio Iesu Christi, uobis succurrentibus,appropinquat.Datum millesimo , in crastino uictoriæ gloriosæ,scilicet sexta feria post octauas Natiuitatis beatæ Mariæ uirginis,Anno Domini millesimo ducentesimo decimotertio,mense Septembri.

FINIS.

